36
15 E
23

Digitized by Google

Vos qui fortiores estis infirmitates īfirmorū portate. Pau: Roma-
nos 15

NAZ. ROMA ...TORIO EMANUELE

36. 15. E. 23

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

S. BONAVENTVRAE

CATHOLICARVM INSTITVTIONVM AD CHRISTIAnam Theologiam compendium, Clementis Moniliani Cardinalis Aræcæli, denuo ab eodem magna cum diligentia recognitum, & multis in locis poſt primam eius editionem expurgatum, atq; locupletatum, cui etiam addidit duos vtiles atq; neceſſarios tractatus, alterum de peccatis, & eorum differentijs, & alterum de cælibatu Sacerdotum.

Cathalagus omnium contentorum in hoc uolumine.

DE SYMBOLO APOSTOLORVM
DE SACRAMENTIS
DE PRAECEPTIS DIVINIS
DE PECCATIS, ET EORVM DIFFERENTIIS
DE CONSILIIS EVANGELICIS.
DE CAELIBATV SACERDOTVM
DE OECVMENICO CONCILIO

Cum Indice copioſiſſimo omnium dicendorum.

CLEMENS MONILIANVS, CARD. ARAECAELI, PIIS ET CATHOLICIS Lectoribus.

INTER varia, peneq; innumera huius noſtri ſeculi aduerſa, quibus iuſto Dei iudicio premimur, nihil animum noſtrum magis torquet, quàm quòd Chriſti nauem ita fluctuari videamus, vt niſi gubernatoris numen adſit, vltimum naufragij periculum haud procul abeſſe videatur. Paucis enim ante annis ambulabamus in domo Dei cum conſenſu, in qua non verſantur niſi vnanimes, & qui vno ore benedicunt Dominum: cũ fuerit in ea vna fides, vnum baptiſma; terra fuerit vnius labij, & multitudinis credentium eſſet cor vnum, & anima vna: idipſum dicebamus omnes, idipſum ſentiebamus, idem ſapiebamus, vno ore honorificabamus Deum, & patrẽ domini noſtri Ieſu Chriſti. Nunc vero (quod quidem ſummo cum animi noſtri dolore dicimus) nuſquam deſunt, qui hunc piorum conſenſum, & vnanimitatem labefactent; qui prætergrediantur veteres terminos, quos poſuerũt patres noſtri; qui eorundem patrum & matris Eccleſiæ ſtatuta trãſgrediantur, & confundant. Id adeo contra Auguſtini ſententiam: qui, Tunc, inquit, a nobis fidei limes defenditur, cum termini, quos poſuerunt ſancti patres, obſeruantur. Hoc vero tẽpore vſque adeo viget impietas, eaq; tam longe lateq; graſſata eſt, vt iam non inter populares homines ſeſe contineat, ſed inter ipſos etiam Eccleſiarum Antiſtites implacabilibus odijs ſe committat. At recentes hæreſes (quas, vt inquit Apoſtolus, neceſſe eſt eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiãt) ita obſunt Eccleſiæ, & Chriſti fidelibus tantum afferunt detrimenti, vt niſi præſens adhibeatur remedium, in errorem (ſi fieri poſſit) inducantur etiam electi. Atque ea cùm ita ſint, non tamẽ expedit hæreſes & hæreſiarchas diſputationibus, ac legis contentionibus aggredi ſanare: quippe quos eiuſmodi controuerſijs ali, in dieſq; augeri videmus. Vnde Gratianus Imperator, æqualis temporum beati Hieronymi, de fide diſputari, recte & ſapienter prohibuit: edixitq; vt omnes Imperio ſubditi, eã, nulla prorſus varietate, retinerent religionem, vnamq; ſaluti neceſſariam dicerent, quam Apoſtolorum ſummus beatus Petrus tradidiſſet, & Damaſus Romanus Epiſcopus cuſtodiſſet. Neque tamẽ hæretici (vt Au-

guſtinus docet) permittendi ſunt,vt laxatis habenis in profundum labantur malorum,& ſuæ relinquãtur libertati, ſed inuiti etiam ad ſalutem trahendi ſunt. Cum plane conſtet Iſraelitas tergiuerſantes,& murmurantes,a Deo duris flagellis fuiſſe cohibitos,& in terram promiſſionis inductos. Neque Paulus eſt permiſſus ſua vti mala voluntate,qua Eccleſiam inſectabatur. In ſcripturis quoque ſanctis admonetur pater, filium non modo duris corripere verbis,ſed & eius latera tundere,vt domitus ad bonam dirigatur diſciplinam. hac de cauſa negligentes corrigũtur paſtores,eisq; obijcitur, quòd errantem non reuocauerint ouem,& perditam non inquiſiuerint. Si igitur modis omnibus errantes reuocari,& perditi quæri debẽt, voluntati Domini obſequuntur ij, qui pro munere ſibi mandato oues ad ouile Domini,& ad ſalutis portum reuocare ſtudent: melius enim errantibus eſt reſipiſcere,& Eccleſiæ vnitati reſtitui,quàm in profundum malorum prolapſos,ſententiam contra eos,qui piorum conſenſum,& vnanimitatem perfringũt,a Deo per os prophetæ latam experiri,quæ dicit: Veniat mors ſuper illos, & deſcendãt in infernum viuentes: vt vſu veniſſe legitur Chore, Datan,& Abirõ, qui ſchiſmatis auctores facti, viui ad infernum deſcenderunt. In qua re cum beato Cypriano gloriari poſſumus,quòd non nos ab illis, ſed illi receſſerunt a nobis: perperam enim ſcripturam interpretantes, alienati ſunt a nobis. Porro non in legendo (vt ait Hieronymus)ſed in intelligendo,ſcripturæ conſiſtunt: non in ſcripturarum verbis euangelium eſt,ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla:non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Ea enim mente præditi eſſe debemus,vt in his,quæ didicimus, permanendũ putemus: didicimus profecto ab ea, quæ firmamentum eſt, & columna veritatis Eccleſia. In illius denique interpretatione, definitioneq; nos acquieſcere, neque fluctuantes omni doctrinæ vento circumagi oportet: cum (vt ad Pauli lucernam legimus) deuitare profanas vocum nouitates, quas conſenſui ſanctæ catholicæ eccleſiæ contraria eſſe conſtat, iubeamur. Si enim recentes accipiantur opiniones,neceſſe erit ſanctorum Patrum fidem,aut totam,aut magna ex parte violari. Deploranda profecto ſunt tempora noſtra, quibus videmus terram (vt Eſaias prædicat) idolis plenam, & opera manuum ipſorum ab impijs coli. Vbi per idola catholici doctores dogmata veritati contraria interpretantur. Quare Auguſtinus, poſtquam de ſimulachris manufactis pleraque dixerat: Eſt (inquit) alius ſimulachrorum deterior error, quo phantaſmata ſua colunt: & quicquid animo errante cum ſuperbia & tumore cogitãdo imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant. Per Deos iſtos alie-

nos

nos doctores ſancti errores ab Eccleſia ſeparatorum intelligunt: quos propterea ſpargi nonnumquam patitur Deus, vt conſtantiam noſtram probet in ſe diligendo,& ſanæ doctrinæ adhærendo: & vt vnuſquiſque quàm tenax,fidelis, ac firmus catholicæ fidei ſit amator,appareat. Neque enim hæreſes iſtæ,quæ nunc Eccleſiæ Dei tantum exhibent negotij, nouæ omnino ſunt: quippe quas magna ex parte mille ab hinc annis confutatas ſcimus. Neque vero tempora noſtra ita deplorata ſunt, vt deſperandum ſit, Deum tot diſſidijs aliquem tandem finem eſſe facturum, & Eccleſiæ ſuæ pacem redditurum, qua ad optatum quietis portum aliquando poſſit peruenire. Bonum interim decet rectorem, vt ex ſua infirmitate aliorum infirmitatem penſans, magis manſuetudine ſtudeat ab erroris laqueis homines eripere, quàm per rigidam ſeueritatem in foueam perditionis impellere. præſtat enim lenia prius adhibere vulneri medicamenta: quæ ſi nihil proficere intelligamus, tunc acrioribus vti remedijs oportet: & partem infectam, ſi res deſperata fuerit, reſecare, ne totum corpus inficiat deinde, atque corrumpat. Hoc enim modo, vt verbis vtamur diui Bonauenturæ & magiſtri ſui Alexandri Alenſis, vtitur Eccleſia: quia ſicut in medicinalibus duplex eſt modus curandi, videlicet per pharmaca lenientia, & per exaſperantia: ita in ſpiritualibus eſt vnus modus curandi per dulces monitiones, & alius per aſperas increpationes. Primo vtitur Eccleſia pro tractabilibus hominibus: ſecundo pro rebellibus. Vnde ſicut ijs, qui non curantur per emplaſtrum, apponitur cauterium, ſic & inuitis ac incorrigibilibus fit correctio per flagellum, Vnde Dominus noſter fundator Eccleſiæ, eidem non modo dedit medicamenta ſacramentorum ad curandum accedentes, ſed etiam gladium ſpiritus, & poteſtatem amputandi, & reſecandi contemptores,& rebelles: non ſolum per excommunicationem præſeruatiuam, quæ eſt a iure; ſed per curatiuam, quæ eſt a Iudice: quarum prima principaliter eſt ad cauēdam culpam, cum ſit quædam comminatio ne culpa committatur: altera vero fertur ad frangendum contumaciam, vt ſaltem metu pœnæ compellatur. Hunc modum contra hæreſes, & hæreticos obſeruare volui, adhibendo ad ſaluatoris noſtri exemplum, eorum infirmitatibus pharmaca lenientia, quibus eorum morbi & impietates facile curari poſſint, cum chriſtianæ charitati non cōueniat criminoſos primo congreſſu contumelijs afficere, & nullis omnino tentatis remedijs e vita tollere. Si vero in tantum profundum malorum venerint, vt deſperanda ſit eorum ad veram pœnitentiam reſipiſcentia, tunc grauioribus vtendum eſt cauterijs. Poſtquam electus fui Cardinalis, ne in domo Dei

panem comederem otioſus, licet morbis vexarer aſſiduis,& publicis negotijs aſſidue diſtinerer:nolui deeſſe officio homines purgādi,illuminandi,& perficiendi, quod a nobis huius loci dignitas poſtulat : eo tempore maxime,quo impij vigilantiſſimi ſunt,vt catholicos ſuperſtites ad ſuam impietatem perducant. Atque vtinam Chriſti fideles; iiq; præcipue, quorum munus eſt reddere rationem poſcentibus de ea, quæ in nobis eſt fide, & ſpe, tantam adhiberent diligentiam in ſuis,& aliorum moribus componendis,optimiſq; inſtitutis informandis, ac Chriſti membris in vera religione firmandis : quantam impij in moribus corrumpendis,& impietatibus ſuis diffundendis, ac pertinaciter defendendis. Igitur quæ ſpiritualis exercitij cauſa, & ad confirmandos catholicos viros in ea religione,quæ vera pietas eſt, & ad vnitatem Eccleſiæ attrahendos eos,qui a veritate deuij ſunt,& ad membra præciſa chriſti corpori annectenda,ex ſacris literis,& orthodoxis doctoribus collegi,inferius exponam. Si enim Eccleſiæ Dei præſtare multa non valeo,multa tamen cum fide,& ſyncero corde, humiliq; mente ad vtilitatem Eccleſiæ,non in ſublimitate ſermonis,nec in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, verum in oſtenſione ſpiritus, præſtabo quod potero. Etſi non munera digna hoc honoris gradu, cum paupercula tamen vidua in gazophylacium Domini ponam æra minuta duo. Verum, ne dum falſos aliorum errores exagito, in aliquem ipſe ex incuria,aut ex inaduertētia incurram, illud in primis teſtor, & teſtatum ſemper eſſe volo : me nolle vnquam ab ea fide, quam catholica & Romana tenet Eccleſia, diſcedere. Quod ſi forte aliquid in præſenti compendio noſtro deprehendatur, quod dictæ fidei aduerſetur,non ex induſtria dictū eſſe volo, ſed per inanimaduerſionem, aut inconſiderationem ab homine, qui errare potuit, elapſum:& iam nunc pro recantato haberi peto. Dicā etenim cum Auguſtino,quòd errare potero,ſed hæreticus numquam ero. Catholicas vero noſtras Inſtitutiones in prima editione in quinque libros diuiſeramus: Nunc in communem vtilitatem ſane locupletatas, expolitaſq;, & duobus alijs libris non minus vtilibus,quàm neceſſarijs auctas, rurſus imprimendas, emittendaſq; curauimus. His quicquid ad optime inſtruendos, inſtituendoſq; catholicos expedire,atque vtile eſſe duximus,diligentiſſime complexi ſumus: itaque ſperamus,& ad curandos ægrotos, & ad ſanitatem conſeruandam fore commodiſſimas. Primum locum tenebit inſtitutio de fidei articulis, ſiue de ſymbolo: quod eſt fidei regula: quo libro omnis mentis cæcitas expellitur: & non modo chriſtianus inſtituitur, ſed & remedia contra hæreſes inſurgentes proponuntur.

Altero libro agitur de medicina ſacramentorum : quibus non modo homines militiæ Chriſti aſcribuntur,ac Dei filij efficiuntur adoptiui ,verum & armis ſpiritualibus communiuntur : quæ & conſilia deſtruunt,& omnem altitudinem,extollẽtem ſe aduerſus ſcientiam Dei . Ad ſuauem tandem odorem præceptorum Dei ferimur, vt in eius Eccleſia læti, illi ſeruiamus, atque in dies proficiamus, donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti . Porro profeſſionem ſymboli præponendam eſſe ceteris , oſtendit beatiſſimus Paulus . Accedentem, inquit, ad Deum oportet credere . Et propheta Eſaias, Niſi credideritis, non intelligetis . Vt ergo intelligentiæ aditus pateat omnibus, primum ſymboli profeſſio proponitur, in qua Fidei Catholicæ fundamentum, ſuper quo Eccleſiæ ædificium ſurrexit conſtructum manibus Apoſtolorum & prophetarum , continetur . Et id quidem mirabili breuitate ſermonis: vt de hac ſumma diuini dogmatis beatus Paulus non immerito dixerit : Quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. Et quoniam tota virtus paſſionis Chriſti in applicatione ſita eſt , vt ſcilicet eius gratiæ , quam nobis in ara crucis moriendo promeruit Chriſtus , participes fiamus : dignatus eſt ipſe poſt ſe ſacramenta relinquere, quæ ſuo verbo,& promiſſione firmauit : vt ſciremus per illorum legitimum vſum , fructum illius paſſionis nobis efficaciter, & certo cõmunicari . Potuiſſet quidem ille ſine omni viſibili forma gratiam ſuam nobis donare ; ac noſtras ſanare infirmitates : ſed quoniam carnales ſumus,& ad ſpiritualia percipienda admodum tardi ; iccirco fragilitas carnis ſub forma viſibili reparanda,incitanda, erudienda , fouenda ,& confouenda erat. Sunt enim a Saluatore noſtro noui teſtamenti ſacramẽta primũ inſtituta , vt ſint certa & efficacia ſigna voluntatis , & gratiæ Dei, & erudientia nos : vt quod foris in ſpecie viſibili explicari cernimus ; intus per Dei virtutem effici credamus. Tertium locum explanationi Decalogi non temere dedimus , ſecuti ordinem , quẽ res ipſa , & Eccleſiæ inſtitutum requirebat . Quippe quòd Decalogus regulam diuinam plane prę̨ſcribat,ad quam credentibus & ſperantibus in Deum, tota vita dirigenda eſt . Quartum locum obtinet definitio ac diſtinctio peccatorum omnium originaliũ, & actualium , venialium ac mortalium : per quæ præcipue gratiæ Dei,quã accepimus ingrati ,Spiritum ſanctum contriſtauimus , & templum Dei violauimus: vt eorum grauitatem perpendentes, ea omnia , & occaſiones eorũ non modo poſſimus euitare , ſed per dignos fructus pœnitentiæ eorum remiſſionem obtinere , & ad triplicem ordinem , quem peccando amiſeramus , redigere . Quintum locum

obtinet

obtinet inſtitutio de Euangelicis Conſilijs. Conſiliũ enim differt a pcepto;& eſt ſuaſio melioris boni,ad quod non tenemur: cũ(vt ait Ambroſius) conſilium inuitet volũtarios; præceptum vero aſtringat etiam inuitos. Vbi enim præceptum, ibi lex; vbi conſilium,ibi gratia: quod etiam maioris mercedis eſt, vt inquit Hieronymus. Conſilia etiam ad perfectos pertinent; præcepta ad perficiendos. Per præcepta enim declinamus peccata,per cõſilia occaſiones peccatorum. Ad præcepta obligamur ex debito, ad conſilia non niſi ex voto. Merito igitur poſt præcepta ſubijcimus conſiliorum explanationem; cum vnuſquiſque antequam efficiatur perfectus per conſilia, perficiendus ſit per præcepta. Tractatus de Cælibatu ſacerdotum ſextum habet locum, & merito poſt conſilia euangelica collocatur,cum inter cetera conſilia obtineat principatum. Vſque enim adeo ipſam dictorum miniſtrorum altaris cõtinentiam cenſemus eſſe accommodam & annexam pulchritudini, & dignitati gradus Eccleſiaſtici, vt nullo modo eſſe poſſit ſine ea: cum Deus ipſe, qui ſanctus eſt ſanctorum, a ſanctis & mundis miniſtris, mediante cælibatu, ſyncere colatur, & ſacratiſſima diuini altaris miniſteria,puritatis atque munditiæ pleniſſima,puris manibus,& corpore cum affectu & reuerentia debitis, contrectentur. Ad extremũ annectitur de Oecumenico Concilio breuis enarratio, & merito: quia ſiquis fidei articulos contempſerit, nolueritq; eis credere, ſacramentaq;, quæ ſunt animæ medicina, aut percipere neglexerit, aut negauerit vel eſſe a Chriſto inſtituta,vel ad ſalutem neceſſaria, diuiniſq; parere recuſauerit mandatis, euitare etiam peccata, quæ ſunt animæ hoſtes, & per quæ omnia nobis eueniunt mala, recuſauerit, atque euangelica conſilia contempſerit, variaſq; turpitudines, & fœda ſacrilegia in populi offendiculum, & animæ ſuæ præiudicium perpetrauerit, rebelliſq; Eccleſiæ extiterit, & ſacerdotis imperio: per concilium ipſum oecumenicum, eiuſq; decreta, vti contumax, pertinax, & impœnitens, puniatur, & anathematizetur; ac gladium habenti pro modo delicti puniendus tradatur. Nihil autem fuit, quod ad tantarum rerum plenam explanationem pertineret, quod non attigerim: quæ omnia vel ex ſacris vtriuſque teſtamenti literis; vel ex Eccleſiæ & Apoſtolorum traditionibus;vel ex antiquis ſanctis Patribus; aut ex præcipuis ſcholaſticis doctoribus; vel ex oecumenicis concilijs; vel etiam ex recentioribus catholicis ſcriptoribus, comprobantur. Ceterum ab Auguſtino in libro de ſpeculo peccatoris edoctus, Apoſtolorum ſcientiam Ariſtoteli, bibliorumq; libros Platonis codici præpoſui, ſtultam eorum opinionem exiſtimans, quibus placet, nullum ſermonem

monem ſapere, niſi fuerit grammatice conceptus, dialectice imaginatus, rhetorice purpuratus. Itidem & candido ſtylo eccleſiaſticam elegantiam anteponendam duxi, libertate illa vtens, vt regulis Donati minime ſubiectus eſſem. Poterunt igitur lectores, ſiquā in meis libris elegantiam inuenerint, illam tāquam ab auctoribus, quos cito, ſcriptam ſuſcipere: vbi latine, ſermonem meum tolerare: vbi vero non abſque ſolœciſmis, phraſi contēpta, res ipſas legere, quando hoc meum inſtitutum eſt, vt bene multum ſi potero, non autem multa loquar. Prætermiſi quoque nec immerito, legis contentiones: cum Paulus mandet Tito, vt ſtultas quæſtiones, cōtentiones, & pugnas legis deuitet. Quod reliquum eſt, catholicorum principum munus erit, eos, qui hæretici & impœnitentes per Eccleſiaſticum iudicem declarati fuerint, & Eccleſiæ tutela deſtituti, animaduerſionis ſeueritate ad ſuſceptam ſemel fidem, quæ ſola ſalutaris eſt, reducere. Quod vt facilius aſſequantur, omnium piorum eſt, Deum aſſidue precari, vt eoſdem principes vna cum ſanctiſſimo Domino Noſtro, qui muneri ſuo nullo loco deeſt, quo Eccleſiæ Catholicæ, ſibi merito commiſſæ, vnitatis vinculum pariat, incolumes diutiſſime ſeruet.

CLEMENTI MONILIANO, CARDINALI,

PAVLVS MANVTIVS, ALDI F.

CVM tibi, Clemens Moniliane, Cardinalis ampliſſime, multis nominibus debeam, nullum tamen habeo tuæ benignitatis argumentum illuſtrius, quam quod ingenij, doctrinæq. tuæ theſauros, cum quibus nihil comparo, ſæpe mecum vel ſcriptis, vel ſermone cõmunicas. quis enim eſt ita deditus rerum humanarum ſtudijs, itaq. falſæ voluptatis delenitus illecebris, quem tua vox ad cæleſtium bonorum contemplationem, admirationemq. non facile conuertat, quem tua pietas, non adumbrata leuiter, ſed expreſſa moribus, dictis, ſcriptiſq. tuis, ad veræ virtutis amorem non traducat? Quæ cum ipſe mecum cogito, quo nihil ad meam vtilitatem facio libentius, ita mihi gratulor, vt ad multos, atque etiam, ſi fieri poſſit, ad omnes eundem fructum cupiam peruenire. caput enim illud religionis noſtræ primum eſt, prodeſſe quamplurimis. ad hãc nos voluntatem, & conſuetudinem informauit, hac nos erudijt diſciplina magiſter omnium ſapientiſſimus, æternæ ſalutis auctor, & largitor Chriſtus. Itaque, cum volumen illud tuum Catholicarum Diſputationum, ſaluberrimis, ſanctiſſimiſq. refertum documentis, anno ſuperiore multis efflagitantibus impreſſum, tuaq. mox induſtria ita locupletatum, vt aliud prope videri poſſet, accurate legiſſem, admiratus rerum præſtantiam, copiam, varietatem, ordinem, præſertim vero duos illos, nuper additos, tractatus admodũ egregios, vnum de Cælibatu, alterum de Peccatis, quibus ne optare quidem melius quidquam licet; contendere a te cœpi, vt eundem librum iterum ederes, & Catholicorum pias mentes aleres cibo iucundiſſimo, peſtiferis autem hæreticorum opinionibus, latius quotidie ſerpentibus, pro ea facultate, quam tibi Deus optimus maximam tribuit, obſiſteres. in quam ſententiam cum tu iam antea tua ſponte propẽderes, (nihil enim tibi vel eſt, vel fuit vmquam Sedis Apoſtolicæ dignitate carius, nihil animarum communi ſalute antiquius; eo ſpectant ſtudia tua; eo dirigis omnes curas) factũ eſt, non tam meis, quam coniunctis multorum precibus, vt exirẽt denuo lucubrationes tuæ: & frueretur non modo ætas noſtra, ſed etiam poſteritas ipſa, minimo ſuo labore, maximis laboribus tuis. cum enim tibi propoſitum fuerit, ea, quæ ad vitam pie ſancteq.

traducendam Chriſtiano homini neceſſaria plane ſunt, quę innumerabilibus prope libris diſperſa, nec interdum ſatis dilucide traduntur, in vnum ita colligere, vt confuſis ordinem, obſcuris lumen, dubijs certam notitiam redderes; id ita conſecutus es, vt hoc tuo libro, quod ad res attinet, nihil vberius; quod ad verba, nihil breuius; addo etiam, quod in breuitate difficillimum eſt, nihil planius, apertius, communius eſſe poſſit. Quo quidem nomine & tibi, & Chriſtianæ Reip. vniuerſæ tantum gratulor, quantum res ipſa poſtulat: poſtulat autem, quantum cogitatione vix quiſquam comprehendere, verbis quidem aſſequi nemo poteſt.

MAGNE pater leges primum, diuinaq. iura
Debebant, pietas, relligioq. tibi,
Vno cuncta ſimul quòd clauſa volumine paruo
Sunt tibi, quæ ſparſim tot docuere patres,
Singula nam carpis ſtudio ſelecta fideli,
Vt varios flores ſedula libat apes:
Nunc magis atque magis debet ſacer ipſe Senatus,
Diuitior quòd ſit, quàm fuit ante liber,
Addere quòd placuit, Cælebs purusq. ſacerdos
Vt peragat ſancti myſtica ſacra Dei,
Quòd peccatorum quæ ſint diſcrimina pandis
Vt nihil vberius lector habere queat,
Vt monumenta legens multo vigilata labore,
CLEMENTIS, dicat, ſic mouet ora Deus?

I. Hieronymus Catena.

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM PRÆFATIO.

RVFINVS, presbyter Aquileienſis, in principio fere expoſitionis ſuæ in Symbolũ Apoſtolorum, inquit: Tradunt maiores noſtri, quòd poſt aſcenſionem Domini, cum per aduentum Sãcti Spiritus ſuper ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, vt varijs diuerſisq; loquerentur linguis ſiue loquelis, per quod eis nulla gens extera, nullę linguę barbarę inacceſſę viderentur: Et in via pręceptum eis a Domino datum ob prædicandum Dei verbũ, ad ſingulas quasque proficiſci nationes diſpoſuiſsent: diſceſſuri ab inuicem normam prędicationis in commune conſtituunt, ne forte alius ab alio abducti, diuerſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti mutabantur, exponerent. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu Sancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi, vt diximus, prędicationis indiciũ, conferẽdo in vnũ, quod ſentiebat vnusquiſque, cõponunt: atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolũ vero hoc multis iuſtiſsimisq; cauſis appellare voluerũt: Symbolum enim græce indicium dici poteſt, & collatio latine, hoc eſt, quod plures in vnum conferunt. Eſt enim breuis credendorum collectio. Id enim fecerũt Apoſtoli in his ſermonibus in vnum cõferẽdo vnuſquiſque quod ſenſit: indicium autem vel ſignum iccirco dicitur, quia illo tempore (ſicut & Paulus apoſtolus 2. Cor. xi. inquit, & in Actis apoſtolorum refertur c. 15.) multi ex circumciſis Iudęis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti: & lucri alicuius, vel ventris gratia, ad prædicandum proficiſcebantur: nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nunciantes. Quare hoc indicium poſuere: per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum vere ſecundum apoſtolicas regulas prædicaret. In bellis enim ciuilibus hoc etiam obſeruatur: quoniam & armorum habitus par, ſonus vocis idem, & mos vnus eſt, atque eadem inſtituta bellandi: ne qua doli ſubreptio fiat, Symbola diſcreta vnuſquiſque Dux ſuis militibus tradit: quæ latine vel ſigna, vel indicia nominantur: vt ſi forte occurreret quis, de quo dubitetur, interrogatus, Symbolum prodat, ſi ſit hoſtis, an ſocius. Iccirco hęc nõ ſcribi chartulis atque membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt: vt certum eſſet, ꝙ nemini hac ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex apoſtolorum traditione didiciſſe ſufficeret. Diſceſſuri ergo, vt diximus, ad prędicandum iſtud vnanimitatis, & fidei ſuę

indicium Apoſtoli poſuere: non ſicut filij Noę, qui diſceſſuri ab alterutro,turrem ex latere cocto,& bitumine,cuius cacumen pertingeret vſque ad cęlum, ædificare voluerunt gen. xi. ſed munimenta fidei, quæ ſtarent aduerſus faciem inimici, ex lapidibus viuis, & margaritis dominicis, ædificarunt: quæ neque venti impellerent, neque flumina ſubuerterent, neque tẽpeſtatum ac procellarũ turbines permouerent. Merito ergo illi ab inuicem ſeparandi,turrem ſuperbiæ ædificantes, linguarum confuſione damnati ſunt, vti ne vnuſquiſque poſſet aduertere proximi ſui loquelã. Illi vero, qui turrẽ fidei conſtruebant, omniũ linguarum ſcientia, & agnitione donati ſunt: vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. Tria enim ſunt Symbola Chriſtianæ fidei, vt inquit diuus Bonauẽtura in 3. parte centiloquij c. 38. Primum Apoſtolorum, Secundum Nicęnum, Tertiũ vero Athanaſij. Primum inſtitutum eſt ab Apoſtolis, videlicet, Credo in Deum. quod dicitur ſubmiſſa voce in principio diei, & fine, ſcilicet in prima, & completorio,propter duplicem fidei confeſſionem, in principio regenerationis baptiſmalis, & vltimo vitæ corporalis:cum fuerit conditum tempore veritatis nondũ propalatæ, vt certa fidei traditio in eccleſia perpetuo haberetur: & hoc dicitur maius maioritate auctorum,& nõ contentorum. Symbolum vero Nicęnũ, videlicet, Credo in vnum Deum,ſic denominatur, eo quòd a 318. patribus in concilio Niceno tempore Silueſtri Papæ editum fuit: hac ratione,vt veritas iam tradita per ſanctos Apoſtolos propalaretur. In miſſa enim Dominicis, certiſq; alijs ſollemnibus diebus,publice cantatur:& hoc poſt Euangelium,cum ſit eius breuis collectio: & ante communionem, cum ſit ad ipſam digna præparatio. Symbolum autẽ Athanaſij,videlicet, Quicũque vult ſaluus eſſe,&c. dicitur nocte finita, prima ſcilicet hora diei: quia fuit editum tempore veritatis concuſſæ per hęreticos, præualentis finaliter contra eos. De quo dominus Alexander de Ales in tertia parte ſummæ, q. 82. membro 2. inquit: quòd cãtatur in prima hora canonica diei propter duo. Primo propter ſignificationẽ: vt deſignetur,quòd fides eſt prima mẽtis illuminatio,& prima virtutum: prima enim petit campum, dubia ſub ſorte duelli pugnatura,fides. Secũdo propter vtilitatem: armamur enim Symbolo fidei, ſecundum quod dicitur ad Epheſios 6. In omnibus ſumentes ſcutum fidei: propterea in hora prima arma Dei ſumimus, vt omnes tentationes expugnare valeamus. & ſubdit, quòd cauſa multiplicationis Symbolorum fuit triplex, videlicet: Inſtitutio fidei, veritatis explanatio,& errorum excluſio. Prima fuit ratio, quæ mouit Apoſtolos ad componendum eorum Symbolum. Vnde ad hoc or-

dinatum eſt,vt in vna fide credendorum ſaluti neceſſariorum fideles erudirentur. Fidei autem explanatio circa dubia emergẽtia fuit occaſio compoſitionis Symboli,quod in miſſa cantatur. Erroris vero damnatio propter hæreſes multipliciter pullulantes, fuit cauſa Symboli Athanaſij. Cauſa igitur Symbolorum, ſiue collectionis articulorum, fuit inſtructio fidelium in vna intelligentia,& confeſſione veritatis, ac deuotione religionis. Cum enim vna ſit veritas, in qua beatificanda eſt humana natura,vna intelligentia: vna cõfeſſio, vna religio, debet eſſe in tendendo ad ipſam veritatem. Quare cum tot eſſent hominum genera, natione, moribus,lingua, cognatione,alijſq; multis modis diuerſa,Spiritu ſancto illuminante,excogitauerunt ſancti Apoſtoli, & patres, colligere ſingula credenda de ipſa diuinitate,& perſonarum trinitate,in vnam confeſſionis coordinationem, vt omnium credendorum eſſet vna confesſio, vna fides, vna religio. De qua Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Super quæ verba beatus Auguſtinus in libro de Symbolo, vel regula fidei ad Catechumenos cap. 2. ait: Cum multæ animæ eſſent, fides eas vnam fecerat.ex qua vnitate Symbolum dicitur vnum. In naturali autem philoſophia ſecundum eundẽ vbi ſupra, Symbolum dicitur conuenientia. Inde dictum eſt Symbolum a συμβάλλω confero, quaſi a pluribus in vnum collatio. Et hoc duobus modis: vel quia in ordinando, ſiue componẽdo illud, Apoſtoli, ſiue patres ſinguli, partem ſuam appoſuerunt: vel ex conuenientia ſcripturarum, ex quarum aggregatione factum eſt Symbolum. Vnde Auguſtinus vbi ſupra: Iſta verba,quæ audiſtis,per diuinas ſcripturas ſparſa ſunt: ſed tamen collecta,& ad vnum redacta, ne tardorum hominũ laboraret memoria, vt omnis homo poſſit dicere, poſſitq; tenere, quod credit.

Expoſitionis Symboli Apoſtolorum. Cap. I.

DOMINVS Aegidius de Roma in tractatu articulorum fidei inter alia inquit: Quòd circa articulos fidei tria conſideranda occurrunt, videlicet: Quid ſit articulus: In quo lumine articuli cognoſcantur: Et qualiter ſit accipiendus numerus articulorum: vel ſecundum duodecim numerum Apoſtolorum, vel ſecundum computationem Doctorum: qui magis diſtincte de articulis loquuntur. Quoad primum ſciendũ,quòd Articulus eſt indiuiſibilis veritas credendorum. Dominus vero Alexander Alenſis vbi ſupra mẽbro primo, dicit: quòd ſumi-

tur articulus vno modo ſecundùm quod arctatur ad partes Symboli Apoſtolorum: eo modo, quo ipſum accipit Hugo de Sancto victore, dicens, quòd articulus eſt natura cum gratia. Nam in articulis illius Symboli confeſſioni naturæ diuinæ, vel humanæ, additur effectus gratiæ. Verbi gratia, cũ dicimus, Credo in Deũ patrẽ, &c. ſignifico naturam: cum addo creatorem cęli, & terræ, adiungo gratiam. Ex gratia enim, non ex debito fuit, quòd communicare voluit ſuam bonitatem in creatione rerum. Eodẽ modo, cũ dicimus: & in Ieſum Chriſtum, &c. conſidero naturam: cum ſubiungo: Qui conceptus eſt, addo gratiam. Naturam voco, vel quæ diuina, vel quæ aſſumpta eſt, vti humanitas. Alio modo ſumitur articulus, ſecundum quod eſt obiectum fidei formatæ, vel informis, ſub qua ratione definitur a Ricardo de Sancto victore, quòd eſt indiuiſibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. Articuli ſimpliciter ſunt ipſę res cognitæ, vt vnitas Dei, Trinitas, incarnatio. Secũdum vero quid accepti, ſunt enunciabilia compoſita ex eiſdem, vt Deum eſſe trinum, Filium Dei eſſe incarnatum. Sciendum tamen, quòd non omne quod credendum eſt, eſt articulus. Sunt enim quędam antecedentia ad fidem: quędam ſequentia: quędam cum ipſa fide. Antecedentia ſunt ea, quę ſunt de iure naturali: & quæ in decalogo exprimuntur, quę fides ſupponit: inde eſt, ꝙ credendum eſt, tranſgreſſionem cuiuslibet prępcepti eſſe mortale peccatum: quia diſcredere ea, quæ fides ſupponit, infidelitatis eſt. Sequentia vero ad fidem ſunt, quę inferuntur ex articulis, vt quòd Deus eſt vbique: hoc enim elicitur ex immẽſitate Dei: vel quæ ad articulos reducũtur, vt ea quę determinata ſunt in ſcriptura: quæ omnia tenemur implicite, vel explicite credere, ſeu ab eccleſia tradita, vt ea quę pertinent ad ſacramẽtalia Eccleſiæ, &c. Quędam vero ſunt cum ipſa fide, & eæ ſunt particulæ fidei, quæ in Symbolis continentur eo modo, quo hic ſumitur articulus. Si ergo dicatur, quòd cognitio philoſophica, quæ eſt de Deo, quoniam omnipotens, eſt acceptio veritatis de Deo: & tamen nõ eſt proprie articulus, eo ꝙ per lumẽ naturale cognoſci poteſt, Reſpondetur: quòd illa acceptio, quæ philoſophica eſt, a nobis eſſe dicitur, quia per rationem naturalem inueſtigatur. Illa vero, quæ eſt articulus, a Deo cum lumine gratiæ fidei infunditur: & ad hęc reſpiciens Hugo dixit, quòd articulus eſt perceptio veritatis diuinæ, & non acceptio. Qui percipit, per alium capit: non enim a nobis, ſed per alium in nobis infunditur articulus, Iacobi primo, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. Quando etiam ſubditur: Arctans nos ad credendũ: dicimus, quòd hoc aliter, & aliter dicit de cognitione phi-

loſophica

loſophica & de articulo: quia cognitio philoſophica arctat per lumen rationũ euidentium: articulus vero per lucẽ gratiæ infuſam. Cognitione philoſophica per rationẽ arctatur intellectus neceſſitate: articulo vero fidei per fidẽ & per lucem infuſam arctatur affectus, vt voluntarie aſſentiat veritati diuinæ propter ſe. Sed quia articulus formatus, prout definitur ab Hugone, eſt perceptio veritatis diuinæ, tendẽs in ipſam, ideo exiſtẽs in mortali ſecundũ iſtũ ſenſum proprie non credit articulũ, ſicut nec in Deũ. Articulus vero de quo in propoſito, vt ſcilicet eſt cõmunis ad formatũ & informẽ, definitur a Ricardo, vt dictũ eſt ſupra, quòd eſt indiuiſibilis veritas: & hoc modo in peccato exiſtẽtes credũt articulos. Quo vero ad ſecundum principale, videlicet in quo lumine articuli fidei cognoſcãtur, dicit idem dominus Aegidius vbi ſupra cõformiter ad dominũ Alexandrũ Alenſem: quòd Deus cognoſcitur in triplici lumine, videlicet, per creaturas, per ſcripturas, & per eſſentiã. Per creaturas cognoſcitur in lumine intellectus agentis, ſiue in lumine nobis naturaliter indito: per ſcripturas vero cognoſcitur in lumine fidei: per eſſentiã vero cognoſcitur in lumine gloriæ. Primo modo cognouerũt Deũ philoſophi: ſecundo cognouerunt theologi: tertio cognoſcũt cum beati. Credẽda igitur non cognoſcuntur in lumine intellectus agentis, ſiue in lumine nobis naturaliter indito, cum tale lumen non ſufficiat ad talia intelligenda: nec in lumine gloriæ, cum ſit apertum & clarum, & cognitio credendorum ſit obſcura, & ænigmatica: relinquitur ergo, quòd cognoſcãtur in lumine fidei. Ad tertium dico, quòd articuli fidei, computãdo illos ſecundum numerũ duodecim Apoſtolorum, ſunt duodecim, de quibus infra, qui ſunt actu indiuiſibiles, cum articulus ſit indiuiſibilis credẽdorũ veritas: aliqui tamẽ diuiſibiles ſunt poteſtate, vt iſte, Paſſus ſub põtio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Ille vero, videlicet, Credo in Deũ, eſt indiuiſibilis actu, & potẽtia. De Symbolo Apoſtolorũ inquit Epiphanius, ꝙ Marcellus ſcribens Iulio Epiſcopo Romano, dicit: Hoc Symbolũ ab Apoſtolis fuit editũ, quorum vnuſquiſque appoſuit vnam clauſulã, quã appellãt articulũ: & cum fuerint duodecim tantum Apoſtoli, erunt ſecundum hanc computationem duodecim articuli. Si igitur articuli reducantur ad duodecim Apoſtolos, ita quòd ſint tantũ duodecim articuli, ſicut ſunt duodecim Apoſtoli: tunc dicere poſſumus, quòd in Symbolo numeratur vnus articulus pertinens ad patrem, videlicet, Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Sex vero ad filium, ſcilicet, Articulus de generatione æterna, ibi, Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum dominũ noſtrum. Articulus de con-

ceptione & natiuitate, cum dicitur, Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Articulus de paſſione, morte, & ſepultura, cum dicitur, Paſſus ſub Pontio Pilato, &c. Articulus de deſcēſu ad inferos, & de eius reſurrectione, cum ſubditur, Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis. Articulus de eius aſcenſione, cum dicitur, Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram patris. Et articulus de eius aduentu ad iudicium, ibi, Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Alij quinque ſpectant ad Spiritū ſanctum: quorum primus eſt de eius perſona, cum dicitur, Credo in Spiritum ſanctum. Secundus de opere eius, quo vnit & ſanctificat Eccleſiam, ibi, Sanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem. Tertius de remiſſione peccatorum, cum ſubditur, Remiſſionem peccatorum. Quartus vero de reſurrectione mortuorum, cum ſubinſertur, Carnis reſurrectionem. Vltimus de retributione mortuorum, cum concluditur, Vitam æternam: Amen. Horum duodecim articulorum ſecūdū Sco. 25. diſt. 3. q. prima, primum poſuit Petrus. 2 Ioannes. 3 ſubdidit Iacobus Zebedæi. 4 Andreas. 5 Philippus. Reſurrectionem Thomas. Aſcenſionem Bartolomæus. Aduentum ad iudicium Matthæus. Perſonam Spiritus ſancti Iacobus Alphæi. Opus gratiæ dixerunt duo apoſtoli: nam Simō poſuit effectum gratiæ, quoad collationem boni, ſcilicet, Sanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem. Iudas Iacobi quoad mali remotionem, videlicet, Remiſſionem peccatorum. Effectum gloriæ poſuit Matthias, vel ſecundum aliquos Thomas. Aliter tamē eoſdē ordinat dominus Fridericus Nauſea in ſua Symboli apoſtolorum expoſitione: quia ſecundum eundem, primum articulum poſuit Petrus. 2 Andreas. 3 Iacobus Zebedæi. 4 Ioannes. 5 Philippus. 6 Bartholomæus. 7 Thomas. 8 Matthæus. 9 Iacobus Alphæi. 10 Simon. 11 Thaddæus, ſiue Iudas Iacobi: apud enim Lucā 6. cap. dicitur Iudas, & apud Matthæum c. x. Thaddæus: vltimum Matthias. Et iſte magis videtur ſequi ordinem Apoſtolorum, poſitum Lucæ 6. dempto, quòd ibidem Matthæus præcedit Thomam. Scotus vero ſequitur ordinem, quo Apoſtoli poſuerunt ſuum articulum, ſecundum ſententiam domini Alexandri de Ales in. 3. parte ſummæ, q. 82. memb. 5. art. pri. Hi duodecim articuli figurati ſunt Ioſue 4. vbi dixit Dominus ad Ioſue: Elige tibi viros ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi ſteterūt pedes ſacerdotum, duodecim lapides: quos pones in loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria. Quæ verba ſunt ſecundum eundem Dei patris ad filium ſuum Ieſum: qui elegit duodecim viros, quos & Apoſtolos nominauit. Duodecim lapides

pides durisſimi, ſunt duodecim articuli fidei,qui tolluntur de medio Iordanis alueo, ideſt de media ꝓfunditate ſcripturæ, vbi ſteterunt pedes ſacerdotum, ideſt affectiones ſanctorum patrum, patriarcharum, & prophetarum. Ponuntur autem in loco caſtrorũ,ideſt in ſancta Eccleſia, quę eſt vt caſtrorum acies ordinata: in qua, nocte pręſentis vitæ, quæ eſt ſpeculum in ænigmate, figunt tentoria omnes fideles, vt diabolo reſiſtant fortes in fide,primæ Petri. 5.

¶ De primo articulo, videlicet, Credo in Deum. Cap. II.

HAEC tria ſecundum doctores, & præcipue beatum Auguſtinum in libro de verbis Domini, nõ ſunt penitus idem, videlicet, Credere Deum,credere Deo, & credere in Deum. pro quo intelligendum, quòd Deus, ſiue prima veritas, ſe habet ad actum credendi tripliciter: primo vt obiectum materiale, quod creditur,eo modo quo credimus Deum eſſe: de quo beatus Paulus ad Heb.xi.Credere oportet accedentem ad Deum,quia eſt. Secundo vt obiectum formale, ſiue vt ratio credendi: ſicut cum credimus aliquid ratione diuinæ reuelationis: & hic actus dicitur credere Deo reuelanti: quia verisſime credit quæcũque ille in ſacris ſuis ſcripturis,& oraculis tradidit,& reuelauit. Tertio poteſt conſiderari Deus,vt ſe habet per modum finis, iuxta illud Ioannis 20. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis,& vt credentes vitam habeatis. Et ad Hebręos vbi ſupra poſt illa verba, Credere oportet accedentem ad Deum, ſubdit Apoſtolus,Quia inquirentibus ſe remunerator eſt. Et hic actus dicitur credere in Deum: quod eſt, omnem fiduciam, & ſpem noſtram ex affectu dilectionis, quo in eo tendimus, in eo reponimus, & collocamus. Gentiles enim credunt Deum, licet non Deo: poſſunt enim cognoſcere Deum eſſe per rationem naturalem, habendo aliquam notitiam de diuinis,ad Romanos primo: Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: non tamen credunt proprie Deo: quia notitiam talem non accipiunt a ſacra ſcriptura,quam inſpirauit Deus: ſed ſolum ex ſenſibus,& per res, quas creauit Deus. Accipiendo etiam credere pro fide adhibẽda teſtimonijs ſanctorum, per quos locutus eſt Deus, Gentiles non credebant Deo. Fideles tamen peccatores, licet peramplius Deum credant, quàm Gentiles, eo quòd perfectiorem notitiam habeant, quàm illi, & credant Deo,recipiendo teſtimonia ſcripturarum: non tamen credunt in Deum, quia ſic credendo non tendunt in eum, tamquam in finem: nec proponũt ſibi finem vltimum bonum diuinum, ſed aliquid ci-

tra Deum : quod eſt ſumma peruerſitas, vt inquit beatus Auguſtinus libro 83. quæſtionum, q. 30. cum fruātur vtendis. Res enim, vt ipſe inquit de doct. Chriſt. c. primo, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Fideles vero iuſti credunt firmiter Deum eſſe : omnemq; ſpem ſuam in eo reponunt : ſimiliter & credūt omnibus reuelatis nobis in ſacra ſcriptura, & quę Eccleſia nobis tradidit credenda. Credibilium ſecundum diuum Auguſtinum, in lib. 83. q. tria ſunt genera: Quędam ſemper creduntur, ſicut omnis hiſtoria, temporalia, & humana geſta percurrens: Alia vero mox, vt creduntur, intelliguntur, vt omnes rationes diſciplinarum, ſicut ſunt principia geometriæ, &c. Alia vero primo creduntur & poſtea intelliguntur, vt diuina, quæ nō niſi a mundo corde percipiuntur. Articuli, vt dictum eſt in præcedenti capite, diſtinguūtur dupliciter: vel ſecundum auctores, qui fuerunt duodecim apoſtoli, de quibus in præcedenti capite: vel ſecundum credita, de quibus infra, quæ ſecundum communem ſententiam ſanctorum ſunt quatuordecim: quorum primus ad vnitatem eſſentiæ, videlicet, Credo in Deum, pertinet. Secundus ad perſonam patris, ſcilicet patrem omnipotentem. Tertius ad perſonam filij, videlicet, Et in Ieſum Chriſtum filium eius. Quartus ad perſonam Spiritus ſancti, ibi, Credo in Spiritum ſanctum. Quintus ad opus creationis, ibi, Creatorem cæli, & terræ. Sextus ad conceptionem & natiuitatem, ibi, Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Septimus ad paſſionem & mortem, ibi, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Octauus ad deſcenſum ad inferos, ibi, Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis. Nonus ad eius aſcenſum in cælum, ibi, Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris. Decimus ad eius aduentum ad iudicium, ibi, Inde vēturus eſt iudicare viuos & mortuos. Vndecimus ad opus recreationis, ibi, Sāctam Eccleſiam catholicam & apoſtolicam, ſanctorū cōmunionē. Duodecimus ſimiliter ad idē opus pertinet, videlicet, Remiſsionem peccatorum. Tertiusdecimus ad opus glorificationis, ibi, Carnis reſurrectionem. Vltimus ad finalem retributionē, cum ſubinfertur, Vitam æternam: Amen. Et quia hunc vltimum ordinem ſequuntur communiter Doctores, cum ſit magis diſtinctus & ordinatus: ideo ſecundum eundem de ſingulis ſigillatim diſſeremus in ſequentibus. De huiuſmodi ordine habetur Apoc. primo, vbi beatus Ioannes dicit ſe vidiſſe ſeptem candelabra, & in medio eorum ſimilem filio hominis, & ille habebat ad dexteram ſeptem ſtellas, quæ ſecundū diuū Bonauent. diſt. 25. tertij, cum ſint luminoſę & de natura cæleſti, ſignificant ſeptem articulos ſpectan-

tes

tes ad diuinitatem:& ſeptem cādelabra, quæ ſunt de terrena materia,optima tamē & depurata,ſignificāt ſeptem articulos reſpicientes humanitatem: ideo ſubdit,quòd in medio horum vidit ſimilem filio hominis.

De duplici credibilium fide, & ſufficientia articulorum. Cap. III.

DOCTORES Catholici duplicem ponūt fidē, explicitam ſcilicet,& implicitam: & ſecundum hāc diſtinctionem aliquis articulus, vel aliqua veritas, explicite creditur,& aliqua implicite. Fides explicita eſt actualis aſſenſus catholicæ veritatis, vt aſſēſus iſtius & ſimiliū: Omne reuelatū à Deo eſt verū. Fides implicita eſt fides,ſeu aſſenſus habitualis,vel credulitas omniū veritatū, quæ in bona cōſequētia inferri poſſunt ex aliqua generali explicite credita: ex cuius cognitione implicitè cognoſcuntur oīa, quæ in bona conſequentia eliciuntur ex illa generali. Exempli gratia, aſſenſus actualis huius veritatis. Omne contentum in ſcriptura canonica eſt verum, eſt fides explicita: ſed aſſenſus omnium incluſarum in illa, quę formali cōſequentia elici poſſunt ex illa generali,vt aſſenſus iſtarum, In principio creauit Deus cælum & terram, Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, Chriſtus lauit pedes diſcipulorum, & ſimilium,eſt fides implicita: de quibus etiā poſſet eſſe fides explicita, ſi actualiter, immediate, & particulariter cognoſcerentur & crederentur. Habens igitur fidem infuſam, omnia credibilia credit implicite, etiam ſi actu nihil apprehendat, & careat vſu rationis,vt infantes baptizati.Immo ſtat aliquē implicite credere aliquam veritatem, & explicitè ei diſſentire. Vnde ſi aliquis credat, ſicut Eccleſia credit: & diſſentiat huic, Abraham habuit plures vxores, credens ita eccleſiam ſentire, ille implicitè credit iſtam, Abraham habuit plures vxores, quia ſic credit Eccleſia; & explicitè eam diſcredit. Hæc igitur fides implicita, qua fidelis credit quidquid Eccleſia credit, vtiliſſima eſt catholico: quæ ſi fuerit in corde,defendit eum ab omni hęretica prauitate,vt dicit dominus Ocham in tractatu de Sacramento Euchariſtiæ cap. 1. Non enim hæreticari poteſt, qui corde credit, quidquid Eccleſia credit eſſe verum: quoniam talis nūquam pertinaciter alicui errori fidei contrario adheret: ſi enim aliquid erroneū credit, poſtquā ſibi oſtenditur contrarium credere Eccleſiam, continuo corrigit errorem. Vnde Innocentius Papa in de officio miſſæ,cui alludūt textus cum glo. in c. damnamus,de ſum. trin. & fide catho. §. ſi qs

&

& glo. in verſ. corrigenda,ita ait, Intantum valet fides implicita, vt dicant aliqui: quòd ſi habens eam falſo opinaretur, ratione naturali motus, quòd tres perſonæ ſint, tres ab inuicem localiter diſtantes, vel ſimile, non eſſet hęreticus, nec peccaret, dummodo hunc errorem pertinaciter nõ defenderet: eo quòd hoc ipſum credit, quia credit Eccleſiam ſic credere: & ſuam opinionem fidei Eccleſię ſupponit.Immo(quod amplius eſt)ne dum hęc fides implicita ab hæreſi & peccato defendit, ſed etiam meritum facit, & cõſeruat in eo:& ratio eſt, quia ideo errans falſum opinatur, quia ſic putat eccleſiam credere. Quod verum eſt, ſi error fuerit inuincibilis. Vnde ſi quis ſimplex & ineruditus audiret prælatum ſuum prędicare aliquid contrarium fidei, de quo non tenetur habere fidẽ explicitam,facta inquiſitione,quam poteſt & debet,putans ſic prędicatum eſſe creditum ab Eccleſia, & ita captiuaret intellectũ ſuũ, credendo illud propter Deum,putans hoc Eccleſiam credere: talis non modo non peccaret: ſed etiam ſic credendo mereretur: eliceret enim actum propter Deũ ex charitate, quæ omnia credit ſecũdum Apoſtolum primę Cor. 13. licet illud crederet ſecundum cõſcientiam erroneam. Peccat enim tantum ille, qui agit cõtra conſcientiam culpabiliter erroneam: Inuincibilis autẽ error, qui manet,poſtquam conſcientia tantam inquiſitionem fecerit, quantam debuit, culpam non habet. Pro adhuc clariori notitia dicendorũ, eſt notandum, quòd fideles, qui ſunt Eccleſiæ mẽbra, ſunt in duplici differentia: quia quidam dicuntur maiores in Eccleſia: quidã minores. Maiores ſunt,qui ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ: & quibus incumbit ex officio alios purgare, illuminare,& perficere: ſimiliter & alios regere, ac docere verbo veritatis, & exemplo honeſtatis, vt paſtores Eccleſię, Epiſcopi videlicet, & curati. Minores ſunt ſimplices, & ſubditi,doctrina & regimine indigentes: de quibus loquitur beatus Auguſtinus 14. de Trinit. c. primo, Non enim (ait) quidquid ſciri ab homine poteſt de rebus humanis, vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ ſacræ ſcilicet ſcripturæ attribuo: ſed illud tãtummodo, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. Qua ſcientia non pollet fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimi. Aliud enim eſt ſcire,quid homo ſcire debeat propter adipiſcendam vitam beatam: aliud quemadmodum hoc ipſo & piis opituletur, & contra impios defendat. Hęc Auguſtinus.Vbi innuit duplices Eccleſię filios eſſe, Maiores ſcilicet, quorum intereſt nõ modo credere, ſed & fidem defendere, ac in eadem ſimplices inſtruere: & Minores, qui

maiorum

maiorum inſtructione in fide nutriuntur, ac roborantur. Sanctus Thomas diſt. 25. tertij, q. 3. att. 3. inquit, quòd explicare articulos fidei contingit duobus modis. Vno quidem modo quoad ipſorum articulorum ſubſtantiam, ſecundum quam homo articulos diſtincte nouit: Altero modo, quantum ad ea omnia, quæ continẽtur in articulis implicite: quæ videlicet ex articulis inferri poſſunt, & ab impugnatione defendi. Ad primam totalem & perfectam explicationem tenentur omnes, qui habent officium docendi fidem, ſiue ex gradu dignitatis, vt ſacerdotes: ſiue ex reuelatione, vt prophetæ: ſiue ex miniſterio, vt doctores, & prædicatores: & hoc, quantum officium ſuum exigit, & requirit. Ad ſecũdam explicationem non tenentur aliqui in via perfecte & totaliter, quantum explicari poſſunt, cum hoc tantum poſſibile ſit in patria. Tenetur tamen vnuſquiſque, cui incumbit officium docẽdi alios in fide, tãtum ſcire de illa explicatione, quantum pertinet ad ſuum officium, ideſt, quantum ſufficit ad inſtructionem ſibi commiſſorum ſalutarem, ſecundum capacitatem eorum. Simplices vero, qui nullum officium docendi alios, nec miniſterium habent in eccleſia, non habent niſi ſeipſos regulare: & ideo ſufficit eis illos articulos explicite credere, per quos poſſunt propriam intentionem in finem vltimum dirigere. Et dicimus, ꝙ in genere tria ſunt, quæ ſimplices & minores credere tenentur, videlicet, quòd Deus ſit, & quòd mediator, ſimiliter & remunerator humani generis exiſtat. De primis duobus dictum eſt in præcedenti capite declarando, quid ſit, Deum credere. De tertio habetur act. 4. vbi beatus Petrus loquens de Chriſto domino noſtro, ait: Non eſt in aliquo alio ſalus: neque aliud nomen ſub cælo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quæ verba tractans beatus Auguſtinus ad Optatum, poſt multa ad hoc propoſitum conducentia, ſubdit. Proinde cum omnes iuſti, ſiue ante, ſiue poſt incarnationem, nec vixerint, nec viuant, niſi ex fide incarnationis: cum ſcriptum ſit, non eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluari: ex illo tempore valet ad ſaluandum, ex quo in Adam vitiatum eſt genus humanum. Articulus autem incarnationis præſupponit articulum Trinitatis ſecundum diuum Thomam 22. q. 2. art. 8. vbi ait: Myſterium Chriſti explicite credi non poteſt ſine fide Ttinitatis: quia in tali myſterio hoc continetur, quòd filius Dei patris carnem aſſumpſerit, & quòd per gratiam Spiritus ſancti conceptus ſit, & mundum renouauerit. Et ideo poſt tempus gratiæ diuulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum Trinitatis myſterium: ſicut omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per inuocationem Trinitatis: baptizantur

tur enim, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quod ſic videtur intelligi debere, videlicet, quòd omnes tenentur credere, quòd in deitate ſit pater, filius, & ſpiritus ſanctus: & quòd hi tres ſunt vnus Deus generaliter, non autem diſtincte, videlicet, quòd in vnitate eſſentiæ ſit diſtinctio perſonalis. Et ſanctus Bonauentura 25. diſt. tertij, inquit: quòd ſimplices illos articulos credere tenentur explicite, quos non ſolum prædicatio manifeſtat, ſed vſus Eccleſiæ: vt eſt articulus de vnitate & trinitate, quem manifeſtat ipſe actus conſignationis: cum ſe, vt dictum eſt ſupra, quis cõſignet, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et articuli de natiuitate, paſſione, reſurrectione &c. quos oſtendunt ipſæ ſollemnitates, ab his ignoratis nullus excuſatur. Alios articulos non ita manifeſtos tenẽtur credere implicite, ſicut eos credit vniuerſaliter ſancta Eccleſia: hæc ille. Vnde ſanctus Thomas in 25. diſt. tertij. q. 4. art. 3. dicit: Fides explicita ad hoc neceſſaria eſt, quòd in finem vltimum intentionem dirigit: ad quam reductionem quatuor requiruntur. Primum, quòd propugnator noſter inſtitueretur: ſicut factum eſt in natiuitate. Secundum, quòd propugnaret: quod fecit in paſſione. Tertium, quòd vinceret: vt factum eſt in reſurrectione, quando æternitatis aditum deuicta morte reſerauit. Et quartum, quòd victoriæ ſuæ omnes ſuos participes faceret: quod erit in iudicio. Vnde iſta præcipue requiruntur, vt explicite credantur. Omnes igitur explicite tempore gratiæ obligantur credere, quæ in Symbolo continentur, vt inquit Magiſter diſt. ſupradicta. Sed nota, quòd licet ſimplices & minores non teneantur circa ſingula credibilia particularia explicitam fidem habere: tenentur tamen omnes particulares errores, ne pertinaciter eis adhæreant, cauere: cum quilibet talis error faciat hominem hęreticum, ſi ei pertinaciter adhęreat, & tollat fidem infuſam, quæ neceſſaria eſt omnibus ad ſalutem. Cauere autem errorem contingit bifariam. Primo modo, ne ei conſentiatur. Altero modo, ne ei pertinaciter quis adhæreat. Ad cauendum autem pertinacem adhæſionem erroris eorum, quæ habentur in libris canonicis, neceſſaria eſt fides implicita: quam ſi quis habeat, non poteſt incidere (vt dictum eſt ſupra) pertinaciter in hæreſim: cum numquam ita adhæreat errori, quin paratus ſit credere oppoſitum, ſi conſtat ſibi, quòd ſit ſcripturæ contrarius. Ex præmiſſis patet reſponſio ad ſecundam partem dubij, videlicet, quòd omnes articuli fidei in Symbolo Apoſtolorum ſufficienter ſunt collecti, & abinuicem diſtincti. Et ratio eſt, quia nullum eſt credibile in tota ſcriptura canonica, quin reducibile ſit ad aliquem articulorum. Siquidem ad hunc articulum, Credo ſanctam Eccleſiam

cleſiam catholicam, omnes veritates totius canonis reducuntur. Nam credere illam, eſt credere eam ſanctè, vere, & ſine errore approbaſſe quęcũque approbauit. Approbauit autem totum canonem ſcripturæ, de quo in ſeſſione 4. concilij Tridẽtini in decreto de canonicis ſcripturis: et ità omnia in eo contenta de Sacramentis, præceptis, hiſtoriis, & cæteris omnibus, quę ad hunc articulum reducuntur. Ad hęc dicimus, quòd licet Papa, aut Eccleſia, non poſſit nouum fidei articulum inſtituere, aut inſtituto derogare: bene tamen poteſt nouum Symbolum componere. Et ratio eſt. Quia ordinando vel faciẽdo nouum Symbolum (ſicut factum eſt in concilio Nicæno) non facit propter hoc nouas veritates catholicas, ſiue articulos, ſed de nouo declarat veritates aliquas fuiſſe, & eſſe catholicas. Et pro adhuc maiori intelligentia dicendorum dubitatur: an ratio naturalis inducta ad oſtendẽdum fidei veritatem, diminuat fidei meritum, ſuppoſito, quòd quædam veritates poſſint demõſtrari, vt quòd Deus viuat, intelligat, &c. Reſpondetur ſecundum beatum Thomam 22. q. 2. art. 10. quòd ratio humana inducta ad ea, quæ fidei ſunt, dupliciter ſe poteſt habere: vno modo, vt præcedens: verbi gratia, cùm quis aſſentit veritati fidei propter rationem conuincẽtem, alias non crediturus. Et hoc modo ratio inducta minuit meritũ fidei, immo totum tollit. Nihil enim eſt meritorium, niſi voluntarium: cum conuictus rationi aſſentiat, & non diuinæ auctoritati, aut reuelationi. Alio modo, vt conſequens, cũ videlicet homo habet promptam voluntatem credendi auctoritati diuinæ: & diligit veritatem creditam: ſuper quam excogitat, ſi quas rationes ad hoc inuenire poſſit: non quidem vt firmius credat (ſic enim humanam rationem diuinæ auctoritati præponeret) ſed vt credita magis intelligat, defendat, ac pijs docendo opituletur. Hoc modo ratio humana non tollit meritum, ſed eſt ſignum maioris meriti: tollit quidem fidem acquiſitam, & actum fidei: qa non ſtant ſimul ſcientia, quam ratio humana gignit, & fides acquiſita in eodẽ reſpectu eiuſdẽ: licet ſtent ſimul ſcientia, & fides infuſa.

De eodem primo articulo ſecundum ſupputationem paulo ante deſcriptam, videlicet, Credo in Deum. C. IIII.

LICET enim de hoc primo articulo aliqua dicta ſint ſupra in generali: quia tamen nõ nulla addenda erãt conducentia ad notitiam omnium articulorũ: ideo antequam de ſingulis articulis diſſereremus, voluimus aliqua in præcedenti capite præponere, tamquã

neceſſaria,

neceſſaria, maioribus & ſimplicibus in eccleſia. In præſentiarū præſupponimus vnum, quod tangit Magiſter ſententiarum diſt. 2. primi; Quòd de re ſumma & excellentiſſima cum modeſtia & timore agendum eſt, & attentiſſimis auribus, atque deuotis audiendum: quia nec periculoſius alicubi erratur: nec laborioſius aliqd quæritur: nec fructuoſius aliquid inuenitur, Proĩde omnis, qui audit, & legit ea, quæ de ineffabili, & inacceſſibili luce diuinitatis dicuntur, ſtudeat imitari, atque ſeruare. quod venerabilis Auguſtinus in primo libro de Tri. de ſe ipſo, ait: Non pigebit me, inquit, ſicubi hęſito, quęrere: Nec pudebit, ſicubi erro, diſcere, &c. & in fine concludit, quòd illud ſummum bonum a purgatiſſimis mētibus cernitur: mentis enim humanæ acies inualida in tam excellēti luce non figitur, niſi per iuſtitiam fidei emundetur. Sanctus Bonauētura in dubijs circa literam diſt. prędictæ inquit, quòd mēs ad hoc, quòd cōtempletur perfecte Deum, indiget purgari, quoad intellectum, & quoad affectum. ideo dicit beatus Auguſtinus: Per iuſtitiā fidei, ideſt per fidem, quæ facit iuſtum in opere, & per ſe purgat intellectum: & iuſtitiam ſimpliciter, quæ purgat affectum. Vtriuſque autem purgationis triplex eſt gradus: nam intellectus purgatus eſt, cum abſtrahitur a ſenſibus: purgatior, cum mundatur a phātaſticis imaginibus: purgatiſſimus, cum a phyſicis rationibus. Gradus purgationis affectus ſunt ſequentes. Purgatus eſt affectus, cum mūdatur a culpa: purgatior, cū a ſequela: purgatiſſimus, cū ab occaſione. hoc autē poſſibile eſt fieri in via: ideo dicit Magiſter, ꝙ a purgatiſſimis mētibus cernitꝰ. Differt tamē dicere, cōſiderari, figi, & cōprehēdi. Cōſiderari poteſt lux diuina a mēte nō mūda, vt a philoſophis: ſed figi non poteſt in illa, niſi mens ſit a vitijs pura: comprehendi vero non poteſt niſi a ſe ipſa. Primum igitur, quòd de Deo credere debemus, eſt, quòd Deus ſit: eſt enim nobis a natura inſita, atque ingenita, cognitio eſſe illius. Contra tamen oppoſitum

ait aſſerētes, Damaſc. pri. lib. orth. fidei c. 3. Quia naturæ hominū prauitas tātū inualuit, vt quoſdā in irrationabiliſſimū perditiōis barathrū detruderet, qui dicerēt Deū nō eſſe: quorū inſipientiā detegens Dauid pſal. 13. inquit: Dixit inſipiens in corde ſuo nō eſt Deus: ideo tātę eorū ignorātię occurrere volētes, pauca, quæ nobis e prophetarū munere, & gratia dei, tradita ſunt, Patrē, & Filium, & Spiritū ſanctū primitus inuocātes, de hoc ipſo ueriſſimo Eſſe diſſeremus. Habetur enim Exod. 3. quòd cū Moyſes Deū interrogaſſet, quod eſt nomen tuum? Reſpondit: Ego ſum qui ſum: hæc dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Vnde elicitur, quòd eſſe, ſeu qui eſt, vt diſtinguitur contra translatum, ſit proprium Dei nomē,

loquendo

loquendo de ipſo eſſe in ſua omnimoda plenitudine, & infinitate; ſic enim abſtractiſſime, ſimpliciſſime, ac perfectisſime conſideratũ ſoli conuenit Creatori: ita quòd comparatione illius increati, infiniti, ac perfectisſimi eſſe, omne eſſe creatum, eſt quaſi non eſſe. De quo etiam eſſe loquitur beatus Dionyſ. Quòd inter omnes diuinæ bonitatis participationes, primum eſt eſſe, & quaſi principiũ aliorum vnicum, licet minime determinatum, & limitatum: de quo Damaſc. lib. 1. c. 12. inquit: Videtur quidem omnibus principalius eorum, quæ de Deo dicuntur, nominum eſſe, qui eſt: quẽadmodum ipſe oraculo loquens Moyſi in monte reuelauit, totum in ſe ipſo comprehendens, velut quoddam pelagus ſubſtantiæ, infinitum, & indeterminatum eſſe. Conuenit igitur ei maxime appropriate, & primo: & hoc reſpectu creaturarum, cum nulli ſic poſſit appropriari. Et beatus Iob. 14. c. inquit: Quis poteſt facere mũdum de immundo conceptum ſemine? Non ne tu, qui ſolus es? idem Hebræ. 3. Qui creauit omnia, ipſe eſt. In primo etiam Timæi Plato dicit: Quòd eſſe ſolum Deo competit, iuxta veram ſynceramq; rationem. Hoc eſſe ab aliquibus ſingulare vocatur, quoniam vni ſoli conueniens eſt, & a cunctis propria & ſupereſſentiali excellentia indiuiduum, & ſeparatiſſimum: & poteſt etiã dici vniuerſale ratione ſuæ ſummæ, & generalisſimę cauſalitatis: & ratione ſuæ incontractisſimæ, & illimitatisſimæ perfectionis: quoniam omnem perfectionem, nobilitatem, eminentiamq; eſſendi in ſe, eſſentialiter, ac ſimplicisſime comprehendit: quæ omnia in ipſo ſunt vnũ infinitum & ſuperpurisſimum eſſe, vt inquit diuus Dionyſ. in lib. de diuinis nominibus. De hoc eſſe beatus Paulus ad Hebr. 11. (vt dictum eſt ſupra) inquit: Credere oportet accedẽtem ad Deum, quia eſt. Qui enim ſacra recipit Euangelia, & epiſtolas apoſtolicas, quomodo inficiari poterit Deum eſſe? Neque plurimis Græcorum, quòd Deus ſit, in controuerſiam venit: quia philoſophorum quamplurimi, qui in Græcia, & potiſſimum Athenis floruerunt, Deum eſſe indubitato confeſſi ſunt: & ad auctorẽ omnium cognoſcendum ex pulcherrimo mundi opificio, rationis ductu, ſunt ſubuecti, vt Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles, & pleriq; alij, qui in piorum philoſophorum, pieq; de Deo philoſophantium ſecta numerantur. Contra vero, qui Deũ eſſe negarunt, & diuinam prouidentiam curare mortalia, vt Epicurus, Chryſippus, Bion Boryſthenites, Protagoras, impij ſunt habiti, & e ſchola recte philoſophantium exploſi. Quia ergo nullus credere poteſt in Deum, niſi credat Deum eſſe: ideo illud primo oſtẽdimus. Credere in Deum, dictum eſt ſupra, quid importet: cuius

expoſito

expoſitio eſt in Symbolo Niceno, vbi dicitur: Credo in vnum Deũ: credere enim tenemur eſſentiæ diuinæ vnitatem, ſecundum illud Deut. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt. & Deut. 32. Videte, quòd ego ſim ſolus, & nõ ſit alius Deus præter me. & ad Ephe. 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. Per hunc articulum nonnulli errores excluduntur. Primus quorundam gentilium, ſiue paganorum ponentium pluralitatem deorum: contra quos dicitur Exo. 20. Non habebis deos alienos coram me. Secũdus Manichęorum, qui ponunt duo principia: vnum, a quo ſunt omnia bona: aliud, a quo omnia mala: contra quos dicitur Eſa. 45. Ego dominus, non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Quia ipſe ſecundum ſuam iuſtitiam infligit tunc malum pœnę, cum eſſe cõſpicit in ſua creatura malum culpæ. Tertius eſt error Anthropomorphitarum ponentium vnum Deum, ſed corporeum: contra quos dicitur Ioan. 4. Spiritus eſt Deus: vnde Dominus Gregorius Nazianzenus de Theologia lib. 2. inquit: Quòd ſi Deus corpus eſſet, compoſitus eſſet: compoſitio vero initium pugnæ: pugna autem ſeditionis: ſeditio uero diſſolutionis: diſſolutio autem a Deo, & prima illa natura, alieniſſima eſt. Non ergo admittendum eſt ibi diſcidiũ, ne deſtructio exiſtat: neque pugna, ne diſcidio ſit locus: nec compoſitio, ne per hoc & pugnę pateat aditus: ac demum neq; corpus, ne videlicet compoſitio obrepat. Damaſc. vbi ſupra, neceſſarijs concludit rationibus, Deum ipſum, in quem credere tenemur, eſſe omnium rerum opificem, increatum, & immutabilem, cum citra Deum omnia ab alio ſubſiſtant, creata ſint, & mutabilia: ex pulcherrima mundi ordinatione conſeruatione, & gubernatione, idem Damaſcenus, tamquam diuino quodam opificio, conuincit Deum eſſe, neque abſurde: cum dicat beatus Paulus ad Rom. primo. Inuiſibilia ipſius Dei a creatura mundi per ea, quę facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Certe enim omnia proclamant de Deo: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Paulo autem poſt cõfutat eos, qui temeritati & fortuito caſui attribuunt vim & virtutẽ producendi mundum. inquit enim: Si ipſis admittatur productio rerum a caſu, temeritateq; facta, non poterunt illi pulcherrimam rerum ordinationem, quę in toto conſpicitur vniuerſo, caſui aſcribere. Nam quod inordinatum, indeterminatumq; eſt, vt caſus, quomodo poterit ſtabilem, & certis conſtantem legibus ordinationem efficere? Quòd ſi adhuc concedatur ordinatio rerum in hoc mũdo a caſu profecta (quemadmodum dixit Empedocles, ignem caſu ſupremo in loco, terram autem in imo colloca-

tam eſſe) a quo tandem erit ſapientiſſima mundi gubernatio,& aſſidua conſeruatio? Non enim hæc erit a caſu: quia quæ temere fiunt,non ſemper, aut frequenter eodem cõtingunt modo, ſed plerumque diſſimiliter, & raro admodum eueniunt. Mũdi autem gubernatio, vniformiter, & ſuis vicibus, ſtatutisq; temporibus conſimiliter fit. Non erit igitur ipſius mũdi adminiſtratio & moderatio a caſu. Ceterum Deum cum audis, vt ait dominus Rufinus pſbyter aquileienſis in expoſitione Symboli, ſubſtantiã intellige ſine initio,ſine fine,ſimplicẽ,ſine vlla admiſtione,inuiſibilẽ,incorporeã, ineffabilẽ, inæſtimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatũ ſit.

De eodem articulo:& de quibusdam perfectionibus ſoli Deo conuenientibus. Cap. V.

DEVS iſte noſter, qui vnus eſt,& in quem credere debemus, naturaliter, eſſentialiter,totaliter, pure ac infinite bonus eſt,immo bonitas ipſa,& ex cõſequẽti appetibilis. Natura enim Dei, Deo ipſi ſumme & incomparabiliter extat amabilis, & amanda, complacentiſſima,atque ſuperdilecta, immo ratio amandi quęcũque alia, cum nihil aliorum amabile ſit, niſi inquantum aliquid diuinæ bonitatis participat: quin Deus ipſe tantæ conſiſtit bonitatis, vt eius reſpectu, nihil creatum ſit bonum, quantumlibet in ſuo genere bonum dicatur: vnde Marci 10. Nemo bonus niſi ſolus Deus. Ideo ipſe ſolus infinite amabilis appetibilisq; conſiſtit, & pręcipue propter ſuam propriam puram & incomparabilem bonitatem. Eſt ſimiliter immenſus, cũ vbique ſit præſentia maieſtatis, & non mole corporis. Hęc immenſitas Dei quatuor in ſe complectitur. Primo infinitatem: quia cum in Deo idem ſint potentia & eſſentia, ſicut eſſentia eſt infinita, ita & potentia erit infinita: non negatiue ſolum, per abnegationem finis, nec priuatiue, eo quòd ſit apta nata finiri, ſed contraire: cum habeat contrariam diſpoſitionem ad finiendum. Eſt enim Deus infinitus non ſecundum dimenſiuã quãtitatem, quæ in Deo non eſt: ſed ſecundum quantitatem virtutis, perfectionis, & eſſentiæ. Secundo eadem immenſitas complectitur incomprehenſibilitatem, cum a creatura comprehendi, ſiue cognoſci, eo ſcilicet modo, quo eſt comprehenſibilis,non poſſit: eſt enim intelligentia noſtra ad illam lucem, ſicut viſus noctuæ, ſiue veſpertilionis ad lucem ſolis: & ſicut viſus corporalis tripliciter impeditur, videlicet per tenebras, per falſam lucem,& per auerſionem a re viſibili: ita eodem modo impeditur viſus ſpiritualis circa

cognitionem Dei: impeditur autem per tenebras peccati, vel erroris, primæ Ioannis ſecundo: Qui facit peccatum in tenebris eſt: Et ſecundæ Corinthiorum tertio: adhuc cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper corda eorum: per falſam lucem, vt cum quis metitur æterna ſecundum naturalia: per auerſionem a re viſibili, vt vbi quis ſpreto incommutabili bono, mutabilibus rebus adhæret: talium oculis, cum ſint ægri, odioſa eſt lux: puriſq; & mūdis amabiliſſima eſt. Guſtu autem cognoſcitur dumtaxat a bonis, quibus dicitur pſal. 33. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt dominus. Cognoſcibilium vero quædam ſunt infra rationem, vt quæ ſenſu percipimus, ſicut ſenſibilia: quædam iuxta, vt quę ratione intelligimus, ſicut vera, falſa, iuſta, & iniuſta &c. quædam ſupra, vt quæ ſola diuina reuelatione comprehēduntur, aut auctoritate ſcripturarū, vel Eccleſię, credūtur. Tertio immēſitas cōprehendit incircūſcriptibilitatē, cū Deus ſit vbique, & tamē nuſquam eſt: quia nec abeſt ab vllo loco, nec circumſcribitur loco. Vnde Hier. 23. Deus omnia implet, cū ſit intra omnia, & vbique præſens ſit: Et extra omnia, quia omnia continet, nec vſquam valet coarctari. Vnde hæc præpoſitio (extra) dicit non modo actualem pręſentiam ad locum, ſed & potentialem, quæ eſt Dei immenſitas: cum infinitos mundos implere poſſet, ſi infiniti eſſent. Ipſe etiam eſt ſuper omnia, quia omnibus præſidet, nec aliquid ei ęquatur. Intra omnia, quia cuncta ſuſtinet, & ſine ipſo nihil conſiſtere poteſt. Ante enim mundi conſtitutionem fuit, vbi nunc eſt, videlicet in ſe ipſo, cum ipſe ſibi ipſi ſufficiat. In rebus tamē Deus eſt multipliciter, quia eſt vbique per eſſentiam, ex quo eſt immenſus: per præſentiam, quia omnia videt, & quia omnia nuda & aperta ſunt oculis Domini, vt inquit Apoſtolus ad Heb. 4. & per potentiam, quia vbique operatur: nō enim poteſt moueri folium arboris, quin cōcurrat Deus tamquam cauſa principalis. In bonis eſt per gratiam, Ioan. 15. Qui manet in me, & ego in eo. Per gloriam in beatis. Per vnionem in carne humana. Dicitur etiam eſſe alicubi per occultorum reuelationem, vt gen. 28. Vere Dominus eſt in loco iſto. Item & per veſtigiorū eius excellētem reprę́ſentationem: quo modo dicitur eſſe in cęlo, quia ibi maxime relucet ſua potentia, ſapientia, bonitas: vel per naturæ idemptitatē, & hoc modo Filius eſt in Patre, Pater in Filio, & ambo in Spiritu ſancto: ſimiliter & per miraculorum operationem, ſicut exo. 8. dicitur. Digitus Dei eſt hic. Item & per gubernationem, & conſeruationem, ſicut in mundo. Vnde Bernardus, Deus vbique regnat, vbique īperat, vbique maieſtas eius oīa replet, & complectitur vniuerſa. Eſt & in Angelo, vt decor, vt veritas in anima.

anima. Sicut ſapor in eccleſia. In domo, vt paterfamilias, In electis, vt liberator a malis, adiutor in bonis. Deus etiam in anima fideli eſt,vt ſponſus in thalamo, rex in regno, turris in caſtro, magiſter in ſcholis,fons in hortis, lux in tenebris, theſaurus in agro, vinum in cellario, carbunculus in auro, manna in arca, ſigillum in charta, medicina in apotheca, cithara in conuiuio,imago in ſpeculo, ſicut fructus in arbore, oleum in lampade, lilium in conualle. Poſtremo immenſitas dei complectitur æternitatem,cum nullo tẽpore menſuretur: Aeternitas enim ſecundum rem eſt ſine principio & fine, & mutabilitate, quę ſoli & proprie Deo conuenit. Quã definit Boetius in. 5. de conſolatione philo. proſa vlti. dicens: Quòd eſt interminabilis vitę, tota ſimul iocunda & perfecta poſſeſſio. Pro qua notandum, quòd in quibusdã eſt terminabilitas ſimpliciter, cum corrumpi poſſint, vt ſunt generabilia, & corruptibilia: ad quorum differentiam de æternitate dicitur, quòd eſt interminabilis per abnegationem termini: cum diuina nullo modo melius manifeſtentur, quàm per remotionem, vt inquit beatus Dionyſius. In quibusdam vero eſt interminabilitas eſſentiæ, ſed non vitæ, vt in corporibus cęleſtibus. Deus autem, vt inquit diuus Paulus primę ad Tim. 6. ſolus habet immortalitatem. In omni enim mutabili natura mors dici poteſt ipſa mutatio, cum faciat in ea aliquid non eſſe, quod prius erat. In alijs autem eſt interminabilitas vitæ, ſed cum miſeria, & infelicitate, vt in damnatis: ad quorum differentiam ſubditur, Iocunda poſſesſio. In quibuſdam etiam eſt interminabilis vitæ poſſesſio,ſed non tota,vt in omnibus beatis ante iudicium, quorum ex parte animæ eſt beatitudo,non corporis. Ideo dicitur tota: totum enim eſt,cui nihil eſt extra addere. In quibuſdam eſt interminabilis vitæ poſſesſio tota, ſed non ſimul, vt in Angelis & Beatis [redacted] iudicium:quia ſecundum totam ſuam ſubſtantiam habent felicem & interminabilem vitam, ſed non ſimul, cum in eis ſit aliqua ſucceſſio reuelationum, & gaudiorum, ad quorum differentiam additur, ſimul. In quibuſdam eſt interminabilis vitę poſſesſio tota ſimul, ſed non perfecta, eo modo quo dicimus perfectum, quod nullo indiget, ſicut erit in Angelis, & hominibus beatis poſt iudicium. Ideo ſubditur, perfecta, ideſt, nullo indigens ad ſuum beatum eſſe. In præfata autem ęternitatis definitione ponuntur tres conditiones, quæ ſunt ab ęternitate increata inſeparabiles, quæ Deus eſt, & quæ proprie ſibi conuenit, videlicet: Interminabilitas, ibi interminabilis vitę poſſesſio. Inuariabilitas, ibi, tota ſimul, nihil enim variabile eſt in Deo, ſed totum ſimul. Et ſimplicitas, ibi perfecta: Illud enim ſumme perfectum eſt,

cui additio nulla eſt poſsibilis. Per primam ſeparatur Deus ab omni ſubſtantia corporali. Per ſecundam ab omni variabili. Et per tertiam ab omni compoſitione. Eſt enim quidquid eſſe poteſt: & habet quidquid habere poteſt. Si enim conſideretur Deus in ſe, ſic eſt infinitus: de quo in pſalmo. 144. Magnitudinis eius non eſt finis. Si in comparatione ad intellectum creatum, ſic eſt incomprehenſibilis, ad Roman. 11. O altitudo diuitiarum, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: & propter hoc dicitur ſedere ſuper cherubin, ideſt, ſuper plenitudinem ſcientiæ, & ſuper omnem intellectum. Si vero in comparatione ad locum, ſic eſt incircumſcriptibilis. Sed ſi comparetur ad durationem, ſic eſt æternus, de qua primæ ad Tim. primo Regi ſæculorum, immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. In Deo tamẽ proprie non eſt longitudo, ſed metaphorice: eſt enim in ipſo latitudo charitatis, qua nos ab errore reuocat, Hier. 31. Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans tui. Eſt & longitudo patientię, qua malos expectat. Diſſimulat enim peccata hominum propter pœnitẽtiam, Sap. 11. Eſt in eo ſublimitas ſapientiæ, qua omnem ſenſum ſuperat, ad Hebr. 4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Eſt demum in eo profundum iuſtitiæ, qua peccatores damnat, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Poſtremo quo ad hunc primũ articulũ, dicimus, quòd ſicut eſſe, ſeu qui eſt (vt dictũ eſt ſupra) eſt proprium nomen Dei, eo quòd deſignat abyſſalem ac infinitã plenitudinem, & abſolutiſſimam perfectionem diuini, increatiq; eſſe, quod tanquam pelagus quoddam immenſum, omnem nobilitatẽ & ſuperexcellentiam eſſendi continet in ſe: ita & ſanctum hoc nomen Tetragrammaton, & Adonai, diuinitus reuelatum. quod (vt Rabbi Moyſes fatetur) penitus abſolute deſignat diuinam eſſentiã, prout in ſe ipſa eſt ſine omni reſpectu & habitudine ad creata: atque vt alij conteſtantur, ſignificat diuinam eſſentiam, vt incommunicabilem, ideſt implurificabilem, & vt omnimode ſingularem, & in ſe indiuiſam, & a quocumque diſtinctã. Vnde ſuper illud Exo. 6. Ego ſum, qui apparui Abraham, & Iſaac, & Iacob dicit dominus, & nomen meum Adonai non indicaui eis. dicunt expoſitores, ꝙ Adonai notat vniuerſale dominium, & interpretatur omnium vniuerſaliter Deus, ſic quòd ſoli Deo conuenit, qui per Eſaiam c. 42. dixit: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum. Etenim ipſe ſolus, propria, imparticipata, & illimitata poteſtate vniuerſorum libetrime dominatur iuxta illud pſalmi. 65. Qui dominatur in virtute ſua in æternum: De quo Iob. 36. Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legislatoribus. Nomen ergo iſtud Adonai eſt proprium

Deo

Deo, quamuis non tam abſolutum, reuerentiale, & myſticum, vt nomen hoc Tetragrammaton: quod ab hebræis tantæ ſanctitatis & reuerẽtiæ reputatur, vt nominari nõ liceat, niſi a ſummo ſacerdote, & ſolum in benedictionibus, quæ fiunt in tẽplo. Ideo loco eius pronuntiatur hoc nomẽ Adonai: & hęc ſufficiant pro primo articulo.

De ſecundo articulo, qui eſt, Patrem omnipotentem. Cap. VI.

PATER in hoc ſecundo Symboli articulo intelligitur prima in diuinis perſona, quæ ab ęterno filium genuit ſibi conſubſtantialem, coæternum, & in deitate ęqualem: ex quo omnis paternitas in cęlis & in terra nominatur ad Eph. 3. Pro cuius articuli declaratione, eſt notandum, Quòd hoc nomen pater, dupliciter ſumitur ſecundum doctores, pręcipue Bielem in canone miſſæ lec. 20. videlicet eſſentialiter, & notionaliter, ſiue perſonaliter. Primo modo accipitur, quoties Deo attribuitur reſpectu creaturæ, quæ ab ipſo depẽdet in eſſe & conſeruari: & hoc modo conuenit omnibus tribus perſonis ſimul, & ſingulariter ſingulis. Tota enim Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, vnus Pater eſt, ſicut vnus Deus, vnus dominus, vnus creator omnium: & ſingula perſona pater eſt, ſicut ſingula Deus eſt: Non tamen tres patres, ſed vnus creaturæ pater: De quo ad Ephe. 4. Vnus Deus, & pater omnium: & Deut. 32. Nũquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, fecit, & creauit te? & Sapientiæ. 14. Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernat. De modis omnibus, quibus pater accipitur eſſentialiter, dicetur infra. Cum enim oramus, & dicimus Deo: Pater noſter, qui es in cęlis, ſumitur pater eodẽ modo, videlicet, eſſentialiter. Vnde Chryſo. ſuper Matth. Qui enim patrem dicit, & peccatorum dimiſsionem, & pœnæ deſtructionẽ, iuſtitiam, ſanctificationem, redemptionem, adoptionem, hæreditatem, fraternitatem, quæ eſt ad vnigenitum, & ſpiritus largitionem, per vnam hanc confeſſus eſt nuncupationẽ. Verum dominus Alexander Alenſis exponit fraternitatem illam ad vnigenitum de fraternitate non naturali, ſed adoptiua: alioqui pater non acciperetur eſſentialiter, ſed perſonaliter. Altero modo ſumitur notionaliter, vt eſt proprium primæ perſonæ, quæ a nullo eſt: & ſic eſt dictio perſonalis, vnam tantum perſonam importans: quo modo ſemper accipitur, quando ponitur reſpectu prædicati, perſonalem proprietatem importantis, etiam cum excluſione ceterarum perſonarum: ſicut cum dicimus. Pater a nullo eſt, nec factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens. Similiter, Pater

genuit ſibi filium coæternum & conſubſtãtialem. Hoc etiam modo ſumitur a Chriſto, cum dicit Ioannis. 10. Ego & pater vnum ſumus: & ita generaliter accipitur, quoties in ſcriptura diſcernitur a perſona Filij, & Spiritus ſancti: & ſpecialiter in articulo præpoſito, videlicet, Patrem omnipotentem: vbi Sumitur Pater notionaliter pro perſona Patris condiſtincta contra perſonam Filii,& Spiritus ſancti. Similiter & ſecun. Petri. 1. Non indoctas fabulas ſecuti: & paulo poſt. Accipiens a Deo patre honorem, & gloriã, voce delapſa ad eum huiuſcemodi a magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Vbi ſumitur Pater notionaliter, cum per paternitatem innoteſcat nobis pater. Notio autem ſecundum diuum Thomam parte prima ſuæ ſummæ q. 32. art. 3. dicitur id, quod eſt propria ratio diuinam cognoſcendi perſonam. Diuinæ autem perſonæ multiplicantur per originem: ad quam pertinet a quo alius, & qui ab alio. perſonæ autem patris per hoc, quod a nullo eſt, conuenit innaſcibilitas ſecundum doctores, quę eſt eius notio. Per illud vero, a quo alius, ideſt,filius habet eſſe, innoteſcit nobis paternitas. Prout vero Spiritus ſanctus eſt ab eodem, & a filio ſimul, innoteſcit nobis notio communis vtrique, ſpiratio ſcilicet actiua. Filius vero, cum ſit ab alio, innoteſcit nobis per filiationem. Spiritus vero ſanctus, cum ſit ab aliis,Patre videlicet,& Filio, innoteſcit nobis per proceſsionem, ſiue ſpirationem paſsiuam. ex quibus patet, quòd in diuinis perſonis ſunt quinque notiones, videlicet: innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſsio. Vnde ad hoc, quòd ſit proprium patri innaſcibilitas, opportet, vt in illo nomine intelligatur, quòd conueniat alicui perſonæ diuinæ, quæ ſit principiũ alterius perſonæ, & importet negationem in genere principij perſonaliter dicti in diuinis, videlicet: quòd omnino non ſit ab alio: Et hoc modo ingenitus, ſiue innaſcibilis, non poteſt conuenire Spititui ſancto, quippe cum Spiritus ſit ab alio, vel aliis: Nec diuinæ eſſentiæ, de qua poteſt dici, quòd eſt in Filio, vel Spiritu ſancto: ab alio, ſcilicet Patre, vt inquit diuus Tho. vbi ſupra q. 33. art. 4. Ponere enim duos innaſcibiles, eſt ponere duos deos, vel duas naturas diuinas. vnde Hilarius in lib. de Synodis inquit: Cũ vnus Deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt: Et hoc præcipue, quia ſi eſſent duo tales, vnus eorum non eſſet ab alio: & ita cum non eſſent oppoſita relatiue, neceſſe eſſet, vt diſtinguerẽtur diuerſitate naturæ. Dictarum notionum tres tantum conſtituunt perſonas diuinas, videlicet paternitas, filiatio, & proceſsio. Nam communis ſpiratio, & innaſcibilitas, dicuntur notiones perſonarum,

ſed

ſed non perſonales, vt inquit idem doctor ibidem q. 32. art. 3. Sed dubium videtur, an aliquis poſſit opinari contrarie de notionibus præfatis. Reſpondet idem doctor vbi ſupra art. 4. quòd circa notiones abſque periculo hæreſis aliqui falſum ſunt opinati, non intendentes ſuſtinere aliquid contrarium fidei. Verum ſi quis falſum opinaretur circa notiones, conſiderans, quòd ex hoc ſequeretur aliquid fidei contrarium, in hæreſim laberetur: vbi ponit talē diſtinctionem. Quòd ad fidem pertinet aliquid dupliciter: vno modo directe, vt ea, quæ principaliter diuinitus ſunt tradita: ſicut quòd Deus eſt trinus, & vnus, &c. & circa hæc opinari falſum, ſtatim inducit hæreſim, ſi adſit pertinacia. Altero modo indirecte: & ſic ad fidem ſpectant ea, ex quibus conſequitur aliquid fidei cōtrarium: ſicut ſi quis diceret, Samuelem non fuiſſe filium Helcanę, ex quo ſequeretur ſcripturam diuinam eſſe falſam. circa enim huiuſmodi abſque periculo hæreſis aliquis falſum poteſt opinari, antequam conſideretur, vel determinatum ſit, quòd ex eo ſequatur aliquid contrarium fidei: eo maxime ſi cum pertinacia non adhæreat. Poſtquam uero innoteſcit, & præcipue ſi per Eccleſiā ſit determinatum, quòd ex illo ſequatur aliquid fidei contrarium: tunc in eodem errare non poteſt quis ſine hæreſi. Articuli vero fidei, vt patet, non ſunt de notionibus, vt dicit idem doctor vbi ſupra. Ad hęc ſubdimus, ꝙ pater, de quo eſt iſte articulus (vt inquit beatus Auguſtinus 4. de Trinit.) eſt principium totius deitatis. Nomen vero illud principij, nihil aliud ſignificat, quàm id a quo aliquid procedit: & ſic conuenientiſſime conueniet patri: cum ab eo procedat alius. Et licet Græci indifferenter in diuinis vtantur tam nomine cauſæ, quàm principij: doctores tamen latini (vt inquit ſanctus Thomas vbi ſupra, q. 33. art. primo) vtuntur dumtaxat nomine principij, quod eſt communius nomine cauſæ. Nomen enim cauſæ importare videtur diuerſitatē ſubſtantiæ: nomine vero principij vtimur etiam in his, quæ nullam huiuſmodi differentiam habent. Nec principium proprie ſignificat prioritatem, ſed originē, vt inquit idem doctor. Dicimus vltra, quòd nomen propriū cuiuslibet perſonæ ſignificat id, per quod illa perſona diſtinguitur ab omnibus aliis. Id autem, per quod diſtinguitur perſona patris a ceteris omnibus, eſt paternitas. Ideo proprium nomen perſonæ patris eſt hoc nomen pater: quod ſignificat paternitatem, de quo in pſal. 88. Ipſe inuocauit me, pater meus es tu: & de quo ad Ephe. 3. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrē domini mei Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Ipſum etiam nomen patris dicitur in diuinis per prius ſecundum quod

perſonaliter ſumitur, vel dicitur, quàm ſecundum quod eſſentialiter: quia vt ſic comparatur ad creaturam, vt dictum eſt ſupra: & ratio eſt, quia æternum prius eſt temporali. Ab æterno autem Deus eſt pater filij: ex tempore autem pater creaturæ: & per conſequens paternitas prius dicitur in Deo reſpectu filij, quàm reſpectu creaturæ. In prima enim perſona ſaluatur tota ratio paternitatis perfecte: in creaturis vero ſecundum quid, & quaſi per ſimilitudinem. Inde eſt, quòd hoc nomen leo per prius dicitur de animali, in quo tota ratio eius ſaluatur, quàm de aliquo homine, in quo inuenitur aliquid de natura illius, vt fortitudo, vel audacia: & per conſequens de illo dicitur per ſimilitudinem. Manifeſtum modo eſt, quòd perfecta ratio paternitatis & filiationis inuenitur in Deo patre, & Deo filio, cum eorundem ſit natura vna & gloria. In creatura vero filiatio inuenitur reſpectu Dei, non ſecundum perfectam rationem, cum non ſit vna natura creatoris, & creaturæ: ſed ſecundum aliqualem ſimilitudinem, quæ quanto perfectior fuerit, tanto propinquius accedit ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturæ pater, propter ſimilitudinem veſtigij tantum, vt irrationalium creaturarum, iuxta illud Iob. 38. Quis eſt pluuiæ pater? aut quis genuit ſtillas roris? Alicuius vero, vt rationalis, ſecundum ſimilitudinem imaginis, vt ibi. Non ne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te? Deuter. 32. Aliorum verò eſt pater ſecundum ſimilitudinem gratiæ; & tales dicuntur filij adoptiui, eo quòd ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum, iuxta illud ad Rom. 8. Ipſe Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: quòd ſi filij, & hæredes. Finaliter vero aliqui ſunt filij ſecundum ſimilitudinem gloriæ, eo quòd iam gloriæ hæreditatem poſſideant, iuxta illud ad Rom. 5. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Ex quibus patet expreſſe, quòd hoc nomen paternitas per prius dicitur in diuinis, prout dicit reſpectum perſonæ patris ad perſonam filij, quàm ſecundum quod comparatur ad creaturam. Credimus etiam non modo Deum (prout dictum eſt ſupra) & in Deum patrem modo præexpoſito, vt pater ſumitur perſonaliter, & non eſſentialiter, ſed omnipotentem. Pro quo notandum, quòd cum audis omnipotentem, intelligere debes Deum eſſe, ad cuius potentiæ, & maieſtatis comparationem, nihil eſt hominum, aut angelorum ſublimitas. Et licet quilibet homo, vel Angelus poſſit dici potens, abſit tamen, vt dicatur omnipotens, cum hoc ſoli Deo conueniat.

at.

at. Et hoc facit ad confirmandam fidem imbecillium: & ad excludendas omnes ratiocinationes humanas in operibus diuinis. Quibus omnibus hoc vno verbo reſpondetur: Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum Luc. primo. cum enim infinita, & incomprehenſibilis ſit Dei potentia, ſtultum eſt diſputare, quomodo hoc, vel illud fecerit. Ex quo fidelis homo hunc fructum capit: vt quemadmodum credit Deum omnipotentem hunc mundum, cum nondum eſſet, condidiſſe: atque alia omnia, quæ Deum feciſſe ſacra ſcriptura commemorat, ita credat ſimul futurum, quicquid ille futurum promiſit, vel prædixit. Verum etſi ſit omnipotens: mori tamen non poteſt, falli non poteſt, nec mentiri: Similiter nec ſe ipſum negare poteſt, vt ait Apoſtolus ſecundæ ad Tim. ſecundo, cum hæc omnipotentiæ repugnent. In hoc articulo, cum dicimus patrem omnipotentem, filium, aut ſpiritum omnipotentem, non negamus, ſed aſtruimus: cum dicat Athanaſius in Symbolo, omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus. cum enim omnium trium perſonarum ſit eadem eſſentia, erit & eadem omnipotentia, & ſempiternitas. Attamen pro maiori huius articuli declaratione eſt notandum ſecundum beatum Thomam parte prima q. 25. art. 3. quòd Deus dicitur omnipotens, quia poteſt omnia abſolute. Dicitur autem aliquid poſſibile abſolute, quando prædicatum non repugnat ſubiecto. Impoſſibile, quādo repugnat. Et ratio p̄dictorū eſt, quia vnicuiq; potentiæ actiuę correſpondet poſſibile vt obiectum proprium: eſſe autem diuinum, ſuper quod ratio diuinę potentię fundatur, eſt eſſe infinitum, quod in ſe habet totius eſſe perfectionem: Vnde quicquid habere poteſt rationem entis, continētur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens. Illud autem repugnat rationi abſoluti, quod implicat in ſe eſſe, & non eſſe ſimul, hoc eſt contradictionem: quod ideo non ſubditur diuinę omnipotentiæ, quia non eſt factibile. Quæ igitur contradictionē non implicant, ea omnia ſub illis poſſibilibus continentur, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Quæ autem implicant, nullo modo ſub tali omnipotentia comprehenduntur, cum non poſſint rationem habere poſſibilium. Vnde conuenientius dicitur, quod ea non poſſint fieri, quàm quòd Deus ea non poſſit facere. Nec hoc eſt contra dictum Angeli ſuperius allegatum, videlicet. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbū. ex quo id, quod contradictionem implicat, verbum eſſe non poteſt: nullus enim intellectus valet illud concipere.

De eadem omnipotentia, & de eòdem articulo. Cap. VII.

DOCTOR ſubtilis 42. diſt. primi, arridendo dictis beati Thomæ vbi ſupra, inquit: quòd omnipotēs poteſt dici agens, quòd poteſt in omne poſſibile mediate vel immediate: eo modo, quo actiua potentia primi motoris eſt omnipotentia, prout ſe extendit ad omnem effectum in ratione cauſæ proximæ, vel remotæ. Et cōcludit, quòd ſi probari poſſit eſſe aliquod primum efficiens naturaliter, concludi etiam poterit illud, hoc modo eſſe omnipotentem. Alio modo accipitur omnipotens theologice proprie, prout poteſt in omnem effectum immediate, & in quodcumque poſſibile, hoc eſt in quodcumque, quod non eſt ex ſe neceſſarium, nec includit in ſe contradictionem: ita (inquit) immediate, quòd ſine omni cooperatione cuiuſcumque cauſæ ſecundæ agentis poteſt in illud poſſibile. Et hoc modo omnipotentia eſt credita de primo efficiēte, & non demonſtrata: quia licet primum efficiēs habeat in ſe potentiam effectiuam eminentiorem poteſtate cuiuſcumque alterius cauſæ effectiuæ, ex eo tamen non poteſt concludi omnipotentia ſecundum iſtum intellectum. quia & ſi verum ſit, non tamē eſt manifeſtum ratione naturali, quòd poſſit immediate in effectum immediatum cauſę ſecundæ: cum hoc non concludat ordo cauſarum ſuperiorum, & inferiorum. Poſuerunt enim hoc philoſophi, cauſam, videlicet ſecundam, quaſi neceſſario concurrere propter imperfectionem aliquam addendam effectui. Et ratio eſt, quia ex quo cauſalitas primæ & immediatæ cauſæ perfecta eſt, ideo poſuerunt eam non poſſe immediate eſſe cauſam alicuius imperfecti effectus: & ex conſequenti oportet cauſam agentem aliam concurrere imperfectiorem ad hoc, vt illa prima non producat ſecundum vltimū potentiæ ſuæ, ſed cum illa cauſa agente ſecunda effectum diminutū & imperfectum producat. Si enim philoſophi non potuerunt per rationem naturalem concludere, Deum poſſe contingenter cauſare, multo minus, quòd poſſit immediate in quemcumque effectū, quem poteſt mediantibus cauſis ſecundis. Ideo propoſitio iſta, Quicquid poteſt cauſa effectiua prima cum ſecunda, poteſt ex ſe immediate, eſt tantum credita. Omnipotentia tamen hoc modo ſumpta, licet non ſufficienter demonſtretur, probabiliter tamen poteſt concludi, ſicut verum & neceſſarium: & probabilius, quàm quædam alia credita. Et ad illud, quod Ricar. primo de Trinit. c. 3. dicit: Quòd ad omnia, quæ fide tenemus, non ſolū habeamus rationes naturales, ſed neceſſarias, Reſpondetur: quòd licet ſint

neceſſariæ

neceſſariæ rationes ad omnipotentiam probandam, non tamē ſunt euidenter veræ,aut neceſſariæ : cum præmiſſæ non ſint notæ ex terminis . Ex fide enim credimus, quòd Deus perfecte, vere, & proprie ſit omnipotens potentia completa : quę videlicet, non poteſt deficere, nec ſuccumbere,nec indigere . Dicta omnipotentia licet ſit communis tribus perſonis, vt dictum eſt ſupra,attribuitur tamē a doctoribus ſpecialiter patri . Appropriare enim aliquid perſonis diuinis, eſt ipſa communia tribus perſonis, ad notitiam propriorū perſonalium facientia, alicui perſonę tribuere : vt Patri vnitatem , ęternitatem, principium, omnipotentiam : Filio veritatem, ſpeciē, exemplationem, omniſcientiam : Spiritui ſancto bonitatem,vſum, finem , voluntatem , de quibus infra diffuſe . Appropriatio igitur nihil aliud eſt , quàm ſpecialis attributio ratione alicuius conformitatis cum proprio illius perſonæ,ſicut dictum eſt . Vnde omnipotentia habet ſimilitudinem cum patre , ſapientia cum verbo , & bonitas cum amore : quam appropriationem habet conſuetudo ſcripturarum . Pro horum tamen attributorum clariori notitia, eſt notanda diſtinctio illa , quam ponit diuus Thomas in prima parte ſuæ ſummę q.89. art. 8. Quòd videlicet in conſideratione alicuius creaturę quatuor per ordinem nobis occurrunt . Nam primo cōſideratur res ipſa abſolute, vt eſt quoddam ens . Secundo inquantum eſt vna . Tertio ſecundum quod ineſt ei virtus ad operandū , & cauſandum . Vltimo ſecundum habitudinem , quam habet ad cauſata . Vt autem Deus primo modo cōſideratur abſolute ſecundum eſſe ſuum, ſic ſumitur appropriatio Hilarij. 2. de Trini. ſecundum quam æternitas Patri , ſpecies Filio , vſus vero Spiritui ſancto appropriatur . Aeternitas enim, prout ſignificat eſſe non principiatum, ſimilitudinem habet cum proprio patris , qui eſt principium non de principio . Species vero , ſiue pulchritudo , ſimilitudinem habet cum proprijs Filij:ad quam ſcilicet ſpeciem tria requiruntur. Primum integritas ſiue perfectio , ſecundum quam ſimilitudinem habet cum proprio filij,cum ipſe habeat in ſe vere & perfecte naturam patris : quæ enim diminuta ſunt, hoc ipſo turpia ſunt. Deinde debita proportio, ſiue conſonantia , quæ conuenit cum proprio filij , inquantum eſt imago expreſſa patris : imago enim dicitur pulchra, ſi perfecte repræſentet rem, cuius eſt imago , quamuis turpē . Poſtremo claritas : quæ enim nitidum colorem habent , pulchra eſſe dicuntur : & hæc etiam conuenit cum proprio filij, inquantum eſt verbum , quod lux eſt , & ſplendor intellectus . Vſus autem ſimilitudinem habet cum proprijs ſpiritus ſancti , ſumēdo vſum improprie , prout comprehendit ſub ſe frui , ſecundum quod vti eſt

aſſumere

aſſumere aliquid in facultatem voluntatis: & frui eſt cum gaudio vti,vt inquit beatus Auguſtinus 10.de Trin. Vſus ergo,quo pater & filius ſe inuicem fruuntur, conuenit cum proprio Spiritus ſancti, inquantum eſt amor. Et hoc eſt, quod inquit idem beatus Auguſtinus: Illa dilectio,delectatio, felicitas,vel beatitudo vſus eſt:quod oſtendit per ſequentia verba, dicens. Eſt in Trinitate Spiritus ſanctus genitoris, genitiq; ſuauitas ingenti largitate, atque vbertate nos, vel creaturas, perfundens. Secunda cõſideratio Dei eſt, qua conſideratur, vt vnus: & ſic diuus Auguſtinus in primo de doctrina chriſtiana cap. 5. appropriat vnitatem patri, quæ quia abſolute dicitur, & nullam præſupponit perſonam, cum ſit principium non de principio, ideo vere illi appropriatur. Filio æqualitatem, quæ importat vnitatem in reſpectu ad alterum. Nam æquale eſt, quod habet eãdem quantitatem cum alio. Ideo appropriatur Filio, qui eſt principium de principio. Concordia vero, ſiue connexio, quæ importat vnitatem aliquorum duorum, appropriatur Spiritui ſancto, inquantũ eſt a duobus. Ex quo ſenſu dicit idem ſanctus, Tria eſſe vnum propter Patrem,æqualia propter filium,connexa propter Spiritum ſanctum. Vnitas autem ſtatim inuenitur in perſona Patris remotis etiam per impoſſibile alijs perſonis. Ideo aliæ perſonæ a Patre habent vnitatem. Remotis vero alijs perſonis, æqualitas nõ inuenitur in Patre ante Filij productionem: ſed ſtatim poſito Filio Pater dicitur æqualis. Et hac ratione dicuntur omnia æqualia propter Filium: non quòd Filius ſit principium æqualitatis in Patre, ſed quia niſi eſſet Patri æqualis Filius,Pater æqualis dici nõ poſſet. Hoc etiam ipſum, quod Spiritus ſanctus Patri æqualis eſt, habet a Filio. Excluſo etiã Spiritu ſancto,qui eſt duorum nexus, nõ poſſet intelligi vnitas connexionis inter Patrem, & Filium. Ideo dicuntur omnia eſſe cõnexa propter Spiritum ſanctum: cum poſito Spiritu ſancto, inueniatur ratio connexionis in diuinis perſonis. Secundum tertiam cõſiderationem dicitur ſumi tertia appropriatio, quæ fit, primo ſecundum rationem ſimilitudinis, videlicet potentiæ, ſiue omnipotentiæ: potentia enim habet rationem principij, vnde habet ſimilitudinem cum Patre cæleſti, qui eſt principium totius diuinitatis, quæ deficit interdum patri terreno propter ſenectutem. Secundo reſpectu ſapientiæ, quæ habet ſimilitudinem cũ Filio cæleſti,inquantum eſt verbum: quod nihil aliud eſt, quàm cõceptus ſapientiæ, quæ etiam quandoque deficit filio terreno propter defectum ætatis. Poſtremo ſecundum rationem bonitatis, quæ habet ſimilitudinem cum ſpiritu diuino, qui eſt amor. ſed repugnantiam habere videtur ad ſpiritum terrenum,ſecundum quod

importat

importat violentiam quandã,& impulſionẽ. Quarto & vltimo ſecundum habitudinem, quam habet ad cauſata, ſecundum quam Deus conſideratur in habitudine ad ſuos effectus: & ſic ſumitur illa appropriatio Apoſtoli, ex ipſo, per ipſum, & in ipſo. Vbi hæc p̃poſitio (ex) ſumitur, vt dicit habitudinem cauſæ efficientis, quæ competit Deo ratione ſuæ potentiæ actiuæ: & appropriatur Patri, ſicut & potentia, ſiue omnipotentia. Hæc vero præpoſitio (per) deſignat quandam cauſam mediam: & ſic eſt quandoque propria Filio, vt Io. primo: Omnia per ipſum facta ſunt: non quòd Filius ſit inſtrumentum, ſed quia ipſe eſt principium de principio. Quãdoque vero deſignat formæ habitudinem, per quam agens operatur: ſicut dicimus, quòd artifex operatur per artem. Vnde ſicut ſapientia & ars appropriantur Filio, ita &(per quem) Hęc vero p̃poſitio (in) denotat habitudinem continentis: continet autẽ Deus res bifariam. Vno modo ſecundum ſuas ſimilitudines, prout res dicuntur eſſe in Deo, inquantum ſunt in eius ſcientia: & ſic (in ipſo) appropriatur Filio. Altero modo continentur res a Deo inquantum eas ſua bonitate conſeruat, & gubernat,ad finem conuenientem adducendo. Et hoc modo (in quo) appropriatur Spiritui ſancto, ſicut & bonitas. Veritas etiam cum pertineat ad intellectum,licet approprietur Filio,vt dicitur Ioan.14. Ego ſum via, veritas, & vita: non tamen eſt proprium eius. Liber etiam vitæ in recto importat notitiam, in obliquo vero vitam. Eſt enim dictus liber notitia Dei de his, qui habituri ſunt vitam æternam, & ſic appropriatur Filio. Vita tamen appropriatur Spiritui ſancto, vt importat quendam interiorem motum, per quem modum conuenit cum proprio Spiritus ſancti, qui eſt amor. Quòd autem dicitur (qui eſt)appropriat̃ perſonæ Filij: intelligit̃ nõ ſecundũ propriã rationem, ſed ratione adiuncti: eo modo, quo in locutione Dei ad Moyſen p̃figurabat̃ liberatio generis humani,quæ facta fuit per Filiũ.Et vt finẽ imponamus huic ſecundo articulo,Credimus in Patrẽ omnipotentem. Vbi, vt dictum eſt, Pater ſumitur notionaliter, & vt proprium eſt primæ perſonæ: & non eſſentialiter, prout conuenit tribus in comparationem ad creaturas. Omnipotentia vero ſumitur theologice, prout ſe extendit ad omne illud, quod non implicat contradictionem, & ad omne poſſibile abſolute, quæ appropriatur Patri, licet ſit communis tribus: & hoc propter rationes ſuperius allegatas.

De tertio articulo, videlicet, & in Ieſum Chriſtum Filium eius, vnicum Dominum noſtrum. Cap. VIII.

DOMINVS Alexander de Ales in tertia parte ſuæ ſummæ q. 82. art. 2. inquit: Quòd tertius articulus poteſt dupliciter legi. Primo, vt dicas Filiũ eius vnicum, & ſit ibi punctus. Filium eius, ideſt Patris, vnicum, ſiue vnigenitum. Vbi demonſtratur, quòd licet Filius procedat a Patre, & Spiritus ſanctus ſimiliter, vnus eſt tamen Filius, qui procedit per modum generationis, Ieſus Chriſtus. Non ſic Spiritus ſanctus, qui per modum ſpirationis procedit. Altero modo poteſt legi: Filium eius, vnicum dominum noſtrum. Vbi Auguſtinus primo de Symbolo, vel regula fidei ad cathecumenos cap. primo, ait: Quando audis vnicum Dei Filium, agnoſce Deum: ſi enim verus eſt Filius, hoc eſt quod Pater: & ſic ſi Deus Pater, erit & Deus Filius: quicquid enim eſt id, quod generat, eſt etiam id, quod generatur. Non enim generat homo equũ, aut ouis canem, ſed homo hominem, & Deus Deum. & quia vnus ſcilicet eſt ipſe Deus, vt dictum eſt ſupra, ideo inquit, vnicum. Et ex conſequenti, quando audis vnigenitum, crede omnipotentem, & creatorem: quia quidquid habet Pater, habet Filius. Vnde Ioãnis 16. Omnia, quę habet Pater, mea ſunt. Si quæratur, cum in Symbolo Athanaſij dicatur Dñs pater, Dñs filius, Dñs ſpiritus ſãctus, quare dominiũ appropriatur magis filio, quàm patri, & Spiritui ſancto: ſimiliter & noſtrum, cum opera ad extra ſint indiuiſa ſecundum beatum Auguſtinum? Reſpondet idem dominus Alexander vbi ſupra, Quòd quoddam dominium eſt increatum, & quoddam creatum. primum non appropriatur Filio, ſed ſecundũ ad ipſius honorem: vt inquantum homo, dominus etiam creaturę credatur. Dicit enim de ſe ipſo Matthęi vltimo, Data eſt mihi omnis poteſtas &c, Et in pſal. 8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. vbi glo. Poteſtati eius omnia ſubiecisti, vt omnes eum adorent. Dicitur etiam noſter, quia participat noſtram naturam, quam ſibi vniuit in vnitate perſonæ: quod nec Patri, nec Spiritui ſancto conuenit, cum neuter eorum ſit incarnatus. Dicitur etiam noſter, propter executionẽ myſterij redemptionis noſtræ in carne humana. In Symbolo Nicęno, quo ad hunc tertium articulum quædam ponuntur ad diuinitatem ſpectantia, per quæ magis exprimuntur, quæ ſunt in Symbolo Apoſtolorum, ideo hic ſunt addenda: & ſunt quinque, per quæ excluduntur errores quinque Arrianorum, quos ipſi mentiebantur de filio Dei. Primus eſt, quòd non ſit eiuſdem cum patre ſubſtantiæ: contra quos, ibi dicit fides, conſubſtantialem Patri: & Ioannis. 10. de ſe ipſo inquit veritas: Ego & Pater vnum ſumus. Secundus, quod Filius ſit minor Patre; contra

quos

quos catholica fides confitetur dominum Ieſum Chriſtum eſſe æqualem patri & ſpiritui ſancto in potentia. Vnde in pſal. 109. Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, dicit glo. interl. quaſi æqualis: & glo. Caſsiodori: poſt laborem quieſce, & conregna ſecundum quod homo. Tertius error, quòd filius Dei ſit adoptiuus, & non naturalis: quod euacuat fides, dicens, Filium Dei vnigenitum. vnde Ioannis primo dicitur: Deum nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus filius Dei conſubſtantialis patri. Quartus, quòd ſit natus ex tempore, & non ab æterno: contra quos fides profitetur, Et ex patre natum ante omnia ſæcula. Quintus & vltimus eſt, quòd filius Dei ſit pura creatura: quòd fides excludit, dicens, Deum de Deo, Lumen de lumine: & Ioannis primo, Deus erat Verbum. Ex quibus erroribus adeo venerunt in profundum malorum, & adeo obſcuratum eſt cor eorum, vt dicerent, Chriſtum eſſe puram creaturã, & Deum per adoptionem, ſiue per gratiã, & nõ filiũ dei naturalẽ, eo modo, quo deus dicit Moyſi exo. 7. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Contra vero, fides catholica profitetur, Deum verum de Deo vero, genitum non factum. & licet ad Rom. primo dicatur: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid: & ad Gal. 4. Miſit filium ſuum factum ex muliere &c. beatus tamen Auguſtinus ſuper Ioannem reſpondet, & in epiſtola ad Romanos: Quòd factus eſt ſecundum humanitatem, & non diuinitatem. Et ſi obiiciatur illud Ioannis primo: Qui poſt me venit, ante me factus eſt, vbi Ioannes Baptiſta loquitur de Chriſto: glo. interl. in eodem loco reſpõdet: Qui poſt me venit tẽpore, ante me factus eſt dignitate, totum referens ad humanam naturam. Iſte Dei filius, in quem credere debemus, tres habet excellentias, quæ tanguntur ad hebræ. primo, in illis verbis: Qui cum ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ. Primam igitur dignitatem, ſiue excellentiam habet reſpectu patris, a quo producitur: & ſic eſt ſplendor glorię illius: propter quod dicitur verbum filius Patris, quoniam perfecte loquitur, & manifeſtat bonitatem, & ſummam eius liberalitatem: ex quo nihil habere voluit, quod filio ſuo non communicaret. eſt enim, vt inquit beatus Dionyſius, fontalis radius in ſe manifeſtans gloriam paternam. Secundam excellentiam habet reſpectu Spiritus ſancti, quem ex ſe producit. propter quod dicitur figura, ideſt, ſimilitudo ſubſtantiæ Patris, & imago illius. nam & ſi tres perſonæ ſint æquales in æternitate, maieſtate, ac poteſtate, filius tamen dicitur potius imago Patris, quàm Spiritus ſanctus: cum non ſolum habeat conuenientiam cum patre in eſſentiæ idemptitate, ſicut & Spiritus

ſanctus,

ſanctus, ſed et in communi notione ſiue ſpiratione actiua: quia ſicut a patre procedit Spiritus ſanctus, ſic & a Filio. Tertia excellentia notatur per illud, quod ſequitur, videlicet: Portans omnia verbo virtutis ſuæ: propter quod dicitur Filius virtus Patris, primæ Cor. pri. Nos autē prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. non enim Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſed genuit Filium, cui appropriatur ſapientia. Vnde Pater dicitur feciſſe omnia in ſapientia, ideſt, in Filio ſuo: vel cum ſapientia, quæ eſt Filius, cum opera ad extra ſint indiuiſa. vnde hęc prępoſitio (in) notat ſubauctoritatem in Filio, cum hoc ipſum habeat a Patre, quod res creat. Generaliter enim verum eſt, quòd quidquid habet perſona, vel operatur, hoc habet a Deo, a quo eſt. Filiorum Dei, quidam ſunt per gratiam vnionis, vt homo Chriſtus: quidam per veritatem natiuitatis, vt Chriſtus inquantum Deus: quidam per adoptionem, vt ſancti: ceteri vero per creationem, vt quęuis creatura. Idem Filius Dei dicitur Imago, inquantum eſt expreſſa ſimilitudo Patris, & ſimilitudo conformis: dicitur verbum, inquantum eſt ſimilitudo expreſsiua, & intellectualis: dicitur Filius, vt eſt ſimilitudo hypoſtatica, & connaturalis, &c. De quo Athanaſius in altercatione contra Arrium inquit, Quòd eſt ſenſus, quo omnia cogitantur: ſapientia, qua cogitata diſponuntur: virtus, qua diſpoſita perficiuntur: verbum, quo clarificata nunciantur: & lumen, quo perfecta clareſcunt. Ipſe igitur Filius eſt imago, ſiue ſpeculum, quia in eo videtur Pater, quem repræſentat: ſicut & verbum dicitur, eo quòd ipſum notificat. vnde ſuper 11. caput Matt. dicit glo. In verbo ſuo Pater ſe declarat. Nulla autem perſona omnino a Spiritu ſancto plenitudinem diuinitatis accipit: & ideo imaginem Patris in ſe ipſa non exprimit. Filius vero eſt ens a Patre, cōmunicans cum Patre in natura, et in ratione naturæ, hoc eſt notione, qua ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Hęc igitur perſona, videlicet, Filius Dei vnigenitus, in quam per hunc tertium articulum credere debemus, Ieſus Chriſtus vnicus dominus noſter dicitur. Ieſus hebraice, gręce σωτὴρ, latine dicitur Saluator. cuius rationem aſsignauit Angelus Dei, dicens Matt. primo: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Legimus in libris Moyſi, quòd Auſes Nauæ filius, videlicet Ioſue, cum electus eſſet dux populi, cōmutato nomine Auſe, Ieſus cognominatus eſt: quo ſcilicet oſtenderetur, hoc eſſe nomen, quod ducibus conueniret, iis dumtaxat, qui ſalutem populis darent. Dictus Auſes nullius alterius quam Redemptoris noſtri typum, & imaginem, geſsit. Moyſes enim, qui typus veteris legis eſt, non potuit populum in terram

ram

ram repromiſsionis perducere: ſed illi ſuccedens dux Ieſus, qui & Ioſue, perduxit. Et quemadmodum is de terra ægypti populum eductum, deq; eremi erroribus liberatum in terram repromiſsionis introduxit: Ita hic Ieſus redemptor noſter populum de ignorantiæ tenebris eductum, & de mundi erroribus euocatum ad regna cælorum prouexit. Nec enim eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, act. 4. Chriſtus etiã, vel pontificale, vel regium nomen eſt. Nam & Pontifices vnguento chriſmatis conſecrabantur, & Reges: ſed illi velut mortales vnguento materiæ corruptibilis vngebantur: hic vero ſancto Spiritu perunctus, Chriſtus efficitur, ſicut de eo ſcriptura dicit: Quem vnxit pater Spiritu ſancto miſſo de cælis, act. 10. et Eſaias præſignauerat capite. 61. dicens ex perſona filii: Spiritus domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me. Et ne duo præfata nomina, videlicet Ieſus, & Chriſtus, tanquam humana vocabula crederes, quòd aliquid tibi terrenum docerent. ideo ſubdit, vnicum hunc eſſe filium Dei dominum noſtrum. Vnicus ergo filius eſt, qui cum ſit gloria, ſempiternitate, virtute, regno, poteſtate, hoc quod pater eſt: omnia tamen hęc non ſine auctore, ſicut pater, ſed ex patre, tanquam filius, ſine initio, & æqualis patri habet, Et cum ipſe ſit omnium caput, ipſius tamen auctor eſt pater, generando ſine initio: quia nec pater præcedit filium, nec filius ſequitur patrem, in faciendo quaſi adoptiuum, ſicut nos. Filium ſane cum audis, nolo cogitationem carnalis natiuitatis aſſumas: ſed memento hæc de incorporeæ ſubſtantiæ ſimplici natura dici. Ex prædictis epilogando nonnulla, quæ dicta ſunt de Ieſu Chriſto vnico domino noſtro, vt ſcilicet eſt filius Dei naturalis ex Patre ab æterno per memoriã fœcundam genitus, dicimus: Quòd filius eſt ſemper in patre, ſicut principiatũ in principio: et pater in filio, ſicut principium in principiato, de quo Filio Dauid in perſona patris pſal. 2. dicit: Filius meus es tu, ego hodie genui te, hoc eſt in æternitate, quæ eſt ſemper ei hodie, ſine præſens, in qua nulla eſt ratio præteriti, vel futuri. et Eſa. 66. Nunquid ego, qui alios parere facio, non parturiam? Et ego, qui aliis generationem tribuo, ſterilis ero? Similiter quia Deus Pater communicat Filio eandem naturam numero, ideo Pater & Filius non ſunt duo Dij, ſed vnus Deus. Et quia hęc altiſsima generatio eſt ab omni mutatione aliena, ꝓpterea Eſa. 53. inquit: Generationẽ eius quis enarrabit? impoſsibile eſt enim, vt a viatore clare intelligatur, & per conſequens enarretur. In ſcripturis etiam legimus, hanc in diuinis ſecundam perſonam vere dici verbum, iuxta illud

Ioannis primo: in Principio erat Verbum: & primæ Ioan. 5. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Et ſic, ſi Verbum proprie accipiatur pro conceptu interiori intellectus, eſt nomen perſonale, & proprium Filii: cum conceptus mentis proprie ſignificet aliquid ab alio procedens, quòd pertinet ad rationem notionum perſonarum, eo quòd perſonę diuinę diſtinguũtur ſecundum originem. Perſona modo in diuinis, quæ procedit ſecundum emanationem intellectus, dicitur Filius: & emanatio dicitur generatio. vnde relinquitur, quod ſolus Filius dicatur proprie Verbum. In Verbo tamen implicantur duo reſpectus, vnus ad Patrem, alter ad creaturam. verum qui eſt ad creaturas, eſt dumtaxat rationis, & non realis. Deus enim ſe cognoſcendo, cognoſcit omnem creaturam. Et ideo Verbum in diuinis eſt repręſentatiuum omnium, quæ a Deo intelliguntur. Et quia vnico actu ſe et omnia alia intelligit, neceſſe eſt, quòd vnicum verbum eius ſit expreſsiuum & Patris, & omnium creaturarum: ita tamen, quòd reſpectu Patris eſt tantum expreſsiuum, ſiue repręſentatiuum: reſpectu vero creaturarum, eſt non modo repręſentatiuum, ſed & factiuum, quemadmodum & eius ſcientia reſpectu Patris eſt cognoſcitiua: reſpectu vero creaturarum & cognoſcitiua, & factiua. Verbum tamen Dei, & verbum oris humani, inter ſe multis differunt modis, Primo, quia verbum Dei eſt ſubſiſtens in propria hypoſtaſi, diſcretum a Patre, nec principium ſui, nec finem habens, ſed Patri coæternum eſt. Noſtrum nec eſt per ſe ſubſiſtens, neque perſonali ſingularitate diſcretum: ſed cum profertur, eſt in aere, vt accidens in ſubiecto, incipiens eſſe per prolationem, qua ceſſante, deſinit eſſe. Secundo, quia diuinum Verbum ex ſubſtantia Patris eſt genitum, vnde dicitur in pſal. 109. ex vtero ante luciferum genui te. Noſtrum autem neque ex hominis eſt genitum ſubſtantia, neque homini conſubſtantiale eſt: ſed oris prolatione formatum. Tertio, Verbum Dei eſt Patri ſemper intimum, & immanens, non enim extra Patrem ſubſiſtere poſſet: cum enim Pater ipſe immenſus ſit, & ex cõſequenti Verbum ipſi omnino æquale immenſum erit. Extra Deũ vero omnia ſunt certa menſura determinata: Oris autem verbum ad exteriora prodit, foriſq; profertur. Quarto, Verbum Dei eſt permanens, & minime ſucceſsione fluidum: verbum vero noſtrum, cum primum profertur, in auras protinus euaneſcit. Vltimo, diuinum Verbum omnia habet, quę ſunt Patris, vt pote potentiam, ſapientiam, bonitatem, æternitatem: vnde de ſe ipſo dicit Ioannis. 16. Omnia, quęcunque habet pater, mea ſunt, et omnia

nia mihi tradita ſunt a patre meo Matth. 11. Et rurſus, Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt. Ioannis. 17. At verbum oris noſtri non eas omnino ſortitur proprietates, quas habet mens ipſius externi verbi formatrix. Eſt enim verbum a noſtro proficiſcens eloquio, auditu perceptibile, & quaſi corporeo circumdatum amictu, diffundens ſe per aera, & eidem coextenſum. Mens autem noſtra inſenſibilis eſt, extenſionis expers, & naturæ corporalis immunis. Dicimus vltra, Filium Dei eſſe imaginem Patris, vt conſtat ex verbis Apoſtoli, dicentis ad Col. primo: Qui eſt imago inuiſibilis Dei, primogenitus creaturæ. Cum vero imago dicat repręſentationem, & proceſsiouem: & ea, quæ important originem, & proceſsionem, ſint perſonalia, ex conſequenti hoc nomen imago erit perſonale, & proprium Filio. Vnde beatus Auguſtinus. 2. de Trinit. inquit: Quòd ſolus Filius eſt imago Patris. Beatus etiã Thom. prima parte q. 35. art. primo dicit: Quòd de ratione imaginis eſt ſimilitudo in natura ſpecifica. ſignum autem ſpeciei in rebus corporeis videtur eſſe figura: cum diuerſæ ſpecies diſtinctas habeant figuras: ſed nec ipſa ſimilitudo rei vel figurę ſufficit ad rationẽ imaginis, ſed requiritur origo. Cum igitur Filius in diuinis procedat a Patre per modum ſimilitudinis in eadem natura numerali, ſequitur, quòd eſt eius perfecta imago: quod negant latini a Spiritu ſancto, cum proceſsio eius ſit per modum amoris, & non ſimilitudinis. vnde vt inquit idem Doctor vbi ſupra art. 2. Licet Spiritus ſanctus (qui quamuis ſua proceſsione habeat naturã Patris, ſicût & Filius, tamen non dicitur natus) accipiat ſpeciem ſimilem Patri, non tamen dicitur imago: quia Filius procedit vt Verbum: de cuius ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, a quo procedit: quę non eſt de ratione amoris, quamuis hoc conueniat amori, qui eſt Spiritus ſanctus, inquantum eſt amor diuinus. Ex quibus omnibus etiam patet, quòd vt oſtendatur, quòd genitus eſt connaturalis Patri, dicitur Filius, vt dicit idem ſanctus vbi ſupra. q. 34. art. 2. Vt oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor. Vt oſtendatur omnino ſimilis, dicitur imago. Et vt oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum: non enim potuit vnum nomen inueniri, per quòd omnia iſta nomina deſignarentur. Recte etiam vnicus, & ſolus eſt, quia natus eſt: nec comparationem aliquam habere poteſt, quia vnicus eſt. Hic ergo Ieſus Chriſtus filius vnicus Dei, in quem credere debemus, & qui etiam eſt dominus noſter vnicus, & ad Filium referri, & ad dominum poteſt. vuus eſt quippe Filius, vere filius: & vnus vere dominns Ieſus Chriſtus: ceteri vero licet dicantur filij, adoptionis gratia tantum tales efficiuntur, non veritate natu-

ræ. Et ſi dicantur alii domini, conceſſa, non ingenita poteſtate dicuntur. Hic vero ſolus eſt vnicus filius, & ſolus vnicus dominus, ſicut & Apoſtolus dicit ad Eph. 4. Vnus pater Deus, & vnus dñs Ieſus Chriſtus, per quẽ omnia, cui eſt gloria in ſęcula ſęculorũ.

De quarto articulo, videlicet, Credo in Spiritum ſanctum, Deum verum cum patre & filio ſimul adorandum, & glorificandum. Cap. IX.

CREDO ſimiliter in Spiritum ſanctum, tertiam in diuinis perſonam, ex Patre & Filio procedentem, & Patri ac Filio coæqualem: qui viuificat & ſanctificat omnia: & extra quem ſanctum eſt nihil. vnde Spiritus ſanctus appellatur, quo inſpirante locuti ſunt prophetæ, & ſancti Dei homines ſecundę Petri primo. Spiritus ſanctus per modum doni procedit hoc modo ſecundũ diuum Bonauen. 10. diſt. pri. Quia neceſſe eſt aliquã perſonã in diuinis procedere per modũ liberalitatis: & ratio eſt, quia cũ ponatur in diuinis emanatio per modũ voluntatis, neceſſe eſt, quòd inter omnes ſit prima & nobiliſſima, cuiuſmodi eſt emanatio per modũ amoris. Affectio enim amoris eſt prima inter omnes, & radix omniũ aliarũ, vt inquit beatus Auguſt. 14. de Trin. & iſta affectio nobiliſſima eſt inter omnes, quoniã plus tenet de ratione liberalitatis: & ex conſequẽti erit per modũ doni, & amoris, quẽ Eccleſia tenet eſſe tertiã in diuinis perſonã, & Dauid vocat eã Spiritũ ſanctũ, ſimul & rectũ pſal. 50. At vero Spiritũ ſanctũ eſſe, & Deũ eſſe, etſi indubitata fide ſit tenendũ, ex ſacris tamẽ literis ſanctiſſimi Patres abunde comprobant. Primo ex eo beati Petri dicto ad Ananiam act. 5. Anania, cur tentauit ſatanas cor tuũ, mẽtiri te Spiritui ſancto? nõ es mentitus homini, ſed Deo. Et patet, quòd ibi loquitur expreſſe de eodẽ Spiritu ſancto, de quo erat ſuperior locutio. Ideq; colligitur primæ cor. 12. Ex Apoſtolo de diſtributione gratiarũ Spiritus, dicente: Diuiſiones vero gratiarũ ſunt, idẽ autẽ Spiritus: & diuiſiones miniſtrationũ ſunt, idẽ autẽ Dñs: & diuiſiones operationũ ſunt, idẽ vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Ecce quomodo primo Spiritũ vocat, deinde Dominũ, poſtremo Deum: quo prorſus eliminetur impietas Macedonij, & cõplicum garrientiũ, Spiritum ſanctũ creaturã eſſe, patre & Filio minorẽ natura, & vtriuſque ſeruum. Rurſus Spiritus ſanctus, creare dicitur teſtimonio pſal. 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur &c. & Iob. 33. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Firma-

re

re itidem virtutem cælorum perhibetur pſal. 32. Verbo domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hæc autem ſolius Dei propria ſunt opera. Inſuper Spiritum ſanctum vbique eſſe, & omnia replere, aſſeritur pſal. 138. Quò ibo a Spiritu tuo, & quò a facie tua fugiam? Et Sap. primo, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Quòd omnia cognoſcat, etiam occultiſsima Dei myſteria, aſtruitur primæ cor. 2. vbi beatus Paulus inquit: Quæ Dei ſunt, nemo cognoſcit, niſi Spiritus Dei. Scrutatur etiam profunda Dei, & diuinorum munerum Chariſmata, quibus vult, diſpartitur. Spiritus enim vbi vult ſpirat, & vocem eius audis Ioan. 3. Beatus quoque Paulus primæ cor. 12. enumeratis gratiarum donis, quæ a Deo hominibus communicantur, ſubiungit: Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult. Præterea Sacratiſsimam virginem, ſine viri conſortio, reddidit cæleſti prole fœcundam, vt inquit beatus Lucas capite primo, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te &c. Et Matth. primo, Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Id autem virtutis creatæ nequaquam opus eſt. Blaſphemia etiam in Spiritum ſanctum grauior eſſe innuitur, quàm ea, quæ fit in Filium hominis. Hæc enim remittenda, illa vero non remittenda prædicatur, vt patet Matth. 12. In creaturam autem Dei. non difficile remittitur: & ex conſequenti Spiritus ſanctus non erit creatura, ſed Deus. Denique quę creata poterit virtus omnium linguarum peritiam diuinorumq; intelligentiam myſteriorum ſubito in alios transfundere, quemadmodum Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes, qui Apoſtolos linguarum omnium eloquio peritos reddidit, omnemq; ipſos docuit veritatem: quippe qui eos literarum prorſus expertes, & ineruditos, repentino ſuo afflatu totius mundi doctores conſtituit, vt ad legem euangelicam per totum orbem promulgandam idonei miniſtri efficerentur? Eſt enim Spiritus ſanctus in ſe ipſo, vt clariſsimum ſolis iubar in cælo. Idem vero in Apoſtolis, vt ſolaris ſplendor primum exortus, in arduis apparens montibus. quę omnia diffuſius ex libro Dydimi Alexandrini de Spiritu ſancto dinoſci poſſunt. At vero quoniam ſpiritus ſanctus Deus eſt, omnium creaturarum habet dominium, & ipſe nullius dominio ſubeſt: deificans eſt, & aliis ſummę diuinitatis participationem conſortiumq; tradit. Non autem eſt deificatus, id eſt in Dei formitatem, Deiq; aſsimilationem, gratia & indultu diuino aſſumptus: quia tunc natura Deus non eſſet, ſicut homines & Angeli ſunt hoc pacto deificati. Verum, vt ſacra teſtantur eloquia, cum in principio creauit Deus cælum & terram, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ad omnia ſuæ virtutis efficaciam ex-

pandens : licet tamen ſicut filius, ita & ſpiritus ſanctus ſuum eſſe, & quæuis alia ſua non a ſe, ſed a Patre, vt a fonte ſuperſubſtantialis deitatis, habeat. Quod & filius ipſe de ſe teſtatur Matth. 11. Omnia, inquit, mihi tradita ſunt a patre meo. Et Ioannis 5. Non poſſum ego a me ipſo facere quicquam, ſed ſicut audio, iudico. Et Ioannis 8. A me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hęc loquor. Et demum Ioannis 16. Filius de Spiritu ſancto loquens, ait: Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur. Ex Spiritus humani manuductione beatus Damaſcenus primo libro orthodoxę fidei c. 7. Spiritum Dei, tertiam ſcilicet in ſuperſancta Trinitate perſonam, etiam pie confitendum eſſe, ait. De qua vide multa ad propoſitum ibi: ſicut & quomodo Spiritus humanus a diuino multipliciter diuiſus eſt. Doctores etiã communiter tenent, quòd hoc nomen Spiritus ſanctus (vt ſumitur in vi vnius nominis, ſicut ſi imponeretur alicui nomen proprium homo bonus) ſit nomẽ proprium alicuius perſonæ diuinæ: & præcipue beatus Thomas prima parte q. 36. art. primo. Quod probat per illud, quod dicitur primæ Ioannis vltimo: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. vbi Auguſtinus 7. de Tri. cap. 3. inquit: Cum quæritur, quid tres? Dicimus tres perſonas. Dicit etiam beatus Thomas vbi ſupra, quòd ad ſignificãdum diuinam perſonam, quæ procedit per modum amoris, accõmodatum eſt ex vſu ſcripturarum hoc nomen ſpiritus ſanctus: cuius conuenientię ratio ſumitur ex propria ſignificatione. Nam nomen Spiritus in rebus corporeis impulſionem, & motionem, ſignificare videtur. Nam ſicut flatum, & ventum, Spiritum nominamus: ita proprium eſt amoris, quòd moueat & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur perſona diuina procedit, vt dictum eſt, per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus ſanctus nominatur. Quando igitur dicimus, Credo in ſpiritum ſanctum, diligenter conſideranda eſt hęc præpoſitio (in) quæ manifeſte declarat, Spiritum ſanctum Deum eſſe Patri & Filio coæqualẽ. Nam in quas perſonas pariter creditur, eaſdẽ neceſſe eſt coæquales, atque vnum Deum eſſe. Nemo enim in creaturam vllam credit, hoc eſt, ſummã fiduciam collocat, vt dictum eſt in principio ſuper credere in Deum, & habetur ab Auguſtino in Ioannem c. 14. ſed in vnicum, ſolumq; Deum, ſicut ſcriptum eſt Deut. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt. De eodem Spiritu dicitur Ioannis 4. Spiritus eſt Deus: & 2. Cor. 3. Dominus autem Spiritus eſt. Ceterum,

quia Eccleſia catholica declarauit, tenendum eſſe tanquam de ſubſtantia fidei, quòd Spiritus ſanctus procedat a Patre & Filio, vt patet extra de ſum. tri. & fide catholica c. Firmiter: & in Symbolo Athanaſij, ac Nicęni concilij, vbi dicitur: quòd ex Patre Filioq; procedit: ideo & nos idem veriſsime & certiſsime credere debemus. Et ratio eſt, quia ſecundum diuum Thomam vbi ſupra art. 2. Si Spiritus ſanctus non eſſet a Filio, non perſonaliter diſtingueretur ab eo. Non enim dici poteſt ſecundum eundem, & communem opinionem, quòd ſecundum aliquid abſolutum diuinæ perſonæ ab inuicem diſtinguantur: quia ſequeretur, quòd non eſſet trium vna eſſentia. quicquid enim (ſecundum eundem) in diuinis abſolute dicitur, ad vnitatem eſſentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quòd ſolis relationibus diuinæ perſonæ ab inuicẽ diſtinguãtur. Relationes autem perſonas diſtinguere non poſſunt, niſi ſecundum quòd ſunt oppoſitæ. Quod ex hoc patet, quia pater habet duas relationes, quarum vna refertur ad Filium, & alia ad Spiritum ſanctum: quæ tamen, quia non ſunt oppoſitæ, non conſtituunt duas perſonas, ſed ad perſonam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio, & Spiritu ſancto non inuenirentur niſi duæ relationes, quibus vterque referretur ad Patrem, cum illæ non eſſent oppoſitæ, quemadmodum neque duæ, quibus pater refertur ad illos: ſicut perſona patris eſt vna, ita & Filius & Spiritus ſanctus eſſent vna perſona, habens duas relationes oppoſitas duabus relationibus Patris: quod eſt hæreticum dicere, cum tolleret fidem trinitatis. Operæpretium ergo eſt, vt Filius & Spiritus ad inuicem referantur oppoſitis relationibus: quę non poſſunt eſſe niſi relationes originis: & tales accipiuntur ſecundum principium, & ſecundum quod ſunt a principio. Relinquitur, quod neceſſe eſt dicere, vel Filium eſſe a Spiritu ſancto, quod nullus aſſerit: vel Spiritum ſanctum eſſe a Filio, quod nos confitemur. Et licet per verba formalia non inueniatur in ſacra ſcriptura, quòd Spiritus ſanctus procedat a Filio, inuenitur tamẽ quantũ ad ſenſum: Et præcipue vbi dicit Filius Ioannis 16. de Spiritu ſancto loquens: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: Et Ioan. 15. Quẽ ego mittã vobis Spiritũ veritatis. Modo nullus mittit aliũ, niſi habeat auctoritatẽ ſuper ipſum: nullus vero habet auctoritatẽ ſuper alium, niſi aliquid tribuat illi: ſed nulla perſona tribuit, niſi ab ipſa procedat: ex conſequẽti Spiritus ſanctus ꝓcedit a filio, vt beatus Paulus etiã ad Gal. 4. inquit: Miſit Deus Spiritũ filii ſui. Ergo cũ Pater non mittat Spiritũ niſi filii, idẽ erit Spiritus vtriuſque: ſed eius eſt Spiritus a quo procedit: & ex conſequenti dicendũ eſt, quòd Spiritus procedit a Patre & filio.

Græcorum opinio circa productionem Spiritus ſancti. Cap. X.

GRAECI aſſerentes Spiritum ſanctum a Patre dumtaxat procedẽtem, aduerſantur nobis ex tribus cauſis, vt inquit diuus Bonauentura in pri. diſt. 11. q. pri. videlicet: Ex ignorãtia, ex ſuperbia, & ex pertinacia. Ex ignorãtia, quia nec ſcripturã intellexerũt, nec cõgruã habuerunt rationẽ, nec apertam reuelationem. Ex ſuperbia, quia cum reputarent ſe ſciolos, & vocati nõ fuiſſent, noluerunt profiteri, quod non erat per eos inuentum. Ex pertinacia, ne conuincerentur, & irrationabiliter moueri viderentur. Inuenerunt pro ſe apparentes rationes contra veritatem, quibus ſuam auſi ſunt defendere ſententiam, & auctoritati Romanæ Eccleſiæ obuiare. Ideo facti ſunt hæretici, cum negent fidei veritatem: & Schiſmatici, cum ab Eccleſiæ vnitate receſſerint. Et quia mos eſt hæreticorum, & ſchiſmaticorum, cum ſe non poſſunt rationibus communire, aduerſam partem accuſare, & iniuriis afficere: ideo arguunt nos, tãquam curioſos, excommunicatos, ac ſchiſmaticos. Curioſos, quia ſine huius articuli profeſsione ſalus erat: ideo latini non debebant ſe in hoc intromittere, ex quo non erat neceſſarium. Quibus nos reſpondemus, quòd opportuna fuit inquiſitio propter periculum, in quod ipſi inciderunt. Excommunicatos nos aſſerunt, quia Symbola corrumpimus: quod per ſanctos patres ſub excommunicationis pœna prohibitum erat. Ad quos idem doctor reſpõdet, falſum eſſe, quòd corrũpamus, immo perficimus: nec ſententia lata eſt contra perficientes, ſed contra corrumpentes, vt inquit idem doctor in dubiis circa literam vbi ſupra. Excommunicationis vero ſententia non ſe extendit niſi ad contradicentes: cum non fuerit mens patrum præcludere viam ad explanationem fidei maiorem, ſi Deus alios magis illuminaret. Et ſi hoc dixiſſent, conſtat, quòd non bene moti fuiſſent, & ſententia eorum merito abolenda eſſet. Quando etiam addunt: Qui aliud docuerit, anathema ſit: per aliud ſancti patres intellexerunt contrarium, vel con trario modo. Vnde Magiſter ſen. in diſt. 11. primi inquit: Nos illa verba ſanctorum Patrum ita declaramus, videlicet: Qui aliud docuerit, vel contrario modo prædicauerit, anathema ſit: vbi aliud poſuit pro oppoſito: ſicut & Apoſtolus ad gal. primo, Si quis aliud euangelizauerit, ideſt contrarium, Anathema ſit. Non dicit ſi quis addiderit. Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi, vt ait beatus Auguſtinus, contradiceret: qui cupiebat venire ad quoſdam, quibus ſcribebat, videlicet, Theſſalon. vt ſuppleret, quæ eorum fidei deerant. Qui

autem ſupplet, quod minus eſt, addit: & non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur fidei regulam, non incedit per rectam viam, ſed recedit ab ea. Dicunt tandem nos ſchiſmaticos, quia a nobis incœpit diuiſio: cum enim hoc, ſcilicet Spiritum ſanctum procedere a patre & filio vellemus aſſerere, noluimus eos vocare. Ad quod reſpondet diuus Bonauen. eadem diſt. q. prima: Quòd eos vocare nõ fuit opportunum, cum Eccleſia hoc poſſet ſine ipſis. Fuiſſet etiam illis propter diſtantiam difficile, & infructuoſum propter inſipientiam. Non enim erat in eis ſapientia, qua alias florebãt: ſed ad latinos trãſierat. Erat quoque periculoſum: quia quod pro certo habendum erat, periculum fuiſſet, ne reuocaretur in dubium. Quibus omnibus patet, quòd eorũ accuſationes erant friuolæ. Ceterum idem Spiritus ſanctus procedit a Patre & Filio, vt ſunt vnum fœcunditate voluntatis. Vnde beatus Anſelmus in libro de proceſſione Spiritus ſancti: Nullus intellectus capit, Spiritum ſanctum eſſe Patris, & Filij ſecundum quod alter eſt Pater, alter Filius: ſed ſecundum quod vterque eſt idem Deus. Idem inquit beatus Auguſtinus in 7. de Trin. Et ratio eſt ſecundum beatum Bonauenturam vbi ſupra. q. 2. Quia pater prior eſt omni emanatione, ſcilicet generationis, & proceſsionis: cum nec generetur, nec procedat. Hinc eſt, quòd vtroque modo eſt principium. Quia vero filius prior eſt emanatione proceſsionis, non generationis, cum generetur: quia tamen eſt inſpirabilis, hinc eſt, quòd eſt principium ſpirandi, non generandi: Et quia Spiritus ſanctus neutro modo ſe habet, neutro modo eſt principium. Inde ſequitur, quòd quamuis Spiritus ſanctus a duobus procedat, quia tamen procedit, non vt ſunt differentes, ſed vt eſt in eis vna voluntatis fœcunditas, patet, quòd Spiritus ſanctus procedit ab eis, inquantum ſunt vnum. Sanctus tamen Tho. prima parte q. 36. art. 4. dicit: Quòd ſicut Pater & Filius ſunt vnus Deus propter vnitatẽ formæ ſignificatæ per hoc nomen Deus, ita ſunt vnum principium Spiritus ſancti propter vnitatem proprietatis ſignificatæ in hoc nomine principium. Et licet Pater & Filius ſint duo ſpirantes, non tamen duo ſpiratores. Et ratio eſt: quia, cũ nomen adiectiuum vt eſt ſpirans, ſignificet ſecũdũ numerum ſuppoſita: & ſubſtantiuum, vt ſpirator, ſecundum formam: poſſumus, vt dictum eſt, dicere: quòd Pater & Filius ſunt duo ſpirantes, & non duo ſpiratores: & hoc propter vnam ſpirationem. Hoc etiam nomen amor, ſecundum beatum Gregorium in homil. pẽtecoſt. eſt proprium Spiritus ſancti. quod intelligendum eſt, quando accipitur perſonaliter, inquãtum vtimur nomine amoris ad exprimendam habitudinem rei, quæ procedit per modum

voluntatis:

voluntatis : ſicut verbum exprimit habitudinem rei, quæ procedit per modum intellectus. Si vero amor non dicat niſi habitudinem amantis ad rem amatam, eſt nomen eſſentiale, & commune tribus. Quod ſi eſſentialiter ſumitur, Pater & Filius non ſe diligunt Spiritu ſancto: ſed ſecundũ quod amor ſumitur notionaliter: quod nil aliud eſt, quàm ſpirare amorẽ: ſicut dicere, eſt ꝓducere verbũ: & florere, producere florẽ: & hoc modo Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſãcto, uel amore procedente, quo etiam ſe diligunt, & nos. Ad hęc dicimus, Quòd quando hoc nomen donũ ſumitur perſonaliter in diuinis, eſt proprium Spiritus ſancti. Pro quo aduertendum, quòd donum proprie eſt datio, & traditio irreddibilis, cũ non detur ſpe retributionis : & ſic importat gratuitam donationem. Ratio autẽ gratuitæ donationis eſt amor. Ideo enim damus gratis aliquid alicui, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, eſt amor, quo volumus ei bonum: hinc eſt, quòd amor habet rationẽ primi doni. Et per hunc modum beatus inquit Auguſtinus : Per id quod eſt Spiritus ſanctus, multa propria dona diuiduntur in membris Chriſti. Nec obſtat, quòd Filius datus ſit nobis Eſa. 9. quia ſicut Filius procedit per modum verbi, de cuius ratione eſt, quòd ſit ſimilitudo ſui principij, proprie tamẽ dicitur imago, non ſic ſpiritus ſanctus, licet ſit ſimilis Patri: ita dicendũ eſt de Spiritu ſancto, qui a patre procedit, vt amor, quod ꝓprie dicitur donũ : & quãuis etiã filius detur, nõ tamẽ dicitur donũ, quia hoc ipſum, quod Filius eſt nobis datus, ex Patris amore ꝓceſſit, ſecundũ illud: Sic Deus dilexit mundũ, vt Filiũ ſuũ vnigenitũ daret Io. 3. & Eſa. vbi ſupra: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Symbolũ Cõſtãtinopolitanũ, quod in miſſa cantatur, vt æqualitatem Spiritus ſancti in diuinitate cum ceteris perſonis indicaret, addidit quaſdam voces de eodem, vt dictum eſt ſupra, appellans illum dominum viuificantem, & ex patre filioq; procedentem, ſimiliter & cũ eiſdem ſimul adorandum & glorificandum, ac locutum per prophetas. Sanctum appellauit, quia vnicus eſt Spiritus natura ſanctus, ex ſe omnia ſanctificans, quæ ſancta ſunt. Vocatur quoque a Paulo ad Rom. pri. Spiritus ſanctificationis angelorum, & hominum piorum. Sancti quoque dicuntur, non ſanctificantes, ſed ſanctificati per Spiritum creatorem. Sanctus etiam Spiritus ſic nuncupatur, ad diſcretionem aliorum ſpirituum. Nam in ſcripturis legimus diuerſos ſpiritus in diuerſis fuiſſe : vt in Saule ſpiritum malũ 1. Reg. 16. ſpiritum mendacem in ore fuiſſe prophetarum 3. Reg. 22. in quibuſdam alijs ſpiritum vertiginis Eſaiæ 19. ſpiritum pythonicum Act. 16. ſpiritum fornicationis Oſeæ 4. ſpiritum nequam Actuũ

19. ſpiritũ immundũ Luc.6. 8. & 11. ſpiritũ huius mundi pri. Cor. 2. ſpiritũ ſatanæ Luc. 10. & ſpiritũ tumidũ & elatũ: quibus omnibus Spiritus ſanctus contrarius eſt, eijciens eos. Nã depellit omnẽ malitiã: feroces mites reddit: deducit in omnẽ veritatẽ: reuelat ſcripturarũ myſteria: per fidẽ purificat corda: largitur verã charitatem, quę non cogitat malũ, nec perperã operatur: inſpirat huius mundi contemptũ: eximit ab omni conſortio ſatanæ: & ſubiectos reddit Deo, quia ſpiritus Dei eſt, & Spiritus Chriſti, vt dictũ eſt, a Patre, & Filio procedens: a Patre quidẽ atteſtante ſcriptura Ioan. 15. Spiritus qui a patre ꝓcedit: a Filio vero, quia ſecundũ Euãgelium Filius poſt reſurrectionẽ mittens diſcipulos ſuos ꝑdicare, inſufflauit in faciẽ eorũ, & dixit: Accipite Spiritũ ſanctũ Ioan. 20. & Apoſtolus ad Rom. 8. Si quis Spiritũ Chriſti nõ habet, hic nõ eſt eius. Qui Spiritus in diuinis literis nominat̃ diuerſis nominibus: dicitur Dei digitus, in quo Chriſtus eijciebat dæmonia Luc. 11. Paraclitus, ideſt conſolator, qui cõfirmat, & cõſolatur nos in omni tribulatione noſtra 2. Cor. primo: Aduocatus, eo quòd poſtulat ꝓ nobis, ideſt ad poſtulãdũ nos incitat, & impellit. præterea pſal. 50. dicitur Spiritus rectus, qui deducit nos in viã rectã a terrenis affectibus, quibus inambulabamus, nos purgans, & ad cæleſtia eleuans, a circuitu, in quo impij ambulant, reuocans, & in viã rectã mandatorũ Dei reducens. Dicitur etiã ſpiritus principalis, quòd cõfirmat nos, vt nullis perturbationibus, ſiue terroribus a Chriſto ſeparemur. Dicitur quoque ſpiritus bonus, quẽ dat Deus petentibus eum, diffundens charitatẽ in cordibus noſtris. Et tandẽ dicitur ſpiritus adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus Abba pater. Tribuitur in primis Spiritui ſancto bonitas: quoniã per ipſum fit remisſio peccatorũ, & largitio donorũ, quibus ornat animã, abolitis peccatis. Item charitas, quia per ignẽ amoris ſui cõgregantur, & conglutinantur fideles, ſicut mẽbra corporis noſtri cohærent integra beneficio ſpiritus noſtri. Et vt finem imponamus huic quarto articulo, cum ſanctis patribus, & Eccleſia, credimus in ſpiritũ ſanctũ, Deũ verũ &c. procedentẽ a Patre & Filio. Credimus, quòd in illo Pater per Chriſtum, & in Chriſto, omnia operatur, fouet, & viuificat. Credimus, quòd hoc ducẽte, & gubernãte, per filiũ veniemus ad patrẽ: quodq; per hunc a Deo patre excitemur, vocemur, & trahamur. Credimus, quòd ille per eã fidẽ, formatã ſcilicet, quæ in Chriſtũ eſt, donetur. Quòd per illum inhãbitantem, efficimur templum Dei, vt inquit beatus Paulus pri. Cor. 3. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos: & primæ Cor. 6. Neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt? Credimus, quòd hic eſt, qui cõſcientias noſtras reas ar-

gnit de peccato, & mortificat in nobis carnales concupiſcentias: quòd extinguat opera carnis: quòd motus in nobis excitet bonos & fructus gignat ſpirituales. Eſt itaque certiſsimum pignus vocationis noſtræ: quoniam cum ſentimus opera eius in nobis, ideſt, cõuerſionem noſtrarum animarum ad Deum viuentem, ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus Filij Dei. Si autẽ filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: quo imbuti cum fiducia clamemus, Abba pater. Nam qui hoc ſpiritu vacant, mundano ſpiritu imbuti, falſo dicunt Chriſto, Domine domine: quia hoc ſpiritu carent non facientes voluntatem Patris, nec fructus ſpiritus. Proindeq; ſecundum Ioannis teſtimoniũ, nemo Ieſum appellat Dominum niſi in Spiritu ſancto. Dominum enim Ieſum appellare non poteſt quiſquam, qui ſe illi totum non committit: & ſubdit, quod ſit Spiritu ſancto docente. Ergo fratres, vt diuus Paulus inquit, debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei ad Rom. 8.

Quintus articulus eſt de opere creationis, videlicet, Creatorem cæli & terræ. Cap. XI.

ISTE creationis mundi articulus, ſicut & nonnulli alij, propter ſurgentes hæreſes, magis explicatur in Symbolo Nicęno, vel Conſtantinopolitano, quàm hic. ideo ad eas cõfutãdas addemus Symbolo Apoſtolorum nonnulla de Nicæno, quæ indicabuntur ꝓ eiuſdẽ maiori explicatione neceſſaria. Hic articulus ſumitur a primo capite Geneſeos, vbi dicitur: In principio creauit Deus cælum & terram. Ex qua auctoritate Manichæus ſumit occaſionẽ ſuę ruinæ, dicens: quòd cum cælum & terra ſint viſibilia, Deus eſt cauſa dumtaxat viſibilium. Hunc errorem excludit Eccleſia catholica in Symbolo maiori: quæ exponens ſupradictum articulum, addidit: Viſibilium omnium & inuiſibilium. Pro cuius articuli intelligentia, dicimus, quòd ſoli Deo conuenit creatorem eſſe. Et ratio eſt, quia creare illi cauſæ conuenit, quæ aliam vniuerſaliorem non præſuppoiut, vt inquit diuus Thomas in opuſculo. 3. cap. 7. Sed hoc ſoli Deo competit: ideo ſolus ipſe eſt creator, cum ſolus habeat potentiam infinitam, quæ requiritur ad creare aliquid proprie. Nulla creatura etiam angelica poteſt in terminum creationis. Vnde Auguſtinus. 9. ſuper geneſim cap. 13. inquit Angeli

omnino

omnino nullam creare poſſunt naturam: & cap. 22. Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, ſicut nec creare ſeipſum. Et Damaſcenus libro. 2. cap. 3. Qui dicunt Angelos eſſe conditores alicuius naturæ, ſunt omnes filij patris ſui diaboli. Et idē Auguſtinus libro. 3. de Trinitate cap. 9. Non eſt creator, niſi qui principaliter iſta format: nec quiſquam hoc poteſt, niſi ille, penes quem primitus ſunt omnium, quæ ſunt, menſuræ, numeri, & pondera. ſed ut adhuc melius præfata intelligantur, ſupponitur iuxta principia ſcripturæ, & doctorum, quòd ſumendo creationem, vt eſt mutatio ſimpliciter prima: creatio eſt productio alicuius de nihilo primordiali, quæ eſt actio ſoli Deo competens. Et dicitur productio quaſi a procul ductio: de qua beatus Hieronymus in interpretatione tripartita: Productio eſt in longum tractus. Quia igitur primus terminus, a quo ſimpliciter Deus producit aliquid, eſt ſimpliciter primordiale non eſſe eius: ideo eius productio a tam procul, eſt creatio. Vnde Auguſtinus in Gen. contra Manichæos. libro primo cap. 2. inquit: Hæc facta ſunt: nec ea genuit de ſeipſo, vt hoc eſſent, quod ille eſt: ſed ea fecit de nihilo: vt non eſſent æqualia nec ei, a quo facta ſunt, nec filio eius, per quem facta ſunt. Et beatus Ambroſius primo Hexameron cap. 4. ait. Auctorem enim Angelorum, & dominationum, & poteſtatum, facile intelligimus eum, qui momento imperii ſui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit eſſe, quæ non erat, & non de extantibus, aut rebus, aut cauſis, donauit habere ſubſtantiam. Et idem Ambroſius primo cap. eiuſdem libri contra Vuitcleff. ponentem, quòd creare ſit producere aliquid non ex omnino nihilo, ſed ab eſſe intelligibili ſiue ideali, dicit: Tantum ne opinionis aſſumpſiſſe homines, vt aliqui eorum tria principia conſtituerent omnium, Deum, exemplar, & materiam, ſicut Plato diſcipuliq; eius: et ea incorrupta, & increata, ac ſine initio eſſe aſſeuerarent? Deniq; non tanquam creatorem materiæ, ſed tanquam artificem ad exemplar, hoceſt ideam, intendentem, feciſſe mundum de materia, quā vocauit Hylen, quæ gignendi cauſas rebus omnibus dediſſe aſſeratur? ipſum quoque mūdum incorruptum, nec creatum, aut factum exiſtimarent? Et paulo poſt cap. 2. In euangelio Dei filius dicentibus ſibi, Tu qui es? Reſpondit: Principium, qui & loquor vobis. Et ita ipſum dediſſe gignendis rebus initium: & ipſum eſſe creatorem mūdi: non idea quadam duce imitatorem materiæ, ex qua non ad arbitrium ſuum, ſed ad ſpeciem propoſitam ſua opera formaret. Annihilatio vero eſt mutatio primaria creationi diametraliter oppoſita: & eſt ex parte paſsi generalis ceſsio creaturæ in primordiale nō

eſſe:

eſſe : de quo non eſſe Auguſtinus in primo ſuper Gen . cap . 2. contra Manichæos ita loquitur : Sed & ſi in principio temporis Deum feciſſe cælum , & terram credamus : debemus vtique intelligere, quòd ante principium temporis non erat tempus . Deus enim fecit & tempora : & ideo antequam faceret tempora , non erāt tempora . Non ergo poſſumus dicere fuiſſe aliquod tempus , quando Deus nōdum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus, quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipſe ſit fabricator ? Et ſi tempus cum cælo & terra eſſe cœpit, non poteſt inueniri tempus, quo Deus nondum fecerat cælum & terram . Ex quibus plane patet, tempus intelligibile, non fuiſſe tempus, ſed cum illo tempore verum non eſſe temporis computari , quouſque haberet eſſe per creationem. Hoc ergo non eſſe eſt verus terminus a quo creationis formalis , & verus terminus ad quem annihilationis oppoſitæ . vnde Auguſtinus vbi ſupra ait, quòd ſi Deus potentiam ſuam fabricatoriam ſubtrahat a rebus , ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt: vbi loquitur de annihilatione perfecta, in quam ſolus Deus poteſt:ſicut & in terminum creationis,cum ſit regula theologalis, videlicet: Quòd non poteſt fieri , niſi creetur , non deſtruitur, niſi annihiletur . vnde Ambroſius in Hexameron libro primo cap. 5 . loquens de Deo : ex ipſo, inquit , materia . Per ipſum, operatio, quæ ligauit atque conſtrinxit vniuerſa . In ipſo, quia & quandiu vult, omnia eius virtute manent, atque conſiſtunt : & finis eorum in Dei voluntatem recurrit , & eius arbitrio reſoluuntur . Et ibidem de partibus integralibus huius mundi loquens : vt fortuito (inquit) iungerentur, ita fortuito ac temere diſſoluerentur , niſi in ſui gubernatoris virtute diuina conſiſterent . hæc ille . Patriciani, de quibus beatus Auguſtinus de hæreſibus, hæreſi . 61 . ponunt carnem a diabolo conditam : quod eſt expreſſe contra ſcripturam , cum fecerit Deus corpora carnea Geneſis ſecundo , Hoc os nunc de oſsibus meis, & caro de carne mea : & ſubdunt , quòd fatuum fuerit , Chriſtum filium Dei in ſe opus diaboli aſſumpſiſſe , cum vt dicitur Ioannis . 14 . diabolus in eo non habuerit quicquam . Vuitcleff etiam, vt dictū eſt ſupra, & habetur . c . 11 . primi trialogi ſui, inquit contra creationem rerum: Quòd potentia diuina non ſe extendit ad nihilum , & vacuum : cum res creandæ antequam crearentur habuiſſent perfectiſsimum eſſe ideale , contra quem beatus Iob . c . 26 . Qui extendit aquilonem ſuper vacuum , & appendit terrā ſuper nihilū . vnde idē Vuitcleff cōcludebat , quòd productio rei non erat ab omnino nihilo : in quo arridebat errori Ariſtotelis dicentis, quòd ex nihilo nihil fiebat . Error etiam fuit Manichæorum

rum dicentium, aliquid eſſe nihil: contra quos beatus Auguſtinus cap. 24. de natura boni: Neque, inquit, audienda ſunt deliramenta hominum, qui nihil hoc loco aliquid intelligendum putant. Sunt igitur fatuitates Manichęorum, ponere nihil, eſſe aliquid quoquomodo: maxime illud nihil, ex quo Deus cuncta creauit: cum illud ſit ſimpliciter, & omnino nihil: dicente in eodem loco Auguſtino c. 25. Quòd Deus omnia, quæ de ſe non genuit, ſed per Verbum ſuum fecit, non de his rebus, quæ iam erant, ſed de his, quæ omnino nō erant, hoc eſt, de nihilo fecit. Vnde dicitur in. 2. libro Machabęorum. cap. 7. Peto nate, vt aſpicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus. Apoſtolus etiam ad Rom. 11. inquit: Quòd ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Et Auguſtinus de vera religione cap. 34. concludit: Quod materia informis, ex qua factus eſt mundus, facta eſt ex omnino nihilo. Et in libro de magiſtro cap. 2. inquit de nihilo: Nihil quid aliud ſignificat, niſi illud quod non eſt? Et in libro de natura boni in principio: Tam omnipotens eſt Deus, vt poſsit etiam de nihilo, ideſt, ex eo quod omnino non eſt, bona facere, & magna, & parua, cæleſtia, & terreſtria, ſpiritualia, & corporalia. Quia vero & iuſtus eſt, ei quod ex ſe genuit, ea, quæ de nihilo fecit, non ęquauit. Et infra cap. 10. ideo autem non incōmutabiles naturæ ſunt: quia nihil eſt, vnde factæ ſūt. Sacrilega enim audacia coæquantur nihil & Deus, ſi quale eſt illud, quod de eo natum eſt, tale velimus eſſe illud, quod ab eo de nihilo factum eſt. Hæc ille. Et beatus Gregorius in homilia, Cum eſſet ſero die illo, inquit: Mirabilius namque eſt cælum, & terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe, quàm ipſum hominem ex terra reparare. Et Auguſtinus de verbis domini ſermone vltimo dicit: Quid eſt amplius ex nihilo facere homines, qui viuant: An eos, qui facti ſunt, atque vixerunt, reparare poſt mortem? vtique plus eſt facere quod numquam fuit, quàm reparare, quod fuit. Quomodo nos ſuſcitare nō poteſt conuerſos in puluerem, qui ſi in nihilum rediremus, facere poſſet, vt eſſemus: ſicut & fecit nos eſſe, cum nūquam antea fuiſſemus? Ecce igitur quòd ex nihilo Deus iſta producit: & ſi in nihilum rediremus, adhuc facere poſſet Deus, vt eſſemus. Inſanit ergo Vuitcleff, dicens, quòd Dei potentia non ſe extendit ad nihil. Cōcludunt igitur omnes doctores, & præcipue diuus Thomas prima parte, q. 45. art. 5. de mēte beati Auguſtini 3. de Trin. Quòd neque boni Angeli, neque mali poſſunt eſſe creatores alicuius rei: ſed quòd creare ſit propria actio ſolius Dei. ſic enim, ait, impoſsibile eſt, quòd alicui creaturæ conueniat creare, neque virtute propria, neque

inſtrumentaliter

inſtrumentaliter ſiue per miniſterium . Vnde art . 6 . inquit : Quòd creare eſt proprie cauſare , ſiue producere eſſe rerum . Ideo creare conuenit Deo, ſecundum ſuum eſſe : quod eſt eius eſſentia, quæ eſt communis tribus perſonis : & ideo creare non eſt proprium alicui perſonæ,ſed commune toti Trinitati . Diuinæ tamen perſonæ ſecūdum rationem ſuæ proceſsionis, habēt cauſalitatem reſpectu creationis rerum . Vnde & Deus pater operatus eſt creaturam per ſuum Verbum, quod eſt Filius : & per ſuum amorem , qui eſt Spiritus ſanctus . Et ſecundum hoc proceſsiones perſonarum ſunt rationes productionis creaturæ , inquantum includunt eſſentialia attributa, quæ ſunt ſcientia & voluntas . Vnde ſicut natura diuina,licet ſit cōmunis tribus, ordine tamen quodam eis conuenit, inquantum Filius accipit naturam diuinā a Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque : Ita etiam & virtus creandi, licet ſit communis tribus perſonis , ordine tamen quodam eis conuenit, quia Filius habet eam a Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque . Vnde in hoc articulo , Creatorem eſſe attribuitur Patri, vt ei, qui non habet virtutem creandi ab alio . De Filio autem dicitur, per quem omnia facta ſunt , inquantum habet eādem virtutem, ſed ab alio . Nam hæc præpoſitio(per) ſolet denotare cauſam mediam, ſiue principium de principio , vt dictum eſt ſupra . ſed Spiritui ſancto , qui habet eandem virtutem ab vtroque, attribuitur, quòd dominando gubernet,& viuificet,quæ ſunt creata a patre per filium . Et ratio poteſt aſsignari , quia patri attribuitur potentia , quæ maxime manifeſtatur in creatione : ſimiliter & creatorem eſſe . Filio vero appropriatur ſapientia, per quam agens per intellectum operatur:ideo dicitur de Filio,per quem omnia facta ſunt : Et Spiritui ſancto bonitas , ad quam pertinet gubernatio, deducēs res in debitos fines,& viuificatio.Nā vita in interiori quodam motu conſiſtit . Primum autem mouens eſt finis , & bonitas . Sicut igitur ordinatio rerum ad ſapientiam , & iuſtificatio impij ad miſericordiam,& bonitatem ſe ſuperabundanter diffundentem : ita creatio, quæ eſt productio ipſius ſubſtantiæ rei, reducitur ad potētiam . Res etiam creatæ non fuerunt ab æterno, vt patet Ioānis . 17. vbi dicitur : Clarifica me Pater apud temetipſum claritate , quā habui priuſquam mundus fieret . Potuiſſet tamen eſſe mundus antequam eſſet ſecundum Dei potentiam , & ex habitudine extremorū, quæ ſibi non repugnāt, ſecūdum quod impoſsibile opponitur poſſibili, vt patet.5 . Metaphy . Et concluſiue dicimus , quòd mundum incœpiſſe , eſt articulus fidei , nec demonſtrari poteſt, cum fides ſit de non apparentibus ad hębreos 11. Ad hoc propoſitū dicit beatus Gregorius in homil . prima Ezęchielis , quòd Moyſes prophetauit

de præterito, dicēs : In principio creauit Deus cælum & terram , ex quo nouitas mundi trahitur,quæ tātum per reuelationem habetur : & ſic mundum non ſemper fuiſſe ſola fide tenetur . Credimus igitur, quòd Deus cōdidit cælum, & terram , & quæcumque cælo terraq; cōtinētur,viſibilia,& inuiſibilia,idq; ex nihilo per coæternū verbū ſuū . vnde in pſal. 148 .dicitur:Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit,& creata ſunt. et Ioānis primo: Omnia per ipſum facta ſunt. et ad colloſſen . primo : Quoniam per ipſum condita ſunt vniuerſa, ſiue throni , ſiue dominationes , ſiue principatus &c . Fecit & hominem, vt creaturis ceteris dominaretur: & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum . Et vt hæc propter hominem , ita hominem ac omnia alia propter ſe , tametſi ipſe nullius indigeat , creauit . Siquidem hic eſt finis omnium rerum conditarum, vt cognoſcant & glorificent cōditorem ſuum . Omnia enim propter ſeipſum creauit altiſsimus . Et quis eſt tam cæcus, qui non videat cælos enarrantes gloriam Dei ? et hanc vniuerſitatem rerum conditarum demōſtrare, ac teſtari Deum omnipotentem eſſe ſapientem , bonum , & iuſtum ? vnde Paulus ad Rom. primo, oſtendit diuinitatem in natura cōſpici . Inuiſibilia enim Dei a creatura mūdi per ea , quæ facta ſunt intellecta , cōſpiciuntur : ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas:ita vt omnes pronunciet inexcuſabiles,eo quòd cum cognouiſſent ex creatura Deū, nō ſicut Deū glorificauerunt. Per hunc gradū ēt ethnici venerunt ad aliquā ſummę illius mentis,vnde omnia ſunt condita, notitiam : in quibus tamē nihil eſt tam egregium, quin infinitis partibus ſit infra primā cauſam . Chriſtiani igitur hominis eſt, non ſolum intelligere hunc orbem a Deo ex nihilo conditum : ſed etiam Deum eſſe vbique pręſentem, ſuſtentantem,& gubernantem omnia : adeo quòd ſi per ictum oculi ſuam ſubtraheret manum , ſtatim in nihilum redigerentur , ſicut ſcriptum eſt pſal . 103 . Aperiente te manum tuam,omnia implebuntur bonitate:auertente autem te faciem, turbabuntur : auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuū reuertētur. Quare in hoc articulo nomine creationis non modo conditio , ſed & ſuſtentatio , gubernatio , & conſeruatio rerum conditarum intelligi poteſt . vnde act . 17 . beatiſsimus Paulus dixit ad Athenienſes : Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit dominus ,non in manufactis templis habitat : intellige, circūſcriptus loco : quia ſi loquamur de eſſe in loco non circumſcriptiuo , Deus eſt vbique : cū hoc tamen ſtat,quòd ſingularius & particularius inhabitat templa,hoceſt eccleſias . Nec manibus humanis colitur,indigēs ſcilicet aliquo, cum ipſe det omnibus vitam,& neceſſaria .Non enim longe eſt ab

vnoquoque noſtrũ. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Et ad coloſſ. Primo: Omnia per ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes,& omnia in ipſo cõſtãt.Et Matth.6.Reſpicite volatilia cæli, quoniã nõ ſerunt,neque metũt,& pater veſter cæleſtis paſcit illa.Et pſal. 144. Oculi omniũ in te ſperãt Dñe:& tu das illis eſcã in tẽpore opportuno. Et pſal.99. Ipſe fecit nos(loquẽdo de Deo)& nõ ipſi nos. Nos autẽ populus eius,& oues paſcuæ eius. Quæ omnia oſtendunt nos non naſci,aut viuere, aut ali,aut hoc, vel aliud operari caſu, vel tantũ noſtris viribus,aut ꝓuidẽtia,ſed Deo dãte,viuificãte, ac conſeruante. Vnde beatus Paulus primæ ad Timo.6. vocat Deũ viuificantem omnia, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum. Et eſt Saluator omnium hominum, maxime fideliũ: ideo ab eo omnia cum fiducia ſunt petenda, & non ſolis humanis viribus, aut prouidentia comparãda. Quo fit, vt quis ſyncero affectu totam ſpem in illum, tanquam in principalem noſtræ ſalutis cauſam,transferat. Et tandem viua charitate erga Deum afficiatur, & in illum tendat, quẽ nouit eſſe ſumme bonũ, nihil illi in amore aut prẹferẽs, aut æquãs, vt libeat potius relinquere omnia ſua,immo & vitã, ſi Deus ipſe iuſſerit, quam ipsũ offẽdere. Et quicquid veneratur, metuit, vel amat prẹter eum, eius cauſa amet, metuat, ac veneretur, omnia ad illius gloriam referens, ſemper gratias agens, ſiue cõtingãt proſpera, ſiue aduerſa: certus diligẽtibus Deum omnia cooperari in bonũ, & Deum non derelinquere ſanctos ſuos: ſed in æternum conſeruare.

De Sexto articulo, videlicet: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, Cap. XII.

NON modo Chriſtiano neceſſarium eſt credere filiũ Dei, ſed & incarnationem eius: quam beatus Ioannes inſinuat nobis, cũ dicit cap. pri. ſui Euangelij. Et verbũ caro factũ eſt:& hoc factũ eſt,quãdo ex puriſsimis sãguinibus beatiſsimẹ virginis virtute ſpiritus sãcti formatũ eſt corpus dñi noſtri Ieſu chriſti in vtero eius, & animatũ anima intellectiua, immediate a Deo creata, & dicto corpori infuſa,ac vnitũ verbo diuino in vnitate hypoſtatica. Et vt præfata incarnatio filii Dei melius intelligatur, eſt multum accommodata ſimilitudo matrimonij, de quo Apoſtolus ad Ephes. 5. inquit: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia: vbi nobis explicat duplex ſpirituale matrimoniũ. Primũ perſonæ filii Dei cum natura humana, cum dicit in Chriſto: quòd matrimonium, ſiue vnio Chriſti cum natura humana, dicitur incarnatio Filii Dei. Secundum vero filii Dei incarnati cũ Eccleſia: quod

notatur

notatur, cum ſubditur, & Eccleſia. Prætermiſſa ſecũda vnione, quæ non facit ad propoſitum: dicendum eſt in præſentiarum dũtaxat de prima, quæ maximam habet ſimilitudinem cũ carnali matrimonio: cum certum ſit, quòd omnes fere conditiones, quæ in carnali obſeruantur matrimonio, reperiantur in incarnatione filii Dei. In dicto carnali matrimonio quædam ſunt antecedentia, quędam concomitantia, quædam conſequentia. Prima ſunt ſponſalia, quæ nuptias antecedunt. Secunda nuptiæ ipſæ, & mutua contrahentiũ donatio, eo quòd cõcomitetur hinc inde omnium bonorum, & titulorum communicatio reſpectiue. Tertia ſunt conſequentia, videlicet, fidelis cohabitatio, & generatio: quæ omnia eminentiori & perfectiori modo obſeruata fuere in incarnatione filii Dei. Primò igitur fuerunt ſponſalia, ſiue promiſsio de futuro cum Abraham: quando dictum eſt ei Gen. 22. Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ: & cum Dauid pſal. 131. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Vnde beatus Hieronymus ſuper primum Matthæi inquit: Quòd horum duorum dicitur filius: quia ad hos tantum de Chriſto facta fuit repromiſsio. Secundo fuerũt nuptiæ, hoc eſt mutuus hinc inde conſenſus, quando videlicet immaculata virgo Angelo aſſenſum præbuit dicens: Ecce ancilla Domini &c. Et fuit hinc inde facta donatio, cum natura humana communicauerit filio Dei humanitatem: & filius Dei humanæ naturæ ſuum eſſe perſonale. Filius etiam Dei communicauit naturæ humanæ ſuum exiſtere, & attributa, ac eſſentialia, & quæcumque conueniunt eſſentię diuinæ per communicationem idiomatum: ſic quòd propter hanc communicationem prædicantur nunc de ſuppoſito, in quo humana ſubſiſtit natura: ob quam cauſam humana natura eſt donata honoribus, priuilegiis, titulis, & prærogatiuis filii Dei. Vnde dicimus ab eo tempore, quòd homo eſt filius Dei, omnipotẽs, creator, gubernator omnium, immenſus, æternus &c. Natura etiam humana cõmunicauit perſonæ filij Dei ſuas conditiones: per quas filius Dei dicitur homo, corporalis, paſsibilis, mortalis, paſſus, & mortuus: & ſic de aliis, quę non important defectum ſeu deformitatem. Sed quia natura humana non habet proprium eſſe ſubſiſtentiæ, ſed ſubſiſtit in ſuppoſito filii Dei: ideo non dicimus, quòd in Chriſto ſint duo ſuppoſita, quia tunc eſſent duæ perſonæ. Natura igitur aſſumpta a verbo, licet eſſet ſingulariſsima, (quia ſecundum Damaſcenũ aſſumpſit naturã in atomo) non tamen erat ſuppoſitata, ſiue perſõnata: cum Chriſtus non ſit niſi vnicum ſuppoſitum, & vna perſona, videlicet, verbi diuini. Ipſa enim ſingulariſsima natura aſſumpta, naturaliter debebat ſuppoſitari in ſuppoſito proprio: ſed fuit præ-

tum ſecunda perſona in diuinis incarnaretur: vt ille, qui ex patre filius erat in diuinis, idem eſſet etiam filius in humanis. Et quia incarnatio facta fuit in remedium peccati Adæ, qui peccauit appetendo ſcientiam, vt patet ex verbis ſerpentis promittentis homini ſcientiam boni & mali: conueniens fuit, vt qui per inordinatum appetitum ſcientiæ receſſerat a Deo, per verbum, quod eſt ſapientia patris, reduceretur in eundem, & inſtauraretur ab eo.

Quomodo magna miſeratio Dei per incarnationis myſterium parabolico ſermone inſinuatur in Euangelio, per hominem illũ, qui de Hieruſalem deſcendit in Hierico, & incidit in latrones. Cap. XIII.

SANE is homo, qui deſcendit ex hieruſalem in Hierico, ſecundum myſticam ſignificationem erat primus parẽs, qui de perfectione ſuæ cõditionis decidit in mutabilitatem & inſtabilitatẽ per peccatum. Hierico enim luna interpretatur, & Hieruſalem viſio pacis. Incidit in latrones, qui eum deſpoliauerunt, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto Luc. 10. quia in dæmonis incidit poteſtatem, qui nudauit eum gratia, & veſte immortalitatis. Vulnerauit inſuper animam eius ignorantia, pronitate ad malum, affectuq; mũdi: ſed tamen ſemiuiuum reliquit, eo quòd Dei agnitionem & pœnitudinis locum illi penitus non abſtulit. Hunc ſacerdos & leuita ſaucium, & miſeris affectum modis videntes, prætererunt: quia nec veteris legis ritus, ſacrificia, & ſacerdotium, neque Moyſes, Araon, aut quiſpiam Patriarcharum, Prophetarum, vel antiquorum patrũ potuit vulnerato homini efficaciter mederi. Samaritanus vero illac tranſiens, & miſericordia motus, impendit illi ſubſidium: alligauit vulnera eius, infundens vinum & oleum: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus hominum cuſtos (Samaritanus enim cuſtos interpretatur) per diſpenſationem carnis in hunc mundum veniens, ſalutiferam noſtris vulneribus attulit medicinam: ſacramentorum efficacem gratiam contulit, miſericordiæ dulcedinem nobis infudit, ac intra ſtabulum, ideſt ſinum & ſepta Eccleſiæ reductos, ad integrã ſanitatem reuocauit. Sed obijciet quiſpiam, non eſſe differendam medecinam, ſed ſtatim lethifero adhibendam eſſe morbo, ne ex dilatione ægrotus incurrat mortis periculum. Cum igitur adeo noxius fuerit morbus ille, quo tantum laborauit genus humanum, paulo poſt lapſum mittendus erat Dei filius, qui per incarnationẽ perditum hominem redimeret. Cui reſpondendum eſt, numquam

medicinam magni ponderis & momenti cuiquam adhiberi ægroto debere, niſi ante fuerit præparatus per purgatorias potiones, alioqui efficax non eſſet, neque operatoria medicina illa, quæ daretur crudis adhuc, & indigeſtis humoribus totum corpus occupantibus. Ita ſane, ſi protinus poſt lapſum fuiſſet exhibitnm mũdo diuinæ incarnationis myſterium, nemo illud propter ſublimitatem rei capere potuiſſet, cum non fuiſſent prædiſpoſiti hominum animi ad illius comprehenſionem: Ideo Deus infirmitatis noſtræ non ignarus voluit prius per Prophetarum oracula, velamẽta figurarũ, & promisſiones cælitus factas, præparari mentes ad expectationem tanti beneficij: & demum diſpoſitis hominibus, & præmonitis, hoc tantum munus cælo demittere ab alto, ne repentina illa luce effulgente deſuper, obtunderentur oculi noſtri, & immenſitate claritatis diuinæ eorum acies perſtringerentur. Proinde & in legis naturæ decurſu, & Moſaicæ, varia dedit contra dictum morbum remedia: nunc circumciſionem, nũc ſacrificia, & expiationes: nullo enim tempore poſt lapſum deſtitit homini neceſſarijs ad ſalutem adeſſe remedijs. Iccirco dominus Damaſcenus libro 3. capite primo, ait: Quòd Deus de multis prius vt pædagogus inſtruxit hominem. Siquidem pædagogus, pueriq; ductor ſeueritate diſciplinæ coercet illum a vitijs, ad bonumq; inflectit: eundem etiam terrore, ac minis potius abſterret ab inhoneſto, quàm ſuauitate adhortationis. Sic Deus per totum veteris teſtamenti decurſum, nunc horrenda punitione malorum, nunc legis Moſaicæ in clangore ſtrepituq; tubarum datæ, durisſimo iugo genus humanum a vitijs deterruit, ad virtutemq; induxit. Cum autem venit plenitudo temporis, & miſit Deus filium ſuum in hunc mundum, tunc dulcedine paterni amoris, & lenitate legis euangelicæ ad bonum allecti ſunt, & prouocati homines. vnde Paulus ad Galatas tertio inquit: Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo, ſed omnes filij Dei per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Vt tamen grata foret, & idonea reconciliatio, debuit reconciliator ipſe expers eſſe peccati: & nequaquã per peccatum eſſe ſubiectum morti, neceſſitatiq; moriendi. Talis profecto erat Dominus noſter, in quem mors, quæ per peccatum intrauit in mundum, nullum habuit dominium, ius, & auctoritatem: ſed ſpõte ſeipſum morti tradidit, vt nos ſpiritu mortuos viuificaret. Pertulitq; mortem indebitam, vt nos a debita morte cùm corporis, ne eſſet perpetua, tum animæ liberaret. In nouisſimis igitur diebus terminata vetuſtate temporum antiquorum circa hominem magnum patefecit clementiæ diuinæ pelagus, qua Deus humanam aſ-

ſumpſit carnem,per quam inutile uas, & confractum humanæ maſſæ ſolidatum eſt, & innouatum reparata natura noſtra. Ignis per eum in terrã miſſus & ſuccenſus, quo excoctum eſt in nobis, quicquid prius erat terrenũ, & imbecille, & cæleſtis virtus animis noſtris indita. Sacratiſſima namque caro Chriſti diuinitatem in ſe latitantem obuelans, fuit vt eſca occultans hamum: quam quidem eſcam piſcis volens deglutire, ab hamo clanculum latente captus detinetur. Sic ſatanas immaculatam Chriſti carnem ad mortẽ ſua ſuggeſtione deduxit, ſperans eiuſdem ſe gauiſurum ſpolio. Verum a diuinitate in ea deliteſcente proſtratus eſt: & collectam anteacto tempore prædam humani generis merito amiſit. ſic Leuiathan,vt ait Iob 40. cap. hamo captus eſt, & armilla diuinitatis perforata eius maxilla, vomit omnes, quos ante inſatiabili ingluuie tanquam ſuos abſorbuerat. Res tamen dubia fuit, quis nam eſſet redempturus genus humanum: non enim id potuit præſtare purus homo, tamet ſi deberet: quia erat peccato obnoxius, & debitor Deo pro ſuo proprio peccato. Omnes enim peccauerunt, vt inquit diuus Paulus ad Rom. 3. & indigent gratia Dei. neque id redemptionis humanæ munus præſtare debuit Deus, & ſi poſſet: nã is non offenderat. Conſentaneum eſt enim æquitati, eundem emẽdare iniuriam,qui intulit: non quidem ſecundum ſingulare ſuppoſitum, ſed naturæ affinitatẽ. Huic enim dubiæ rei inuenta eſt decẽtiſsima ſolutio, quòd ſecundum diuinę ſapientiæ ordinationem redempturus humanum genus eſſet Deus & homo peccati prorſus immunis. Quia enim Deus, ſatisfacere potuit, cum ſit omnipotẽs & immenſus: & quatenus homo debuit ſatisfacere. Et ſi inſiſtas, Angelum fuiſſe ad opus hoc mittẽdum: protinus obuiat diuinæ ſapientiæ ratio, quæ exigit, vt ſatisfaciat is, qui debet illam præſtare ſatisfactionem,& poſsit. Neutrum autem horum congruit angelo. Non enim debuit pro homine ſatisfacere,quia nõ habet naturæ cõſortium cum eo, qui peccauerat. Neque ex parentum noſtrorum origine traductum eſt in angelos peccatum, aut obligatio ad pœnam. Neque etiam potuit huiuſmodi ſatisfactionem condignam Deo exhibere, cum condigna ſatisfactio exigat, vt æquũ aut amplius reddatur ei, qui læſus eſt, quàm fuerit idipſum, quod irrogatione iniuriæ fuerat ablatum: quod Angelus præſtare nequit. Nã cum culpa primorum parentum quoquo pacto rationẽ habeat infinitatis, attendendo conditionem eius,qui offenſus eſt, ſola infinitæ dignitatis perſona potuit Deo rependere dignum ſatisfactionis obſequium. Quod ſi iterum obiectes,Chriſtum vt hominẽ omnino fuiſſe peccati immunẽ, (dicente Eſa. 53. c. Qui peccatum non fecit,

nec inuentus eſt dolus in ore eius)& ideo eum non debuiſſe ſatisfacere pro homine: fatemur nos dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro ſe ipſo nihil ſatisfactionis debuiſſe, cum in eo nulla fuerit contra Deum offenſa. Verum quia naturæ noſtræ cõmunicationem ſuſcepit, & ex vitiata Adæ maſſa(ſine tamen corruptione & vitio)carnem ſumpſit: ratione huius cognationis cum hominibus congruũ fuit, vt quia caro & frater noſter eſt, eam redemptionem & ſalutem noſtram operaretur: fieretq; nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio pri. cor. primo: Nuſquam enim Angelos apprehendit,ſed ſemẽ Abrahæ ad Hebr.2. Quę tamẽ miſeratio in homines nõ eſt a rationę decẽtiæ aliena: quia ſcilicet homo ea magis indigebat, quàm Angelus, vtriuſque naturam attendẽdo: tum quia minus indignus erat: tum denique quia magis ei prodeſſe poterat, quòd filius Dei naturam ſuam aſſumeret. Magis quidem indigebat, quia totus lapſus erat: minus indignus erat,quia per alium corruerat. Denique plus ei proderat, quia adhuc in malo obſtinatus non erat. Huc accedit, quòd aſſumptio humanæ naturæ magis ſpectat ad totius vniuerſi perfectionem, quàm angelicæ. Quia enim homo compoſitus eſt ex natura corporali, & ſpirituali, & quodammodo communicat cum omni creatura: iccirco cum humana aſſumitur natura & deificatur, quodammodo omnis natura creata in ea exaltatur & euehitur, dum filio Dei vnitur ſibimet conſimili. Poſtremo congruũ fuit potius naturam humanam, quàm angelicam aſſumere propter diuinorum operum excellentem conſummationem, cum in incarnatione præfata vltimum coniunctum ſit primo, vbi eſt perfecta conſũmatio: ſicut aperte patet in circulo, qui eſt perfectiſsima figurarum, qui ad idem punctum regreditur, a quo incœpit. Deus enim creaturarum omnium principium eſt: homo vero finis & vltimum totius vniuerſi, quòd poſtremus omnium conditus ſit. In angelicæ vero naturæ aſſumptione nõ ita luceret totius naturę vniuerſi exaltatio, cum non ita habeat cum omni alia natura commercium, & affinitatem: nec, vt patet, fieret ita diuinorũ operum cõſummatio per coniunctionem principij ad finem, cum Angelus minime finis fuerit, & vltimus eorum, quæ a Deo condita ſunt. Sed ſupereſt diſſoluenda inquiſitio: cur potius vnigenitus Dei filius, vt inquit Damaſcenus vbi ſupra, humanam ſibi carnem vniuit, quàm pater, aut Spiritus ſanctus? cui reſpondetur: Neque id quidem præter diuinę ſapientiæ rationem factum: nam maxime decens, & congruũ fuit, vt qui filius Dei erat ab æterno a patre ſcilicet ante ſęcula genitus, etiam filius hominis eſſet in ſæculo ex ſubſtantia matris in tempore natus. Ad hęc ſubiungimus, quòd beneficium incarnationis ad

hoc ordinatum eſt a Deo, & indultũ hominibus, vt ſimus filij Dei: congruum itaque fuit, vt filii Dei adoptiui efficeremur per eum, qui eſt filius Dei naturalis ſecundum beatum Auguſtinum dicentẽ: Vt homo ex Deo naſceretur, primo ex ipſo natus eſt Deus. Inſuper decẽtiſsimum fuit hominem inter creaturas medium locum poſitum, per mediam in beatiſsima Trinitate perſonam reparari, vt cõgrue medium medio reſponderet. Homo enim cum in meditullio creaturarum ſit collocatus, Spiritualem ſcilicet ſupra ſe, & corporalem infra ſe habens, par fuit & æquum per mediã Trinitatis perſonam redimi. Ceterum quid decẽtius, quàm per eum reparari naturam lapſam, per quem fuerat condita? Non ne conſentaneum eſt rationi, per eũdem reparationem fieri & primam formationem? At per filium Dei fuerat homo conditus, quia per ipſum omnia facta ſunt Ioan. primo: igitur per eundem fuit reparandus, & priſtinæ reſtituendus dignitati. Porro in hac ſuſcipienda carnis diſpenſatione, vnigenitus Dei filius inhumiliabilem (vt inquit Damaſcenus vbi ſupra) ſuam altitudinem inhumiliate humiliauit. Siquidem altitudo diuinitatis ſecundum ſubſtantiam & maieſtatem ſuam, inhumiliabilis eſt, quia ſumma & ſuperimmenſa, neque aliquo pacto diminui, aut exinaniri in ſe & ſecundum ſe poteſt, ſicut nec exaltari: ſecundum vero commercium, & annexionem ad alterum, humiliata dicitur ipſa deitatis ſublimitas, quia coniuncta eſt, & vnita humanæ ſubſtantiæ plurimo interuallo, & improportionali graduũ interſtitio, ab ea diſtãti, & longe inferiori loco cõſtitutæ. Sicut enim ſi quis imperatoriam gerens maieſtatem vxorem ducat filiã viri infimæ ſortis, non propterea maieſtatis imperatorię quicquam indignitatis aut imperfectionis contrahit ex huiuſmodi connubio: ſed plurimum ſplendoris adiicit vxori, quam ignobili genere natã euehit ad imperatorium faſtigium: ita neque diuina natura quicquam ſuſtinet imminutionis, quòd humanæ naturæ lõge ſubſidẽti ſit vnita: ſed hanc potius ſuperexaltat vltra ſuam ſortem ad ſummæ diuinitatis conſortium. Si enim ſolaris radius ad hæc ima porrectus nõ deiicitur a ſuæ perfectionis gradu, quòd fluminibus & aquis irradiet, a quibus vapores ſuſtollens ſurſum reducit, quis niſi mentis inops putauerit diuinę naturæ ſublimitatẽ aliquid diminutionis ſubire poſſe, quòd ineffabiliter carni coniuncta eam ad altam, & humanæ naturæ metas excedentem extollit vnionem? Demum per hoc incarnationis & natiuitatis Sacramentum deſcendiſſe dicitur Dei filius de cælo: non quia cælo ſe dimiſit, & terram tunc primũ diuinitate ſua impleuerit, ſed quia nouo exiſtendi modo, vt pote per diſpenſationem carnis, præſentem huic mũdo ſe exhibuit, cum

in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus Baruch 3. quo quidem modo prius non ſe terris obtulerat.

De beneficio ex Chriſti incarnatione humano generi exhibito Cap. XIIII.

DOMINVS Ioannes Damaſcenus de orthodoxa fide libro 4. capite 4. inquit: filium Dei ea potiſsima ratione incarnatum, & ex virgine natum, vt repararet in homine, quod in prima ipſa cōditione illi indiderat: & rurſus ei impartiret, quod prius in creatione dederat, ſed per præuaricationem labefactum fuerat. Siquidem creauit hominē Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuā Gen. primo: Imaginem quidem, quantum ad naturales animæ vires, intellectum, voluntatem, memoriam fœcundam: Similitudinem vero, quantum ad virtutum aſsimilationem, quibus a principio inſigniuerat hominem, & decoratum reddiderat, quātum ipſius ferebat natura: Impreſsitq; illi ſuæ diuinitatis ſignacula, immortalitatem, ſapientiam, iuſtitiam, virtutem, & cetera id genus: non tamen adeo expreſſe, & exacte, ſicut in ipſo reperiuntur ſignata, quia excedunt captum ipſius hominis. At quoniā hanc Dei imaginē nobis a principio inditā labefactauimus per peccatū, & ab illa diuina ſimilitudine lōge excidimus, per auerſionē diſsimiles ei facti: ipſe, vt hanc noſtrā repararet ruinā, aſſumpſit noſtrę naturę impotentiā: aſſumpſit Dei filius & fragilitatē, vt virtutē priſtinā nobis repararet: mortalitatē & paſsibilitatē ſponte ſuſcepit, vt morte & paſsione ſua in nobis mortē deſtruens, immortalitatē, & impaſsibilitatē humano generi cōferret. Et vt vno verbo claudātur omnia, imperfectiones noſtras in ſe ſuſtinuit, vt ad perfectionē nos reduceret. languores enim noſtros ipſe tulit (vt ait Eſaias cap. 53.) & dolores noſtros ipſe portauit. Poſuit enim Deus in eo iniquitatē omnium noſtrum, & liuore eius ſanati ſumus Eſa. vbi ſupra. Cumulatiſsima bona ex filij Dei incarnatione & natiuitate nobis prouenientia enumerans Damaſcenus vbi ſupra, dicit: quòd per hanc benignam Dei miſericordiam, qua viſitauit nos oriens ex alto, ceſſauit in primis dæmonum mortifera cultura. Sane cum Moyſes eduxit populum Iſraeliticum ex ægypto, dicuntur omnia ægypti ſimulacra corruiſſe, & eorum templa, aut fulmine tacta, aut terremotu diuina virtute dirupta fuiſſe, vt habetur cap. 33. Numerorum, prout nonnulli contendunt: cum ibidem dicatur. Nam & in Dijs eorum exercuerat vltionem. Id itaq; figura erat cultus idolorum prorſus extirpandi,

extirpandi, cum verus legifer noſter Dominus noſter (cuius Moyſes typum gerebat) genus humanum ex ægypto ſpirituali, tenebris ſcilicet, & vmbra mortis, carcereq;, & ergaſtulo peccati, & a duriſſimo principis huius mundi imperio per Pharaonem ſignificato, liberaret. Quod vtique futurum Propheta Eſaias pronuntiauerat c. 19. dicens; Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebũtur ſimulacra ægypti. Etenim ſuper leuem nubem aſcendit Dominus, quando carnem de intemerata virgine, nullo peccati pondere prægrauata, animo in cæleſtibus ſemper ſuſpenſa, & ſuperni luminis illuſtrata ſplendore, ſumpſit. Aegyptum tunc ingreſſus eſt, quando humanæ carnis trabea indutus ſubijt hanc tenebrarum vallem, vt eam cæleſtis gratiæ lumine perfunderet. Et tunc commota ſunt idola Aegypti, quoniam per aduentum eius, & euangelicam promulgationem ſuperſtitioſus & peſtifer idolorum cultus eſt exterminatus. Idem quoque & Daniel futurum vidit in ſpiritu, cum conſpexit lapidem exciſum de mõte ſine manibus, qui Chriſtum ſignificabat, percusſiſse ſtatuam, quatuor præcipuorum regnorum deſignatiuam, in quibus idolorũ cultura maxime inualuerat, & eam prorſus comminuiſſe. Demum & Ezechiel c. 30. Diſperdam (inquit) ſimulacra, & ceſſare faciam idola de Memphi, & Dux non erit amplius de terra Aegypti. Hanc etiam futuram culturæ idolorum ceſſationem præcognouerunt, fortaſſe dæmonum miniſterio, ſapientes gentilium, atque deplorarunt. Quos acerrime cõfutat beatus Auguſtinus 8. de ciuitate Dei c. 23. & ſumpto ex ipſis argumento, noſtram religionem mundam eſſe, & immaculatam mirun in modum confirmat. Cuius quidem ſynceræ religionis ſi plantatio prima inſpicitur, cognoſcitur profecto, Euangelij diuulgationem, & diſſeminationem chriſtianæ fidei omnino fuiſſe diuinæ virtutis opus.

Dicti articuli planior explanatio, ac errorum circa illum occurrentium confutatio. Cap. XV.

CVM ex ſupradictis pateat Chriſtum ſecundum naturam diuinam ab æterno ineffabiliter ex patre productum, Eundem in hoc articulo intelligimus ex tempore de ſpiritu ſancto conceptũ, & ex virgine natum: quemadmodum ante multa ſæcula vaticinatus erat Eſaias c. 7. cum diceret: Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c. In quo articulo innuitur primo, quòd ſpiritus ſanctus dominicæ carnis, & templi eius eſt formator: ſic tamen vt

intelligas,

intelligas totam Trinitatem hoc adorabile myſterium cooperatam eſſe, vt patet in reſponſione Angeli ad beatam virginē, dicens: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te &c. Et quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Vbi per (altiſsimum) intellige patrem, fontē, & auctorem deitatis. Adeſt etiam virtus altiſsimi, videlicet filius, qui proprie carnē aſſumpſit. Adeſt & Spiritus ſanctus, cui hoc opus peculiariter attributum ſcriptura ſibi dedicat. Sequitur: Natus ex Maria virgine. ex quibus verbis Nicæni concilii adimpletur ſcriptura prophetico myſterio perpetuam integritatem virginis Marię reprę-ſentans, cum ait Ezechielis 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non trāſibit per eam, eritq; clauſa principi: Clauſa fuit in ea virginitatis porta, & ſoli Deo Chriſto principi patuit, reſpiciens ad orientem, vnde ſol oritur (vt inquit beatus Cyprianus) nūquam occidens, qui viſitauit nos oriens ex alto Luc. pri. vt illuceſcat his, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Per hanc portam prodijt ſol ille iuſtitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Spectabat enim porta ad viam ſanctuarij exterioris, quoniam ea natiuitas erat extra vulgarem hanc noſtram natiuitatem, nihil habens admiſtum humanæ concupiſcentię: ſuſcipiens verbum carnem non eſt mutatum in carnem, quia manēs Deus ſuſcepit hominem: virginē vero deſignat ex nomine, videlicet Maria, idq; non temere: quod & Lucas facit, dicens: Miſſus eſt Angelus ad virginē deſponſatam viro. & ſubdit Paulo poſt: & nomen virginis Maria. Hæc eſt illa ad cuius nomen omnes animæ recreantur piorum. Eua ſiquidem diabolo aſſentiens mortem orbi & maledictionem intulit, Maria vero Angelo fidem adhibens benedictionem & vitam protulit. Per Euam ſerpentis affatu deceptam venit calamitas. Per virginem Spiritus ſancti aflatu grauidam rediit beatitudo. Per præuaricationem Euæ, iræ filii naſcimur. Per Mariā vero Deo perfecte ſubditam, dicto angelico credentem, Chriſtum accepimus, per quem renaſcimur, & filii Dei adoptiui efficimur Io. pri. & 3. Eua Dei mandatum contemnens gratiam Dei amiſit: audiuitq; multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries &c. Maria apud Deum inueniēs gratiam humilis audiuit. Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: nimirum in quo benedicentur omnes tribus terræ. In hoc quidem ſexto articulo multi errauerunt: ideo patres in maiori Symbolo, videlicet in ſynodo Nicæna, multa addiderunt, quibus omnes deſtruuntur errores. Origenes enim, prout beatus Thomas in 5. opuſculo ſcribit, aſſerit: quòd Chriſtus eſt natus, & venit in mundum, vt etiam ſaluentur dæmones, ſaltem in fine mundi; quod eſt contrariū ſcri-

pturæ

pturę dicenti Matth. 25. Diſcedite a me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Vnde ad hunc eliminandũ errorem additur: Qui propter nos homines, & nõ propter dæmones, ſimiliter & propter noſtram ſalutẽ. Photinus vero, etſi dicat Chriſtum natum de beata virgine, addit tamen venenum, dum ſubdit: quòd ſit purus homo, qui tamen bene viuendo, & voluntatem Dei exequendo, meruit filius Dei fieri, ſicut & ceteri ſancti: Contra quem Io. 6. dicitur: Deſcendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me. Conſtat autem, quòd non deſcendiſſet, niſi ibi fuiſſet: ibi autem nõ fuiſſet, ſi eſſet purus homo. Ideo ad excludendum hũc errorẽ dicitur: Deſcendit de cælo. Manichæus vero inquit, Quòd licet filius Dei fuerit ſemper, & deſcẽderit de cælo, non tamen habuit veram carnem, ſed phantaſticam, ſine apparẽtem, quod eſt erroneum, attribuere videlicet doctori veritatis mendacium: Non enim dixiſſet Luc. 24. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Propter hoc additũ eſt in Symbolo: & incarnatus eſt. Hebion vero genere hebræus dixit: quòd Chriſtus natus erat ex beata virgine, ſed ex virili ſemine: Cõtra quem dixit Angelus: quod in ea natũ eſt, de Spiritu ſancto eſt. Valentinus licet confiteatur, quòd Chriſtus conceptus eſt de Spiritu ſancto, addit tamen blaſphemiam: quòd videlicet Spiritus sãctus portauit vnum corpus cæleſte, & poſuit in beata virgine, quod fuit corpus Chriſti: adeo quòd ſecundũ eum beata virgo præparauit tantum ſibi locum. cui Angelus aduerſatur dicens Luc. pri. Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei: & ad Gala. 4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere. Ideo additum eſt in Symbolo Nicæno: ex Maria virginæ. Arrius vero & Apollinarius dixerunt, quòd licet Chriſtus fuerit verbum Dei, & ex beata virgine natus, non habuit tamen animam: ſed loco eius data fuit ſibi diuinitas: quod eſt expreſſe contra ſcripturã, cum veritas dixerit Io. 12. Nunc anima mea turbata eſt: & Matth. 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Ad hunc autem errorem excludendum ſancti patres ſubdiderunt: Et homo factus eſt. Anima modo, vt habetur extra de ſum. Trin. & fide cathol. cap. Firmiter, eſt forma hominis: nec poteſt eſſe homo ſine ea: & dicens oppoſitum anathematizatur. Cõcluſiue igitur dicimus, quòd nõ ſufficit nobis credere ſupradicta, cũ dæmones credant, & contremiſcant Iac. 2. Exclamantes, Ieſu filii Dei altiſsimi veniſti ante tempus torquere nos. Matth. 8. Sed operępretium eſt, vt credamus omnia prædicta in hoc articulo propter nos facta, quemadmodum Nicænum demonſtrat Symbolũ, dicens: Qui

propter

propter nos homines,& propter noſtrã ſalutem deſcendit de cælis &c. Venit igitur de cælis Deus homo factus ex Virgine, (ſecundũ beatum Auguſtinum lib. 7. confeſsionum c. 18.) vt eſſet mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſęcula: vt eſſet via, per quam veniremus ad patrem Io. 14. Ego ſum via &c. Non enim eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Verbum enim caro factum eſt,vt lactaret infantiam noſtram ſapientia Dei, per quam creata ſunt omnia. Induit humanam naturam æterna veritas, vt ſubditos erigeret ad ſeipſum, vt aperiret voluntatem Dei nobis, vt erudiret nos abnegare omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, vt inquit beatus Auguſtinus de ſymb. ad Cathecumenos: vt nos diuerteret a nobis ipſis, & ad ſe reduceret, vt carnales faceret ſpirituales, vt tandem filios hominum per adoptionẽ faceret filios Dei. Conceptus de ſpiritu ſancto ſine omni humana & carnali actione. Idq; propter nos, vt conceptionem noſtram carnalem ac impuram mundaret, noſq; per infinitam ſuam patriſq; miſericordiam in ſpiritu ſancto regeneraret. Natus ex Maria virgine, illæſa ipſius virginitate ac pudore permanente. Idq; propter nos, & vt natiuitatem noſtram originalis peccati macula pollutã purgaret Deus & homo. Nã quis poſſet hæc niſi eſſet pariter Deus & homo? Quis enim,vt Iob ait,poteſt facere mundũ de immũdo conceptũ ſemine,nõ ne tu qui ſolus es?

De ſeptimo articulo, videlicet. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Cap. XVI.

IAM myſteriũ illud exceſsiuæ charitatis, & paſsionis filii Dei ingrediamur, & dicamus cũ ſancta matre noſtra Eccleſia. Credimus Chriſtum vere in humana natura paſſum: de quo Eſa. 53. c. clamat. Vere langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: et Luc. 22. de ſeipſo dominus dixit. Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar: et c. 24. dicitur: Non ne oportuit Chriſtum pati,& ita intrare in gloriã ſuã? et primæ Petri 2. Qui cũ pateretur, nõ cõminabatur: propoſuerat enim nos Deus pater redimere nõ corruptibilibus auro & argẽto, ſed pretioſo ſanguine filij ſui. Paſſus igitur eſt ſaluator noſter in corpore dolorẽ, & in anima triſtitiã, de qua dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortẽ: Et cũ eſſet conſtitutus in agonia, factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram Matth. 26. Abſit autem, vt credamus Chriſtum damno aliquo impaſsibilis diuinitatis

nitatis in carne paſſum : aut paſsionem, quam in carne & animo ſuſtinuit, per diuinitatis vnionem abſorptam eſſe . Pro maiori tamen prædictorum declaratione notanda ſunt quædam,quæ de huiuſmodi paſsione dicit diuus Thom . in ter . par . ſum . q . 46 . art . 5 . videlicet : Quòd ſi paſsiones humanæ conſiderentur quoad ſpeciem, ſic non oportuit Chriſtum pati omnem paſsionem , cum multæ ſimiles ſibi inuicem contrarientur , ſicut combuſtio in igne , & ſubmerſio in aqua: & loquimur in præſentiarum de paſsionibus ab extrinſeco illatis, cum nõ decuerit Chriſtum pati paſsiones a natura, ſiue ab intrinſeco cauſatas , vt ægritudines ſecundum magiſtrũ sẽtentiarum diſt . 15 . tertij ſenten . Secundum vero genus , paſſus eſt omnẽ humanã paſsionẽ : Et hoc vel ex parte hominũ, a quibus paſſus eſt,vt a gentilibus, a Iudęis,a maſculis & fœminis,ſicut patet de ancillis accuſantibus Petrũ . Similiter de principibus, miniſtris eorum, & popularibus, iuxta illud pſal . 2 . Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum , & aduerſus Chriſtum eius : a familiaribus etiam & notis , vt patet de Iuda eum prodente, & de Petro negãte : vel ex parte etiam eorum , in quibus homo poteſt pati . Et ſic paſſus eſt Chriſtus in ſuis amicis , eum deſerentibus . In fama per blaſphemias contra eum prolatas : in honore & gloria per irriſiones & cõtumelias ſibi illatas: in rebus per hoc, quia etiam veſtibus expoliatus fuit : in anima per triſtitiã, tædium, & timorem : in corpore per vulnera , & flagella . Vel vltimo poteſt conſiderari paſsio quantum ad corporis membra : quia idẽ paſſus eſt in capite pungentium ſpinarum coronam : In manibus & pedibus fixionem clauorum: In facie alapas: & in toto corpore flagella . Fuit enim paſſus ſecundum omnem ſenſum corporeum . Secundum enim tactum, clauis affixus . ſecundum guſtũ, felle & aceto potatus . ſecũdum olfactum, in loco cadauerum pædore infecto appenſus patibulo . ſecundum auditũ , laceſsitus vocibus blaſphemantium, & irridentium . ſecundum viſum, reſpiciens matrem , & diſcipulum, quem diligebat, flentes . Dolor etiã Chriſti maior fuit, & intẽſior omnibus doloribus, de quo Tren . pri . ex perſona Chriſti dicitur : Attendite, & videte , ſi eſt dolor , ſicut dolor meus : fuit profecto maximus propter quatuor rationes . Primo propter doloris cauſam : nam doloris ſenſibilis cauſa fuit læſio corporalis , quæ acerbitatem habuit ex genere paſsionis : cũ mors crucis eſſet acerbiſsima, ex quo claui infigũtur in locis neruoſis & maxime ſenſibilibus, videlicet in manibus & pedibus . Pondus etiam corporis pẽdentis , & doloris diuturnitas augent paſsionem , cum non ſtatim moriantur, ſicut ij, qui gladio interficiuntur . Doloris etiam interni

cauſa

cauſa fuerunt omnia peccata humani generis, pro quibus patiendo ſatisfaciebat: & ſpecialiter caſus iudæorũ, & aliorum in eius mortẽ delinquentium: & præcipue diſcipulorum, qui ſcandalũ paſsi ſunt in Chriſti paſsione. Similiter & amiſsio vitæ corporalis, quæ eſt vltimum terribilium, & naturaliter horribilis humanæ naturæ. Secũdo ex perciptibilitate patientis ſecundum animam & corpus: ſecũdum enim corpus, quia erat optime cõplexionatus, ex quo corpus ſuum miraculoſe formatum erat virtute Spiritus ſancti(vnde & illa, quæ per miraculũ fiunt,ſunt aliis potiora, ſicut dicit Chryſoſtomus de vino, in quod Chriſtus conuertit aquam in nuptiis) ideo in eo maxime viguit ſenſus tactus, ex cuius perceptione ſequitur dolor: Anima etiam ſecũdum vires interiores tenaciſsime apprehẽdit omnes triſtitiæ cauſas. Tertio magnitudo doloris Chriſti poteſt conſiderari ex doloris & triſtitiæ puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur interior triſtitia, & exterior dolor,ex aliqua conſideratione rationis per quandam redũdantiã a ſuperioribus viribus ad inferiores: quod in Chriſto patiente non fuit, quia vnicuique virium permiſit agere, quod eſt ſibi propriũ,ſicut inquit Damaſcenus. Quarto poteſt cõſiderari ex hoc, quòd paſsio illa & dolor a Chriſto fuerunt aſſumpta volũtarie propter finem,liberationem ſcilicet hominis a peccato. Et ideo tantam quantitatẽ doloris aſſumpſit,quãta erat proportionata magnitudini fructus, qui inde ſequebatur. Anima etiam Chriſti patiebatur ſecundum omnes vires inferiores: quia in ſingulis viribus animæ inferioribus, quæ circa temporalia operantur, inueniebatur aliquid, quod erat cauſa doloris Chriſti: Sed ſecundum hoc ſuperior ratio non patiebatur in Chriſto ex parte Dei obiecti ſui: qui non erat animæ Chriſti cauſa doloris,ſed delectationis & gaudij. Secundum autem illum modũ paſsionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte ſui ſubiecti, ſic omnes potentiæ animæ Chriſti patiebantur: cũ omnes radicẽtur in eſſentia eius, ad quam peruenit paſsio, paſſo corpore, cuius eſt actus. Hæc beatus Thomas vbi ſupra articulo 7.

Opinio diui Bonauenturę ſuper hoc paſsionis Chriſti articulo. Cap. XVII.

DEVOTVS Bonauentura ſuper hoc etiam ſeptimo articulo diſt. 15. tertij q. pri. inquit: Quòd congruũ fuit Chriſtum aſſumere naturam noſtrã paſsionibus afficiẽdam, & hoc præcipue ex tribus, videlicet: propter pretium noſtræ ſalutis, propter exemplum virtutis,

tis, & propter fulcimentum noſtræ fragilitatis. Propter primũ, quia propoſuerat redimere nos nõ corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſiſsimo ſanguine ſuo: & animam ſuam ponere pro animabus noſtris: ad quod non eſſet idoneus, niſi naturam deficientẽ & paſſibilem aſſumpſiſset: propterea pœnalitates noſtras debuit in ſeipſo habere. Propter virtutis exemplum fuit etiam congruum, & ſpecialiter humilitatis, patientiæ, & pietatis, quibus peruenitur ad cælum, & in quibus voluit Chriſtus, vt nos ſeſe imitaremur: vnde dixit Matth. 11. Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Poſtremo aſſumpſit pœnalitates noſtras propter fulcimentum noſtrę fragilitatis, ob quam rationalis natura difficultatem habet ad credendum vera, iraſcibilis ad ſperandum ardua, & concupiſcibilis ad amandũ bona: ideo Saluator noſter non modo voluit nobis aſsimilari in natura, ſed etiam in pœnalitatibus, vt manifeſtando in ſe veritatẽ humanæ naturæ, præberet fulcimentum noſtræ rationali ad credendũ: oſtendendo etiam immenſitatem ſuæ miſericordiæ per ſuſceptionẽ noſtræ miſeriæ, præberet iraſcibili fulcimentum ad ſperandum: oſtendendo vero magnitudinem ſuę beneuolẽtiæ, præberet concupiſcibili incitamentum ad ſe amandum. Ideo licet incongruum videatur, huiuſmodi defectus reperiri in Chriſto, ſi per ſe conſiderẽtur, tamen ſi ad finem referantur, magnam in eis inuenies congruitatis condecentiam. Quæſtione vero ſequenti pro maiori adhuc prædictorum intelligentia, ait: quòd quidam ſunt defectus, qui sũt ex culpa, vt ſitire, fameſcere, fatigari, infirmari, & ſimilia: quidam vero ſunt ex culpa, & ad culpam, ſicut pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: quos non decuit Chriſtum aſſumere, cum fuerit miniſter iuſtitiæ, omnino ſegregatus a peccatis. Priores vero defectus decuit in ſe ſuſcipere, ſed non omnes: quia quidam ſunt naturales, quidam perſonales: Naturales voco, qui totam reſpiciunt naturam humanam, ſicut fames, ſitis, fatigatio, & ſimiles: perſonales vero ſunt, qui reſpiciunt aliquas perſonas ſpecialiter, ſicut diuerſæ ægritudinum ſpecies. Quoniam ergo Chriſtus venerat naturam humanam redimere communiter ſine perſonarũ diſtinctione, hinc eſt, quòd defectus naturales, non perſonales, pœnales tantum, nõ vitioſos, debuit in ſe habere. Dicit vltra in eadem diſt. art. 2. q. 2. Quòd non modo fuit verus dolor in Chriſto, ſed et triſtitia: non tamen omnino eo modo, quo in nobis eſt. Pro quo notandũ, quòd eſt quædam triſtitia, quæ eſt præter rationis imperiũ, & iſta eſt, quę cõſurgit ex quadam neceſsitate, & ſubreptione, ſicut primi motus: prout dictum eſt in tractatu decem præceptorum ſuper illud, Non occides: & hæc eſt communis ſapientibus & inſipientibus, bonis &

malis . Eſt & alia triſtitia, quæ eſt contra rectum rationis iudicium : & hæc eſt, in qua ratio ſubiicitur ſenſualitati : quæ non tãtum turbatur, ſed etiam conturbatur . Alia eſt,quæ eſt ſubiecta rationis imperio & iudicio : & hæc eſt , quando quis triſtatur ratione dictante & ſuadente, ipſum tantum & taliter ſuper aliquo debere triſtari . Et ſic dicimus, quòd in Xp̄o fuit triſtitia hoc vltimo modo , cũ de nullo triſtatus fuerit, niſi prout dictabat ei ratio : & hoc idem innuitur Io. 11. vbi dicitur: Ieſus autem infremuit ſpiritu,& turbauit ſemetipſum : in quo oſtenditur , quòd turbatio & triſtitia rationi nõ pręſidebat,ſed ſubiacebat. Primis vero duobus modis relegata erat ab eo penitus triſtitia . De ira, an fuerit in eodem , dicit idem ſanctus vbi ſupra . q . 3 . Quòd ira vno modo dicit pure affectionem : & hoc modo eſt affectus deteſtationis alicuius mali apparentis vel exiſtentis . Alio modo ira dicit affectum cũ pœna : & ſic ira habet perturbationem & inquietudinem annexam . & hoc in triplici differentia: quia aut perturbatio illa tangit ſolum potentias inferiores , & non oculum mentis : aut tangit dictum oculũ ad tempus turbando : aut attingit ipſum perturbando & obnubilando . Et hoc modo ſecundum catholicos doctores motus iræ in quadruplici differẽtia reperitur . Vno modo , vt pure dicit affectum deteſtationis : & hoc modo potuiſſet eſſe in Adam in ſtatu innocentiæ . Alio modo , vt dicit motum deteſtationis cum inquietatione & perturbatione partis ſenſualis, ſine aliqua perturbatione mentis : & hoc modo affectio iræ fuit in Chriſto : de quo Ioannis 11 . dicitur : quòd Infremendo cõturbauit ſeipſum . Tertio modo dicit affectum deteſtationis cũ commotione & perturbatione, non modo partis ſenſualis , ſed etiã rationalis ad tempus : & hoc modo reperitur ira in uiris iuſtis , qui iraſcuntur ex zelo : de quibus dicit Gregorius , quòd inde mẽs perturbata proficit, vt clareſcat : ſicut oculus per collyrium immiſſũ ad tẽpus perturbatur , vt poſtmodum clarior efficiatur . Quarto modo ira dicit affectum deteſtationis cum commotione ſenſualitatis , & etiam mentis : ita quòd commotio illa habet ſecum perturbationem mẽtis annexam, vel ad illam eſt ordinata : & ſic ira eſt ex vitio, & reperitur in criminoſis , ac prohibetur a Deo . Ad ꝓpoſitũ dicimus , quod in Chriſto fuit paſſio iræ, ſiue affectio,prout videlicet dicit affectum deteſtationis, & commotionem partis ſenſitiuæ, quæ tamen ſubiecta erat rationi : Nõ autem fuit in eo ira , prout dicit perturbationem oculi mentalis , & prout dicit affectum repunitionis : inquantum videlicet ille affectus eſt ex libidine vindictæ, & non ex zelo iuſtitiæ : cum ſic ſit paſſio perturbans . Addit idem diſt. 16 . vbi ſupra . q . 2 . Quòd paſſio & dolor Chriſti inter omnes paſſiones

ſiones

ſiones fuit acerbiſsima & acutiſsima : quod patet, ſi illa cõſiderẽtur, quæ doloris paſsionẽ acerbiorẽ reddere ſolent : quæ ſunt tria, videlicet , cauſa paſsionis, modus patiẽdi, & cõditio patientis . Si cõſideretur cauſa ob quã Chriſtus paſſus eſt, fuit in eo doloris afflictio magna : non enim patiebatur pro culpa propria, ſed aliena : & non modo pro amicis, ſed etiam pro inimicis : & pro his, quos videbat ingratos . Si autem conſideretur modus patiẽdi, fuit in eo dolor acerbior propter generalitatem : quia in omnibus mẽbris affligebatur . Si vero conſideretur qualitas vel conditio patientis , maxima fuit afflictio propter perfectiſsimam complexionis æqualitatem, & propter ſenſus viuacitatẽ . Vnde quia nullus potuit ei in talibus æquari , dolor illius omnium dolorum fuit acerbiſsimus .

De paſsione corporis Xpi, & impaſsibili eius diuinitate. C. XVIII.

QVAMVIS Saluator noſter vere vulnera , plagas , & mortem paſſus ſit , non tamen ſecũdum vtranque naturam hæc ſuſtinuit : ſed dumtaxat ſecundum humanã . Diuinitas autem , quia ſuapte natura eſt impaſsibilis , ab omni paſsionis iniuria credi debet aliena . Vnde Caſsiodorus ſuper ps̃ . 21 . inquit : Paſſus eſt impaſsibilis per paſsibilem, quam ſuſcepit, humanitatem . Immortalis mortuus eſt, & qui numquam moritur, reſurrexit . Super quo loco Cyrillus dixit: Gratia Dei pro omnibus guſtauit mortem, tradens ei propriũ corpus, quãuis naturaliter ipſe vita ſit, & reſurrectio mortuorũ . Et beatus Ambroſius : Idem patiebatur, & nõ patiebatur : moriebatur, & non moriebatur : ſepeliebatur , & non ſepeliebatur . Hæc Caſsidorus . vbi affirmatiua verba ad humanam , negatiua vero ad diuinam accommodantur ſubſtantiã . Nempe idem Chriſtus patiebatur ſecundum humanitatem, & nõ patiebatur ſecundum diuinitatem : & ita de aliis . Ceterum ad familiarem manuductionẽ, qua intelligatur propoſitum, diuus Damaſcenus libro tertio cap. 26. ponit exẽplum de corpore & anima humana , inquiens . Inciſo corpore noſtro , quòd anima illi coniuncta non incidatur, Symbolum quoddã eſt, & exemplum diuinitatis non ſuſtinentis paſsionem, quamuis ei caro coniuncta paſsioni fuerit expoſita, nomine carnis totam naturam humanam intelligendo . Quòd vero patiente corpore inciſionem, anima illi compatiatur , in eo diſsimile eſt exemplum : nã neque compaſſa eſt, neque condoluit diuinitas carni patienti, cum ſit prorſus aliena ab omni paſsibilitate & mutatione . Et hoc præſignatum fuit in immolatione ipſius Iſaac facta ab Abraham, in qua Iſaac

ereptus fuit a gladio Angelo inclamante, ne extẽderet pater in eũ manus. Et ſic aries hærens cornibus inter vepres immolatus eſt pro Iſaac. Quippe in eo ſacrificio Iſaac diuinitatis gerit typum nulli moleſtiæ, aut paſsioni, obnoxiæ. Aries vero humanitatem Chriſti oblatã pro peccato deſignat: qui quidem cornibus hæſiſſe inter vepres traditur, quia Chriſtus vt homo inter duo brachia crucis ſuſpẽſus eſt: Et vt ait ſcriptura in perſona Chriſti, ſpinis peccatorum ſuorũ circumdedit me populus hic. vnde Gen. 22. c. dicitur, quòd Angelus Domini de cælo clamauit dicens: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias ei quicquam: vbi glo. interli. inquit: Quia caro crucifigi, diuinitas tãgi nõ potuit. et Leuitici 14. Mundatus a lepra iubetur offerre pro ſe duos paſſeres viuos, quorũ vnum immolari curabat, alterum autem viuum dimittere præcipiebatur, vt in agrum auolaret. Nempe per duos paſſeres glo. eodem loco intelligendas eſſe dicit Chriſti diuinitatem, & humanitatem: per paſſerem vnum; qui immolari præcipitur, ſignificari aſſerit id, quod in Chriſto paſsibile eſt, & occidi poteſt: per alterum vero, qui viuus dimiſſus auolabat in deſertum, glo. accipi debere ſẽtit, diuinitatem Chriſti impaſsibilem. Denique idem myſterium arduumq; ſacramentum humanitatis in Chriſto paſſæ, & diuinitatis a paſsione immunis atque expertis, ſub occulto figuræ velamine deſignatur Leuitici 16. cap. vbi deſcribitur ritus purgationis totius populi obſeruandus in die expiationis ſollemni. in quo quidem ritu obſeruatur, quòd Aaron ſuſcipere debeat ab vniuerſa multitudine filiorum Iſrael duos hircos pro peccato, quos ſtare faciat corã domino in oſtio tabernaculi teſtimonij, mittens ſuper vtrũque ſortem, vnam domino, alteram capro emiſſario: Cuius exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato: cuius autem in caprũ emiſſarium, ſtatuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces ſuper eũ, & emittat illũ in ſolitudinem. Nempe Chriſtus, quia pro totius mũdi expiandis peccatis oblatus eſt, hircus pro peccato non abſurde nuncupatur. Duorum autem hircorum is, qui miſſa ſorte immolabatur, ſanctiſsimam Chriſti carnem ſignificat, pro peccatis noſtris oblatam, & grauiſsima paſſam ſupplicia: is vero, ſuper quem venit emiſsionis ſors, Chriſti diuinitatem inſinuat impaſsibilem. Quod & glo. eodem loco comprobat, dicens: Quia Chriſtus Deus & homo ſecundum humanitatem paſſus, ſecundum diuinitatem impaſsibilis. Sumuntur duo hirci, & ſtatuũtur coram domino in oſtio tabernaculi: ipſe enim eſt verum oſtium, ducens ad oſtiũ tabernaculi teſtimonij, quod eſt in cælis. Mittit Aaron ſuper vtrunque ſortem, qua diuinitatem & humanitatem diuidi intelligamus, vt hæc patiatur,

tur,

tur, illa confortet patientem: vnam domino, alteram capro emiſſario, Chriſto ſcilicet. & paulo poſt ſubiungit. Et abijt hircus emiſſarius in ſolitudinem, ideſt Chriſti diuinitas in ſinum patris; quò nullus accedit niſi ipſe & Spiritus ſanctus. Abiit ergo, quia operandi virtutem cohibuit, & portauit iniquitates noſtras, non vt haberet, ſed vt conſumeret: Deus enim ignis cõſumens eſt Deut. 4. Et rurſum, Abiit in ſolitudinẽ, de qua dicitur: Terra deſerta inuia & inaquoſa pſal. 62. Ibi hoſtis locum nõ habet, vbi Deus manet. In cęlum enim diuinitas tempore paſsionis abiiſſe dicitur, non locum mutãs, ſed quodammodo virtutem cohibens, vt poſſent impij cõſummare paſsionem. Ceterum dominus Damaſcenus vbi ſupra alio ſenſibili exemplo manuducit imbecillitatem noſtram ad recte intelligendum, quonam modo id fieri poſsit, quòd carne mortẽ patiente, diuinitas illi coniuncta manſerit impaſsibilis, exemplo inquã ſolaris radii arborem ſuperillucẽtis, dum ait: Nam quemadmodũ ſole arborem ſuperillucente, ſi ſecuris incidat arborem, inciſus & impaſsibilis perſeuerat ſol: multo magis Chriſti diuinitas ſecundũ hypoſtaſim carni copulata, carne patiẽte impaſsibilis perſeuerabit. Non tamen neceſſe eſt, hæc exempla rerum ſenſibilium vndequaque ſimilitudinem habere, vt nullum inter ea ſit diſcrimen. Quod & beatus Hieronymus in expoſitione fidei catholicæ atteſtatur, cũ ait: Ad hoc primo omnium illud dicimus: cum etiam in exteris rebus præferuntur exempla, non per omnia ſeruare poſſunt ſimilitudinem rei illius, cui præbere putantur exemplum: ſed vnius alicuius partis, pro qua videntur aſſumpta, ſimilitudinem tenent. Quẽadmodum exemplo fermenti & retis, quorum vtrique in euãgelio regnũ cælorũ cõparatur, idem deinde diffuſius explicat, & demum poſtea ſubiungit. Ex quibus conſtat, exẽpla nõ in omnibus iis, quorũ exẽpla sũt, eſſe ſimilia: alioqui ſi eadẽ eſſẽt in omnibus, iã nõ exẽpla dicerẽtur, ſed ipſæ potius res, de quibus agitur, viderẽtur &c.

De ſecunda parte & tertia articuli ſupradicti, videlicet de crucifixione & morte Chriſti. Cap. XIX.

MORTIS genus audis, quãdo dicit crucifixus: quod vt erat maxime cruciabile ac lentũ, ita erat maxime ignominioſum, & præcipue apud iudæos: cum in lege eorum videlicet Deut. 21. ſcriptum eſſet: Maledictus homo, qui pendet in ligno. Cur autem hoc mortis genus omnium acerbiſsimum elegerit Deus, præter ſcripturæ vaticinium, quæ hanc & typis & prædictionibus apertiſsimis

futuram prodiderat: non oportet chriſtianum admodũ in inquirẽdo eſſe curioſum: modo credat ac ſciat id mortis genus ad redimendum naturam humanam, ne dum optimum, ſed & decentisſimum fuiſſe. Decebat enim, vt qui in ligno per ſuperbiæ & voluptatis ſtimulos vicerat, in ligno quoque per profundisſimam humilitatem & ingentisſimos dolores vinceretur. Decebat etiam, vt Chriſtus expanſis brachijs a terra ſublimis penderet, qui pro ſua ineffabili miſericordia quærebat omnes complecti, quemadmodũ ipſemet Io. 12. id mortis genus diſcipulis ſuis prænuntiauit dicẽs: Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia trahã ad meipſum. Decebat quoque eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, per crucem diem obire. Decebat iterum, vt ſponſus noſter thalami ſui lignum aſcenderet: & latus eius, qui in huiuſmodi thalami lecto dormiret, aperiret: & Eccleſia virgo prodiret deſponſanda Chriſto: vt eo modo, quo Eua facta eſt ex latere Adæ dormientis, ita & Eccleſia formaretur ex latere Chriſti in cruce pendentis, ex quo manauit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ ſacramenta. Decebat denique, vt Chriſtus, qui ſibi tria regna ſubiecturus venerat, (de quibus apoſtolus ad Philipp. 2. c. inquit. In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum) in aerem ſublimatus aereas ſubiugaret ſibi poteſtates: extenderetq; manus, vt & populi non credentis incredulitatem exprobraret, & inuitaret credentes. Fixa demum cruce in terra, indicaret, quòd & inferna ſibi regna ſubijceret. Crux igitur iſta triũphus erat, ſeu potius triumphi inſigne, quod trophæum appellamus, nempe deuicti hoſtis indicium. Vnde dominus Gregorius Nazianzenus in oratione in Cyprianum inquit: Ita enim res ſe habet, quòd cum multa ſint, quæ nos ad meliora producunt: ac multa, quæ ad virtutem erudiunt, Verbũ, Lex, Prophetæ, Apoſtoli, Chriſti paſſiones ipſæ martyris primi, qui in crucem aſcendit, ac me ſecum deduxit, vt peccatum meum illic affigeret, de ſerpente triumpharet, lignum ſanctificaret, voluptatem ſuperaret, Adam rurſus ſaluaret, imaginem ruinam minantem reuocaret: inter tanta tamẽ & talia non minus nos martyres inſtruunt, cum holocauſta ſint rationalia, ſacrificia perfecta, oblationes acceptæ, veritatis præconia, mendacij infamatio, legis intellectæ adimpletio, erroris diſſolutio, malitiæ perſecutio, peccati ſubmerſio, mundi expurgatio. Et Paulus ad Hebr. 12. Per patientiam curramus ad propoſitũ nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorẽ Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Sequitur, Mortuus. Ecce hoſtia pro peccato in ara crucis immolata.

Ecce

Ecce Chriſtum Dei & hominis filium obedientem patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce Ieſum gratia Dei pro omnibus mortem guſtantem, atq; ideo participantem carnem, & ſanguinem: vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperiū, ideſt diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitā obnoxij erāt ſeruituti. Vnde Oſeas 13. prædixit: O mors ero mors tua, & morſus tuus ero inferne: et ad Hebr. 9. Chriſtus noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earū præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromisſionē accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim teſtamētum eſt, neceſſe eſt, mors intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: obtulit autem ſemetipſum voluntarie ſacrificium Deo. Sanctus enim Thomas in tertia parte ſummæ q. 50. ar. pri. q. pri. ſuper hoc mortis myſterio inquit: Quòd conueniens fuit ipſum mori propter tres cauſas, iuxta illud Ioannis 11. Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: quod Caiphas prophetice dixit, vt teſtatur euangeliſta. Primo quidem ad ſatisfaciendum ꝓ humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum, iuxta illud Gen. 2. Quacumque hora comederitis morte moriemini. Conueniens autem ſatisfaciendi pro alio modus eſt, cū quis ſe ſubijcit pœnę, quam alius meruit: Ideo Chriſtus mori voluit, vt moriendo pro nobis ſatisfaceret ſecundum illud primæ Petri tertio: Chriſtus ſemel ꝓ peccatis noſtris mortuus eſt. Secundo ad oſtendendam veritatem naturæ aſſūptæ. Si enim (vt inquit Euſebius) poſt conuerſationem cum hominibus euaneſcens ſubito euolaſſet, fugiens mortem, ab omnibus compararetur phantaſmati. Tertio, vt moriēdo nos a timore mortis liberaret. Vnde ad Hebr. 2. communicauit carni & ſanguini, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium: & liberaret eos, qui timore mortis (vt dictum eſt ſupra) per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Quarto, vt corporaliter moriendo ſimilitudini peccati, ideſt pœnalitati, daret nobis exemplum moriēdi ſpiritualiter peccato. Vnde dicitur ad Rom. 6. Quòd autē mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo: ita & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autē Deo. Quinto, vt a mortuis reſurgendo, & virtutem ſuam oſtenderet, qua mortē ſuperauit, & nobis ſpem reſurgendi a mortuis daret: Vnde Apoſtolus primæ Cor. 15. Si Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quòd reſurrectio mortuorum non eſt? Chriſtus igitur ſecundum quod Deus, eſt fons vitæ; non autem ſecundum quod homo. Ideo mortuus

eſt ſecundum quod homo, & non ſecundum quod Deus. Abſit ergo, quòd Chriſtus ſic ſenſerit mortem, vt quantum in ſe eſt, vita vitæ fontem Deū ſcilicet perdiderit. Si enim hoc ita eſſet, vitæ fons aruiſſet. Senſit ergo mortem participatione humani affectus, quam ſponte ſuſceperat: non tamen naturæ ſuæ diuinæ perdidit potētiā, per quam cuncta viuificat. Poſtremo ſubinfertur, & ſepultus. Sepultus eſt, vt ſepulchrum clauſum reſurrecturo ad vitæ nouitatem teſtimonium præberet: ſicut naſcituro virginalis vterus. Sepultus autem in monumento nouo, e viuo ſolidoq; lapide exciſo, vt ſicut in hoc ſepulchro nullus alius mortuus ſepultus eſt nec ante, nec poſtea: ſic in illo vtero nec ante, nec poſt quicquam mortale conceptum eſt. Chriſtus etiam in triduo, quo fuit in ſepulchro, erat vere mortuus. Propter quod in epiſtola ſynodali Cyrilli dicitur. Si quis non confiteatur Dei verbum paſſum carne, crucifixum carne, & quòd mortem guſtauerit carne, anathema ſit. Ad veritatem antē mortis eius, vt inquit Sanctus Thomas prima parte q. 50. art. 4. pertinet, quòd per mortem deſinat eſſe homo: & licet Hugo de Sācto victore dixerit, Chriſtum in triduo fuiſſe hominem, hoc fecit, vt dicit idē Tho. quia credidit & falſo animā eſſe hominē. Magiſter vero ſent. in 22. diſt. tertij, ex alia ratione dixit Chriſtum in triduo fuiſſe hominem: quia ſcilicet credidit, quòd vnio animæ & carnis non eſſet de ratione hominis: communis tamen opinio doctorum, & præcipue pariſienſium, vt inquit diuus Bonauen. in dicta diſt. 22. q. pri. eſt, quòd non fuerit homo: cum ſecundum eundem nihil faciat hominem eſſe in actu, niſi actualis coniunctio animę cum carne. Si quęratur, an carni in ſepulchro fuerit diuinitas vnita, cum dicat Damaſcenus in tertio libro ſuæ orthodoxæ fidei c. 24. Quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit, Reſpondetur: quòd ſic, dictum enim Damaſceni intelligitur de partibus eſſentialibus, vt exponūt doctores. Erat igitur in triduo diuinitas vnita cum anima Chriſti, & cum carne: Verum caro ipſa erat in loco determinato, videlicet in ſepulchro: licet diuinitas propter ſuam immenſitatem eſſet vbique. Et licet in ſacramento corpus Chriſti ſit in pluribus locis, hoc verum eſt ſecundum Innocentium tantum ſacramentaliter: ſicut in cælo localiter, & perſonaliter vbique. hæc Bonauentura vbi ſupra. Si iterū quæratur, An in triduo corpus Chriſti fuerit in ſepulchro: reſpondet idem ſanctus: quòd ex quo non cōueniebat corpus Xpi ſtatim poſt mortem ſuſcitari, nec ſic ſtare vſque ad reſurrectionem mortuorum: cum noſtræ fidei certitudo, qua credimus nos ſurrecturos, fundata ſit ſupra veram Chriſti reſurrectionem: tenendum eſt, quòd tantum per triduum fuerit in ſepulchro, non tamen integrum

tegrum & completum: ſed per vltimam partem diei veneris, per totam diem ſabbati, & per primam partē diei dominicæ: Ita quòd requietio illa per triduum intelligenda eſt per ſynecdochen: & in hoc omnes ſancti conueniunt. Nec fuit corruptum corpus illud, vt dicit Caſſiodorus ſuper illud pſal. 15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, ideſt putrefactionem. Tertio enim die cum reuiuificare promeruerit carnem, probata eſt nō potuiſſe corrūpi.

De fructu, quem habemus ex chriſti paſsione, crucifixione, morte, & ſepultura. Cap. XX.

PRO hoc articulo primo quęritur, an Chriſtus meruerit nobis aliquid in paſſione. Reſpōdet diuus Bonauen. 18. diſt. tertij, ar. pri. q. 3. quòd nō tantū meruit in actione, ſed & in paſsione, cū nō fuerit paſſus fruſtra, ſed ex rationabili cauſa, & propter amorē veritatis & iuſtitiæ. Verū in paſsione duo ſunt cōſiderāda, videlicet paſſionis cauſa, & paſsionis ſuſtinentia: paſsionis cauſa eſt a violentia agētis, ſed paſsionis ſuſtinentia eſt a volūtate patiētis. Primo modo paſsio nec meritoria eſt, nec demeritoria, cū ſit ab extra. Secundo modo poteſt eſſe meritoria, ſi quis eā perferat ex voluntate bona: & demeritoria, ſi ſuſtineatur impatienter, & ex iniqua voluntate. Sed quia Saluator noſter ſuſtinuit eam ex optima voluntate, hinc eſt, ꝙ fuit maximi meriti, & inter omnia merita tenuit principatum. Vnde beatus Auguſtinus exponens illud verbum Apoſtoli ad Philipp. 2. videlicet, Propter quod & Deus exaltauit illum, inquit: Vt Chriſtus clarificetur in reſurrectione, prius humiliatus eſt in paſsione. Si quæratur, an ſibi meruerit per mortem præmium ſubſtantiale. Reſpondet idem ſanctus vbi ſupra art. 2. q. pri. Quòd non conceditur, quòd ſibi meruerit præmium, vt dicit Magiſter in litera. Et ratio eſt, quia meritum dicit diſpoſitionem & viam ad præmiū: ideo eſt neceſſe meritum præcedere præmium tēpore vel natura. Neutro modo in Chriſto præceſsit, propter hoc: quia anima Chriſti non fuiſſet ad vnionem idonea, niſi fuiſſet beatisſima, & deiformisſima. quod fit per gloriæ influentiam: ideo gloria in Chriſto præceſsit omnia merita. Quo non obſtante, meruit ſibi glorificationem corporis & in agendo, & patiendo, vt dicit idem Magiſter diſt. præfata. Et ratio eſt, quia Chriſtus mediator Dei & hominum fuit ſimul comprehenſor propter ſuam dignitatem, & viator propter noſtram neceſsitatē ideo partim debuit eſſe in ſtatu gloriæ, & partim in ſtatu miſeriæ. Cū ergo remunerari non poſſit quantum ad ſtolam primam, ſed ſecū-

dam

dam: merebatur vtique tunc Chriſtus ſui proprij corporis gloriam: meruit vltra hoc nobis, vt idem ſanctus inquit, ianuæ paradiſi apertionem: Vnde Auguſtinus ſuper epiſtolam ad Hebr. Per aliam hoſtiam non potuit nobis aperiri aditus, & fieri ſalus noſtra, niſi per mortem vnigeniti, cuius tanta fuit humilitas & patientia, vt eius merito pateret credentibus in eum aditus regni. Pro quo notandum, quòd paradiſus eſt duplex, terreſtris ſcilicet, & cæleſtis. Peccante Adam vtriuſque ianua clauſa fuit: & determinauerat Deus neminem ad ſuum aſpectum admittere, niſi facta eſſet ſibi ſatisfactio pro illo peccato. Et quoniam talis facta fuit per Chriſtum, hinc eſt, quòd per meritum eius patuit nobis ingreſſus in cælum. Dicimus vltra, quòd per Chriſti paſſionem & mortem fit remiſſio omnium peccatorum, de qua Apoc. pri. Lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo: & ad Hebr. 9. Omnia pene emundantur in ſanguine: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio peccatorum. Et paulo poſt ſubdit. Sanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ideſt peccatis. Et in conſecratione ſanguinis dicitur: Hic eſt calix noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum: quod trahitur ex Euangelio. Dicit igitur diuus Bonauen. vbi ſupra diſt. 19. q. pri. quòd noſtra iuſtificatio attribuitur tam paſſioni, quàm reſurrectioni: de qua ad Rom. 4. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Attamen neutri attribuitur iuſtificationis cauſa proprie, ſiue deletio culpæ: habent tamen ambæ rationem excitantis & regulantis reſpectu noſtræ iuſtificationis ſecundum duo, quæ in dicta iuſtificatione habent conſiderari, ſcilicet ablatio mali, & collatio boni. Ablatio mali appropriatur ipſi paſſioni: collatio vero boni reſurrectioni: & hoc eſt, quod dicitur in glo. ſuper illud. Traditus eſt propter delicta noſtra. Mors Chriſti ſola interitum vitæ veteris ſignificat: & in reſurrectione ſola vita noua ſignificatur. Et ſic patet qualiter noſtra iuſtificatio ſit a paſſione Chriſti. Eſt enim ab ea per modum meriti, per modum exemplaris, & ſigni. Quæſtione vero ſequenti inquit: Quòd dicta paſſio & mors delet chirographum decreti, quod erat nobis contrarium, de quo ad Coloſſen. 2. donans nobis delicta, & delens, quod aduerſum nos erat, chirographum decreti. Chirographum autem culpæ dicitur memoriale ſecundum beatum Auguſtinum, & glo. ibi, quo anima tenetur aſtricta, & obligata alicui pœnæ: ſicut aliquis, quando ſe obligat alicui, facit ei chirographum. Et

hoc innuit Auguſtinus in lib. de agone chriſtiano, cum dicit: Culparum chirographa deleta ſunt, quibus debitores ante tenebamur. Et tale dicitur chirographum culpæ, & decreti: quia talis obligatio conſurgit ex noſtra culpa tanquam ex merito: & ex diuina ſententia tanquam ex decreto. Et per conſequens chirographum dicitur eſſe memoriale illud, quo quidem peccatum manet quantum ad reatum: ratione cuius diuina iuſtitia habet nos punire: diabolica malitia poteſt accuſare & detinere: & conſcientia noſtra poteſt contra nos remurmurare. Et illud chirographum aduerſum nos habet inſcribi nõ modo ꝓ peccatis noſtris actualibus, ſed etiam ꝓ peccato primi parentis: ratione cuius ipſe diabolus in nos habet aliquam poteſtatem ſimpliciter vel ad tempus. Quoniam ergo Chriſtus per paſſionem & mortem ſuam non ſolum impetrauit nobis remiſſionem culpæ quantum ad maculam, ſed etiam quantum ad reatum, hinc eſt, quòd dicit Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſſione lib. 2. cap. 30. contra pelagian. quòd Chriſtus per paſſionem ſuam pluraliter deleuit chirographũ culparum, vt patet cap. 31. Et ratio eſt, quia loquitur de remiſſione omnium peccatorum quantum ad reatum, vt perfectum exprimat ipſius paſſionis effectum. Apoſtolus vero dicit ſingulariter, Delens chirographum decreti: quia loquitur de memoriali tranſgreſſionis primi parentis. Et ſic patet, quomodo per paſſionẽ deletur chirographum decreti. Vltra prædicta dicimus, quòd eadem paſſio & mors Chriſti liberat omnes a poteſtate diaboli, vt dicit Magiſter ſententiarum diſt. ſupradicta, quoad ſufficientiam: ſed ſaluandos quoad efficaciam. Diabolus enim ante paſſionem chriſti habebat duplicem manum, videlicet attrahentem, & impellentem. Prima erat poteſtas trahendi ad limbum iuſtos & ſanctos. Secunda erat poteſtas præcipitandi in malum vel per fallaciam, vel per violentiam, qui tentabat vt Draco, & vt Leo. Et prima manus, videlicet attractiua, erat tantæ potentiæ, vt nullus poſſet ei reſiſtere: quæ fuit ei omnino amputata per paſſionem, & Chriſti mortem: iam enim nullum iuſtum poteſt ad limbum trahere, cum per Chriſti paſſionem (vt dictum eſt ſupra) deletum ſit chirographum peccati Adæ. Manum autem impellentem habebat ita fortem, vt cum magna difficultate poſset quis ei reſiſtere. Et ideo in multis & fere in omnibus regnabat, & ſuperabat eos vel per fraudulentiam, vel violentiam. Et hæc poteſtas debilitata eſt per paſſionem: per quam lumen veritatis aperitur contra fraudulentiam: & adiutorium virtutis tribuitur contra diabolicam violentiam. Apparuit autem lumen veritatis interius per

diuinam inſpirationem, & exterius per humanam inſtructionem. Adiutorium etiam virtutis tribuitur per gratiæ infuſionem, quæ reprimit concupiſcentiam: & per angelicam protectionem, quæ cõprimit, & reprimit poteſtates aduerſas: & hoc etiam virtute paſsionis, merito cuius mittitur nobis Spiritus ſanctus: mittuntur etiam & ipſi angelici ſpiritus, vt ſuperetur aduerſarius: Vnde diabolus ſuper omnia abhorret memoriam paſsionis, & figuram crucis, per quam ſumus a poteſtate eius liberati. Si quæratur pro vltimo fructu dictæ paſsionis, an videlicet per Chriſti paſsionem & mortem abſoluamur a pœna peccati, idem doctor Seraphicus vbi ſupra art. pri. q. 4. dicit: quòd ſic, iuxta illud beati Petri primæ cap. 2. Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: quod expons Magiſter ſen. vbi ſupra in litera, inquit: Quòd portare peccata noſtra, eſt portare pœnam peccatorum noſtrorum: & cõfirmatur per illud Eſa. 53. ſcilicet: Vere languores noſtros ipſe tulit, & infirmitates noſtras ipſe portauit. Et Zacharias 9. Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo nõ erat aqua. Et pro maiori adhuc prædictorum intelligentia, eſt notandum: quòd Chriſti paſsio ſiue mors liberauit nos a pœna tẽporali & æterna, & ab ea, quæ eſt inter vtranque media: quod ſic intelligitur, quia virtute illius condonantur nobis peccata, non ſolum quantum ad culpam, & reatum pœnę æternæ, ſed etiam quantum ad dimiſsionem pœnę ſatisfactoriæ: & hoc per ſacramẽtũ baptiſmi. A pœna æterna nos liberat, liberando a culpa: dum enim per paſsionem Chriſti nobis gratia impetratur, per quam culpa dimittitur, nobis debitum pœnæ æternæ mortis relaxatur. Liberat etiam a pœna media, quæ eſt carentia viſionis diuinæ ex merito peccati Adæ. Et ſi fuerit ad tẽpus propter gratiam repertã in eis, qui detinebantur in limbo, deberet tamen habere æternitatem habito reſpectu ad culpam Adæ. Vnde quantũcunque paſsio ſenſus in eis nõ eſſet, diuina tamẽ pręſentia fuiſſet eis ſubtracta, niſi Deus adinueniſſet aliquam viam: Et ab hac damni pœna liberati ſumus per Chriſti paſsionem. Et ſic patet, quòd per omnem modum verum eſt, paſsionem Chriſti efficacem eſſe ad liberandum nos a pœna peccati. Et licet verũ ſit, quòd ẽt reſurrectio Xp̃i liberat ab illa, hoc tamẽ cõuenit ſibi ratione termini ad quẽ, videlicet collationis boni: ipſi vero paſsioni reſpectu termini a quo, ſcilicet ratione amotionis mali, vt dictum eſt ſupra.

Qualiter Deus adumbrauit a mundi primordio multis figurarũ inuolucris, paſsionem, crucem, & mortem Chriſti in ſupradicto articulo contentas. Cap. XXI.

LEGIMVS

LEGIMVS enim Gen. 2. Deum immiſiſſe ſoporē in Adam: & dum ille dormiret, formauit Euā matrem noſtram de coſta ipſius: quam cum ille experrectus vidiſſet, ait: Hoc nunc os de oſsibus meis, & caro de carne mea: propter hāc homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quid hoc myſterium ſignificet, Paulus ad Ephe. 5. exponit, dicēs: Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia: Et Auguſtinus ſuper Ioannem, & in lib. 2. de Gen. contra Manichæos c. 24. vbi ait: quòd Adam fuit figura Chriſti apertiſsima: vt enim Adam dominus fuit mundi, & pater omnium hominū ſecundum carnem, & ex terra numquam maledicta ſine hominis coöperatione formatus: ita Chriſtus rex regum, & dominus dominātium, pater omnium bonorum ſecundum ſpiritum, & abſque opere virili de terra numquam maledicta, hoceſt de beata virgine, quæ nulli umquam peccato ſubiacuit, formatus eſt. Neque minus clara figura Eccleſiæ mater noſtra Eua fuit. Eua enim mater omnium viuentium ſecundum carnem: & Eccleſia mater omnium viuentium ſecundum ſpiritum: nemo enim viuit niſi per eam, & extra Eccleſiā nemo ſaluatur c. Firmiter de ſum. Trin. & fide catho. Eua dilecta mirum in modum ab Adam: & Eccleſia mire dilecta a Chriſto. Volumus videre, quantum Adam dilexit Euam? Ne contriſtaret eā, & ſe & nos perdidit, ex ſententia Auguſtini lib. 14. c. ij. de ciui. Dei. Sed multo plus Chriſtus dilexit Eccleſiam, qui ſeipſum tradidit pro ea: & cum ſufficeret vna gutta ſāguinis, pene totum dedit: cum ſufficeret minimus dolor totus plenus fuit doloribus: & non ſolum matrem ſuam propter illam reliquit, ſed & patrem ſuū quodāmodo, eo ſcilicet modo, quo expoſita ſunt illa verba: exiui a patre, & veni in mundum, vbi exinaniuit ſemetipſum: & in morte derelinqui ab eo voluit, vt plenius & copioſius Eccleſiam redimeret. Dormit Adam, & ſopore tenetur vehementi, dum de ipſius latere formatur Eua. Et dum Chriſtus dormiebat in cruce ſomno profundiſsimo mortis, pectus eius aperuit lancea Longinus, & fluxerunt de latere eius aqua & ſanguis: figuræ præcipuorum ſacramentorū, quibus formatur Eccleſia. Euigilans Adam dicit de Eua: Os nunc de oſsibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago: quia Eccleſia futura erat plusquam virilis in perferēdis huius vitæ tribulationibus, a Chriſto tamen fortitudinem ſuā, delitiaſque ſuas ſpirituales, & non aliunde habitura. Abel innocens, virgo, martyr, & ſecūdum Auguſtinum de mirabilibus ſacrę ſcripturæ lib. pri. cap. 3. ſacerdos, occiſus in campo a ſuo ipſius fratre Cain ex inuidia,

figura fuit Chriſti virginis, martyris innocentiſsimi, & ſacerdotis in æternum, occiſi in campo caluariano opera & ſtudiis ſui ipſius populi Iſraelitici: qui ex inuidia ferre non poterat gloriam & claritatem Chriſti nominis. Noe inebriatus a vino vineæ, quam plãtauerat Gen. 9. & diſcoopertus inter dormiendum, eaq; de cauſa irriſus a filio ſuo Chã, figura fuit aperta Chriſti, qui irriſus fuit a filijs Iſrael, cum ille præ ebrietate quadam amoris in vineam, quam plantauerat, nudus penderet in cruce, & ſomno mortis dormiret. Vnde Noe interpretatur requies: & Chriſtus requies animarũ noſtrarum. Noe ſecundus pater orbis: & Chriſtus ſecũdus Adam, qui nos perditos in vitam & libertatem vocauit. Noe inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt recõciliatio, & eius merito ſaluatum eſt genus humanum, cũ factum eſt diluuium, & teſtamenta ſæculi apud eum poſita ſunt, ne deleri poſset diluuio omnis caro. Chriſtus vero iuſtitia ſempiterna eſt, vt inquit Daniel, & omnibus donis ſapientię, ſcientiæ, gratiarum, & virtutum plenus, & perfectus fuit: & ipſe eſt propitiatio noſtra, cuius meritis, & propter promiſsiones ei factas, nos viuimus. Nemo ſaluatus eſt tẽpore diluuij, niſi qui de generatione fuit Noe, & intra Arcam, quam ille fabricatus eſt, fuit inuentus. Ita nemo Saluatur modo, niſi qui regeneratur a Chriſto, & intra Eccleſiam eſt, quam ille ſuis doloribus, lachrymis, & proprio ſanguine conſtruxit. Et ſicut irriſus fuit Noe a filio ſuo, ſic Chriſtus a iudæis, quia de populo iudaico, quem Deus ſæpe filium ſuum primogenitũ appellabat: non defuturi erãt, qui ante Chriſtum pendẽtem in cruce prætereuntes dicerent: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud Matth. 27. &c. Iſaac vnigẽitus Abrahæ eiq; dilectiſsimus ſuper humeros portans ligna Gen. 22. quibus erat ſacrificandus per obedientiã ſui patris, ligatis manibus & pedibus reclinatus ſuper altare, in quo erat interficiendus, quid fuit aliud quam typus ſaluatoris? Qui licet vnigenitus eſſet filius Dei patris, tamen in paſsione crudelibus ſe funibus ligari paſſus eſt, vt obediret patri ſuo, & ſuper humeros ſuos baiulauit crucem, in qua erat immolãdus patri. Iſaac enim interpretatur riſus: & Chriſtus gaudium eſt mundi. Iſaac extenditur ſupra altare, vt immoletur Deo: & Chriſtus in altari omnium altarium ſanctiſsimo, in cruce videlicet, extenſus eſt, vt patri immolaretur. Et quòd tandem non ſit mortuus Iſaac, ſed ab Abrahã immolatus ſit aries, hoc ſignificabat: quòd moriente Dei filio, non moriebatur eius diuinitas, ſed humanitas dũtaxat ſpinis omni ex parte coronata. Quia vero in Chriſto duæ fuerunt naturæ, nõ potuit vna re totum myſterium depingi, atque ideo adiunctus eſt aries eidem

Iſaac, vt in vita illius vita figuraretur diuinitatis indeficiens: & in morte arietis mors exprimeretur ſuæ humanitatis. Vnde locus, in quo immolatus fuit aries, dicitur mons, in quo Dominus videbit: quia in monte extollendus erat Chriſtus, vt eum omnes intueri poſſent. Scala etiam, quam vidit Iacob Gen. 28. cuius cacumen cælũ tangebat, & per quam Angeli aſcendebant, & deſcendebant in loco, vbi poſtea ædificatum eſt templum Salomonis, vt colligitur ex primo Paral. c. 22. typus fuit expreſsiſsimus crucis, cuius meritis nobis cæli aperti ſunt: & Angeli deſcẽdunt ad inſeruiendum nobis, & conſolandum nos: aſcenduntq; vt offerant orationes noſtras ante thronum Dei: Et addit ſcriptura, Iacob vidiſſe Dominum innixũ ſcalæ, & ei inde magnifica beneficia promittentem: erat enim in futurum Dominus omnium cruci affigendus, & magnifica inde collaturus beneficia matri ſuæ, Ioanni, latroni, & omnibus, qui ipſius paſsionem pio affectu meditarentur, & ipſum in cruce pendentem contuerentur. Ioſeph filius Iacob venditus eſt a fratribus ſuis triginta argenteis Gen. 37. & ab eiſdem in ciſternam veterem coniectus, poſteaq; in carcerem miſſus, eo quia noluit acquieſcere dominæ ſuæ ſolicitanti ſeſe ad adulterium. Hoc totum adumbratio quædam fuit Chriſti ſaluatoris noſtri, quẽ diſcipulus ſuus Iudas triginta vendidit argẽteis, cum eſſet vnus ex Apoſtolis ſuis, quos ille omnes vocabat fratres: qui fuit poſitus in carcere Pilati gentilis, licet primo in carcere Iudæorum ex inuidia phariſæorum, cum nollet aſſentire adulteræ ſynagogæ in peruerſis & iniquis conſtitutionibus, quas contra Deum, & ipſius legem conſtituerat: tametſi ei vti dominę in omnibus ad ſuam ſalutẽ neceſſarijs inſeruiret. Vide quàm pulchre omnia ſibi reſpondeant. Ioſeph vocatur augmentũ, & præfectus. Chriſtus vero omnia bona noſtra auxit, ſacramenta, ſcientiam, virtutes, ſtatus, religionem, Dei cultum, diuinorum notitiã, fidelium numerum, & ſanctorum: Princeps eſt, & rector fratrum, dominusq; cęli & terrę. Ioſeph dilectiſsimus patri: Et Chriſtus antonomaſice filius patris cæleſtis dilectus. Ioſeph pulchra facie: Chriſtus vero ſpecioſus forma prę filijs hominum pſal. 44. Ioſeph adorant pater & fratres: Chriſto vero curuantur Maria, Ioſeph, & diſcipuli ipſius. Ioſeph ſaluator mundi & ſtabilimentum populi dictus eſt, Eccleſiaſtici 49. Et Chriſtus firmamentum & ſalus eſt mũdi. Patriarcha ille ſanctiſsimus & ſingulare patientię exemplũ Iob expoliatus primo omnibus bonis & filijs ſuis, deinde vlcere peſſimo percuſſus a ſatana a planta pedis vſque ad verticem capitis, adeo vt teſta ſaniẽ raderet ſedẽs in ſterquilinio, & poſtremo a propria vxore ibi deſpectus, quid aliud ſignificabat, quàm Chriſtũ nudum

dum

dum in cruce, & expoliatum omnibus ſuis bonis ac diſcipulis, à plantaq; pedis vſque ad verticem capitis vulnerandum, & a ſynagoga deridendum, quæ ipſius erat vxor? Iob enim interpretatur dolẽs. vel gemens: & Chriſtum uirum dolorum appellauit Eſaias, nempe quòd in anima, & omnibus partibus corporis plenus fuerit doloribus. Iob orientalis, & Chriſti regio oriens, a ſummo enim cęlo egreſsio eius: vnde eum orientem appellauit Zacha. c. 6. dicens. Ecce vir, oriens nomẽ eius. Ditiſsimus etiam fuit Iob inter omnes orientales: & Chriſtus diuitię eſt mundi, ac omnes gentes in conſpectu eius tanquã nihil. Iob habitauit in terra Hus, quæ interpretatur conſilium: de Chriſto autem ſcriptum eſt: Ego ſapientia habito in conſilio. De Iob teſtatus eſt Deus per ſe, & per ſcripturam, quòd erat vir ſimplex, rectus, timens Deũ, recedẽs a malo, & quòd non erat ei ſimilis in terra: ſimiliter quòd docuit plurimos, & confortauit, ac iuge ſacrificium pro filijs ſuis obtulit. Chriſtũ vero ſcimus plenum fuiſſe Spiritu ſancto, ſciẽtia, gratia, virtutibus, ac doctorem fuiſſe populorum: ſimiliter & robur, ac firmamentum imbecillium, & fragilium: & quòd a die conceptionis ſuæ numquam ceſſauit ſacrificiũ ꝓ omnibus nobis offerre, inſomneſq; ſępe in orationibus & lachrymis pro nobis noctes ducere: neque aliqua creatura fuit ei ſiue in cælo, ſiue in terra, ſimilis: non ſolũ quia Deus fuit & homo, verum quia omnes omnium hominum & angelorum virtutes collatæ ad Chriſti virtutes, nitorẽ decoremq; ſuum amittunt. Vnde ſponſa in Cant. cap. pri. inquit: Nolite cõſiderare me, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol. Qui te fuſcã dicit o ſponſa, quę pulcherrima mulierum diceris in canticis, intelligebat profecto, quòd quantacunque tua eſſet pulchritudo, nulla eſſet, ſi ad pulchritudinem gratiarum & virtutum ſolis iuſtitiæ cõpararetur. Quòd vero Iob a tanta proſperitate ſubito in tantã deiectus fuerit calamitatẽ, aperte ſignificabat id, quod in Chriſto paſſionis tempore viſum fuit. Nam cum ſollemniſsime receptus fuiſſet quinque retro diebus a toto populo Hieroſolymorum inclamãte, oſanna filio Dauid, ſubita tamen & repentina mutatione idem populus ad eum vſque ad mortem perſequendum conuerſus eſt. Et cum venerunt ad eum conſolandum tres eius amici, nõ cognoſcebant eum: hoc nimirum ſignificat, quod Eſaias magis vt Euangeliſta, quàm vt propheta ait cap. 53. Nõ eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus. Et vbi cognouerũt eum, exclamantes plorauerunt, ſciſsiſq; veſtibus ſparſerunt puluerẽ ſuper caput ſuum in cælum: neque tamen ei loquebantur verbum, quia videbant dolorem eius eſſe vehementem: in quo figurabant quippe dolorem,

dolorem, luctum, & taciturnitatem, quàm beatiſsima virgo, euangeliſta Ioannes, tres Mariæ, & aliæ ſanctæ ac piæ mulieres habituræ erant, ſtantes iuxta crucem Saluatoris mutæ, & ſtupefactæ de admirabili ſpectaculo, quod videbãt. Agnus etiam paſchalis, cuius ſanguine ex præcepto domini vngentes Iſraelitę utrũque poſtem Exo. 12. & ſuper liminaria domorum ſuarum defenderunt ſe ab Angelo percutiente, qui percuſsit omnia primogenita Aegypti, figura fuit manſuetiſsimi agni, qui coram tondente ſe in paſsione obmutuit, & non aperuit os ſuum: & in ara crucis igne amoris & doloris aſſãtus eſt pro nobis, vt ipſius ſanguine a deuaſtante Angelo protegamur, quicũque utrumque poſtem animarum noſtrarum intellectũ ſcilicet, ac voluntatem ipſius ſanguine reſperſerimus. Et vt apertũ fieret, figuram fuiſſe paſsionis dominicæ agnum paſchalem, (quãuis Iudæi nolebant eum interficere in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo) admirabili Dei prouidentia factum eſt, vt in feſto agni typici Agnus ille verus pro nobis occideretur. Et ſicut occiſo agno paſchali,& nõ ante,populus Iſrael egreſſus eſt de Aegypto: ita ſancti patres occiſo Chriſto egredi potuerunt, & non ante,de ergaſtulo limbi. Serpens etiam æneus, quem erexit Moyſes in deſerto, vt eius aſpectu ſanarentur, qui a morſibus ſerpẽtium peribãt Num. 21. typus fuit (vt ipſemet Chriſtus expoſuit Ioannis 3.) Saluatoris noſtri, qui in cruce paſsionis tẽpore exaltatus eſt, vti peccator ſerpentinus, vt nos attendentes in eum, & expendentes quanta humilitate, patiẽtia,& charitate patiebatur, ſanaremur ab infirmitatibus ſuperbiæ, inuidiæ, & aliorum vitiorum, quæ morſibus & aſtutia dęmonũ incurreramus. Sed ne tædio afficiamus legẽtes, mittã apertiſsimas alias figuras, quæ in regibus, patriarchis, dominis, ſacerdotibus, & prophetis præceſſerunt. Cõſentaneum enim erat, vt in ſupradictis, veluti in omnium ordinum primordijs, eius paſsio exprimeretur, eo quòd Rex, Dominus, Patriarcha, Prophetarum lumen, & Sacerdos paſſurus eſſet.

Poſtremo applicanda ſunt ſupradicta omnia ad noſtrum ſpiritualem profectum. Cap. XXII.

SI Volumus grandia myſteria ſupradicta noſſe, ſentiat vnuſquiſque noſtrum, ac meditetur in ſe, quæ in Chriſto Ieſu fuerunt, iuxta illud beati Pauli ad Philip. 2. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Ibi proculdubio inueniemus magna, & intellectum noſtrum exuperantia myſteria. Vnde Eſa. 9. Eum admi-

rabilem appellandum prædixit, quia omnem captum, & intelligentiam noſtrã exuperat in ſe, in ſuis verbis, operibus, & paſsionibus. Perpendamus omnes, quæ in Chriſti paſsione fuerunt: quia inde regulam vitæ, doctrinam morum, documẽta totius ſanctitatis, & ſpirituales profectus colligemus. Quid putamus eſſe paſsionẽ & mortem Chriſti? Nẽpe inter omnia opera Dei eam maxime nobis fuiſſe mirabilem, lamentabilem, & vtiliſsimam dicunt doctores: ſine illa enim neque ſaluari de communi lege, neque damnationem euadere poteramus, neque redire in gratiã Dei. Itaq; paſsio Chriſti remiſsio eſt omnium peccatorum noſtrorum, reconciliatio hominũ cum Deo, victoria dæmonis, ſalus mũdi, reſeratio myſteriorum abſconditorum, apertio regni cælorũ, & denique ſingularis mũdi doctrina. Per ipſam liberati ſumus a tyrãnica dæmonis captiuitate, & libertate donati: per ipſam redẽpti ſumus, per ipſam adoptati in filios Dei, ex peccatoribus facti iuſti, ex immundis ſancti, ex inimicis beneuoli, ex filijs iræ filij gratiæ & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligẽtibus ſe: In ipſa intelligimus, quid veteres ſignificarent figuræ: Ab illa virtutẽ ſuam habent ſacramenta: Ipſius gratia augemus virtutes, & in chariſmatibus proficimus ſpiritualibus: Deniq; ab ea habemus omnia beneficia a Deo nobis poſt Adæ lapſũ collata. Et ſi illam bene contemplemur, diſcemus profecto in ipſa charitatem, cum pro ſeruis ingratis & malis omnium dominus extrema paſſus ſit ſupplicia. Iuſtitiã videbimus, quia omnia debita noſtra pretio ſui ſanguinis exoluit: liberalitatem, dum ſe totum nobis ille impendit: patientiam, dum coram tõdente ſe obmuteſcit: fortitudinem & magnanimitatem, dum iniuſtas accuſationes & contumelias, ac falſa in ſe teſtimonia paruipendit: humilitatẽ, & obedientiam, dum pro noſtra ſalute, & per obedientiam patris, acerbiſſimæ morti ſe ſubdit. Paſsio quoque Chriſti non modo eſt ſumme vtilis, ſed eſt ex omnibus Dei operibus admirabilis, & maximis fœcunda myſterijs. Nam Deo nõ eſt difficile magna operari: ſed difficile videtur, quòd qui omniũ eſt auctor, omniaq; ſuſtentat, & nutu ſuo gubernat, magna patiatur a ſuis creaturis, & labore ac triſtitia afficiatur ingenti. Excedit profecto omnem intelligẽtiam creatam myſterium incarnationis: neque id quiſpiã hominum vel Angelorum conſequi potuiſſet, niſi Deus illud nobis reuelaſſet. Fide fuit opus nos illuſtrari, vt rẽ adeo mirabilẽ crederemus. Sed & hoc myſterium excedi videtur a myſterio paſsionis & mortis: Eximium enim, & omnem ſcientiã ſuperuincens, Deum fieri hominem, immortalem mortalem, & vt quem cæli capere non poterant, fœmineo circumdaretur vtero. Sed & aliquanto incredibilius (niſi Deus

reuelaſſet)

reuelaſſet) mihi videtur, Deum pati, Deum anguſtiari, & præ mœrore ſudare guttas ſanguinis, Deum flagellari, Deum ſpinis pungi, Deum mori & ſepeliri. Angeli admirati ſunt, quando viderunt rem adeo nouam: Dęmones ſtupefacti ſunt: Prophetæ, quãdo Deus eis hoc tantum myſterium reuelabat, & reuelare alijs præcipiebat, obmuteſcebant: Et quidam ex eis dicebãt, Adhęſit lingua mea faucibus meis: Et alius, Domine quis credet auditui noſtro? Alter, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Similiter quis adhibebit fidem rei tam imperueſtigabili? Alius quoq;, Domine audiui auditum tuũ; & timui: vere attonitus ſum, & ſtupore & timore corripior, dum audio, quod te facturum prædicis. Hoc eſt autem, quod maxime admirari debemus, quòd Deus ſic ſeipſum exinaniuerit, vt non modo nõ videretur Deus, ſed neque homo niſi abiectiſsimus, & leproſus, percuſſusq; a Deo, & humiliatus. Sed pręter prędicta Chriſti paſsio eſt etiam admodum lamentabilis: quia ſi in aliquem vſum optandæ ſunt lachrymæ, illas maxime optare debemus, vt defleamus eius paſsionem. Legimus enim Gen. 50. Ioſeph flẽtem in faciem patris cõcidiſſe, & cum lachrymis deoſculatum eum fuiſſe, neque potuiſſe lachrymas continere, cum videret patrem morientẽ, tametſi in eximio honore, & non morte crudeli. Et nos ergo ſiccis oculis ſpectabimus patrem ſpirituum noſtrorum morte morientem acerbiſsima? Timere certe debet ſe eum nõ habere patrem, qui neque dolore concutitur, neque cum meditatur, aut legit paſsionem Chriſti effundit lachrymas. Si enim quæratur, an Chriſti paſsio ſit deflenda, reſpõdetur: quòd ſic, ob tria potiſsimũ: & hęc vellẽ alta mente reponeremus: quia gratiores lachrymæ noſtræ Deo erunt, ſi propter has tres cauſas defleuerimus. Primo quidem ex compaſsione ipſius Chriſti domini noſtri, cum numquã homo adeo fuerit aflictus in hac vita, numquam tam tribulatus & tam crudeliter vexatus ſicut ipſe. Secundo flere debemus grauiſsima, quæ in Deum ob paſsionem & mortem Chriſti ſunt crimina cõmiſſa: & generaliter omnium noſtrum peccata, quæ pijſsimo Domino tanti doloris extiterunt cauſæ: atque hoc præcipue dolore cuperemus, ſemper cõdiremus dolores noſtros, quos ex cõpaſsione habemus Saluatoris. Reflectamus igitur dolorem ipſum ſuper nos, qui tantarum ei paſsionum cauſam præſtitimus. Tertio flendum eſt ex compaſsione erga beatam virginem, quæ maxime omnium tempore paſsionis, crucifixionis, mortis, & ſepulturæ poſt Chriſtum aflicta eſt. Tanta enim fuit offenſa, vt totum mundum ad compaſsionem & luctum commouerit. Sol induit ſe veſte lugubri, dum totus eſt eclipſatus, luna tincta ſanguine apparuit in teſtimoniũ inſignis

crudelitatis in Chriſtum cōmiſſæ. Terra contremuit tentans infandum a ſe excutere ſacrilegium, petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta, velum templi ſciſſum. Perpendamus in hoc ſeptimo articulo magnū myſteriū, & admirabile diuinæ ſapientiæ cōſiliū, cum paſſio Xpi maxime fuerit vtilis, maximeq; admirabilis, & lamētabilis.

De octauo articulo, videlicet: Deſcēdit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis. Cap. XXIII.

CVM articulus ſit, Chriſtum ad inferos deſcēdiſſe, & nō poſsit intelligi ratione diuinitatis, ſecundum quam eſt vbique: nec ratione corporis, ſecundum quod fuit in ſepulchro: reſtat quod intelligatur ratione animæ. Anima igitur Chriſti deitati coniuncta deſcendit in infernum, locumq; imū, in quo erant iuſti, qui detinebantur ibidem ob reatum peccati primi parentis, qui vulgo ſolet limbus patrum appellari. Deſcendit inquam non ſecundum ſolā virtutis ſuæ operationem & manifeſtationem in vinctorum liberatione & aduerſariorum ſpoliatione, (quod vtique ſi voluiſſet, facere potuiſſet) ſed etiam ſecundum præſentiæ exhibitionē, & aſſiſtētiam. Vt re uera anima Chriſti ſanctisſima diuinitati vnita præſens fuerit, ſeq; ipſam exhibuerit eidē loco, in quo ſancti patres aduentum eius præſtolabantur: vt quemadmodū his, qui in terra erāt, iuſtitiæ ortus eſt ſol, (vt inquit Damaſc. libro tertio orthodoxę fidei c. 29.) ſic & his, qui ſub terra in tenebris & in vmbra mortis ſedebāt, lux appareret: et vt quemadmodum in terra euangelizauerat hominibus bonæ voluntatis pacem, captiuis remisſionem, cæcis viſum, & credentibus factus fuerat cauſa ſalutis æternæ, incredulis autem infidelitatis improperium, & redargutio: ſic & iis, qui in inferno erant, exhiberet ſe præſentem, vt ipſi omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quòd autem ſecundum veritatem & præſentiam deſcenderit ad inferna, liquido conſtat ex eo loco pſal. 15. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: cum non niſi de anima, quæ in inferno aliquando fuerit, nō tamen ibidem derelicta, apte quiſpiam dixerit. Et beatus Petrus ad Iudæos in actis Apoſtolorum c. 2. de Chriſto conteſtatur, quem Deus ſuſcitauit a mortuis ſolutis doloribus inferni: iuxta quod impoſsibile erat illū ab eo teneri. Chriſtus vero pſal. 29. ad patrē ait: Domine abſtraxiſti ab inferno animam meam: vbi manifeſte indicat ſe ad infernum deſcendiſſe, alioqui inde eductus non eſſet: et pſal. 70. Conuerſus viuificaſti me, & de abyſsis terræ iterū edu-

xiſti me, ideſt de profunda voragine inferni ſuſcitans me, ruſſus in vitam me reuocaſti: Et Zach. c. 9. ad Chriſtũ. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Beatus vero Paulus ad Ephe. 4. inquit: Quòd autem aſcẽdit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primo in inferiores partes terræ, ideſt ad inferos, vt exponit gloſſa? cuius probatio præmiſſa eſt, quia captiuam duxit captiuitatem, quã inde traxit. Et beatus Ambroſius eũdem Apoſtoli locum ad literam exponens, continuo verbis Apoſtolicis ſubnectit: Verũ eſt, quia ideo deſcendit, vt aſcenderet, nõ ſicut homines, qui ad hoc deſcenderunt, vt illic remanerẽt. Ex ſententia enim tenebantur apud inferos, quæ ſententia Saluatorem tenere non poterat, quia vicit peccatum. Victoria enim de diabolo habita, deſcendit in cor terræ, vt oſtẽſio eius, ꝓdicatio eſſet mortuorum, vt & quotquot cupidi eius eſſent, liberarentur. Nec poterat non aſcendere, qui ad hoc deſcenderat, vt vi poteſtatis ſuæ calcata morte cum captiuis, quorum cauſa pati ſe permiſit, reſurgeret. Ex quibus plane verbis conſtat, Apoſtolum eo loco ſermonem facere de Chriſti deſcenſu ad inferos: licet ſufficeret nobis fidem habere huic articulo, quòd Chriſtus deſcendit ad inferos ex Symbolo Apoſtolorum. Hæc enim ſola (ceſſantibus ceteris aſſertionibus contra hęreticos, qui hunc articulum ex ſacræ ſcripturæ litera minime haberi aſſerũt) approbatio ſufficit, vt quiſque indubitata mẽte adhæreat huius articuli veritati. Dionyſius etiam carthuſianus in elemẽtatione theologica de incarnatione Chriſti, propoſitione. 126. de huiuſmodi deſcenſu ad inferos, inquit: Paſsionis tempore ſeparata eſt anima Chriſti a ſuo corpore, & e conuerſo, ideo vere mortuus eſt: vtrunque tamen manſit verbo æterno, ac diuinæ naturæ vnitum. In puncto enim mortis anima Chriſti deſiit informare & viuificare corpus ipſius: & receſsit ab eo realiter atque localiter, deſcendendo in limbum ſanctorum patrum, quos protinus viſitans, ſua illuſtrauit præſentia: qui eodẽ momento a ſuperbeatiſsima Trinitate repleti ſunt lumine gloriæ, & Deum videre coeperunt facie ad faciem: quia iam ſatiſfactum fuerat per Chriſtum pro originali peccato, pro cuius reatu detinebãtur ibidem. Iccirco obſtaculo illo deleto, mox in ſpirituali paradiſo ſunt conſtituti, hoc eſt, in diuinæ eſſentiæ beatifica viſione. vnde Saluator noſter in cruce latroni dixit Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiſo. Hic autem deſcẽſus ad inferos fuit conueniens ſecundum beatum Thomam par. 3. ſuæ ſummæ q. 52. art. pri. ex tribus rationibus. Primo, quia ipſe venerat pœnam noſtram portare, vt nos a pœna eriperet, ſecundum illud Eſa. 53. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros

ipſe portauit: Ex peccato autem homo incurrerat non modo mortem corporis, ſed etiam deſcenſum ad inferos: ideo ſicut conueniens fuit eum mori, vt nos a morte eriperet, ita decens fuit eum deſcendere ad inferos, vt nos ab illo deſcenſu liberaret: vnde dicitur Oſeæ. 13. ero mors tua o mors, ero morſus tuus inferne. Secũdo decẽtiſsimũ erat, vt victo diabolo per paſsionẽ, victos eius eriperet, qui detinebãtur in inferno, ſecũdũ illud ad Coloſ. 2. Expolians principatus & poteſtates, traduxit cõfidẽter palã. Tertio, vt ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra viuendo & moriendo, ita eandem oſtenderet in inferno ipſum uiſitando & illuminãdo: Vnde dicitur in pſ. 23. Attollite portas principes veſtras, ideſt, principes inferni (ſecũdum glo. ibi) auferte poteſtatem veſtram, quia vſque nũc homines in inferno detinebatis: vt ſic in nomine Ieſu omne genu flectatur, non ſolum cœleſtium, ſed etiam infernorum ad Phil. 2. Paſsio enim Chriſti, ex quo fuit vniuerſalis humanæ ſalutis cauſa, applicari debet ad ſingulares effectus per aliquid ſpeciale. Vnde ſicut virtus paſsionis Chriſti applicatur viuentibus per ſacramenta cõfigurantia nos paſsioni Chriſti, ita etiam applicata eſt mortuis per deſcenſum Chriſti ad inferos. propter quod ſignanter dicitur Zacha. 9. Quòd eduxit vinctos de lacu in ſanguine teſtamẽti ſui, ideſt per virtutem ſuæ paſsionis. Diuus Bona. 22. diſt. 3. ad ſupradicta addit, quòd nomine inferni aliquando pœna, aliquando pœnæ locus intelligitur: & ſecundum hoc duobus modis poteſt aliquis dici deſcendere ad inferos: aut quia videlicet deſcendit ad pœnã, aut quia deſcendit ad locum pœnę. Primo modo non conuenit Chriſto, cũ in eo nec fuerit pœna damni, nec pœna ſenſus. Secundo vero modo competit ſibi, eo quia deſcendit ad illam partem, in qua erant iuſti, qui detinebantur merito peccati primi parentis: quæ quidem pars conſueuit limbus appellari. Ad illam inquam partem deſcendit non compulſus neceſsitate, ſed ſua voluntate, & poteſtate. Ratio autem quare voluit deſcendere ad eripiendos illos, qui tenebãtur ibi compediti, cum etiam facere poſſet hoc non deſcendendo, fuit duplex, videlicet propter conſolationem vinctorum, vt inquit Damaſc. vbi ſupra, magna quippe fuit conſolatio de præſentia ipſius animę Ieſu Chriſti, & maximæ fuit dignationis in hoc oſtenſio, quòd ipſe perſonaliter voluit deſcendere ad eos. Secundo propter confuſionem aduerſariorum, vt ipſi dæmones confunderentur ex ſua præſẽtia, & ſicut vicerat eos in terra in natura aſſumpta, ſic anima eius de eiſdem triũpharet apud inferos, ipſos inuitos expoliando. Si vero quæratur, an Chriſtus deſcenderit ad infernum damnatorum? Reſpondet diuus Thomas vbi ſupra art. 2. quòd dupliciter

ter dicitur eſſe aliquid alicubi: vno modo per ſuum effectū, & hoc modo Chriſtus in quemlibet infernorum locum deſcendit, aliter tamen & aliter: nam in inferno damnatorum habuit hunc effectum quòd deſcendens ad inferos, eos de ſuā incredulitate & malitia cōfutauit. Illis vero, qui detinebantur in purgatorio, ſpem cōſequēdæ gloriæ dedit: ſanctis autem patribus, qui pro ſolo originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudit. Aliomodo dicitur aliquid eſſe alicubi per ſuā eſſentiā, & hoc modo anima Chriſti deſcendit ſolum ad locum inferni, in quo iuſti detinebantur: vt quos ipſe per gratiam interius viſitabat ſecundum diuinitatem, eos etiam ſecundum animam viſitaret, & loco. Sic ergo in vna parte inferni exiſtens, effectum ſuum aliqualiter ad omnes inferni partes deriuauit: ſicut & in vno loco terræ paſſus, totum mundum ſua paſsione liberauit. Sed quia inquit diuus Auguſtinus in libro tertio de Symbolo ad cathecumenos cap. 7. Totus filius ad patrē, totus in cælo, totus in terra, totus in virginis vtero, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiſo, quo latronem introduxit: quęrendum eſt, cum anima Chriſti ſeparata eſſet a corpore, quomodo verificatur dictum Auguſtini, quòd totus ſit in inferno? Reſpondet idem Thom. vbi ſupra art. 3. quòd maſculinum genus, vt totus, refertur ad hypoſtaſim, vel perſonam: Neutrum autem genus, vt totum, pertinet ad naturam. In morte autem Chriſti, licet anima fuerit ſeparata a corpore, neutrum tamen fuit ſeparatum (vt dictum eſt ſupra) a perſona filii Dei: ideo in illo triduo mortis Chriſti dicendum eſt, quòd totus Chriſtus fuit in ſepulchro, quia tota perſona fuit ibi per corpus ſibi vnitum: Et ſimiliter totus fuit in inferno, quia tota perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi vnitæ. Totus quoq; Chriſtus, ideſt perſona eius, quæ eſt perſona verbi, ſiue ipſum diuinū verbū, tunc etiā erat vbique per ſuā immēſitatē. Traxit quoque morā poſt eius mortē anima Xpi in inferno vſque ad horā reſurrectionis, ſecūdū illud quod dicit beatus Petrus Act. 2. Quē Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat teneri illum ab eo. Statim etiam quòd Chriſtus ad infernum deſcendit, ſanctos ibi exiſtentes liberauit, non quidem educendo eos de loco inferni, ſed in ipſo eos luce gloriæ illuſtrando. Conueniens tamen fuit, vt tandiu anima eius remaneret in inferno, quandiu corpus manebat in ſepulchro: & licet vectes inferni dicantur impedimenta, quibus ſancti patres de inferno exire prohibebantur propter reatum culpæ primi parentis, Chriſtus tamen ſtatim vt deſcendit ad inferos virtute ſuæ paſsionis & mortis, eoſdem confregit: & quamuis prędixerit in cruce latroni, hodie mecum eris in paradiſo, hoc intelligendum

non erat de paradiſo terreſtri, ſed de ſpirituali, in quo eſſe dicuntur quicunque diuina gloria perfruuntur.

An chriſtus ad inferos deſcendens ſolos ſanctos patres, an aliquot etiam damnatos, vel qui in Purgatorio erant, aut pueros decedentes cum ſolo originali peccato, inde liberauerit. Cap. XXIIII.

DIVVS Anguſtinus in ſermone ſecundo de deſcenſu Chriſti ad inferos ī die Paſchatis inquit: Quòd Chriſtus, quando ad inferos deſcendit, portam inferni & vectes confregit: & omnes iuſtos, qui originali peccato aſtricti tenebantur, abſoluit. Beatus verò Tho. vbi ſupra ar. 5. ad præfata addit: Quòd Chriſtus deſcendens ad inferos operatus eſt in virtute ſuæ paſſionis: per quam liberatum eſt genus humanum non modo a peccato, ſed etiam a reatu pœnæ, cui homines erant duobus modis aſtricti. Vno modo ꝓ peccato actuali, quod quilibet in ſua perſona cōmiſerat. Alio modo pro peccato totius humanæ naturæ, quod a primo parente in omnes originaliter deuenit ad Rom. 5. cuius quidē peccati pœna eſt mors corporalis, & excluſio a vita gloriæ, vt patet Gen. 2. & 3. Nam Deus hominem de paradiſo poſt peccatum eiecit, cui ante peccatū mortem fuerat comminatus, ſi peccaret. Et ideo Chriſtus deſcendens ad inferos, virtute ſuæ paſſionis ab hoc reatu ſanctos abſoluit, quo erant a vita gloriæ excluſi, ne poſſent Deum per eſſentiam videre, in quo conſiſtit noſtra beatitudo, ſaltem initiatiue. Per hoc autem ſancti patres detinebantur in inferno, quia eis ad vitam gloriæ ꝓpter peccatum primi parentis aditus non patebat: Et ſic Chriſtus deſcendens ad inferos, ſanctos patres ab inferis liberauit: vnde contulit eis adeptionem gloriæ, & per conſequens ſoluit eorū dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, ex cuius tamen ſpe magnum habebant gaudium, iuxta illud Ioannis 8. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Vnde Auguſtinus in epiſtola 99. ad Euodium inquit: quòd a quibuſdam, ſcilicet a ſanctis patribus, ſecundum beatificam præſentiam ſuæ diuinitatis numquam receſſit, eo quòd ante aduentum Chriſti erant beati in ſpe, licet nōdum eſſent perfecte beati in re. Sancti igitur patres dum adhuc viuerent, liberati fuerunt per fidem Chriſti ab omni peccato tam originali, quàm actuali, & a reatu pœnæ actualium peccatorum, non tamen a reatu originalis peccati, per quem excludebantur a gloria nondum ſoluto pretio redemptionis humanæ: ſicut

cut etiã nũc fideles Chriſti liberantur per baptiſmũ a reatu actualium peccatorum, & a reatu originalis, quantum ad excluſionem a gloria: qui tamen remanent adhuc obligati reatu originalis peccati, quantum ad neceſſitatem corporaliter moriendi. Renouantur enim ſecundum ſpiritum, ſed nõdum ſecundum carnem, iuxta illud ad Rom. 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit. Statim igitur Chriſto mortuo, anima eius ad infernũ deſcendit: & ſuæ paſſionis fructum exhibuit ſanctis in inferno detentis, quamuis ex loco illo non exierint Chriſto apud inferos cõmorante: quia ipſa Chriſti præſentia pertinebat ad cumulum gloriæ. Eius enim deſcenſus ad inferos illis ſolis liberationis contulit fructum, qui fuerunt Chriſti paſſioni coniuncti per fidem charitate formatam, per quam formaliter peccata tolluntur. Illis autem, qui erãt in inferno damnatorum: aut qui penitus fidem paſſionis Chriſti non habuerunt, ſicut infideles; aut ſi fidem habuerunt, nullam conformitatem habebant ad charitatem Chriſti patientis, nec a peccatis ſuis erant mundati: deſcenſus iſte Chriſti ad inferos non contulit liberationem a reatu pœnæ infernalis. Pueri etiam decedentes cum originali in deſcenſu Chriſti ad inferos non fuerunt liberati. Vnde ad Rom. 3. inquit Apoſtolus: Quòd Deus propoſuit Chriſtum propitiatorem per fidem in ſanguine eius. Pueri modo, qui cum ſolo peccato originali deceſſerunt, nullo modo participes erant fidei Chriſti: & ex cõſequenti non perceperunt fructum propitiationis Chriſti, vt per ipſum ab inferno liberarentur. In ſolis enim ipſis effectum liberationis habuit Chriſti deſcenſus ad inferos, qui per fidem & charitatem paſsioni Chriſti coniungebantur: in cuius virtute deſcenſus Chriſti ad inferos liberatorius erat. Pueri autem, qui cum originali deceſſerant, nullo modo erant coniuncti paſsioni Chriſti per fidem & dilectionem. Non enim fidem propriam habebant, ex quo carebant vſu liberi arbitrii: neque per fidem parentum, aut per aliquod fidei ſacramentum erant ab originali mundati: & ex conſequenti talis deſcenſus eos non liberauit ab inferis. Et licet ſancti patres adhuc tenerẽtur aſtricti reatu originalis peccati, inquantum reſpicit humanam naturam: tamen liberati erant per fidem Chriſti ab omni macula peccati: ideo capaces erant illius liberationis, quam Chriſtus attulit deſcendens ad inferos: quod de pueris dici non poteſt. Vnde ſicut peccatum Adæ ad eos tantum peruenit, qui per ſeminalem rationem carnaliter ab eo deſcenderunt: ita gratia Chriſti ad illos tantum peruenit, qui ſpirituali regeneratione eius membra ſunt facti: quod non cõpetit pueris decedentibus cum originali peccato. Sed quid dicendũ de animabus

mabus

mabus exiſtētibus in purgatorio, An eas liberauerit Chriſtus in ſuo deſcenſu ad inferos? Reſpondet beatus Gregorius 13 .moralium dicens. Dum conditor ac redemptor noſter clauſtra inferni penetrans electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, vnde iam alios deſcendendo liberauit. Patitur autem nos ire ad purgatorium, & ex conſequenti deſcendens ad inferos animas a purgatorio non liberauit. Vnde diuus Tho. vbi ſupra art. 8. ait. Quòd deſcenſus Chriſti ad inferos liberatorius fuit (vt dictum eſt ſupra) virtute paſſionis illius. Paſſio autem eius non habet temporalem virtutem & tranſitoriam, ſed perpetuam ſecundū illud ad Heb.10. Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Et ſic patet, quòd non habuit tunc maiorem efficaciam paſſio Xpi, quàm nunc: ideo illi, qui fuerunt tales, quales nunc ſunt, qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio liberati per Chriſti deſcēſum ad inferos. Si qui autem inuenti ſunt tales, quales etiam nunc, virtute paſſionis Chriſti a purgatorio liberantur, nihil prohibet per dictum Chriſti deſcenſum ad inferos a purgatorio eſſe liberatos. Aliquibus tamen fuit illud beneficium collatum, illis videlicet, qui iam ſufficienter purgati erant: vel etiam, qui cùm adhuc viuerent, meruerunt per fidem & deuotionem ad mortem Chriſti, vt eo deſcendente liberarentur a temporali purgatorii pœna. Diuus tamen Bonauentura 22.diſt.tertij q.5.breuiſſime abſoluit dubium de pueris & damnatis, dicēs: quòd liberauit eos duntaxat, pro quibus patiebatur quantum ad efficaciam, qui ſoli erant electi. Ad illos ergo ſe extendit, qui membra eius effecti erant per fidem, vel per aliquod fidei ſacramentum: cuiuſmodi non ſunt pueri præfati. Dictus etiā ſanctus vltimo quo ad hunc articulum, quærit, An ſtatim poſt mortem introduxerit electos in cælum: & dicit expreſſe, quòd non. Vnde Micheæ. 2. dicitur de Chriſto: Aſcendit pandens iter ante eos: ſed Chriſtus non aſcendit ad cælum vſque ad quadrageſimum diem poſt reſurrectionem, & ex conſequenti nec animæ ſanctorum. Ideo eædem animæ non ſtatim poſt mortem Chriſti perductæ ſunt in cælum quantum ad locum: verùm ſtatim poſt ſeparationē animæ Xpi a corpore in eiuſdem deſcenſu ad inferos, viderunt lumen æternū, & beatæ factę ſunt, & patefactum eſt cælum eis quantum ad præmiū. Vnde in loco etiam infernali exiſtentes habuerunt Paradiſum, & apertam Dei viſionem: quæ eſt vita æterna modo præexpoſito, Io. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti filium tuū. Licet igitur beatitudinem ſtatim poſt Chriſti mortem habuerint, non tamen locum beatitudinis ſtatim adepti ſunt: quoniam ipſe Chriſtus debuit in omnibus primatum tenere, vt primogenitus eſ-

ſet in multis fratribus tanquam caput omnium. Reſurrectio autem Chriſti, & eius aſcenſio differri debuit propter noſtræ fidei confirmationem. Ideo enim prorogata fuit reſurrectio, vt oſtenderetur, quòd vere Chriſtus mortuus fuerit. Itidem dilata fuit aſcenſio, vt per multa arguméta oſtéderetur, quòd vere Chriſtus reſurrexerit, ſecundum quod dicitur act. primo: Præbuit ſemetipſum in multis argumentis apparens eis. Quoniam ergo nulla anima in cælum debuit aſcendere ante Chriſtum, & Chriſti aſcenſio propter noſtram ſalutem debuit differri, hinc eſt, quòd animæ ſanctorum nec ſtatim fuerunt de limbo eductæ, nec in cæleſti paradiſo fuerunt (ſtante diuina diſpenſatione hoc faciente ad noſtram ſalutem) ſtatim collocatæ. In morte autem fuit aperta ianua ſubito quoad meritum. In reſurrectione vero quantum ad egreſſum de limbo. Et in aſcenſione quantum ad aſcenſum in cælum. Limbus olim dicebatur ſinus Abrahæ, quia ibi Abrahā fuit: ſed nunc cælū empyreū dicitur ſinus Abrahæ, quia iam eſt ibi Abraham. A nullo prædictorum locorum eſt tranſitus modo ad alium. Verum olim a tertio, ideſt purgatorio, erat tranſitus ad quartum ſcilicet limbum ſanctorum patrum: cū purgati a temporali pœna trāſirent ad locum iuſtorum & purgatorum, propter quem tranſitum cantamus, & orantes dicimus: libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: vbi infernus ſumitur pro purgatorio, ſicut & ibi ſumitur pro limbo, quando dicitur, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, vel infernum deſtruxiſſe.

In duobus præcedentibus capitibus viſum eſt de prima parte octaui articuli, videlicet, de deſcenſu Chriſti ad inferos: cōſequēter videndum eſt de altera eius parte, Reſurrectione ſcilicet illius. Caput. XXV.

CHRISTVS Dominus noſter tertia die ſurrexit a mortuis, reaſſumendo corpus, non quale prius habuit, ſed impaſſibile & immortale. Caro enim Chriſti, quæ in natiuitate floruit, in paſſione aruit, per gloriam reſurrectionis refloruit, & renouata eſt vt aquilæ iuuentus eius. pſal. 102. Tunc Leo catulum ſuum ſuſcitauit. Tūc Phœnix reuixit. Tunc vt dicitur Hierem. 18. Figulus ex eodem luto fracti uaſis fecit vas aliud, ſicut placuit in oculis eius. Tunc Ionas de ventre ceti illæſus exiuit. Tunc veſtitum eſt candelabrum auro. Tunc ſuſcitatum eſt tabernaculum Dauid, quod ceciderat. Tunc refulſit ſol, qui prius erat in nubilo. Tunc viuificatū

eſt

eſt granum frumenti, quod cadens in terram mortuũ fuerat. Tunc ceruus reaſſumpſit cornua. Tunc Sanſon tulit portas cum poſtibus. Tunc Ioſeph eductus de carcere cõſtituitur dominus Aegypti: Tũc conſciſſus ſaccus circumdatur lætitia. Reſurrectionis Chriſti veritas patet ex multis ſcripturæ locis, & præcipue Luc. vlt. vbi dicitur: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis. Manifeſtatur eadem & per angelos, qui non mentiuntur Matth. 28. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Quem quæritis? ſurrexit, nõ eſt hic. Per inimicos itidem, quorum validiſsimum eſt teſtimonium, Matth. vltimo, vbi dicitur: Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt principibus ſacerdotum omnia, quæ facta fuerant: & congregati cum ſenioribus cõſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quòd diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum vobis dormientibus: & ſi hoc auditum fuerit a præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerũt, ſicut erant edocti: & diuulgatum eſt verbum iſtud apud iudæos vſque in hodiernum diem. Manifeſta etiam facta eſt eadem reſurrectio per comeſtionem Luc. 24. Sicut & quòd Chriſtus non habebat phãtaſticum corpus Ioan. 20. per tactum. Probauit etiam Deus noſter eam in eodem corpore, quo fuit facta per oſtenſionẽ cicatricum. Itẽ probauit eã fuiſſe in corpore glorificato vnito deitati, & hoc per ingreſſũ in domũ ianuis clauſis. Probauit quoque eã multis apparitionibus. Apparuit enim quinquies in ipſa die reſurrectionis, vt habẽt ex ſcripturis. Primo Mariæ magdalenæ Ioãnis 20. ei dicẽdo: Mulier quid ploras? Secũdo mulieribus redeũtibus a monumẽto Matth. vlt. Tertio Petro Luc. 24. Quarto duobus diſcipulis eũtibus Emaus, ibidẽ. Quinto diſcipulis cõgregatis propter metũ Iudæorũ ianuis clauſis, quãdo Thomas non fuit cum eis Ioannis 20. Item apparuit inter reſurrectionem & aſcenſionem quinquies, ſcilicet: Thomæ cum aliis ibidem. Diſcipulis piſcantibus ad mare Tiberiadis Matth. 12. Diſcipulis in monte Tabor Matth. vlt. In Hieruſalem Marc. vlt. Poſtremo quando comedit cum diſcipulis Marc. 16. & Lucæ vlt. ac act. pri. Concluditur enim act. 10. Quòd Deus ſuſcitauerit eum tertia die, & dederit manifeſtũ fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo. Ad ſupradicta addimus, quod ſecundum beatum Thomam parte 3. q. 53. art. pri. neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere propter quinque. Primo quidem ad commendationem diuinæ iuſtitiæ, ad quam ſpectat exaltare illos, qui ſe propter Deum humiliant, ſecundum illud Luc. pri. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Quia igitur Chriſtus propter charitatem & obedientiam

dientiam Dei ſe humiliauit vſque ad mortẽ crucis, oportebat, quòd exaltaretur a Deo vſque ad reſurrectionem glorioſam: Vnde in eius perſona dicitur in pſal. 138. Tu cognouiſti me, ideſt approbaſti ſeſsionem meam, humilitatem, & paſsionem: ſimiliter & reſurrectionem meam, ideſt glorificationem in reſurrectione, vt glo. exponit. Secundo ad fidei noſtræ inſtructionem: quia per eius reſurrectionem confirmata eſt fides noſtra circa diuinitatẽ Chriſti: Vnde 2. Cor. vlt. dicitur: Et ſi crucifixus eſt ex infirmitate, viuit ex virtute Dei. Si enim Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra, vt inquit Apoſtolus pri. Cor. 15. vnde glo. ſuper illud pſal. 29. Quæ vtilitas in ſãguine meo &c. inquit, nulla: Si enim ſtatim non reſurgo, corruptumq; fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor. Tertio, ad ſubleuationem noſtræ ſpei: quia dum videmus Chriſtum reſurgere, qui eſt caput noſtrum, ſperamus & nos reſurrecturos: Vnde idem Apoſtolus vbi ſupra ait: Si Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? & Iob 19. c. Scio, videlicet per certitudinem fidei, quòd redemptor meus viuit, a mortuis reſurgens: & ideo in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Quarto ad informationem vitæ fidelium, ſecundum illud ad Rom. 6. Quomodo Chriſtus reſurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et Paulo poſt: Chriſtus reſurgens ex mortuis iam nõ moritur: ita & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, uiuentes autem Deo. Vltimo ad complemẽtum noſtræ ſalutis: quia ſicut per hoc, quòd mala ſuſtinuit, humiliatus eſt moriendo, vt nos liberaret a malis: ita glorificatus eſt reſurgendo, vt nos promoueret ad bona, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 4. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Dicimus vltra, quòd conueniens fuit Chriſtum die tertia reſurgere iuxta illud Matth. 20. Tradent eũ gentibus ad illudẽdũ, flagellandũ, & crucifigendũ, & tertia die reſurget. Reſurrectio enim Chriſti neceſſaria fuit, vt dictũ eſt, ad inſtructionẽ fidei noſtræ. Eſt autem fides & de diuinitate & de humanitate Chriſti: nec ſufficit vnum ſine altero credere: & ideo ad hoc vt confirmaretur fides de veritate diuinitatis illius, oportuit, quòd cito reſurgeret: & quòd dicta reſurrectio nõ differetur vſque ad finem mundi. Ad hoc autem vt confirmaretur fides de veritate humanitatis & mortis eius, oportuit moram eſſe inter mortem & reſurrectionem. Si enim ſtatim poſt mortẽ reſurrexiſſet, videri poſſet, quòd eius mors vera non fuiſſet: & per cõſequens nec reſurre-

ctio

ctio vera. Ad veritatem igitur mortis Chriſti manifeſtandam ſufficiebat, quòd vſque ad tertiam diem eius reſurrectio prorogaretur. Quia non contingit, quin intra triduum, ſi Chriſtus non fuiſſet vere mortuus, apparuiſſent in eo aliqua indicia vitæ. Oſtenditur etiã ſecundum myſterium, quòd Chriſtus vna morte ſua corporali, quę fuit lux propter iuſtitiam, duas noſtras ſcilicet animæ & corporis deſtruxit, quæ ſunt propter peccatum tenebroſæ: ideo, vt dictum eſt, vna die integra, & duabus noctibus permanſit in morte, vt inquit beatus Auguſtinus 4. de Tri. per hoc etiã ſignatur, quòd per Chriſti reſurrectionem tertium incipiebat tempus. Nam primum fuit ante legem. Secundum ſub lege. Tertium ſub gratia. Incœpit etiã in Chriſti reſurrectione tertius ſtatus ſanctorum: quia primus ſub legis figuris fuit, ſecũdus ſub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ, quam Chriſtus reſurgendo inchoauit. Nec ex hoc ſequitur, quòd ſancti tertia die debeant reſurgere, ſed differri debet eorundem reſurrectio vſque ad vniuerſale iudicium: quia licet caput & membra conformentur in natura, non tamen in virtute, cum excellentior ſit virtus capitis, quàm membrorum. Reſurrexit igitur Chriſtus circa diluculum illuceſcente iam die ad ſignificandum, quòd per ſuam reſurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat.

Quomodo Chriſtus poſt reſurrectionem verum habuit corpus, & quo primo reſurrexit, fuitq; cauſa ſuæ reſurrectionis, ſimiliter & quòd reſurrexit cum integritate carnis, corporeq; glorioſo, in quo cicatrices retinuit. Cap. XXVI.

QVO ad primã ſupradicti tituli partẽ, videlicet, ꝙ Chriſtus poſt reſurrectionem verum habuit corpus, dicẽdum iuxta ſententiam diui Thom. 3. parte ſum. q. 54. art. pri. Quòd Chriſtus habuit verum corpus. Vnde diſcipulis, qui conturbati exiſtimabant ſe ſpiritum videre, ac ſi haberet corpus phantaſticum, dixit Luc. vlt. Palpate & videte, quia ſpiritus carnẽ & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Secundum autẽ Damaſc. in 4. cap. 28. dicendũ, Quòd illud dicitur reſurgere, quod cecidit: corpus autẽ Chriſti per mortem ceciderat, inquantum fuit ab eo anima ſeparata, quæ erat eius formalis perfectio. Quare oportuit ad hoc, quòd eſſet vera Chriſti reſurrectio, vt idem corpus Chriſti iterato animæ ſuæ uniretur. Et quia veritas naturæ eſt ex eſſentiali forma, conſequens eſt vt corpus Chriſti poſt reſurrectionem, & verum corpus fuerit, & eiuſdem naturæ, cuius erat prius. Si enim dictum corpus fuiſſet phantaſticũ,

non

non fuiſſet vera reſurrectio. Vnde beatus Auguſtinus in ſermone tertio octauæ paſchæ inquit: Quòd quidam ſic diſputant: Si corpus erat, ſi hoc reſurrexit de ſepulchro, quod pependit in ligno, quomodo ianuis clauſis potuit ad diſcipulos ingredi? Et ipſemet eiſdẽ reſpondet: Si comprehendis modum, non eſt miraculũ: vbi enim deficit ratio, ibi eſt fidei ædificatio. Et ſuper Ioanuem dicit: Moli corporis, vbi diuinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inuiolata permanſit? Idem inquit beatus Gregorius in quadã homil. de octaua paſchæ. Chriſtus igitur reſurrexit ad immortalem gloriæ vitam. Hæc modo diſpoſitio eſt corporis glorioſi, vt ſit ſpirituale, hoceſt ſpiritui ſubiectum, vt dicit Apoſtolus pri. cor. 15. Ad hoc autem, quòd ſit omnino corpus ſpiritui ſubditũ, requiritur, quòd omnino actio corporis ſubdatur ſpiritus volũtati. Dicit enim Ariſto. 2. de anima: quòd ad hoc vt aliquid videatur, fit per actionem viſibilis in potentiam viſiuam. Ideo quicumque habet corpus glorioſum ſecundum Thom. vbi ſupra, in poteſtate ſua habet videri, quando vult, & non videri. Hoc Chriſtus non modo ex conditione ſui corporis glorioſi habuit, ſed etiã ex virtute diuinitatis, per quã fieri poteſt, vt corpora etiam non glorioſa miraculoſe non videantur: ſicut legitur præſtitum fuiſſe beato Bartholomęo, vt ſi vellet, videretur: & non videretur, nolens videri. Chriſtus dominus noſter ab oculis diſcipulorum euanuit, non quia corrũperetur, aut reſolueretur in aliqua inuiſibilia: ſed quia ſua voluntate deſiit ab eis videri tam præſens, quàm recedens per dotem agilitatis: de qua diffuſe diſſeremus in articulo 13. videlicet, de carnis reſurrectione. Accepit igitur in reſurrectione gloriam claritatis, per quam mutata eſt effigies, dũ ex mortali effectus eſt immortalis: vt hoc ſit acquiſiuiſſe vultus gloriã, nõ vultus ſubſtantiã perdidiſſe: nec tamen illis diſcipulis in ſpecie glorioſa apparuit: ſed ſicut ĩ poteſtate eius erat, vt corpus ſuũ videretur, vel nõ videretur: ita in poteſtate eius erat, vt ex eius aſpectu formaretur in oculis intuẽtiũ vel forma glorioſa, vel nõ glorioſa, aut etiã cõmiſta. Ad ſecundã partẽ videlicet, quòd primo reſurrexit, reſpõdet beatus Paulus pri. cor. 15. dicẽs: Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormiẽtium. vbi glo. Quia prius tempore & dignitate ſurrexit. Sanctus Tho. vbi ſupra q. 53. art. 3. ad prædicta addit: Quòd reſurrectio eſt reparatio a morte ad vitam. Dupliciter modo aliquis eripitur a morte: vno modo a morte dumtaxat in actu, vt aliquis viuere incipiat poſtquã mortuus fuerat: alio modo, vt aliquis liberetur non ſolum a morte, ſed etiam a neceſſitate moriendi, & a poſſibilitate: & hæc eſt vera & perfecta re-

ſurrectio:

ſurrectio: quia quandiu aliquis viuit, ſubiectus neceſsitati moriendi, quodammodo mors ei dominatur, ſecundum illud ad Rom. 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum. Illud autẽ quod poſsibile eſt, ſecundum quid dicitur eſſe, videlicet potentialiter. Et ſic patet, quòd illa reſurrectio, qua quis eripitur ſolum ab actuali morte, eſt reſurrectio imperfecta: qua quidam ſurrexerunt ante Chriſtum ad præmonſtrandam quaſi in quodam ſigno reſurrectionem illius. Loquendo igitur de reſurrectione perfecta, Chriſtus eſt primus reſurgentium: quia ipſe reſurgendo primo peruenit ad vitam penitus immortalem, ſecũdum illud ad Rom. 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur. Et licet reſurrexerint multi cum Chriſto, Auguſtinus tamen ſentire videtur in epiſtola ad Euodium, quòd reſurrexerint iterum morituri. Ad idem pertinere videtur, quod Hieronymus inquit ſuper Matth. Quòd ſicut Lazarus reſurrexit, ſic & multa corpora ſanctorum reſurrexerunt, vt Dominum oſtenderent reſurgentem: quamuis hoc in ſermone de aſſumptione ſub dubio relinquat. Tertia pars tituli ſupradicti, videlicet, quòd Chriſtus fuerit cauſa ſuæ reſurrectionis, patet per illud, quod ipſe de ſe dicit Ioan. 10. Nemo tollit animam meam a me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eã: & ſequitur: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Modo reſurgere cũ non ſit aliud, quàm iterato animam ſumere, ex conſequẽti propria virtute Chriſtus reſurrexit. Ad hæc dicimus, quòd tam anima Chriſti mortui, quàm eius caro conſiderari poteſt dupliciter: Vno modo ratione diuinitatis: Alio modo ratione ipſius naturæ creatæ. Reſpectu autẽ virtutis diuinitatis & corpus reaſſumpſit animã, quã depoſuerat, & anima corpus, quod dimiſerat: & hoc modo Chriſtus propria virtute reſurrexit, de quo ſecundæ Cor. vlt. Nam & ſi crucifixus eſt, ex infirmitate: ſed viuit ex virtute Dei. Si vero conſideremus corpus & animam Chriſti mortui ſecundum vires naturæ creatæ, ſic non potuerunt ſibi inuicem reuniri: ſed operæpretium fuit Chriſtum a Deo ſuſcitari: & hanc reſurrectionem inquantum homo meruit a Deo. Quarta pars articuli, videlicet, quòd Chriſti corpus reſurrexit integrũ, conſtat per illud Luc. vlt. vbi Dominus poſt reſurrectionem diſcipulis dixit. Spiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Dicimus igitur de mente dicti beati Thomæ vbi ſupra q. 54. art. 2. Quòd corpus Chriſti in reſurrectione fuit eiuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ: Vnde quicquid ad naturam corporis humani attinet, totũ fuit in corpore Chriſti reſurgentis. Ad naturã autẽ corporis humani pertinẽt carnes, oſſa, ſanguis, & huiuſmodi: ideo omnia iſta in corpore Xp̃i reſurgẽtis fue-

runt

rũt integraliter : alioqui nõ fuiſſet perfecta reſurrectio , ſi nõ fuiſſet reintegratũ quicquid per mortẽ ceciderat. Vnde idẽ Dñs diſcipulis ſuis promiſit, dicens Matth. 10. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt : & Luc. 21. Capillus de capite veſtro nõ peribit. Dicere vero, quòd Chriſti corpus carnem & oſſa non habuerit,& alias humani corporis partes naturales, pertinet ad errorem Euthicis Epiſcopi Conſtantinopolitani, dicentis : quòd corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria erit impalpabile,& ventis aereq; ſubtilius: Et quòd Dominus poſt confirmata corda diſcipulorum palpantiũ, omne illud, quod palpari potuit, in ſubtilitatem aliquam redegit. Quod Gregorius ſuper dicta loca Matth.& Luc.allegata impugnat, Cùm corpus Chriſti poſt reſurrectionem immutatum non fuerit, ſecundum illud ad Rom. 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis &c. Si enim inconueniens fuit, vt Chriſtus alterius naturæ corpus in ſua conceptione acciperet, puta cæleſte,quod Valẽtinus aſſeruit : multo maius ſirit inconueniens, quòd in reſurrectione alterius naturæ corpus reaſſumpſerit : quia corpus in reſurrectione reaſſumpſit ad vitam immortalem, quod in conceptione aſſumpſerat ad mortalẽ. Quinta pars fuit, quòd Corpus Chriſti reſurrexit glorioſum, iuxta illud Apoſtoli ad Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ : quod probatur triplici ratione. Primo, quia reſurrectio Chriſti exemplar fuit & cauſa reſurrectionis noſtræ, vt habetur pri.Cor. 15.Sancti autem in reſurrectione habebunt corpora glorioſa : vnde ibidem dicitur : Seminatur corpus in ignobilitate, reſurget in gloria. Cum ergo cauſa ſit potior cauſato, & exemplar exemplato, multo magis corpus Chriſti reſurgentis fuit glorioſum. Secundo, quia per humilitatem paſsionis meruit gloriã reſurrectionis: Vnde dixit ipſemet: Nunc anima mea turbata eſt Ioan. 12. quod pertinet ad paſsionem. & paulopoſt ſubdit : Pater clarifica nomen tuum : in quo petit gloriam reſurrectionis, vt inquit idem Thom. art. 3. vbi ſupra. Tertio, quia vt dictum eſt ſupra, anima Chriſti a principio ſuæ conceptionis fuit glorioſa per perfectam fruitionem diuinitatis. Fuit autem diſpenſatiue factum,vt ab anima glorioſa gloria non redundaret in corpus,vt myſterium redemptionis noſtræ ſua paſsione impleret : ideo peracto hoc myſterio paſsionis & mortis,ſtatim anima in corpus per reſurrectionem reaſſumptum ſuam gloriam deriuauit : & ſic factum eſt corpus illud glorioſum. Porro ſi corpus glorioſum non indiget cibo,(dicitur enim de iuſtis Apocalypſis 7.quòd non eſurient,neque ſitient amplius &c.) quid eſt, quod credimus Chriſtum caput noſtrum, cuius reſurrectio,vt ceteris prior atque præclarior, ita & ce-

terarum cauſa eſt, poſt reſurrectionem ſuam manducaſſe? Dicit Beda, & beatus Gregorius, quòd id fecit non quaſi cibo indigens, ſed vt eo modo naturam corporis ſurgentis aſtrueret. Dicimus vltra reſpondendo ad vltimam propoſiti tituli partẽ, videlicet: Quòd cum cicatricibus Chriſtus vere reſurrexit, (de quibus dominus dicit Thomæ Io. 20. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis) quòd congruum fuit propter quinque reſpectus. Primo propter ipſummet Chriſtum: vnde Beda ſuper Lucam inquit: quòd non ex impotentia curandi, cicatrices in reſurrectione Chriſtus ſibi reſeruauit, ſed vt in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Vnde Auguſtinus 22. de ciuit. Dei. cap. 20. ait. Quòd fortasſis in cæleſti regno in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quas pro Chriſti nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit. Secundo ad confirmandum corda diſcipulorum circa fidem ſuæ reſurrectionis, vt fecit in Thoma, prout dictum eſt pauloante. Tertio, vt patri pro nobis intercedens, quale genus mortis pro homine pertulerit, ſemper oſtendat. Quarto, vt ſua morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adiuti, propoſitis eiuſdem mortis indicijs inſinuet. Poſtremo vt in iudicio, quàm iuſte damnentur impij, ibidem denuntiet. Vnde ait beatus Auguſtinus in libro 2. de Symbolo ad cathecumenos cap. 8. Sciebat Chriſtus, quare cicatrices in ſuo ſeruaret corpore. Sicut enim illas demonſtrauit Thomæ non credenti, niſi tangeret & videret: ita etiam inimicis vulnera demonſtraturus eſt ſua, vt conuincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ infixiſtis? agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis? Ex quibus patet, quòd cicatrices illæ in eius corpore ſemper remanebunt: quia vt inquit beatus Auguſtinus ad Conſentium Epiſtola 145. de reſurrectione carnis: Ego proinde Domini corpus ita in cælo eſſe credo, vt erat in terra, quando aſcendit in cælum. Reſurrectionem autem ſuam, vt habetur Act. pri. oſtendit multis argumentis Saluator noſter, non vt argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem, (quia talis probatio argumentatiua proceſſiſſet ex aliquibus principijs, quæ ſi non eſſent nota diſcipulis, nil per ea eis manifeſtaretur, cum ex ignotis nihil poſſit ſciri: Si vero eſſent eis nota, non tranſcenderet rationem humanam: & ita non eſſent efficacia ad fidem reſurrectionis aſtruendam, quæ humanam excedit rationem) ſed vt argumentum dicitur aliquod ſignum ſenſibile,

quod

quod inducitur ad alicuius veritatis manifeſtationem: quo etiam modo Ariſt. quandoque in ſcriptis ſuis vtitur nomine argumenti. Probauit igitur Chriſtus reſurrectionem ſuam diſcipulis per ſcripturæ auctoritatem, quæ eſt fidei fundamentum, cum dixit: Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, pſalmis, & prophetis de me, quod habetur Luc. vlt. Reſurrectionis igitur ſigna oſtendit Saluator diſcipulis ſuis propter duo. Primo, quia non erant corda eorum diſpoſita ad hoc, vt de facili fidem reſurrectionis acciperent: Vnde eos reprehendit dicens: O ſtulti & tardi corde ad credendũ Luc. vlt. Et Marc. vlt. Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis. Secundo, vt per huiuſmodi ſigna eis oſtenſa efficacius eorum teſtimonium redderetur, ſecundum illud pri. Io. pri. Quod vidimus, & audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt, hoc teſtamur. Auctoritas vero beati Ambroſij, quæ inquit: Tolle argumẽta, vbi fides quæritur: ſimiliter & dictum beati Gregorij, quòd fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum: loquuntur de argumentis ſecundum humanam rationem procedentibus, quæ inualida ſunt ad ea, quæ ſunt fidei, oſtendenda. Meritũ enim fidei eſt ex hoc, quòd homo ex mãdato Dei credit, quod non videt. Vnde illa ſola ratio meritum excludit, quæ facit videri per ſcientiam id, quod ad credendum proponitur. Huiuſmodi autem demonſtratiuas rationes Chriſtus non induxit ad ſuam declarandam reſurrectionem: cuius typus fuit, vt ipſemet Dominus Io. 21. inquit, Ionas propheta. Vnde ad iudæos dixit: Generatio hæc praua ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetę. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, (quod vt dictum eſt ſupra per ſynecdochen intelligitur) ita filius hominis erit in corde terræ. Porro in Euangelio nihil eſt, quod tam ſæpe inculcet Chriſtus, tam euidenter prædicet & prædicat, quàm ſe paſſurum, & tertia die reſurrecturum: vt poſt quam factum fuerit, quod prædixerit, inconcuſſa fide teneremus, Chriſtum Deum & hominẽ, vt hæc omnia noſtræ ſalutis cauſa perageret, de cælis deſcendiſſe. Reſurrexit ergo Chriſtus pro nobis, ſicut paſſus eſt pro nobis. Primum, vt eum, quem auctorem ſalutis noſtræ agnoſcimus, in quo omne præſidium incolumitatis noſtræ collocamus, immortalem ſciremus. Deinde, vt nos ſimul cum illo per pœnitentiam commortui peccatis, & per baptiſmum cõſepulti, ſimul etiam cum illo in nouitate vitæ reſurgeremus: vt quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: vt excitati per gratiam ac ſpiritum ipſius, ipſi pie viuendo & in mandatis Dei ambulando ſeruiremus. Si

enim mortui ſumus cum Chriſto. ad Rom. 6. credimus; quòd ſimul etiã viuemus cũ illo. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu: mortificatos legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis Deo. Fructus autẽ Spiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, mãſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, aduerſus quæ non eſt lex. Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ad Gal. 5. Et iterum ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedẽs: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terrã. Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Induite ergo vos ſicut electi Dei, ſancti,& dilecti,viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſiquis aduerſus aliquem habet querelã: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore: & grati eſtote. Proinde piiſsima eſt oratio Pauli ad Hebræos 13. Deus pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet vos in omni bono,vt faciatis voluntatem eius: faciens in vobis quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum pri. Cor. 15. Denique Chriſtus ſurrexit primitiæ dormientium, vt nobis certam ſpem reſurrectionis faceret.Ipſe eſt enim caput corporis Eccleſiæ,qui eſt principiũ, primogenitus ex mortuis: qui autem primus eſt, ſolus eſſe non poteſt, neque caput deſeret ſua membra. Si enim, vt diuus colligit Paulus, Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.

De nono articulo, qui eſt: Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris. Cap. XXVII.

CONSVMMATIS his,quæ in terra gerebantur,& animabus de inferni captiuitate reuocatis, cõſummatoq; redemptionis myſterio, aſcendit in cælum: non ſecundũ deitatem, qua ſemper æqualis eſt patri, & vbique eſt, ſed ſecũdum hominem aſſumptũ, gloria & honore coronatum, ſubiectis ſibi omnibus, & quæ in cælo, & quæ in terra. Aſcendit in altum captiuam ducens captiuitatem, corporis aſpectum ſubducens diſcipulis,& animos eorum ad cæleſtia ſubuehens, promittens dona ſpiritus ex alto. Aſcẽdit au-

tem poſt quadraginta dies a reſurrectione: intra quos ſeipſum diſcipulis ſuis viuum præbuit, in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei. Pro maiori prædictorũ intelligentia eſt ſciendum: quòd differentia eſt inter aſcenſionem, aſſumptionem, & euolationem: quoniam aſcenſio pertinet ad Chriſtum, eo quòd fit propria aſcendentis virtute. Vnde de dicta aſcẽſione loquebantur Angeli dicentes Eſa. 63. Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra, gradiens in multitudine virtutis ſuæ? & Mich. 2. de Chriſto dicitur: Aſcendet pandens iter ante eos. Sed quia beatus Leo Papa in ſermone de aſcenſione exponẽs illud verbum, Videntibus illis eleuatus eſt, inquit: cum audis eleuatum, agnoſce militiæ cæleſtis obſequium: In eo qui eleuat, diuinam potentiam: In eo qui eleuatur, humanam agnoſce naturam: ex conſequenti videtur, quòd fuerit eleuatus, & ita vectus. Cui arridet glo. ſuper illud pſal. 90. Angelis ſuis Deus mandauit de te, dicẽs: Manibus Angelorum ſublatus eſt Chriſtus in cælum. Dominus Alexãder de Ales in 3. parte ſuæ ſum. q. 23. membro 2. huic dubio reſpondet diſtinguendo: quòd videlicet ferri dicitur bifariã. Vno modo neceſsitate ſuſtentationis, quando ſcilicet virtus corporis nõ eſt ſufficiens per ſe ad complendum motum. Alio modo obſequio venerationis: ſicut Papa fertur a ſuis miniſtris, & Rex a ſuis. Cum ergo dicitur, corpus Chriſti fuit latum per Angelos in aſcẽſione, hoc ſolum fuit obſequio venerationis, & non neceſsitate ſuſtentationis: ſic enim intelligunt Leo papa, & glo. quæ dicit: & in manibus portabunt te, ideſt Angeli, qui obſequebantur Regi. Quo etiam ſenſu intelligitur illud pſal. 67. Currus Dei decẽ millibus, multiplex millia lætantium. Secundũ igitur propriã virtutem aſcendit, quod hoc modo exponitur, quia ſecundum diuum Thom. tertia parte ſummæ art 3. in Chriſto duplex eſt natura, diuina ſcilicet & humana: & ſecundum vtramque poteſt accipi propria virtus eius. Secundum humanã adhuc poteſt Chriſti virtus accipi: vel pro naturali, quæ procedit ex principiis naturæ, & tali virtute manifeſtum eſt, quòd Chriſtus non aſcendit in cælum: vel pro virtute gloriæ, ſecundum quam Chriſtus aſcendit in cælum: cuius virtutis rationem aſsignat ex parte glorificatæ animæ, ex cuius gloriæ redundantia glorificabatur corpus, vt inquit beatus Auguſtinus ad Dioſcorum. Erit enim tanta obedientia corporis glorioſi ad animam beatam ſecundũ eundem 22. de ciuitate Dei, vt certe vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus: nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſsit decere, nec corpus. Decet autem corpus glorioſũ & immortale eſſe in loco cæleſti: & ideo ex virtute animæ volentis

corpus Chriſti aſcendit in cælum. Chriſtus igitur aſcendit in cælũ non modo virtute diuina, ſed & virtute animæ glorificatæ mouẽtis corpus, vt ipſamet vult. de quo glo. ſuper illud ad Eph. 4. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit? inquit: Conſtat, quòd ſecundum humanitatem Chriſtus deſcendit, & aſcendit. Aſſumptio autem virginis virtute Chriſti aſſumentis fit, quia filius ſpecialiter obſequitur matri: Euolatio vero fit miniſterio Angelorum. Alia poſſet etiam aſsignari differentia, quia locus euolantiũ eſt diſtinctio chororum: locus vero aſſumptæ virginis eſt ſupra choros Angelorum: locus vero Chriſti aſcendentis eſt ſupra vel vltra locũ beatæ virginis. De hac Chriſti aſcenſione dicitur Eſa. 63. Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Et beatus Gregorius in homil. aſcẽſionis ait: quòd legitur Elias in curru aſcendiſſe, vt videlicet aperte demõſtraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noſter, non curru, non Angelis ſubleuatus legitur, niſi eo modo, quo dictum eſt ſupra, videlicet obſequio venerationis: quia qui fecerat omnia, ſuper omnia ſua virtute ferebatur. Vnde Auguſtinus in ſermone tertio de aſcenſione ait: De noſtro fuit, quòd filius Dei pepẽdit in cruce: ſed de ſuo, quòd aſcendit. Ex ſupradictis patet, quomodo ſecũdum naturam diuinam, & quomodo ſecundum humanam aſcẽdit. Quòd autem aſcenderet, fuit cõuenientiſsimum: dixit enim de ſeipſo Io. 20. Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum: Et ratio eſt, quia locus debet eſſe proportionatus locato. Chriſtus vero poſt reſurrectionem vitam immortalem & incorruptibilem inchoauit. Locus autem in quo habitamus, eſt locus generationis & corruptionis: Cæleſtis autem locus eſt incorruptiſsimus: ideo nõ fuit conueniens, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem remaneret in terris: ſed condecens, vt aſcenderet cælum. Nihil enim ſibi ipſemet adauxit quantum ad ea, quæ ſunt de eſſentia gloriæ animæ & corporis: ſed ſibi addidit aliquid quoad loci decentiam, quod eſt ad bene eſſe gloriæ: de qua decentia gaudium quoddã habuit, non de nouo aſcendendo, ſed quia nouo modo de hoc gauiſus eſt, ſicut de re completa. Vnde glo. ſuper illud pſal. 15. Delectationes in dextera tua vſque in finem, dicit: Delectatio & lætitia erit mihi in conſeſſu tuo humanis obtutibus ſubtracto. Ipſa autem aſcenſio Chriſti in cælum, qua corporalem ſuam præſentiam nobis ſubtraxit, magis fuit vtilis nobis, quàm fuiſſet præſentia ſua corporalis: licet quoad diuinitatem & euchariſtiæ ſacramentum ſit ſemper futurus nobiſcũ, iuxta illud Matth. vlt. Ecce ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Primo quidem propter fidei augmẽ-

tũ, quæ eſt de non viſis : Vnde Saluator diſcipulis Ioan .16. inquit: Quòd ſpiritus ſanctus adueniens arguet mundum de iuſtitia, eorum ſcilicet, qui credunt, vt dicit Auguſtinus ſuper Ioannem. Erit igitur veſtra iuſtitia, de qua mundus arguetur: quoniam in me,quẽ non videtis, creditis. Secundo ad ſpei ſubleuationẽ : Vnde ipſemet de ſe ipſo Ioan. 14. ait. Si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis : vbi enim fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ Matth. 24. Tertio ad dirigendum charitatis affectum in cæleſtia : vnde dicitur ad Coloſſen. 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens : quæ ſurſum ſunt ſapite, nõ quæ ſuper terram : & Ioan. 16. expedit vt ego vadam : ſi enim non abiero paraclitus non veniet ad vos : ſi autem abiero, mittam vobis eum : vbi Auguſtinus. Non poteſtis capere ſpiritum, quandiu ſecundum carnem noſſe perſiſtitis Chriſtum : Chriſto autem deſcendẽte corporaliter, non ſolũ ſpiritus ſanctus, ſed etiã pater & filius aderit ſpiritualiter.

Quomodo Chriſtus aſcẽderit ſuper omnes cælos & omnẽ creaturã : & an dicta aſcẽſio fuerit noſtræ ſalutis cauſa. C. XXVIII.

CONCLVSIO affirmatiua certa eſt ex ſcriptura, quòd ſcilicet Chriſtus Dominus noſter aſcendit ſuper omnẽ creaturã. Vnde ad Eph. 4. dicitur : Aſcẽdit ſuper omnes cælos,vt adimpleret omnia. & ratio eſt : quia quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem diuinã, tanto ſunt ſuperiora corporali ordine, qui eſt ordo localis. Vnde videmus,quòd corpora,quæ sũt magis formalia, ſunt naturaliter ſuperiora per philoſophũ 4. phy. &. 2. de cælo. Per formam enim vnumquodque corpus participat diuinũ eſſe. Plus autem participat de diuina bonitate corpus per gloriam, quàm quodcunque corpus naturale per formã ſuæ naturæ. Modo inter cetera corpora glorioſa manifeſtum eſt, quòd corpus Chriſti maiori refulget gloria : ideo conuenientiſsimum eſt ſibi, quòd ſit ſuper omnia corpora conſtitutum in alto. Vnde glo. ſuper illud ad Eph. 4. Aſcendens in altum, dicit : loco ſcilicet, & dignitate. & licet dicatur, quòd ſedes Dei ſit in cælo, hoc non eſt verum ſicut in continente, ſed magis ſicut in contento. Vnde non oportet aliquã partem cæli eo ſuperiorem eſſe, ſed ipſum eſſe ſuper omnes cælos : de quo in pſal. 8. Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus. Corpora etiam glorioſa non indigent cõtinentia cæleſtis corporis, cum nihil recipiant a corporibus cæleſtibus, ſed a Deo mediante

anima. Vnde dicit Tho. parte. 3. ſuæ ſummæ q. 57. art. 4. Quòd nihil prohibet corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam cæleſtium corporum, & non eſſe in loco cōtinente. Nec oportet ex hoc inferre, quòd extra cælum ſit vacuum: cum nō ſit ibi locus, nec eſt ibi potentia aliqua ſuſceptiua alicuius corporis; ſed facultas illuc perueniendi eſt in Chriſto. Quòd autem Ariſt. 2 cæli dicit, extra cælum non eſſe corpus, intelligendum eſt de corpore in puris naturalibus conſtituto. Corpus enim glorioſum non habet ex principiis ſuæ naturæ, quòd poſsit in cælo aut ſupra cælū eſſe: ſed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit gloriā. Et ſicut motus glorioſi corporis ſurſum non eſt violentus, ita nec quies violenta: vnde nihil prohibet eam eſſe ſempiternam. Nubes etiam illa, quę ſuſcepit eum ab oculis diſcipulorum Act. pri. nō præbuit adminiculum Chriſto aſcendenti per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignū diuinitatis, ſecundū quod gloria Dei Iſrael apparebat ſuper tabernaculum in nube. Dicimus vltra, quòd aſcēdit ſuper omnes ſpirituales creaturas, ideſt Angelos: Vnde ad Eph. pri. inquit Apoſtolus: Conſtituit illum ſupra omnem principatum & poteſtatem, & ſupra omne nomen, quod nominatur ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro. Alicui enim rei tanto debetur altior locus, quanto eſt nobilior, ſiue debeatur ei locus per modum contactus corporalis, ſicut corporibus: ſiue per modum contactus ſpiritualis, ſicut ſpiritualibus ſubſtantiis, quibus ſecundum quandam congruentiam debetur locus cæleſtis, qui eſt ſupremus locorum: quia illæ ſubſtantiæ ſunt ſupremæ in ordine ſubſtantiarum. Corpus vero ſaluatoris noſtri, licet conſiderando conditiones naturæ corporeæ ſit infra ſpirituales ſubſtantias, conſiderando tamen vnionis dignitatem, qua eſt perſonaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium ſpiritualium ſubſtantiarum: Ideo propter hoc debetur ſibi locus altior vltra omnem creaturam etiam ſpiritualem. Vnde beatus Gregorius in homil. aſcenſionis inquit. Quòd qui fecerat omnia, ſuper omnia ſua virtute ferebatur. Pro vltima parte præſentis capitis, quæ eſt, an Chriſti aſcenſio ſit cauſa noſtræ ſalutis, Dicimus de mente beati Tho. vbi ſupra art. 6. Quòd ſic: de qua ipſemet Ioan. 16. dicit: Expedit vobis, vt ego vadam, ideſt recedam a vobis per aſcenſionem: & hoc tam ex parte noſtri, quàm ex parte ipſius. Ex parte noſtri, inquantum per Chriſti aſcenſionem mens noſtra mouetur in ipſum: quia per eius aſcenſionem augetur fides, ſubleuatur ſpes, & charitatis affectus erigitur in cæleſtia, vt dictum eſt ſupra. Et vltra hoc reuerentia noſtra augetur ad ipſum, dum nō iam exiſtimamus eum ſicut hominem terrenum, ſed ſicut

Deum cæleſtem, vt inquit Apoſtolus ſecundæ Cor. 5. Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ideſt mortalem, per quod putauimus eum tantum hominem, vt glo. exponit: nunc iam non nouimus eum talem, ſed iam immortalem effectum: Ex parte autem ſui quantum ad ea, quæ ipſe fecit, aſcendit propter noſtram ſalutē triplici ex cauſa. Primo quidem, quoniam viam nobis præparauit aſcendendi in cælum, prout ipſemet dicit Ioannis 14. Vado parare vobis locum: quia enim ipſe eſt caput noſtrum, oportet illuc ſequi membra, quo caput præceſsit. Vnde ipſe ibidē ſubdit. Vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Et in ſignum huius, animas ſanctorum, quas de inferno eduxerat, in cælū traduxit: quia videlicet eos, qui fuerant a diabolo captiuati, ſecum duxit in cælum, quando captiuam duxit captiuitatem, quaſi in locum peregrinū humanæ naturæ bona captione captiuos, vt pote per victoriam acquiſitos. Secundo, quia ſicut Pontifex in veteri teſtamento intrabat ſanctuariū, vt aſſiſteret Deo pro populo: ita & Chriſtus intrauit cælum ad interpellandum pro nobis ad Hebr. 7. Ipſa enim repræſentatio ſui ipſius ex natura humana, quam in cælum intulit, eſt quædam interpellatio ꝓ nobis: vt ex quo Deus humanā naturā ſic exaltauit in Chriſto, etiā eorū miſereatur, pro quibus filius Dei humanā naturā aſſumpſit. Tertio, vt in cælorum ſede quaſi Deus & homo conſtitutus, diuina dona hominibus mitteret, ſecundum illud ad Eph. 4. Aſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia, ſcilicet donis ſuis ſecundū glo. Eſt igitur Chriſti aſcenſio cauſa noſtræ ſalutis, non per modum meriti, ſed per modum efficientiæ, ſicut dictum eſt de reſurrectione. Et licet paſsio Chriſti ſit cauſa noſtræ aſcenſionis in cælum proprie loquendo per remotionem peccati prohibentis, & per modum meriti: aſcenſio tamen Chriſti eſt directe cauſa aſcenſionis noſtræ, quaſi inchoando ipſam in capite noſtro, cui oportet membra coniungi. Et vltra hoc dicit beatus Thomas vbi ſupra, quòd Chriſtus ſemel aſcendens in cælum adeptus eſt ſibi & nobis perpetuum ius & dignitatem cæleſtis manſionis, cui tamen dignitati non derogat, ſi ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quandoque corporaliter ad terram deſcendat, vel vt oſtendat ſe omnibus ſicut in iudicio, vel vt oſtendat ſe alicui ſpecialiter ſicut Paulo, de quo habetur Act. 9. Vnde ipſemet Paulus pri. Cor. 15. teſtatur, quòd ſibi apparuit ad confirmandam reſurrectionis fidem, dicens: Nouiſsime omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi: quæ quidem viſio veritatem reſurrectionis non probaret, niſi verum Chriſti corpus viſum fuiſſet ab eo. Ex præfatis circa aſcenſionem Chriſti ſunt octo conſideranda, quæ circunſtant aſcenſionem. Primum, quòd eleuatus eſt videntibus

bus

bus omnibus diſcipulis Act.pri.vt deſiderium eundi ad eum excitaretur in eis. Secundum, quòd nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum Luc. 24. Vbi per vmbrã nubis figuratur, quòd in hoc mortali corpore Ieſum in alto videre non poſſumus. Tertium, quòd eleuatis manibus ferebatur in cælum: Eleuauit autem manus, & vt ſuos patri offerret, & vt inimicos alte retracta manu percuteret. Quartum, quòd benedixit eis, vt eos contra hoſtem muniret, & bonis cæleſtibus impleret. Quintum, quòd aſcendit in iubilatione: quod refertur ad vocem iocunditatis redemptorum aſcendentium cum ipſo, qui prius voce lachrymabili in portis inferni clamauerunt: Adueniſti deſiderabilis, quem expectabamus in tenebris pſal. 46. Sextum, quòd aſcendit in voce tubæ, quod refertur ad ſonum prædicationis Apoſtolorum, qui ſonus fuit eis iniunctus Matth. 28. Euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ: Ex tunc enim in omnem terram exiuit ſonus eorum. Septimum eſt, quòd aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, ideſt captiuos captiuitate inferni, quos ſecum victor captiuos eduxit ad Eph. 4. Vltimum, quòd dedit dona hominibus: quia omnia bona noſtra deſurſum ſunt, quò Chriſtus aſcendit pſal. 67.

De Seſsione Chriſti ad dexteram patris. Cap. XXIX.

DE Seſsione Chriſti ad patris dexteram loquitur Damaſcenus lib. 4. de orthodoxa fide c. 2. dicens: Cõſeſſum Chriſti ad dexteram patris intelligere debemus ſublimationem eius, & exaltationem in beatitudine cæleſti ſuper omnem creaturam, & ad æqualem cum patre honorificentiam & ſubleuationem, ad quam ſecundum captum ſuæ conditionis noſtram ſubuexit ſibi vnitam naturã: Nunc autem Chriſtus non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo, propter idemptitatem hypoſtaſeos gloriam & honorẽ habet ſuper omnia. Exaltauit enim illum Deus propter humiliationem & obedientiam vſque ad mortem, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris ad Philip. 2. & ad Eph. pri. Pater Chriſtũ conſtituit ſuper omnem principatum, poteſtatem, dominationem, & virtutem, & ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Chryſoſtomus etiam exponens illud ad Hebr. pri. de Chriſto, videlicet, Sedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis, ait: non loco concludit Deum, ſed oſtendit homi-

nem Chriſtum omnibus altiorem & eminentiorem: & per dexterã non Deum deformauit, ſed ſimilitudinem honoris demonſtrauit. Confeſſus enim nihil aliud demonſtrat niſi honoris æqualitatem,& quòd ſublimatus eſt Chriſtus ad æqualitatem patris:Si enim humano more loquamur, non poſſet quiſpiam auguſtæ auctoritatis,& inſigni dignitate præditus,alterum ſibi familiarem maiori honore afficere, aut illum euidentius ſibi poteſtate adæquare, quàm ſi ipſum ad dexteram ſuam aſciuerit, & ſibi collateralem collocauerit. Porro nonnulli conſeſſum Chriſti ad dexteram patris interpretantur (& non abſurde) iudiciariam poteſtatem vniuerſorum ipſi a patre traditam, a quo conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum. Nõ enim pater iudicat quempiam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes eum honorificent, ſicut honorificant patrem. Poteſtatem dedit ei iudicium facere, vt habetur Io. 5. quia filius hominis eſt. Enimuero iudicis eſt, cum cauſam examinat, & fert ſententiam, ad maturitatem animi & prudentiam diſcuſſionis propoſitæ rei exprimendam ſedere. Proinde Angeli continuo poſt aſcenſionem Chriſti diſcipulis denuntiarunt futurum eius aduentum ad iudicium,dicentes: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. De ſeſſione eius ad dexteram habetur Mar. vlt. vbi dicitur: Dominus Ieſus poſtquã locutus eſt eis,aſcendit in cælum,& ſedet a dextris Dei. Sanctus vero Thom. par. 3. q. 58. art. pri. dicit: quòd nomine ſeſſionis intelligere poſſumus vel quietem, ſecundum illud Luc. vlt. Sedete hic in ciuitate: vel regiam aut iudiciariam poteſtatem, iuxta illud prouer. 20. Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſsipat omne malum intuitu ſuo: utroque enim modo conuenit Chriſto ſedere ad dexteram patris. Primo, quia æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine patris, quæ eius dextera dicitur ſecundum illud pſal. 15. Delectationes in dextera tua vſque in finem.Et beatus Auguſtinus in lib. primo de Symbolo vel regula fidei ad cathecumenos, per ſedere ad dexteram patris, inquit, intelligite habitare: eo modo, quo dicimus de quocumque homine,in illa patria ſedit per annos tres:Sic ergo credamus Chriſtũ habitare in dextera Dei patris: beatus enim eſt, & ipſius beatitudinis nomen eſt dextera patris. Vnde glo. ad Eph. pri. ſuper illud, Conſtituens illum ad dexteram, dicit: ideſt æternam beatitudinem. Secundo Chriſtus ſedere dicitur in dextera Dei patris inquantum patri corregnat, & ab eo habet iudiciariã poteſtatem: ſicut ille, qui conſidet Regi ad dexteram, aſſidet ei in regnando & iudicando. Vnde idem Auguſtinus in alio ſermone de Symbolo inquit. Ipſam dexteram intelligite poteſtatem, quam ac-

cepit

cepit ille homo ſuſceptus a Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus. Item beatus Gregorius in homil. aſcenſionis ait: Sedere iudicantis eſt, ſtare vero pugnantis, vel adiuuantis. Stephanus in labore certaminis poſitus, ſtantem vidit Ieſum, quē adiutorem habuit Act. 7. Sed eundem poſt aſcenſionem Marcus ſedere deſcribit, quia poſt aſcenſionis ſuæ gloriam iudex in fine videbitur. Dominus vero Alexander de Ales par. 3. q. 24. memb. pri. inquit: Quòd ſedere ad dexteram patris ſoli Chriſto cōuenit, & nulli corporeæ creaturæ, immo nec Angelis: de quibus ad Heb. pri. Cui enim Angelorum aliquando dixit, Sede a dextris meis? quaſi dicat nulli. Sed notandum ſecundum dictum doctorem vbi ſupra, quòd hæc duo differunt, videlicet eſſe ad dexteram patris, & ſedere ad dexteram patris: quia eſſe ad dexteram, etſi poſſit conuenire alteri a Chriſto, non tamen ſedere ad eius dexteram: quia ſedere importat vnionem, vel æqualitatem, aut quandam beatitudinis communionem cum patre: quod nulli alij a Chriſto conuenit: Eſſe vero ad dexteram, eſt eſſe in æterna beatitudine: quod bene alijs a Chriſto conuenit. Vnde Chryſoſtomus: Locus ille, ideſt conſeſſus dexteræ, inuius eſt omnibus non ſolum hominibus, ſed etiam Angelis. Et licet filij Zebedæi peterent medio matris, quòd vnus ſederet ad dexteram, alter ad ſiniſtrā in regno Chriſti: beatus tamē Thom. vbi ſupra exponit ſic, quòd non petebāt ſedere ad dexteram patris, ſed excellentiam habere præ aliis in participando iudiciariā Chriſti poteſtatem. Et ſi adducatur illud Apoſtoli ad Eph. 2. Quòd conſedere nos fecit in cæleſtibus, intelligitur in hoc ipſo, quòd caput noſtrum ſcilicet Chriſtus ibi ſedet. Addit dominus Alex. vbi ſupra mem. 2. Quòd cōſeſſus in dextera patris poteſt intelligi vel ſecundum rationem æqualitatis, vel ratione vnionis ad illum, qui eſt æqualis patri: ſi primo modo, ſic Chriſto non conuenit iſte cōſeſſus ſecundum humanam naturam, vt (ſecundum) dicit cōditionem naturæ. Si vero intelligatur ſecundum rationem vnionis ad illum, qui eſt æqualis patri, ſic conuenit Chriſto ſecūdum quod homo. Vbi (ſecundum) dicit vnitatem perſonæ: Conuenit enim humanitati Chriſti vniri in vna perſona filij Dei, qui eſt æqualis patri: quomodo ſecundum Damaſc. adoratur vna hypoſtaſis cum carne ab omni creatura: De qua loquitur Leo Papa, & glo. ſuper illud: Et occurſus eius, dicens, quòd occurit plenitudine diuinitatis ad æqualitatem patris, quæ plenitudo eſt per vnionem ad diuinitatem. Et ſi iterum quæratur, an ſpiritui ſancto conueniat ſedere ad dexteram patris, Reſpondet idem Alex. vbi ſupra mem. ter. quòd eſt lo qui de æqualitate propria, vel per appropriationem. Pro vt ſumitur

mitur proprie, nõ dicit aliud æqualitas in diuinis, niſi diuinam eſſentiam vel virtutem, quæ nõ eſt maior in vna perſona, quàm alia, ſed vna eadé, in qua coæquantur perſonæ: hoc modo eſt vna æqualitas in diuinis perſonis, ſicut vna eſſentia. Vnde æqualitas eſt ipſa diuina eſſentia. Alio modo ſumitur æqualitas in diuinis ſecundum appropriationem, vt dicatur æqualitas conformitas in notione: & hoc modo appropriatur filio. Aequalitas enim, vt dicit cõformitatem in eſſentia diuina & virtute, conuenit cuilibet perſonæ: quo etiam modo ſedere ad æqualitatem patris conuenit ſpiritui ſancto. Sed ſi ſedere ad patris æqualitatem ſumatur ſecundum appropriationem, quæ eſt conformitas in notione, (quia ſicut pater eſt perſona, a qua alia eſt per ſpirationem, ſic eodem modo filius eſt perſona, a qua eſt alia perſona per eandem ſpirationem)hoc modo ſoli filio & non Spiritui ſancto cõuenit ſedere ad dexteram patris. Ex prædictis epilogando concludimus, quòd nomine dexteræ tria intelligi poſſunt. Primum ſecundum Damaſc. Gloria & honor diuinitatis. Secũdum per Auguſtin. Beatitudo patris: Tertium per eũdemmet, Iudiciaria poteſtas. Seſsio enim vel habitationem, vt dictum eſt, vel Regiam ſeu iudiciariã dignitatem deſignat. Et ſic ſedere ad dexteram patris nihil aliud eſt, quàm ſimul cum patre habere gloriam diuinitatis, beatitudinem, & iudiciariam poteſtatem immutabiliter, & regaliter: & hoc cõuenit filio Dei, ſecundũ quod Deus. Vnde manifeſtum eſt, quòd Chriſtus, ſecundum quod Deus, ſedet ad dexteram patris: ita tamen quòd hæc præpoſitio(ad)quæ tranſitiua eſt, ſolam diſtinctionem perſonalem importat, & originis. Dicimus vltra pro maiori declaratione eorum, quæ dicta ſunt, quòd duo intelliguntur per dexteram. Primum æqualitas Maieſtatis, ad quam Chriſtus ſedet ſecundum diuinitatem: de qua dextera loquitur Apoſtolus ad Hebr. 8. Talem habemus pontificem, qui conſidet in dextera ſedis magnitudinis in cælis. Secundũ eſt, quòd per dexteram intelligũtur potiora bona glorię, in quibus Chriſtus ſedet ſecundum humanitatem: quoniã collatum eſt ei a Deo quicquid conferri potuit. Et licet ab inſtanti conceptionis Chriſtus acceperit bona gratiæ & gloriæ in anima, eadem tamen bona fuerunt in aſcenſione manifeſtata, & in loci congruentia completa. De hac dextera dicitur ad Coloſſ. 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Vnde ſuper illo loco glo. inquit: quòd ſurſum, vbi ſedet Chriſtus, ſunt potiora bona gratiæ & gloriæ. Dicimus ergo, quòd aſcẽſio Chriſti fuit tam ad locum, quàm ad dignitatem: inquãtum fuit ad locum, ſic aſcendit ſuper omnes cælos, ideſt ad digniſsimum locum cæli empyrei, ſiue ad altiſsimã

eius partem : eo quòd nobiliſsimo Chriſti corpori congruit locus talis : non tamẽ dicimus , quòd corpus eius ſit obligatum ad locũ illum , ſed quia locus ille ſit ſibi ſecundum congruentiam deputatus . Inquãtum autẽ aſcenſio fuit ad dignitatẽ , ſic ſedet ad dexteram patris , non tamen quoad ſitum , qui patri non cõuenit, ſed quoad duplicem excellentiam præfatam :quia , vt dictum eſt , per dexteram intelligitur vel æqualitas maieſtatis, quæ competit Chriſto ſecundum diuinitatem:vel perfectio præmij , quæ ſibi competit ratione humanitatis. Merito igitur Chriſtus ſedere dicitur ad dexteram Dei : Sedere quidem , quia laborauit , pſal . 87 . In labore fui a iuuentute mea : Ad dexteram autem , quia diu fuit in ſiniſtra aduerſitatis , de qua pſal . 37 . Afflictus ſum , & humiliatus ſum nimis : Dei , quia poſt abiectionem merito debet conſequi gloriam , iuxta illud: Qui ſe humiliat, exaltabitur Luc . 14. Vide quantum Chriſto debeas, vt enim te a ſeruitute diaboli redimeret, factus eſt homo : & vt certus de liberatione tua eſſes, tradidit ſe in mortem, animam ſuam pro te poſuit , teq; pretioſo ſanguine ſuo redemit , vt in nouitatem vitæ reſurgeres, & certa fiducia crederes , te in illo extremo die eodem,quod geſtas,ſed glorificato,corpore reuicturũ. Ipſe primus a mortuis reſurrexit, vt ſcires, vnde petenda eſſet felicitas: & vt hoc mundo non aliter , quàm peregrinus ac in tranſitu vtereris , aliam inquirens patriam : omnemq; curam ad illam cæleſtem æternamq; vitam transferres , ſubuehendus tandem in terrã viuentium . Ipſe primus aſcendit in cælũ, vt non timeres vel a mũdo , vel a morte , vel a diabolo . Sedet ad dexteram virtutis Dei paratus miſereri tui : Ideo enim, vt Paulus ait ad Hebr . 2 . debuit per omnia fratribus aſsimilari : vt miſericors fieret , & fidelis pontifex ad Deũ : & vt repropitiaret peccata populi . In eo enim,in quo paſſus eſt illa & tentatus, potens eſt eis, qui tentantur, opitulari.

De decimo articulo , videlicet:Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos . Cap. XXX.

DIVVS Bernardus in aduẽtu Domini ſuper verbis Eſaiæ ad Achaz ſermone ſecũdo, inquit : Triplicem aduentum Chriſti nouimus, ſcilicet ad homines, in homines,& contra homines . In primo venit in carne & in infirmitate : In ſecundo in ſpiritu & virtute : In tertio in gloria & maieſtate . In primo Chriſtus fuit redemptio noſtra : In ſecundo requies & conſolatio noſtra : In vltimo apparebit gloria & vita noſtra , Primum expoſuimus in articulo de conce-

ptione

ptione & incarnatione Chriſti: de ſecundo ſubiungemus nonnulla hic: ſed de tertio diffuſe diſſeremus. Secundus igitur aduentus eſt in mentem per gratiã gratum facientem: licet enim Deus cõmuniter ſit in omnibus rebus, ſicut cauſa in ſuis effectibus bonitatẽ ipſius participantibus, (& hoc aut per eſſentiã, eo quòd adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi: aut per potẽtiã inquantum omnia poteſtati eius ſubduntur: aut per præſentiam, eo quòd omnia nuda & aperta ſunt oculis eius ad Hebr. 4.) nouo tamen modo exiſtit, vbi prius erat per hunc ſecundum aduentum. Nouus autem modus, ſecundum quem Deus eſt in creatura rationali per hunc ſecundum aduentum, eſt ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante: Cognoſcere autem Deum, & amare Deum, inquantum eſt obiectũ beatitudinis, eſt per gratiã gratum facientem: Et ſic aduẽtus Chriſti in mentẽ, ſecundũ gratiã gratũ facientẽ intelligendus eſt. Quẽ aduentum diſiderabat ſapiens, cum dicebat ſap. 9. Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit per virtutem gratiæ gratificantis: & mecum laboret per dilectionem gratiæ ſubleuantis: vt ſciam quid acceptum ſit apud te per ſplendorẽ gratiæ illuſtrãtis. Petit igitur aduentum Chriſti in mentem, vt gratificetur quoad modum eſſendi: & cõſoletur quoad ſtatum viuẽdi: & illuſtretur quoad actũ intelligẽdi. Et de hoc aduẽtu ſparſim dictum eſt in tractatu ſacramẽtorũ: per quæ tanquã per ſigna ſenſibilia cõferũt nobis gratia, vel eius augmẽtũ, aut effectus gratuitus. In hoc articulo diſſeremus tantum de tertio aduentu, de quo Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate. Scotus doctor ſubtilis diſt. 47. 4. ſen. q. pri. ponit nonnullas congruentias dicti iudicii vniuerſalis, ex quo ipſũ non poteſt rationibus naturalibus demonſtrari. Inter quas prima eſt, quia congruum eſt finaliter ſeparari omnes malos ab omnibus bonis: ex quo malus non communicat bono, niſi vel vt malus corrigatur, vel vt bonus per eum exerceatur, iuxta illud Auguſtini ſuper pſal. 54. Nunc autem veniet finalis determinatio, vbi nec vltra boni exerceantur, nec mali corrigantur: Et ex conſequenti congruum eſt, ferri finaliter generalem ſententiam, et generale iudicium eſſe, vt ſeparatio illa generalis appareat iuſta. Secunda, quia in ſecretis iudicijs, quæ fiunt circa ſingulas perſonas, licet ſit iuſtitia, non tamen omnibus manifeſta. Rationabile eſt ergo, quòd Deus habeat aliquod iudicium generale, in quo manifeſtetur ſententia vel iuſtitia ſua, quam exercuit in iudicijs particularibus. Tertia & vltima eſt, quæ ẽt melior eſt: quia propter hoc, quòd vnuſquiſque aſcribitur regno vel carceri, tota multitudo ordinata ad regnũ debet

bet

bet aliquando determinari ad poſſidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, vt ſic ſit ſequeſtratio duarum familiarũ ſeu ciuitatum, de qua Auguſtinus per totum de ciuit. Dei. Licet ergo ſingulariter nunc iſte, nunc ille aſcribatur regno: nunc iſte, nunc ille carceri: tamen congruum eſt aliquod iudicium generale futurũ eſſe, per quod tota multitudo præuiſa ad regnũ mittatur in poſſeſſionem illius, & tota alia relinquatur carceri. Notandum prętereà multa ſigna ſecundum ſcripturam & doctores eſſe, vltimum Chriſti aduentum antecedentia. Nos ſeptem prima breuiter, vt ſatis nota, percurremus: deinde cetera partim in præſenti partim in ſequẽti capite pluribus perſequemur. Primum igitur ſignum eſt ipſa iniquitatis abundantia, & fidei ac charitatis defectus ſecundum illud Luc. 18. Filius hominis veniens, putas ne inueniet fidem in terra?& primæ ad Tim. 4. Quòd in nouiſſimis temporibus diſcedent quidã a fide: & Matth. 24. Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Secundum bellorum commotio, de qua Matth. 24. Audituri eſtis prælia & opiniones præliorum: & Mar. 13. Exurget gens contra gentem: ſimiliter & Luc. 21. Et in terris preſſura gentium. Tertium fames Matth. 24. & Mar. 13. Erit fames per loca: & Luc. 21. Areſcẽtibus hominibus, ſcilicet famis inedia. Quartum peſtis, Matth. Mar. & Luc. vbi ſupra, Erunt peſtilentiæ per loca. Quintum terremotus per loca, vt dicunt tres Euangeliſtæ præfati in dictis locis. Sextum diſceſſio, de qua Apoſtolus 2. ad Theſſ. 2. Rogamus ne terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquã per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini: Nemo vos ſeducat: quoniam niſi venerit diſceſsio primum ab obedientia Romani imperij, ac etiã ab obedientia romanæ Eccleſiæ, & fidei catholicæ, vt dicit beatus Tho. opuſculo 60. non erit iudicium. Septimum eſt prædicatio euangelij in vniuerſo mundo, vt habetur Matth. Marc. & Luc. vbi ſupra: Ex quibus tamen ſeptem uulgaribus ſignis non poteſt inferri certitudinaliter aduẽtus Xp̃i ad iudicium, cum a præfatis Euangeliſtis dicatur, quòd oportet hæc primum fieri, ſed nondum finis. Vnde beatus Matthæus addit: p̃dicabitur Euangelium regni in vniuerſo mundo in teſtimoniũ omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Octauum eſt Antichriſtus cum veritatis cõtradictione, de quo Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. cùm glo. inquit: Non veniet ad iudicium Dominus, niſi prius, vt dictum eſt, fiat diſceſſio a romano Imperio, ſiue Eccleſiarũ a ſpeciali obedientia romanæ Eccleſiæ, ſiue hominum a fide: Et niſi manifeſtus fiat homo, peccati ſeruus ſcilicet, & fons, Antichriſtus filius perditionis, ideſt diaboli, qui aduerſabitur Chriſto in membris

bris ſuis. Extolletur enim ſuper omne, quod falſa opinione dicitur, aut colitur Deus, vt ſunt Dij gentium: ita vt in templo Dei ſedeat a Romanis deſtructo, quod Iudæi reædificabunt. Naſcetur autem Antichriſtus in Babylone de tribu Dan reprobata, ſicut dicit glo. ſuper Apocalypſim, & beatus Ambroſius in libro de benedictionibus patriarcharum: Fuit enim Dan filius Iacob ex Bala concubina ancilla Rachelis. Poſt hæc veniet in Hieruſalem, & circuncidet ſe, dicens Iudæis ſe eſſe Chriſtum in lege promiſſum. Vnde plebs Iudæa ſpecialiter ei adhærebit, vt dicit Haymo ſuper Apocalypſim c. 11. Donec Enoch & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint ſaluandi, ad Chriſtum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichriſto ad cuſtodiam, ſed quando veniet in profundum malorum, & obſtinabitur taliter in peccato, quòd dicet ſe eſſe Deum: & extollet ſe ſuper omne, quod dicitur Deus, aut colitur, vt inquit Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. tunc deſeret eum Angelus bonus ex toto, nec habebit eum poſtmodum ad protectionem, ſed ad accuſationẽ, vt inquit Viguerius in tractatu de iudicio vniuerſali de mente beati Thom. Ipſe autem erit incontinentiſsimus Dan 11. In aperto tamẽ per hypocriſim ſimulabit caſtitatem, & ſanctitatem, vt alios facilius decipere posſit. Cor ſuum per ſuperbiam magnificabitur contra Principem principum conſurgens, ideſt contra verum Deum, vt dicit glo. ſuper 8. cap. Danielis. Intantum enim eleuabitur per ſuperbiã, vt leges & ceremonias mutare conetur: Tantæq; præſumptionis erit, quòd non putabit ſe a Deo puniendum propter hoc, quòd iudicium differtur pſal. 9. Auferuntur iudicia tua a facie eius. Erit & blaſphemus, vt dicitur Apoc. 13. vnde Daniel 11. capite ſui libri inquit: Aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica. Et ad maiorem Dei contumeliã faciet imaginem ſuam adorari: & omnes ſuo charactere ſignari in manu dextera, & frontibus ſuis. Confitebitur enim vere ſe filium Dei & hominis. Affirmabit ante ſe nullum fuiſſe Chriſtũ, ſed Antichriſtos, vt dicit glo. ſuper 2. ad Theſs. 2. Quia ſicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis habitat ad Coloſs. 2. ita & in Antichriſto plenitudo omnis iniquitatis: ex quo in eodẽ erit caput omnium malorum diabolus. Vnde glo. ſuper illud Matth. 24. Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto, dicit: hoc eſt Antichriſtum ſedentem in templo ſancto Hieruſalem, & ſe adorari facientem.

De origine Antichriſti, de eius ſæuitia in Chriſtianos, deq; eius malis qualitatibus: ſimiliter & de Elia & Enoch, ac illorum morte & reſurrectione. Cap. XXXI.

H ORIGINEM

ORIGINEM huius Antichriſti referens dominus Damaſcenus libro 4.orthodoxæ fidei c. 27. Oſtendit plane eam ad ortum Chriſti oppoſito modo prorſus ſe habere: Nempe quia Chriſtus ex matre uirgine Spiritus ſancti virtute cõceptus & natus eſt ſupra naturæ legem, & cum ſumma mũditia, puritate, integritateq; matris. Antichriſtus autem non ex immaculato nuptiarũ toro, ſed ex turpi fornicatione iuconceſſoq; concubitu naſcetur: vt talia in eo iaciantur ab ipſo exortu ſuæ malitiæ fundamenta, qualia deinde cõſequentur eius opera: ſapit enim plerumque ramus ſuæ radicis naturam. Inſuper Chriſtus dominus noſter ab ipſo conceptus ſui articulo ſpiritu ſãcto fuit omniquaque plenus,& ſeptiformi illius dono repletus. Antichriſtus vero ſtatim ab ipſo natiuitatis exordio diabolico ſpiritu replebitur: cuius ſuggeſtione per tyrannidis violentiam inducet multos in ſuæ veſaniæ conſenſum: cum Saluator noſter per ſummam manſuetudinem, & benignitatem induxerit hominum corda in ſuæ doctrinæ & legis ſuſceptionem. Chriſtus item ipſam docuit veritatem, & cæleſtem hominibus diſciplinam attulit. Antichriſtus autem fraude, dolis, aſtu, & multiplici calliditate circumueniet homines, & ad ſuam pertrahet ſententiam,edoctus a patre mendacij, cuius ſuaſu & inductione tentabit omnia. Denique Chriſtus vera fecit miracula, mortuos ſuſcitauit, cæcos illuminauit, & leproſos mundauit. Antichriſtus vero ſigna mendacia & prodigia faciet inducẽtia hominibus admirationem, ſed ab eo, cui mille nocendi ſunt artes, & fraudum nomina mille, inſtructus: nulla ſecundum veritatem faciet miracula vel ſigna, ſed ad ſolam opinionem, phantaſiam, & apparentiam. Quæ omnia ex teſtimonijs ſcripturæ a Damaſceno in dicto capite adductis perſpicua ſunt. Ceterum quemadmodum tyranni, reges, & principes paulopoſt exordium legis euangelicæ ſuſcitarunt graues perſecutiones in Eccleſiã Dei, ita faciet & Antichriſtus, quinimmo longe acerbiores, & duriores, vt de tempore illius loquens Saluator Matthęi 24. conteſtatus fuerit: Quòd erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur, ſi fieri poteſt, etiã electi. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, nõ fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur. Breuiabuntur inquam non menſura, ſed numero: ne mora temporum fides concutiatur credentiũ: Graſſabuntur enim hęc mala tribus annis & dimidio, quemadmodum Daniel c. 12. dicit de Antichriſto: quòd durabit per tempus,

tempora, & dimidium tēporis. Inter omnes perſecutiones, quas a tyrannis perpeſſa eſt Eccleſia, illa maxime inſignis fuit crudelitate & ſæuitia perſequentiū, quæ imperatoribus Maximiano & Dioclitiano auctoribus facta eſt: cum & exquiſita tunc in profeſſores Chriſtiani nominis tormenta ſint excogitata, & illis irrogata. At perſecutio, quæ per Antichriſtum futura ab ore veritatis denuntiatur, grauior erit, & violentior, quàm quæcumque præterita infeſtatio Eccleſiæ. Veruntamen non deſeret ſuam dilectā ſponſam Deus tūc ſine adiutorio, neque deſtituet ipſam ſuo præſidio: ſed mittet duos propugnatores ſuos Eliam & Enoch, & conuertent ſicut dicitur Malach. vltimo, corda patrum in filios ad inſtructionem prę-teritorum de fide Saluatoris, inquantum & ipſi crediderūt, & cor filiorum ad patres eorum: vbi glo. Quia ſuſcipient fidem, quam illi habuerunt. De eorum prædicatione & ſancta conuerſatione dicit Apoc. 11. Dabo duobus teſtibus meis, ſcilicet Eliæ & Enoch, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis, glo. prædicantes pœnitentiam, & eiuſdem exemplum oſtendentes: Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra in cōſpectu Domini ſtantes: glo. ideſt lumen dantes aliis. Et cum finieriut teſtimonium ſuum, mouebit ſcilicet filius perditionis aduerſus eos bellum, & vincet eos, & occidet, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt: & videbunt de tribubus, & populis, & gentibus, & linguis, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et poſt tres dies & dimidium ſpiritus vitæ Dei virtute intrabit in eos, & ſtabunt ſuper pedes ſuos, & audient vocem magnam de cælo dicentē eis: Aſcēdite huc, & aſcendent in cælum in nube, & videbunt illos inimici eorum. De aduētu ſupradicto Eliæ dicitur Malachiæ vltimo: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis. Ex quo loco & ſupradicto Apoc. 11. elicio falſum eſſe, quod nonnulli aſſerunt, Mahumetem illum ſpurciſsimum, & execrādæ legis auctorem, fuiſſe verum in perſona Antichriſtum a ſacris literis prænuntiatum: cum nec tēpore ſuo, nec poſt eius mortem completa ſint, aut complenda videātur, quæ vētura ſunt circa finē mundi, præcipue quæ dicuntur de Elia & Enoch mittendis contra Antichriſtum. Tandem poſt horum ad cælū aſcēſum Deus occidet Antichriſtum ſpiritu oris ſui, vt dicitur 2. ad Theſſ. 2. vbi glo. ideſt in virtute ſpiritus ſui. Et ſubdit, quòd ſecūdū doctores occidetur in mōte Olиueti in papilione & ſolio ſuo, in illo loco, in quo Dominus noſter aſcendit ad cælos. Interfecto autē

Antichriſto non ſtatim veniet Dominus ad iudicium ſecũdum glo. Danielis 12. ſed concedentur quadragintaquinque dies ad refrigerium ſanctorum, & ad conuerſionem & pœnitẽtiam ſubuerſorũ. Miniſtri vero Antichriſti poſt mortem illius gaudebunt ducentes vxores, & dicẽtes. Licet princeps noſter mortuus ſit, habemus tamen poteſtatem, pacem, & ſecuritatem Matth. 24. Et cum talia dixerint, repentinus eis veniet interitus primæ Theſſ. 5. Iudæi vero tunc conuertentur ad fidem Hier. 33. et ſancta Eccleſia vſque in finem pacificata quieſcet: quia tunc fraudulentia & ſæuitia diaboli penitus vbique deficiet. Nonum principale præcedẽs iudiciũ, ſiue vltimum Chriſti aduentum, ſunt ſigna cum horribili coruſcatione. de quibus Luc. 21. Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis: & de quibus expreſsius Matth. 24. Quòd Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de cælo: quia lumine carebunt, vt dicit glo. Rabani, aſſerẽtis nihil prohibere veraciter intelligi ſolem & lunam cum ceteris ſyderibus ad tempus ſuo lumine priuari, ſicut de ſole conſtat factum tempore paſsionis: vnde Iohelis 2. dicitur: Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Quod quidẽ fieri poteſt diuina virtute, tum vt vicinum indicent Domini aduẽtum ſecundum glo. tum etiam ad terrorem hominum, vt ad reuerentiam iudicis venturi & ſubiectionem homines præparentur. Verum vt inferius dicetur, peracto die iudicij, & mundo innouato, maius lumẽ dictæ ſtellæ, ſimiliter ſol, & luna recipient, vt dicit glo. ſuper Matthæum. Decimum ſignum & poſtremum, quod præcedet vltimum Chriſti aduentum, erit ignis cum vehementi conflagratione, de quo in pſal. 96. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Vbi notandũ eſt, quòd ignis iſte quatuor habebit effectus ſecundum diuum Thom. Opuſculo 60. intitulato de vltimo Chriſti aduentu. Primus eſt, quòd mundum purgabit: vnde glo. ſuper illud primæ Cor. 7. Præterit figura huius mundi, inquit, ideſt pulchritudo: Et ſuper illud ſecundæ ad Theſſ. pri. In flamma ignis dantis vindictam, ait, quòd ignis erit in mundo, qui præcedet iudicium, tantum ſpatium aeris occupans, quantum occupauit aqua diluuij: qui exuret terram & craſsitudinem eius. Purgabit autem mundum a culpæ infectione, & impuritatis commiſtione, quæ ſunt contrariæ diſpoſitiones ad quandam gloriæ perfectionem, quam Chriſtus in aduentu ſuo mundo conferet: vt ſenſus carnis glorificatus delectabilius in ipſo mundo Deũ contempletur. Secundus effectus eſt, quòd bonos purificabit, vt dicit glo. vbi ſupra, in flamma ignis: quia ille ignis purificabit ele-

ctos Domini Ieſu: Vnde boni, in quibus nihil purgandum inuenietur, nullum dolorem ex igne ſentient: ſicut nec pueri ſenſerunt in camino Dan. 3. quamuis eorum corpora non ſeruabuntur integra, ſicut puerorum ſeruata fuerũt: Et hoc diuina virtute fieri poterit, vt ſine doloris cruciatu reſolutionem corporum patiantur: de quibus Auguſtinus, Hoc erit incendium mundi ſanctis, quod fuit caminus tribus pueris. Sunt autem tres cauſę, quare ſubito illi, qui viui reperientur, purgari poterunt. Vna, quia pauca in eis purganda reperientur, cũ terroribus & perſecutionibus præcedentibus fuerint purgati: Alia, quia viui voluntarie ſuſtinebunt. Pœna autẽ voluntaria in hac vita ſuſcepta multo plus purgat, quàm pœna poſt mortem inflicta, ſicut patet in martyribus, qui vltro ad carceres & mortẽ exponebãt corpora ſua. Vnde ſi quid in eis purgandum fuerit, paſsionis flamma tolletur: cum tamen pœna martyrũ fuerit breuis in comparatione ad illam, quæ ſuſtinetur in purgatorio. Vltima, quòd iſte ignis recuperabit in intenſione, quantum amittit in temporis abbreuiatione. Tertius effectus eſt, quòd cruciabit malos: Vnde ſuper illud pſal. 49. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, dicit glo. ignis iſte materialis erit, quo comburet facies huius mũdi, & mali punientur, boni vero in quibus erit aliquid purgandum purgabuntur: pœna enim terret, quos præmia non inuitant. Quartus effectus huius ignis ſecundum doctores eſt, quòd tam bonorum, quàm malorum corpora incinerabit: & quantũ ad omnes prædictos effectus præcedet iudicium, ſed quantum ad cruciatũ malorũ ſequetur iudiciũ: propter enim diuerſa officia huius ignis pcedẽtis & ſequẽtis iudiciũ, dicunt duo ignes, vt tãgit gl. pri. Cor. 3. ſuper illud, Vnius cuiusque opus quale fuerit, ignis pbabit.

De comitantibus vniuerſale iudicium. Cap. XXXII.

SALVATOR noſter expreſſe nobis manifeſtauit concomitantia hoc iudicium, & eius ordinem, cum dixit Matth. 5. Cum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ. In quo declarantur quatuor iudicij generalis myſteria omnibus valde notanda, de quibus in hoc capite differemus. Primũ eſt generalis citatio: ibi, Cõgregabuntur ante eum omnes gentes: ipſum autem iudicium prȩcedet trina citatio. Prima fuit per prophetas Prouer. pri. Vocaui, & renuiſtis: Secũda per Apoſtolos & Prædicatores, Lucæ 14. Miſit ſeruos ſuos hora cȩnæ dicere inuitatis &c. Tertia erit per vltimã vocem tubæ, & hȩc citatio erit peremptoria. Veniet igitur dies, in

quia cõuocabit omnes Angelos & ſanctos, qui ſunt in cælo: & omnes homines, qui tunc erunt in terra: & omnes dæmones & damnatos, qui erunt in inferno: ſimiliter & eos, qui erunt in purgatorio. Vnde dicitur, cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, a fortiori dæmones, quorum nec vnus quidem deficiet. Et beatus Paulus 2. Cor. 5. omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Ieſu Chriſti. Non erit quæſtio comparẽdi per procuratorem: ſed oportebit in propria perſona cõparere ad portandum proceſſum, & reſpondendum categorice, prout geſtum eſt in corpore ſiue bonum, ſiue malum. Beatus Thom. addit ad prædicta, quòd intererunt etiam pueri decedentes cũ originali: quod probat per illud Apoc. 20. Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtãtes in cõſpectu throni, & aperti ſunt libri, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta ſunt in libris eorũ. Et quãuis in libris illorũ paruulorũ nõ ſint ſcripta peccata actualia, peccatũ tamẽ originale ſcriptũ eſt: ideo iudicabuntur, nõ tamẽ triſtabũtur, ſed lætabũtur de gloria corporali iudicis: quã miſericorditer Chriſtus ſecũdũ dictũ doctorẽ eis oſtẽdet. Et cũ per dexterã intelligatur potior & nobilior locus, dextera, in qua erunt boni, in iudicio erit in aere, & ſiniſtra in terra: in qua ex vno latere erũt damnati, & ex alio paruuli illi ſub bonis. Et quoad illã ſentẽtiã dicẽdũ eſt, quòd ignis nomine omnis pœna intelligitur, & quòd illa ſententia erit generalis, & applicabitur ſingulis ſecundum proportionem peccatorum & demeritorum. Et quantum ad dexteram vel ſiniſtram loquitur de his, qui habuerunt vſum rationis. Omnes ergo comparebunt. Nec obſtat illud pſal. primi. Non reſurgent impij in iudicio, quia debet intelligi de immutari in melius. Vnde Apoſtolus primæ Cor. 15. de eadem immutatione inquit: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Mali quidem reſurgent, ſed non immutabũtur, vt dictũ eſt, in melius. Si quæratur, quis faciet illos reſurgere, Reſpõdet Apoſtolus: quòd Deus in nouiſsima tuba. Canet enim tuba, quæ erit valde terribilis: quam conſiderans Iob 31. dicebat: Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius (ſcilicet citationis & tubæ) ferre non potui, quin videlicet caderem in terrã. Quæ verba exponens beatus Gregorius ait. Iob flagellatus ſimplex & iuſtus a domino approbatus, timuit videlicet hanc tubam: & Apoc. 1. Ioannes euangeliſta beatiſsimus, virgo, electus a Domino, & inter ceteros magis dilectus, cũ audiuit vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, cecidit quaſi mortuus propter ſcilicet terribilem ſonum, quem nõ poterat ſuſtinere. De hac tuba beatus Hieronymus

ronymus

ronymus dicebat: ſiue comedam, ſiue bibam, ſiue quid aliud faciã, ſemper inſonare videtur in auribus meis illa terribiliſsima tuba, & verba, ſurgite mortui, venite ad iudicium. Secũdum principale tactum in euangelio, & notãdum de iudicio vniuerſali, eſt diuerſa ſituatio. Vnde ſubditur in eodem: ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſeparat oues ab hædis: Statuet quidẽ oues a dextris, hædos autem a ſiniſtris: Per dexteram intelligit digniorem in ſacris literis & potiorem locum, ſiue maius bonum: & hoc modo boni erunt in eminẽtiori loco, quia in aere: mali autem erunt in terra ex latere ſiniſtro reſpectu Chriſti, non immutati in bonum, ſed affecti doloribus, tormentis, ac igne conflagrationis, aſſociati & circũdati dæmonijs. Tunc adimplebitur illud dictum pſal. 76. Mirabilis mutatio dexteræ excelſi. Multi tamen in hac peregrinatione ſunt in parte dextra, qui tunc erunt in ſiniſtra, & e contra. Illi dicũtur eſſe in dextra huius mũdi, de quibus pſal. 143. Promptuaria eorum plena. & paulo poſt: Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Pauperes vero iuſti, afflicti, anguſtiati, ſunt in ſiniſtra parte huius mũdi: ſed in iudicio fiet mutatio dexteræ excelſi: vnde qui in mundo fuerunt in dextera, erunt in ſiniſtra: & qui in ſiniſtra, in dextera. Tunc verificabitur illa eiuſdẽ pſal. ſententia. Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Hæc mutatio figurata fuit in cancellatione manuum Iacob Gen. 48. cum benediceret filios Ioſeph. Hæc dexteræ mutatio & ſeparatio inchoabitur in reſurrectione etiã apud eos, qui viui reperientur: quia dictũ eſt, vnus aſſumetur, & alter relinquetur. Tunc ſeparabuntur viri ab vxoribus, & parentes a filijs, ſi vnus eorum fuerit bonus, & alter malus: nec fiet cum benedictione talis ſeparatio ſicut in hac vita, ſed cum maledictione & improperio malorum, quæ egerunt, & ingratitudine beneficiorũ. Tunc verificabitur illud Hiere. 9. Vnuſquiſque a proximo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit: & illud Marci 13. Tradet frater fratrem in mortem, & filij inſurgent in parentes, & morte eos afficient. Tertium notandum circa iudicium eſt ſingularis diſcuſsio, & examinatio ibi, Tunc dicet his, qui a dextris &c. de hac diſcuſsione dicitur Iohelis 3. Congregabo omnes gentes in valle Ioſaphat, & ibi diſceptabo cum eis: tunc proceſſus cuiuslibet examinabitur, & expoſtulabitur ratio villicationis. Sed quia dicitur Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio: & paulopoſt. Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt: poſſet dubitari de miniſtro huius diſcuſsionis. ſuper quo dicunt Theologi, quòd poteſtas iudicandi auctoritatiua pertinet ad ſolum Deum,

delegata vero & inſtrumentalis ad Chriſtum ſecundum humanam naturam vnitam filio Dei: idq; propter bonorum conſolationẽ,quibus recitabit omnia merita: & de eis ipſos coram toto mundo cõmendabit, & præmia prænuntiabit. Similiter & propter acriorem exprobrationem malorum, quorum demerita etiam patefaciet, & exprobrabit eorum malitiã & negligentiam: quoniã cũ eos interius inſpirauerit, & exterius monuerit, ac exemplum præbuerit,impœnitẽtes tamẽ perſeuerarunt:allegabitq; omnia, quæ ꝓ eis ipſe fecit & ſuſtinuit:exaggerabitq; illorum ingratitudinem.Poſſet vlterius quæri, an huiusmodi diſcuſsio & examinatio fiet in inſtãti, vel in tempore, & an uocaliter. Beatus Auguſtinus 20. de ciuitate Dei c. pri. inquit: Per diem iudicii intelligimus nouiſsimũ tempus: nam per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum eſt: ſed ſcripturarum more ſanctarum diem ſolere poni pro tempore nemo, qui illas literas quamlibet negligenter legerit, neſcit. Vnde Iohelis 3. dicitur: in diebus illis. Quòd autem in ipſo generali iudicio ſit duratio ſucceſsionis, ex ordine iudicij a Chriſto reuelato apparet. Iudicium etiam vniuerſale erit ad manifeſtandam diuinam iuſtitiam de quibuſcũque operibus bonis & malis coram toto mundo. Et quamuis ſaluati clare videntes diuinam eſſentiam, omnia diſtincte in inſtanti cognoſcere poſsint propter diuinæ eſſentiæ perfectionem omnia diſtincte repręſentantem: mali tamẽ, qui ad huiuſmodi viſionem non eleuabũtur, omnia diſtincte ſimul intueri nõ poterunt. Et licet Angeli,qui ſunt altioris naturæ, quàm homo, poſsint plura diſtincte per ſpeciem intelligere, non tamen omnia. Fient igitur omnia in tempore breui diuina virtute ad hæc iuuãte. Nec obſtat, quod dicit Apoſtolus pri. Cor. 15. In momẽto, in ictu oculi: quia vel illud refertur ad reſurrectionem,vel accipitur pro tempore breuiſsimo: mira enim celeritate ſecundum dictum Auguſtinum enumerabuntur. Aderit enim quædam vis diuina, qua fiet, vt cuncta peccata breui tempore ad memoriam reuocentur. Vnde Malach. 3. dicitur, Ero teſtis velox maleficis: vbi etiam habet beatus Auguſtinus pro inconuenienti, quòd legatur aliquis liber materialis in iudicio. Vltimum eſt finalis omniũ retributio: ibi, Ibunt hi in ſupplicium æternum: Iuſti autem in vitam æternam, de qua in ſequenti capite, ſimiliter & de ſententijs ferẽdis in iudicio, ac eorum executione. Antequã enim veniamus ad ſententiæ prolationem differendum eſt de perſona iudicis, de qua diuus Bonauen. 47. diſt. 4. q. pri. art. pri. inquit: Quòd iudex alicuius rei dicitur, aut quia ipſius eſt ferre ſententiã, aut quia aſsiſtit ferenti,ſecũdũ quod aliqui iudices aſsiſtunt, & quodammodo cõ-

ſulunt

ſulunt iudici principali. Qui ergo fert ſententiam, ille eſt principalis iudex, & talis eſt ſolus Chriſtus, ſicut patet Matth. 25. vbi exprimitur modus, quo feret ſententiā. Qui autē aſsiſtunt iudici, etiam nomē & dignitatē iudicātis ſortiūtur: & tales ſunt viri perfecti, qui vltra opera neceſsitatis præceptorum ſupererogauerūt perfectionē conſiliorū: vt Apoſtoli tanquā capita, & eorum perfecti imitatores. Aſsiſtentia illa non erit ad conſulendum, cum dominus conſilio non indigeat: ſed erit ad quendam honorem & appropinquationē ad iudicem, quam poſſumus iuxta verbum Domini appellare honorabilem confeſsionem. Ratio autem huius honorabilis confeſſionis meritoria eſt perfectio ſupererogationis: ſed ratio finalis eſt ad condemnationem malorum ex vitæ ſuæ cōparatione, & ad gloriam Chriſti per ſententiæ eius approbationem. Sententiam enim Domini vt iuſtam approbabunt, & malorum vitam ſua comparatione condemnabunt. Ex quibus ſequitur, quòd quidam ſancti & Apoſtoli dignitate iudicabunt, non tamen vt Chriſtus. Vnde dicitur de eiſdem Apoſtolis Matth. 19. Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael: et c. 12. loquens Dominus Iudæis de Apoſtolis, dicit: Ipſi iudices veſtri erunt: vbi glo. inquit, quòd habebunt iudicandi auctoritatem: Similiter ibidem, Viri Niniuitæ & Regina auſtri ſurgent in iudicio contra generationem iſtam. De Angelis idem ſanctus Bonauētura q. 2. ait: quòd iudiciaria poteſtas triplici ex cauſa communicata eſt Apoſtolis, videlicet: ratione comparationis, & ſic iudicium erit bonorum & malorum: ratione approbationis, & ſic erit bonorum & angelorū tantum: & ratione confeſsionis honorabilis, quę erit bonorū ſolūmodo. Proprie autē loquēdo iudiciaria poteſtas nō erit in Angelis, niſi eo modo quo dictū eſt, ratione ſcilicet approbationis. Ratio autē, quare alijs a Xpo attribuatur iudiciū, eſt quia ſeruarūt cōſilia. Quia igit perfecerūt Apoſtoli & ſancti eadē cōſilia, & fuerunt ſimiles Xpo in vera perfectione: iccirco ei in iudicādo modo ſupra expoſito aſsiſtēt. Si vero quæratur, an omnes iudicabunt, Reſpōdet idem doctor vbi ſupra q. 3. Quòd eſt iudicium extenſo nomine, vtpote collatio manifeſta meriti ad præmium: Et eſt iudicium ꝓprie, quod dicitur diſcuſsio meritorum, & prolatio cum quadam diſcuſſione & ſententiæ definitione. Similiter eſt iudicium appropriate, quod eſt ipſa condemnatio, per quam iudicatus dicitur condemnatus. Primo modo omnes iudicabuntur, quia omnes conuenient, & patebit quomodo Deus omnibus retribuet ſecundum merita: & hoc eſt quod dicit Apoſtolus: Omnes manifeſtari oportet. Secundo modo non omnes iudicabuntur, ſed erunt quatuor ordines, vt

diſtinguit

diſtinguit beatus Gregorius in moral. & Magiſter ſen. in ſupradicta diſt. In iudicio enim duæ erunt partes, electorum ſcilicet, & reproborum: & bini ordines in eiſdem ſingulis partibus cõtinebuntur. Alij enim iudicabuntur, & peribunt: quibus dominica inclamatione dicetur, Eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Alij nõ iudicabuntur, & peribunt: vt illi quibus Dominus ait, Qui non credit iã iudicatus eſt Io. 3. Eorum enim damnatio toti Eccleſiæ nota eſt & certa: & ideo dicuntur tunc non iudicari, quia ad conſpectum diſtricti iudicis cum aperta damnatione ſuæ infidelitatis accedent. Qui vero profeſſionem fidei ſine operibus habent, iudicabuntur, & peribunt, ideſt redarguentur, vt pereant. Qui autem fidei ſacramenta non tenuerunt, increpationem iudicis in ſe fieri non audiẽt: quia infidelitatis ſuæ tenebris præiudicati, eius, quem deſpexerant, inuectione redargui non merentur. Illi ergo verba iudicis audient, qui eius fidem ſaltem verbo tenuerunt: & hi iudicandi dicuntur, non autem illi, qui æterni iudicis nec verba perceperunt, nec eius reuerentiam verbotenus ſeruare voluerunt. Ex electorũ vero parte alij iudicabuntur, & regnabũt, videlicet qui vitæ maculas lachrymis tergunt, & eleemoſynarum ſuperinductione operiũt, quibus iudex venturus in dextera conſiſtentibus dicet: Eſuriui & dediſtis mihi manducare. Alij autem non iudicabuntur, & regnabunt: vt qui præcepta legis perfectiori virtute tranſcendunt. Vnde non hoc ſolum, quod lex præcipit, implere contenti ſunt, ſed & quod ad perfectionem attinet: de quibus Eſa. 3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenatoribus ſuis: & Salomon Prouer. 31. de Eccleſiæ ſpõſo loquens ait: Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Hi ergo recte ſub generali iudicio non tenebuntur, ſed iudices venient: quia & præcepta generalia viuendo vicerunt, & omnibus relictis Chriſtum ſecuti ſunt. Recte pauperibus iudicium tribuit: qui quanto huic mundo humilitate deſpecti ſunt, tãto maiori culmine poteſtatis excreſcent: de quibus dicitur Apoc. 3. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Vincens Dominus cum patre in throno ſedit: quia poſt paſſionis certamen & reſurrectionis palmã, quòd patri eſſet æqualis, omnibus claruit. Nos vero in throno filij ſedere, eſt ex eiuſdem filij poteſtate iudicare. Quia enim iudicandi principatum ex eius virtute percipimus, quaſi in throno eius reſidemus. Tertio modo ſecundum quod dicitur iudiciũ condemnationis iudicabuntur, vt dictum eſt, mali ſoli: Et iſtud iudicium incipit in præſenti per executionem in infidelibus, & per expoliationem in dæmonibus, & cõſummabitur in futuro: vnde iudicium nõ

iterabitur

iterabitur, ſed conſummabitur. Quoad Angelos dicit idem Bonauentura vbi ſupra q. 4. quòd dæmones iudicabuntur iudicio condemnationis, ſed non diſcusſionis. Ratio condemnationis venit tũ ex parte iuſtitiæ Dei, tum ex parte gloriæ Chriſti, tum ex parte meriti, tum etiam ex parte conſummationis ſupplicij. Ex parte iuſtitię Dei, quia ſicut iudicium hominum vniuerſale fiet, vt iuſtitia Dei hominibus innoteſcat & appareat: ſic etiam iudicium Angelorum & condemnatio fieri debet. Ex parte gloriæ Chriſti, quia Chriſtus triumphauit de diabolo, & iudicatus fuit eius ſuggeſtione a membris eius: ideo debet iudiciariam auctoritatem ſuper ipſum accipere. Ex parte meriti, quia enim participes fuerunt culpæ humanæ, debent & participes eſſe contumeliæ & pœnæ. Ex parte ſupplicij conſummandi, quia ſicut omnes homines expectant iudiciũ vel ad cõſummationem gloriæ vel pœnæ, ita & Dęmones iudicium euadere non debent: vt ſi quid pœnarum eis deeſt, ſuppleatur plene. Vnde ſimul inuoluentur cum omnibus damnatis, & ſimul incarcerabuntur: & ita ad iudicium deducentur, & iudicabuntur. Quòd autem Io. 16. dicitur: Princeps huiuſmundi iam iudicatus eſt: iccirco iudicatus dicitur, quia poteſtas eſt ei aliquo modo ſubtracta quantum ad bonos, ſed non omnino: ideo oportet tunc eius iudicium conſummari, ſicut ſupra de infidelibus dictum eſt. Antequam ferantur ſententiæ, ſunt prænotanda quædam ſcitu digna, poſita a domino Ioanne ſcoto 47. diſt. 4. q. pri. uidelicet: quòd iudiciũ primo ſumitur generaliter pro quacumque certa notitia communi ſenſibilibus & intelligibilibus, de quo loquitur Ariſt. 2. de anima t. c. 145. inquiens: Quòd ſenſus communis iudicat de ſenſibilibus diuerſorũ ſenſuum. Secundo pro certa apprehenſione intellectuali: quo modo definitiua cognitio de aliquo dicitur iudicium de veritate illius iuxta illud primi Ethi. c. 3. Vnuſquiſque bene iudicat, quæ cognoſcit, & hic eſt bonus iudex. Tertio iudicium accipitur magis proprie, vt dicitur de vero aliquo complexo: ſecundum enim Auguſtinum 3. de libero arbitrio nullus iudicat de regulis æternis, ſed ſecundum eas de alijs: & ſic iudicium eſt certa apprehenſio de aliquo per aliud: Omne enim verum complexũ apprehenditur eſſe tale per aliud, etiam ſi eſſet immediatum: cum iudicetur verum per rationes terminorum, primo poſter. t. c. 6. Principia enim cognoſcimus inquantum terminos cognoſcimus. Quarto modo dicitur iudiciũ de vero complexo, quod eſt concluſio, vt communis ſpeculatiuæ & practicæ, cum de ea iudicetur non modo per terminos, ſed & per principia, a quibus elicitur. Quinto & ſpecialius dicitur iudicium de concluſione practica: cum iudiciũ ſit dictamen intellectus pra-

ctici conſonum iuſtitiæ: quæ non reſpicit ſpeculabilia, ſed operabilia. Sexto cum lex non tantum determinet de agendis & fugiendis, ſed & de præmijs reddendis benemeritis,& ſupplicijs malemeritis: vt ex amore præmiorum illi alliciantur ad bene agendum: & ex timore pœnarum iſti retrahantur a male agendo: ideo magis ꝓprie accipitur iudiciũ pro determinatione certa de pręmijs vel ſupplicijs reddendis. Vltimo & ſtrictisſime iudiciũ accipitur prout pertinet ad habentem auctoritatem determinandi iuxta c. in primis 2. q. prima. Sententia a non ſuo iudice lata nulla eſt: & ex conſequenti completisſima ratio iudicij ſtat in hoc, quod eſt completa determinatio & authentica reddendi alicui ſecundum merita ſua. Completa inquam, quia includit determinationem firmam intellectus & voluntatis efficacem, hoceſt voluntatis potentis, & intendentis ſecundum determinationẽ intellectus retribuere. Et hoc eſt, quod ſpecificatur per illud authentica: quia per hoc intelligitur, quòd ſit illius, qui ſecundum voluntatem ſuam efficacem poteſt determinationem intellectus & voluntatis perducere ad effectum: Ex quibus apparet diuiſio iudicij in genere in approbatiuum & condemnatiuum. Nam iudici poſſunt eſſe manifeſta aliqua, ex quibus ſequitur in particulari, illum eſſe præmiandum, puta quia bene meruit: vel puniendum, quia male egit: & prima ſententia eſt approbatiua, ſecunda condemnatiua. Iuxta iſta quandoque in nobis feruntur duæ aliæ ſententiæ: Vna, quando pro aliquo proponuntur digna merita, & iudex inueniat propoſita non eſſe vera, contra quem ſequitur ſententia repulſiua a præmio: Altera, quando contra quempiam ꝓponuntur aliqua digna ſupplicio,& inueniuntur eſſe falſa, ꝓpter quod ſequitur ſententia abſolutiua, qua talis coram iudice accuſatus ꝓnuntiatur innocens. Addit ad hæc Scotus, quòd in illo iudicio aliquid erit præuium, videlicet, innoteſcentia meritorum vel demeritorum, propter quæ feretur talis vel talis ſententia: & aliud completiuum, videlicet latio ſententiæ, & executio illius: licet posſint diſtingui latio, & executio: de quibus infra per ordinem dicetur: & primo de ſententia bonorum, ſecũdo de ſententia malorum: de quibus nonnulli dicunt, quòd per locutionem ferendæ ſunt, iuxta illud Matth. 25. Tunc dicet his, qui a dextris eius erunt, venite benedicti &c. et illud, quod Saluator dixit Phariſæis Io. 8. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. Ceterũ, vt dictum eſt ſupra, ſecundum humanam naturam iudicabit, cum dicat de ſe ipſo Chriſtus Io. 5. Data eſt mihi omnis poteſtas iudicium faciendi: ſimiliter venit hora, quando mortui audient vocẽ filij Dei. Citatio inſuper fiet in voce Archãgeli, & tuba Dei. Sanctus tamen Thomas te-

net,

net, quòd ſuperius allegata intelligantur mētaliter, adeo quòd mētaliter percipient omnia ſupradicta: & quamuis Chriſtus corporaliter appareat, & videatur ab omnibus, vt iudex cognoſcatur: non inde ſequitur, quòd corporaliter audiatur: viſio enim ſubito fieri poteſt, non ſic locutio, cum tempore menſuretur. Alia tamen opinio oppoſita poteſt probabiliter teneri: quia quoad bonos, ſentētia licet pauca verba contineat, magnam tamen mercedem comprehēdit: & quamuis videatur eadem retributio omnibus data ſecundum verba, erit tamen diuerſa ſecundum diuerſitatem meritorum, vt dicitur Io. 14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Per verbum venite, inuitantur omnes ad denarium diurnum, hoceſt ad viſionem diuinæ eſſentiæ: non tamen eodem modo & æqualiter participandam: de qua tamen omnes erunt repleti, ſatiati, & contenti: qui tamen maiorem habuerunt charitatem, & plus meruerunt, cum maiori delectatione fruentur ea. Quoad poſſeſsionem regni notandum, quòd cum omnes ſint morituri ante huiuſmodi ſententiam, qui mortui fuerint in gratia, iam quantū ad animam, ante reſurrectionem habebūt regnum: Ideo non dicit Saluator accipite, ſed poſsidete regnum, non mutabile, ſed æternum: omnes enim electi reges efficientur: regiæ enim dignitati conuenit obedientia, conformitas, ac executio voluntatis regis. Vnde omnes ſancti mutuo volent, quæ alij volent, & exequentur. Erunt & ſacerdotes: quia omnes in gratiarum actione offerent Deo Chriſti paſsionem, cuius merito erunt ſaluati: offerent & ſacrificium laudis. Hoc regnum & ſacerdotium dicitur paratum, hoceſt figuratum a conſtitutione mundi in requie Domini, qui ſeptimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat: per hoc ſignificans, quòd iuſti per impletionem mandatorum Dei in eo requieſcerent. Saluator deinde aſsignabit rationem huius inuitationis, dicens: Eſuriui enim &c. per quæ verba exprobrātur hæretici, qui negant merita, & bona opera noſtra. Si enim per bona opera nil mereremur, non allegaſſet Chriſtus hanc rationem, Eſuriui: Hæc coniunctio (enim) rationalis eſt. Tunc boni ineffabili lætitia repleti, vt regina Saba viſo templo & ſapientia Salomonis, præ admiratione non habebunt vltra ſpiritum, dicentq;: Quando vidimus te eſurientē &c. Reſpondebit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Tūc omnes humillime in maximā gratiarum actionem prorūpent.

De ſententia malorum, ac executione illius: ſimiliter & de con ſequentibus vniuerſale iudicium.

Caput. XXXIII.

DVM

DVM prædicta fient, mali timore & tremore corre-pti, videntes ſe derelictos, turbabuntur de iudicis benigna conuerſione ad bonos, & eorũ retributio-ne: & tunc dicent illud ſapien. 5. Hi ſunt quos ali-quando habuimus in deriſum: nos inſenſati vitã illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Quibus exiſtentibus in tali turbatione, & conſcientiis eorum eos accuſantibus, Iudex videlicet Saluator noſter in forma terribili vertet ſe contra eos ſententiam ferendo, & dicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. In hac ſententia exprimuntur principalia inferni tormenta: primũ enim ipſius verbum, videlicet ite, ſignificat pœnam priuationis regni, quæ eſt maxima pœnarum, ad quam ſequitur maius tormentũ, quàm a pœna gehennæ. Exemplum habemus in perditionibus bonorum: quia quanto maius bonũ ex culpa perditur, tanto maiorẽ generat triſtitiam. Secundum verbum eſt maledicti: a Deo enim maledici & expelli cum opprobrijs & contumelijs, eſt maximum tormentum. Vnde Naum. 3. innuitur, quòd maledictio Dei eſt maius opprobrium, quod poſsit inferri, maxime cũ ex culpa propria obiicitur. Hoc opprobrium maximũ generabit in eis cruciatum: de quo in figura exemplum habemus gen. 27. in Eſau, qui amittens benedictionem primogenituræ, quæ ſibi debebatur, irrugijt clamore magno, & conſternatus eſt, & maledixit lentis edulio: & niſi Iſaac pater eius conſolatus fuiſſet eum dicendo, in rore cæli & pinguedine terræ erit benedictio tua, præ anguſtia mortuus fuiſſet. Tertium verbum eſt in ignem, per quod exprimitur pœna sẽſus extrinſece afflictiua, qua mirabiliter torquebuntur. Mitti enim in tormentorum ignem, qui inter agentia vehementius agit, præcipue vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, pœna eſt grauiſsima: per quæ verba damnantur, qui dicunt non eſſe ignem in inferno. Et quamuis poſt diem iudicij, in quo ceſſabit motus cæli, & per conſequẽs omnes motus & alterationes, ignis ipſe non aget naturaliter, aget tamen & cruciabit, vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, ſecundum diuerſitatem demeritorum iuxta illud Deut. 25. Secundum menſuram delicti erit & plagarum modus: & illud Apoc. c. 18. Quantum ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. De eodem igne dicitur Eſa. 33. Quis de vobis poterit ſtare cum igne deuorante? aut quis habitabit, ideſt habitare poterit cum ardoribus ſempiternis? Quartum verbum eſt æternum, de quo Matth. 25. Diſcedite a me maledicti in ignem æternum: quo-

niam

niã damnati nunquã ab illo cruciatu & igne ſunt liberandi. Quintum verbum eſt, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Si enim damnati mitterentur ad ſocietatem eis gratam, haberent inde aliquam conſolationis occaſionem: Sed mitti ad diabolum & angelos eius, qui ad peccandum eos induxerunt, & ex conſequenti eorum ruinæ occaſio fuerunt, vt ſine fine et abſq; pietate ab eis, qui ſunt eorum lethales inimici, crudeliter torqueantur, generebit in eis ingentem triſtitiam & deſperationem. Vbi notandũ, quòd nõ dixit Saluator, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius a conſtitutione mundi, ſicut de regno iuſtorum: ad oſtendendum, quòd aliter ſe habet Deus ad miſerendum, & aliter ad puniendum. Ad miſerẽdum enim ex ſuo proprio æterno: ad puniendum vero ex malorũ proprio crimine. Vnde Eſa. 30. dicitur: Ab heri præparata eſt tophet, hoceſt ruina. Et quamuis ille ignis præuiſus ſit ab æterno, & ante mundi conſtitutionem, non eſt tamen præparatus ab æterno, vel a conſtitutione mundi: ſed ab heri ſecundum diſpoſitionẽ creaturæ. Quotidie enim præparatur per multiplicationem culpæ, quæ punienda eſt per dæmones, & horribiles tortores. Reſolutorie damnati pro huiuſmodi ſententiæ publicatione ex multis maxime cruciabuntur. Primo ex aſpectu iudicis, qui eis apparebit terribilis. Secundo ex ſonitu, cum numquam fuerit tale tonitruũ auditum, adeoq; tremendum, vt erit hęc ſententia in auribus damnatorum, iuxta illud primi reg. 2. Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cælo tonabit: Legitur enim Io. 18. quòd quando milites furibunde venerunt ad comprehendendum Ieſũ, ipſemet vltro eis obuiam veniens dulciter interrogauit: Quem quæritis? reſponderunt, Ieſum Nazarenum: qui dulciter ſubdens, Ego ſum, paratus ſcilicet ad ſaluandum vos, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram: vbi beatus Auguſtinus ait: Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Rationem ſententiæ cõdemnatiuæ allegabit Chriſtus, dicens: Eſuriui, & non dediſtis mihi mãducare &c. Vnde Origenes inquit: Quòd ſi improperabit eis minora peccata, a fortiori maiora. Omiſſio etiã operum miſericordiæ exprimitur: tum quia illa ſunt homini magis connaturalia: tũ etiam quia illa includunt charitatem, ſaltem acquiſitam virtutum reginam: tum tertio vt appareat, quàm iuſte negetur reprobis miſericordia, cum illam proximis impendere noluerint: tum quarto vt homines excitentur ex his ad opera pietatis, & ad inſinuandum, quòd ſalus noſtra ex miſericordia Dei proficiſcitur & pendet: Vltimo, quia in illis omnia virtualiter includuntur. Tunc illi deſperati blaſphemando reſpondebunt, dicentes: Quando te vidimus

eſurientem?

eſurientem? &c. Eis tamen exprobrabit Dominus dicens: Quãdiu non feciſtis vni de minoribus, qui in me credunt, nec mihi feciſtis Matth. 25. latam ſententiã beata virgo, Apoſtoli, & alii ſancti approbabunt iuxta illud Matth. 19. In regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael, aſſerentes non modo ſententiam eſſe iuſtiſsimam, ſed quòd maiori digni eſſent ſupplicio. Tunc verificabitur illud pſal. 57. lętabitur iuſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Si ergo mater miſericordiæ & peccatorũ aduocata, & omnes eius ſancti eos condemnabunt, ad quem miſeri illi recurſum habere poterunt? Non ad dæmones, qui executores ſententiæ Chriſti erunt: nec ad alias creaturas, quia vt dicitur ſapientiæ 5. Armabit ſcilicet Deus omnem creaturam in vltionem inimicorum ſuorum: Non poterunt fugere, quia granitate mirabili tenebuntur, & ignis coſlagrationis eos circumdans impediet. Tunc ſicut dicitur Matth. 13. Exibunt angeli, hoceſt dæmones executores, vt inquit beatus Hieronymus, & ſeparabunt de medio iuſtorum. Iuſtum eſt enim, vt cum homines peccatores dæmonibus ſe ſubdiderint peccando, ſubiiciantur eis in pœnis, ibi etiam miſerorum ſocietas pœnas nõ minuet, ſed augebit. Executio autem huius ſententiæ præfigurata fuit in punitione Dathan, & Abiron, ad quos abſorbendos, vt habetur pſal. 105. aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper cõgregationem Abiron. Sic poſt ſententiam miniſterio dæmonum aperietur terra, & damnati cum igne conflagrationis & immunditijs terrę & maris in infernum detrudẽtur, vbi erit fletus & ſtridor dẽtium. Vnde concludit Euangeliſta: Ibunt hi in ſupplicium æternũ, Iuſti autem in vitam æternam. Poſtremo dicendum eſt de ſequentibus vniuerſale iudiciũ, & de innouatione mundi, de qua Eſa. 65. Ego creabo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt priora in memoria: et Apoc. 21. Vidi cælum nouum, & terram nouã. Pro quo notandum, quòd omnia corpora facta ſunt propter hominem, & dicuntur ei omnia ſubiecta, quæ ſeruiunt ei dupliciter: Vnomodo ad ſuſtentationẽ vitæ corporalis: Alio modo ad profectum cognitionis diuinæ, inquantum videlicet homo per ea, quæ facta ſunt, inuiſibilia Dei cõſpicit ad Rom. primo. Priori ergo miniſterio creaturarum, videlicet ad ſuſtentationem, homo glorificatus nullo modo indigebit: cum eius corpus omnino incorruptibile ſit futurũ, virtute diuina id faciente per animam, quam immediate glorificat. Poſteriori quoq; miniſterio non indigebit, quantum ad cognitionẽ intuitiuam: quia tali cognitione Deum ſancti videbunt immediate

per eſſentiam:ad quã viſionẽ diuinæ eſſentiæ oculus cãrnis attingere nõ poteſt. Ideo vt eius ſolatium etiam ſibi congruum de viſione deitatis præbeatur, inſpiciet deitatẽ in ſuis effectibus corporalibus: in quibus manifeſta indicia diuinæ maieſtatis apparebũt, & ꝓcipue in carne Chriſti, poſtea in corporibus beatorũ, & poſtremo in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit, vt etiã alia corpora maiorem influentiam a diuina bonitate ſuſcipiant, non tamen ſpeciem variantem, ſed addentem cuiuſdam gloriæ perfectionem: Et hæc ſecundum diuum Tho. in 60. opuſculo c. de iudicio finali, erit mundi innouatio. Ad quæ ſanctus Bonauen. in 48. 4. art. 2. q. pri. circa remunerationem corporum cæleſtium, addit: Quòd remunerari contingit vno trium modorum, videlicet: vel quia eſt aptũ natum mereri, & hoc eſt liberum arbitrium: vel quia eſt ipſi merẽti coniunctum, vt corpus humanum: aut quia eſt ad ipſum ordinatum ſicut ad obſequium. Et ſecundũ hoc præmiatur homo aliquãdo in ſeipſo, aliquando in corpore, aliquando ex eis, quæ ſunt ſibi vtilia: ſic etiam præmiatur in ipſo mũdo, qui eius eſt habitaculũ. Vbi concludit, quòd corpora ſupercæleſtia præmiari, non eſt aliud quàm hominem præmiari in illis: quia Dominus totum mundum hominis amore reddet pulchriorem. Et ideo quia propter hominem præmiantur corpora ſupercæleſtia, ſecundum eam proprietatem præmiantur, ſecundum quam ſunt conſona corporibus glorioſis. Hæc autem eſt lux, ideo in luce & ſplendore augebuntur & creſcent. Dicit vltra q. 2. vbi ſupra de mente Iſidori, vt inquit Magiſter in dicta diſt. quòd Sol & Luna poſt iudicium non tẽdent ad occaſum, ſed ſtabunt in ordine ſuo, in quo creati ſunt: quia etiã motus corporum cæleſtium ordinatur ad complendum numerum electorum, & illum neceſſe eſt compleri, ideo & motum terminari, quamuis per naturam non habeat terminum ſui. Elementa etiam, vt idem ſanctus dicit q. 3. vbi ſupra, innouabuntur: vbi vero eſt innouatio, ſubſtantia remanet eadem, ſed ſub aliis proprietatibus: Ideò concludit, quòd omnia elementa ſecundum ſubſtantiam remanebunt: ſed quantum ad qualitates innouabuntur. Vnde omnes res quantum eſt de ſe, appetunt eſſe perpetuum & diuinũ: ſed quædam formæ ſunt, quæ appetunt continuare eſſe per multiplicationẽ ſui in altero, vt puta formæ accidentales & ſubſtãtiales actiuæ: quædam autem appetunt continuare eſſe ſuum per continuam adhærẽtiam cum materia, vt ſunt formæ & qualitates paſſiuæ. Quia igitur poſt iudicium auferetur ab elementis omnis ratio multiplicãdi ſe, & dabitur virtus continuandi ſe in ſe, quia erunt incorruptibilia: hinc eſt, quòd elementa, quæ habent qualitates actiuas, dicũtur to-

taliter abſumi : quia omnino auferetur ab eis ratio agēdi,& ſe multiplicandi . Alia vero duo dicuntur in meliorem faciem reſtitui : qa appetitus continuandi in ſe eſſe , qui modo eſt in eis ſecundum eſſe imperfectum, complebitur, & perficietur. Manebunt ergo qualitates omnium elementorum quantum ad ſubſtantiam : ſed quantum ad rationem corruptionis innouabuntur, ſimiliter & formæ ſubſtātiales . Quid vero dicendum de plantis , & animalibus brutis ? Reſpondet idem doctor vbi ſupra q. 4 .quòd non innouabuntur : quia eorum vltima perfectio eſt corruptibilis per naturam , & ortum & radicem habent a materia :vnde non ſunt idonea ad uiuendum ſine durandum æternaliter. Formæ autem corporum ſupercæleſtiū ſunt incorruptibiles : ſimiliter formæ elementorū incorruptibiles ſunt ſecundum totum, & ſecundum partem quantum eſt in ſe,quia ſunt corpora ſimplicia .quòd enim corrumpantur,hoc eſt per actionem venientem ab extrinſeco : & ideo remota illa actione remanent incorruptibiles . Manifeſtum autem eſt, quòd plantæ & animalia non ſunt ad ornatum terræ,ſed ad hominis obſequium: nec ſunt ad Dei laudem,aut ad vniuerſi perfectionem,niſi ſecundum ſtatum eundē, qui eſt corruptibilis & variabilis : & ideo non oportet illa innouari . Sunt enim de perfectione vniuerſi ea parte , qua eſt habitaculum hominis viuentis corporaliter : ideoq; ſunt homini concreata,quia homo alimonijs indigebat . Poſtquam vero homo ſpiritualis fuerit effectus, nequaquam erunt neceſſaria. Imponendo finem huic articulo concludimus , quòd credimus Chriſtum propter nos venturū ad iudicandum viuos & mortuos, vt pios a corporali morte,ac ceteris anguſtijs liberatos, in ſuum cæleſte regnum , vbi perpetuo cū eo erimus, ſubuehat : impios vero debitis afficiat pœnis : quemadmodum ipſe dixit Matth. 25. Ibunt hi, nimirum impij, in ignē æternum, Iuſti vero in vitam æternam : cui ſententiæ arridet Apoſtolus ad Rom. 2. dicens : Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua: his quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam , honorē , & incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem,qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati,credūt autem iniquitati, ira, indignatio, tribulatio , & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum : Iudæi primum & Græci. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum . Proindeq; omnes pij hunc aduentum cum ſummo præſtolantur deſiderio , expectantes beatam ſpē , & aduentum gloriæ magni Dei , & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ad Tit. 2 . Et primæ ad Theſſa . 5 . Ab omni ſpecie mala abſtinete vos : ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ie-

ſu

ſu Chriſti conſeruetur: Fidelis eſt, qui vocauit vos: qui etiam faciet. Diligentibus enim aduentum eius magna repromittitur beatitudo, vt beatus Paulus ſecundæ ad Tim. 4. inquit: De cetero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt aduentum Domini. Voluit autem Saluator hunc diem aduentus ſui eſſe ignotum ad excitandum nos, quo ſemper in officio, & ea, qua vocati ſumus, vocatione, parati inueniamur. Vnde beatus Marcus c. 13. euangelium ſuum claudit, dicens: Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quãdo Dominus domus veniet, ſero, an media nocte: an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Vnde Auguſtinus in Symbolo inquit: Vigilemus ergo & oremus: q͞a breuis eſt & incerta iſta vita: & neſcimus tẽpus quãdo vẽturus eſt Dñs.

Vndecimus articulus eſt: Credo vnam ſanctam Eccleſiam catholicam & Apoſtolicam, Sanctorum communionem. Cap. XXXIIII.

NON dicit iſte Articulus, Credo in vnam Sanctam Eccleſiam &c. Sicut nonnulli alij articuli dicunt, Credo in Deũ, credo in filium &c. Sed Credo vnam ſanctã Eccleſiam catholicam, ideſt credo Eccleſiam a Deo congregatam eſſe: non in ſanctã Eccleſiã, vt in Deũ. Hac ergo præpoſitione (in) creator ſecernitur a creaturis: & diuina ſeparantur ab humanis: ſic enim in ſolum Deum credendum eſt. Vnde Auguſtinus ſuper illud, Creditis in Deum Io. 14. ait: Numquã aliquis Apoſtolorum auſus eſt dicere, credite in me. Et ſuper illud ad Rom. 4. Omni credenti in eũ, dicit: Aliud eſt credere illi, aliud illum, aliud eſt credere in illum. Et cum dicitur in ſymbolo, Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam, illa præpoſitio (in) non refertur ad Eccleſiam, ſed ad ſpiritum ſanctum illam ſanctificantem. Eccleſia græca vox eſt ab ἐκκαλεῖν, quod eſt euocare: vnde Eccleſia dicitur quaſi euocata concio. Fides enim, vt Apoſtolus ad Rom. 10. inquit, ex auditu eſt: auditus autem per verbum Chriſti. Qui ergo vel interna vocatione, vel per Chriſti verbum, aut alio Spiritus ſancti inſtrumento euocati ſunt a ſimulachris mortuis ad Deũ viuum, ab ignorantiæ tenebris ad lucem Chriſtianæ veritatis, & obtemperarunt, Eccleſia Dei dicuntur: quæ tamen multipliciter ſumitur. Ideo ne laboremus in æquiuoco, videndum eſt de ſingulis Eccleſiæ (ſecundum catholicos doctores & ſacras literas) ſignificatis.

catis.Eccleſia enim vno modo ſumitur pro domo materiali diuinis obſequijs & orationi mancipata: quo modo accipitur Iudith.6.vbi dicitur: Conuocatus populus per totam noctem intra eccleſiã orauerunt, petentes a Deo auxilium: de qua etiã loquitur beatus Paulus primæ cor. 11. dicens: An eccleſiam Dei, hoceſt domum orationis ſecundum glo. contemnitis? Sumitur etiam Eccleſia pro vniuerſitate omnium iuſtorum & ſanctorum tam viatorum, quàm comprehenſorum: & hoc modo eam accipit Apoſtolus ad Eph. 5. dicens de Chriſto: Ipſum cõſtituit caput ſuper omnem Eccleſiam, hoceſt ſanctorum congregationem, Angelorum, & hominum, quę in cælo & quæ in terris eſt. Accipitur quoque Eccleſia pro congregatione omnium iuſtorum dumtaxat comprehenſorum: ſicut eam accipit beatus Auguſtinus in Enche. c.56. dicens, quòd eſt cœtus ille beatarum animarum cum Chriſto regnãtium, qui & regnat cũ Chriſto ſecurus in æternum: & hæc dicitur Eccleſia triumphans, in qua non eſt ruga, neque macula: quam deſcribit beatus Io. Apoc. 7. ſub infraſcriptis verbis: Hi(inquit)ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni: & ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius: et qui ſedet in Throno,habitabit ſuper illos. Non eſurient,neq; ſitient amplius,neq; cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus: quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos,& deducet eos ad fontem aquarum,& abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Alio etiam modo ſumitur Eccleſia pro cõgregatione hominum in charitate exiſtentium: de qua Apoſtolus ad Ephe. 5 .ait: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: Illi enim dicuntur ſic eſſe de Eccleſia, qui in ea ſunt numero, & merito: qui etiã ita ſunt in Eccleſia & domo Dei, vt & ipſi ſint domus Dei, ſeu tẽplum ſpiritus ſancti: qui conſtituunt vrbem illam Hieruſalem beatam,de cælo deſcendentem, a Deo paratam, conſtructam viuis ex lapidibus: de quibus idem Apoſtolus pri. Cor. 12. Multi vnũ corpus ſumus in Chriſto Ieſu, quos ad Titum 2. vocat populum emũdatum ab omni iniquitate, Deo acceptabilem, ſectatorem bonorũ operũ. Eccleſia ſic accepta nota eſt ſoli Deo, vt inquit beatus Paulus ad Tim. 2. Nouit Dominus qui ſunt eius. Verum ad hunc modum non accipitur Eccleſiæ nomen, vbi Chriſtus de audienda Eccleſia præcipit, vel patres poſt Apoſtolos de auctoritate Eccleſiæ diſſerũt. Illam enim, quam audire, & cuius auctoritatem ſequi debemus, nobis cognoſcibilem atque viſibilem eſſe oportet. Altero modo ſumitur Eccleſia, vt complectitur omnes, qui communio-

nem

nem profeſsionis fidei, ſimiliter & doctrinæ, ac ſacramentorum, ſecundum catholicam & apoſtolicam traditionem habent. Ad Eccleſiam hoc modo acceptã nimirum attinent tam boni, quàm mali, qui per quandam colligãtiam eiuſdem profeſsionis, ac exterioris participationis ſacramentorum ſunt in Eccleſia Dei. Et quemadmodum humano corpori plerumque adhærent mẽbra, aut mortua, aut arida, aut putrida, aut languida, quæ nonnunquã reſecanda veniunt, ne cetera membra horum contagione inficiantur: interdũ toleranda, ne forte ſi abſcindantur, totum corpus in periculum incidat: quæ & ſi membris viuis in vitali ſpiritu non communicent, colligantia tamen quadam viuis adhærent: proinde adhuc corporis membra dicuntur, & corporis eſſe partes: Ita de Eccleſia ad hunc modum accepta ſentiendum eſt, vt ſit populus in vnam fidei poſſeſsionem & communionem ſacramentorum vocatus, cohærens ſaltem ſecundum vnitatem profeſsionis, & viſibilem quandã Chriſtianæ fidei formam. In quo cœtu & bonos & malos dicimus eſſe permiſtos: qui & ſi non ſint colligati omnes vnitate ſpiritus, & vinculo charitatis, colligati tamen ſunt ſecundum vnionem vnius ſignaculi fidei, & corporaliter cõiuncti ſecundũ viſibilia Eccleſiæ ſacramenta: quamuis nõnulli inter eos impij, peccatores, auari, & id genus homines ſecundum exteriorem fidei profeſsionem ſint, formam quidem pietatis habẽtes 2. ad Tim. 3. virtutem tamen eius abnegantes. Verum in ſupradictis, vt Auguſtinus contra Creſc. gram. c. 31. ait, tenenda eſt beatiſsimi Cypriani ad Max. pleniſsima charitatis pietatisq; ſententia, dicentis: Quamquam in Eccleſia videamus eſſe zizania, non tamen debet perturbari aut fides, aut charitas noſtra: neque de Eccleſia recedere debemus ob id, quòd zizania in Eccleſia eſſe cernimus: quin potius vbi videmus Eccleſiã opprimi per impios, hic fidei articulus, quem tractamus, nos confirmabit, ne deſperemus: Sed ſciamus Eccleſiam eſſe permanſuram, vt nauiculam iactandam quidem ventis, ſed non ſubmergendã: Et hæc eſt Eccleſia militans, in qua criminoſi licet ſint numero, non tamen merito. De hac Eccleſia loquitur Dauid pſal. 21. dicens: Erit apud te laus mea in Eccleſia magna, & in medio Eccleſiæ laudabo te: vbi glo. exponit, magna, hoc eſt in toto orbe diffuſa, quæ cõparatur ſagenæ miſsæ in mari, ex omni genere piſcium congreganti Matth. 13. Quandoque etiam accipitur pro Eccleſia particulari, vt ſecundæ Cor. pri. Eccleſiæ, quæ eſt corinthi. Aliquando pro præſidente in Eccleſia, vt in fraterna correctione Matth. 18. Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Aliquando pro ſubditis tantum, vt Act. 12. Oratio autem fiebat ab Eccleſia ad Deum

pro eo. Aliquando pro ſolis Eccleſiaſticis, aut eorum maiori parte, vt in c. primo 63. diſt. Eccleſia tamen de qua communiter loquuntur doctores, accipitur pro cœtu fidelium viatorum, qui numero vel merito adunati ſũt in fide, & cultu viſibili vnius veri Dei: & non, vt hæretici dicunt, pro congregatione ſanctorum in ſpiritu: quam neſcimus vbi ſit, aut vbi eam inquirere aut inuenire poſſimus. Sed (vt dictum eſt in quinto modo acceptionis eius) præcipue accipere eam oportet pro congregatione omnium viatorum fidelium, ſiue ſint boni, ſiue mali: cuius Eccleſiæ auctor eſt Deus ſapiẽtiſsimus & omnipotens: finis vero eius eſt omnium fidelium ſalus: quia quãtum in ipſo Deo eſt, vult omnes fideles baptizatos ſaluos fieri. Vnde inquit Mar. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Nulli enim extra Eccleſiam ſalus contingere poteſt, vt habetur in c. Firmiter, extra de ſum. trini. & fide cathô. Quæ optime figurata fuit per arcam Noe, extra quam exiſtentes ſubmerſi ſunt. Ex quibus omnibus apparet, quòd Eccleſia catholica eſt viſibilis, ſenſibilis ſiue euidens, & manifeſta: & tam prælatus, qui eſt illius caput, quàm ſubditi, qui ſunt membra, ſunt manifeſti, & viſibiliter baptiſmi ſacramento ſunt intincti: alias in vanum dixiſſet Chriſtus, dic Eccleſiæ, ſi eſſet incognita & inuiſibilis. Similiter & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Notandum etiam, quòd licet Eccleſia ſecũdum rationem vniuerſitatis nõ poſsit ſtare in vno completiue, tamen quoad fidem, in qua fundatur Eccleſia, & a qua aliquis dicitur eſſe de illa, bene poteſt ſeruari in vno. Vnde beatus Hieronymus ſuper pſal. 33. dicit: Vbi vera fides eſt, ibi Eccleſia eſt: Et Iuriſtæ inquiunt, quòd vniuerſitatis ius in vno ſeruari poteſt. Dicitur etiã de beata Maria matre Xpi, quòd in ea ſola in triduo ſepulturæ filii manſit fides explicita de diuinitate Chriſti: quamuis nonnulli alij per Iudæam exiſtentes habere tunc potuerint fidem Catholicam actualem & implicitam de eius diuinitate. In hoc vndecimo ſymboli articulo attribuunt eccleſiæ p̄fatæ quatuor notas, quibus cognoſci poſſit, & ab Eccleſia malignãtiũ diſcerni. Eſt enim vna, eſt ſãcta, eſt catholica, & eſt apoſtolica.

De prima Eccleſiæ nota, videlicet: quòd eſt vna. Cap. XXXV.

PRIMO' de Eccleſia ipſa dicitur, quòd eſt vna vnitate, qua ſecerni poſsit ab his, qui vel præciſi ſunt ab ea: cuius generis ſunt, quibus interdictum eſt piorum cœtu, quos excõmunicatos vocamus: vel qui ipſi ſe vltro præciderũt, quales ſunt hæretici, & ſchi-

ſmatici

ſmatici. Hanc illius vnitatem ſignificauit inconſutilis illa Chriſti tunica, quam, qui Chriſtum crucifixerunt milites Io. 19. non ſcindendam, ſed (iuxta id quod prædixerat Dauid pſal. 21.) ſortē ſuper eam mittendam eſſe cenſuerunt. Hanc ſcilicet Eccleſiæ vnitatē ſignificauit vna illa domus, in qua comedebatur agnus: qui figura fuit agni illius incontaminati Chriſti, ab origine mundi in diuina præordinatione occiſi. Hanc expreſsit Apoſtolus cū dixit ad Ephe. 4. Vnum corpus, vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ: Illa enim viſibilibus rebus, nimirum ſacramentis, fidei confeſsione, bonis operibus, publicis orationibus, in locum etiam ſæpe viſibilem, quæ domus orationis dicitur, congregatur: & propterea vocat eam diuus Paulus vnum corpus, quòd ex multis viſibilibus (vt dictum eſt) membris conſtet. Porro qui congregat eam, qui vitam huic præſtāt corpori, Spiritus ſanctus eſt: ideo ſpiritum etiam vnum appellat, quòd per eam in cordibus hominū diffuſa charitate retinetur ad Rom. 5. Sicut & vnitas in vinculo pacis, vt idipſū dicāt, idipſū ſentiāt, idē ſapiāt omnes, atque vnanimes vno ore honorificēt Deum, & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti ad Rom. 15. Sola ergo ſancta catholica Eccleſia vna eſt, terra eſt vnius labij Gen. 11. vnus in ea Chriſtus adoratur, vna veritatis regula obſeruatur: & denique multitudinis credentium eſt cor vnum & anima vna Act. 4. Vnde Beda in ſecundam Io. epiſtolam idem teſtatur his verbis: Reuera omnes per orbem catholici vnam veritatis regulam ſequūtur: non autē omnes hæretici & infideles vnanimo errori conſentiunt: ſed ſemet non minus alterutrum, quàm ipſam veritatis viam impugnant. De vnitate huius noſtræ Eccleſiæ, & diſſenſione ſynagogæ hæreticorum, ſcribit venerabilis Beda in quintum caput beati Marci, dicens: Bene in Babylonis cōſtructione linguarū vnitas per ſpiritum ſuperbiæ ſciſſa, in Hieroſolyma per gratiam ſancti ſpiritus linguarum varietas adunata eſt, ita vt illa cōfuſio, hæc viſio pacis interpretetur: quia videlicet electos in pluribus linguis & gentibus vna fides ac pietas toto orbe pacificando confirmat: reprobos autem plures ſectæ, quàm linguæ, diſſociando confundunt. De quibus Hilarius lib. 7. de Trin. Fidem illi noſtram, dum ſibi aduerſantur, confirmant: Bellum enim hæreticorum pax eſt Eccleſiæ catholicorum. Tertulianus de ſui temporis hæreticis de præſcriptione aduerſus eoſdē hæreticos ſcripſit: quòd etiā a regulis ipſi ſuis variant inter ſe. Hilarius quoque in libro ad Conſtantinum Auguſtum inquit: Periculoſum nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemia-

rum pullulare,quot vitia ſunt:dum aut ita fides ſcribuntur,vt volumus : aut ita vt volumus, intelliguntur. Et cum ſecundum vnum Deum & Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit, excidimus ab ea fide,quæ ſola eſt: & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne nulla ſit. Epiphanius in confutatione ſynodi, quæ falſo ſeptima dicta eſt, ait: Hunc morem habent hæretici, quoties vno verbo pietatem contempſerint, & a veritate aberrauerint, in multos & varios errores labi : vniformis enim res veritas, mendacium autem in varia diſtrahitur.Eccleſia tamē iſta noſtra viſibilis, de qua in propoſito, eſt vna multiplici vnitate. Primo vnitate fidei, de qua pri. Cor. 12. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Et beatus Hieronymus ad Euandrum epiſcopum : Nec altera romanæ vrbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Secūndo vnitate ſpei,de qua Apoſtolus ad Eph. 4. Vocati eſtis vna ſpe vocationis veſtræ. vbi glo. hoceſt ad vnam rem ſperatam. Hæc vnitas poteſt etiā dici vnitas finis vltimi, qui eſt beatitudo, ad quē ordinatur. Vnde beatus Auguſtinus ſuper pſal. 85. inquit: Multæ gentes, & vna gens : ſed quare vna gens ? quia vna expectatio. Dicitur poſtremo vna vnitate vnius præſidentis, rectoris, et gubernatoris viſibiliter conuerſantis cum illa. Vnde Oſeæ pri. Congregabuntur filij Iudæ & filij Iſrael pariter,& ponent ſibi caput vnum : et Io. 10. dicitur : Fiet vnum ouile & vnus paſtor : ob quam cauſā dixit Petro, paſce oues meas Io. 21. Hanc vnitatem Eccleſia retinere non poteſt, niſi aliquis vnus toti præſit Eccleſiæ, cui omnes pareant. Chriſtus vero huius corporis licet ſit caput, tamen quia ad patrem ſuum cęleſtem ex hoc mundo migraturus erat,atque ita facturus, vt genus humanum corporali ſua præſentia deſtitueret, cū ſub ſuæ tempore paſsionis oraſſet patrem Io. 17. vt eos, quos dederat ſibi, ſeruaret, vt eſſent vnum, ſicut ipſe cum patre vnum eſt, quo facilius vnitas hæc ſempiternis tēporibus retineri poſſet: aſcēſurus ad patrem vni curam Eccleſiæ ſuæ mādauit : uni Petro paſcēdas oues ſuas commiſit : vnum illum principem multis deſignauit argumentis: vt ipſe quidem in cælis auctor eſſet vnitatis perpetuæ, & Petrus,ac quiſquis ei ſucceſsiſſet,vnitatis retinendæ dux et princeps in terris haberetur. Vnitatis itaque conſtituendæ principium Chriſtus, & retinendæ per eundem Petrus, & eius ſucceſſor,ſtatuitur. Hoc vniuerſa credidit antiquitas. Hoc ſacroſanctum Nicænum concilium confeſſum eſſe legimus : de quo Ezech. 37. Paſtor erit vnus omnium eorum : Quem vnum & ſolum eſſentialiter bonum paſtorem libenter Chriſtum agnoſcimus : libenter eum eſſe caput & fundamentum Eccleſiæ principale profitemur. Vnde licet ſacramenta

menta perficiat omnia, & ipſe ſit qui baptizat, & qui peccata dimittit: ſimiliter licet ſit verus ſacerdos, qui ſua virtute corpus ſuū & ſanguinem ex eo, quod panis erat & vinum, conficit, vt iterum offeratur non in mortem, ſed in mortis recordationē: tamē quia cum ſuis fidelibus non erat in corpore permanſurus, miniſtros elegit, offitio quorum in ſacramentis adminiſtrandis vteretur. Sic igitur ipſe caput, ipſe gubernator eſt Eccleſiæ ſuæ, ipſe ordinem in ea, ſimul & vnitatem cōſeruat. Quoniam vero præſentiam ſui corporalem & viſibilem Eccleſiæ ſubtracturus erat, vnius vti miniſterio voluit, per quem vnitas hæc retineretur: cui præ ceteris oues loco ſui paſcendas commiſit, & cognomen tribuit Io. 21. Nam cum petram eſſe Chriſtum dicat Apoſtolus pri. Cor. 10. Petro in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumpto, nomen hoc cōmunicare dignatus eſt: Tu es (inquiens) Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam Matth. 16. Neque enim quiſquam eſt, qui inficietur Chriſtū eſſe petrā illam inuiolabilem, eſſe lapidē illū augularē, qui fecit vtraque vnū eſſe fundamētū, ꝑter quod nemo poteſt aliud ponere. Cū hoc tamē ſtat, quòd cū ſecundū beatū Dionyſiū de diui. nominibus c. 4. bonū ſit ſui ipſius maxime diffuſiuū & cōmunicatiuū, ad gloriā ſuā illuſtrādā & ad incredibilē ſuā bonitatē toti mūdo manifeſtādā illud, quod ſibi ipſi poteſtate ꝓpriū eſt, participatione quadam eſſe ſibi cum homine cōmune voluiſſe diceretur. Nunquid non ſolus ipſe eſt lux inacceſſibilis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Ioan. 8. Et tamen Apoſtolis legitur dixiſſe: Vos eſtis lux mundi Matth. 5. Nunquid non ipſe ſolus bonus eſt? Vnde Luc. 18. Nemo bonus niſi ſolus Deus, & Matth. 19. Vnus eſt bonus Deus: et tamen Luc. 6. dicitur: Bonus homo de theſauro cordis ſui profert bona. Nunquid non ſolus ipſe remittit peccata? hoc enim eſt proprium Dei: eandem tamen poteſtatem ſacerdotibus quoque conceſſit, dicens Io. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed quid opus eſt tot recenſere? Poteſt ne quicquam eſſe glorioſius, quàm dici filiū Dei? ipſius tamen filij Dei bonitas cōtulit humano generi, vt quod ille ſolus natura eſt, homo eſſet per adoptionis gratiam: noſq; Dei patris filios & hæredes, fratres ſuos & cohæredes eſſe voluit. Nunquid non dicitur pri. ad Tim. pri. ſoli Deo honor & gloria? et tamen idem Apoſtolus ad Rom. 2. inquit. Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum. Adducens autem Baſilius locum illum euangelij Matth. c. 16. videlicet: Tu es petrus &c. in libro de pœnitentia inquit: Si petra eſt, non vt chriſtus petra eſt, ſed vt Petrus petra. Chriſtus enim reuera petra eſt immobilis & inconcuſſa. Pe-

trus enim talis dicitur propter hanc inconcuſſam petram. Largitur enim Deus ſuas dignitates, non euacuans ſe, ſed habens dat. Lux eſt: ideo ait, vos eſtis lux mundi Matth. 5. Sacerdos eſt, ſacerdotes facit. Ouis eſt: ecce,inquit,mitto vos tanquam oues in medio luporum Matth. 10. Petra eſt,petram facit: & quæ proprie ſunt illius, largitur ſeruis. Vnde Ambroſius in c. 9. beati Lucæ ait: Continet itaque virtute ſua molem Eccleſiæ Chriſtus,ac inuiſibiliter eam gubernat: ſed quemadmodum in ſacramentis, cum ipſe ſolus inuiſibiliter operetur omnia, miniſterio tamẽ vtitur viſibilium ſacerdotum:ſic viſibilem in terris elegit miniſtrum,per quem Eccleſiæ molem hanc ſuſtineret, per quem gregem ſuum viſibilem inuiſibilis ipſe gubernaret. Eſt igitur Petra Chriſtus:eſt petra fides de Chriſto, quam confeſſus eſt Petrus: eſt Petra Petrus ipſe confitens Chriſtũ. Hæc adeo ſibi non aduerſantur,vt niſi credas Eccleſiam ſuper petrã confitentem Chriſtum ædificatam eſſe, nihil credas: nec vbi ſit Eccleſia, ſcire queas. Quamobrem ſi talem eſſe volumus Eccleſiam, quæ videri & agnoſci poſſit,neceſſe eſt, vt viſibilem eſſe petram ſtatuamus, ſuper quam ſit viſibilis ædificata: vt petræ nomine Petrum Petriq; ſucceſſorem confitentem Chriſtum intelligi velimus. Et hoc eſt quod dicit Hieronymus libro contra Iouinianũ: Super Petrum fundatur Eccleſia: licet idipſum (in alio loco) ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiãt, vt ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamẽ vnus inter duodecim eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Ante etiã illum a Cypriano de ſimplicitate prælatorum dictum fuit: Hoc erãt vtique ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur. Sed ante eum Anacletus, qui vixit Apoſtolorum temporibus epiſtola 3.dixit: Licet omnes pares eſſent Apoſtoli, Petro tamen a Domino eſt conceſſum, (& ipſi inter ſe idipſũ voluerunt) vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis: & cephas,ideſt caput & principium, teneret Apoſtolorum. Quoniam itaque vna eſt Eccleſia, ſuper vnum, qui claues eius accepit,Domini voce fundata eſt: per quem fit, vt Epiſcopatus etiam vnus ſit multorũ Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus, ſicut ad Iubaianum & ad Antonianum lib. 4. Epiſtola 2. ſcribens teſtatur Cyprianus. Hieronymus etiam contra Luciferianos ſalutem Eccleſiæ dicit a ſummi ſacerdotis dignitate pendere: cui ſi non exors quædam & inter omnes eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Vnde idem Cyprianus ad Florentium pupianum lib. 4. Epiſtola 9. & ad Cornelium lib. pri. Epiſtola 3. ſcribens

teſtatur

teſtatur, dicens: Vnum itaque toti præeſſe Eccleſiæ vſque eo neceſſarium eſt, vt abſque hoc eccleſia vna eſſe non poſſit. Suam igitur vnitatem, vt dictũ eſt, ſpecialiter ab vnitate capitis & prælati habet.

De ſecunda Eccleſiæ nota, videlicet: quòd eſt ſancta. Cap. XXXVI.

LICET, vt inferius patebit, Eccleſia ſit ſancta, non tamen in ea ſunt ſoli iuſti & ſancti, vt dictum eſt ſupra. Vnde Matth. 3. & Luc. 3. Deſignatur nomine areæ, in qua ſicut eſt triticũ, ita ſunt & paleæ. Vocatur ager, in quo cum tritico creſcunt & zizania: eſt & ſagena, in qua congregantur boni & mali piſces Matth. 13. Vocatur vinea, in qua ſunt palmites proferentes vuas, & qui producunt labruſcas Matth. 21. Comparatur gregi, in quo ſunt hædi & oues, ſunt & arietes & hirci pri. Petri 5. Confertur domui, in qua ſunt vaſa aurea & argentea, ſimiliter & lignea ac fictilia, quædam in honorem, quædam vero in contumeliam 2. ad Tim. 2. Comparatur decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudẽtes Matth. 25. Quamobrem permiſti ſunt mali bonis in hac Eccleſia, quæ militans dicitur. Quare non ideo ſancta dicitur Eccleſia, quòd in ea non ſint reiecti & reprobi: ſed quia quicumque ſancti ſunt, non niſi in hac Eccleſia ſancti ſunt: extra quam ſpecies ſanctitatis eſſe non poteſt. A meliori itaque ſui parte ſancta dicitur, ſicut eadem regnum cælorum ſæpe vocatur a Chriſto: vel quia ſoli ſãcti, qui intra ſepta illius ſunt, adipiſci poſſunt regnum cælorum. Dicitur quoque ſancta, quaſi Chriſti ſanguine tincta: Chriſtus enim eã lauit a peccatis ſuis in ſanguine ſuo Apoc. primo. Qui ſic eam dilexit ad Eph. 5. vt ſeipſum traderet pro illa, vt eam ſanctificaret, atque ab operibus mortuis mundaret ſanguine ſuo. Hac ratione fideles omnes olim, ſicut teſtatur Auguſtinus in pſal. 45. ſancti vocabantur. Ceterum apud eos, qui latine ſcripſerunt, ſanctum dici legimus, quod firmum eſt, & munitum, vt violari facile non poſſit, neq; debeat: Sic muros leges vocant ſanctos, ſic tribunos ſanctos, ſic ærarium quoque ſanctũ appellatum legimus. Qua ratione etiã Eccleſia dicitur ſancta, qua nihil firmius, nihil fortius: Vel quia Chriſto dicata eſt, cui quod dedit pater, nemo poteſt ab eo eripere: Vel q̃a ſupra petrã ædificata eſt: ita vt neque pluuiæ, neque flumina, neque venti irruentes eã ſubuertere poſſint: intãtum vt nec portæ inferi præualere poſſint contra eam Matth. 16. Habet enim firmũ & ſtabile fundamentum: de quo beatus Apoſtolus pri. Cor. 3. Fũdamentum

damentum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Huic fundamento cum innitatur, nulla eſt, neque fuit, neque erit vis vmquam tanta, qua ſuperari poſſit. Ideo Chryſoſtomus tomo 5. homil de expulſione ſancti, Fortiorem eam terra, immo fortiorem eſſe ipſo cælo dicit: vbi radices eas fixas habere affirmat, non in terra: ſolem vt extingui ſit facilius, quàm Eccleſiam obſcurari. Hæc eſt illa terra, quam fundauit in ſæcula altisſimus pſal. 86. de qua idem propheta: Fundaſti eam ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Aciem huius Eccleſiæ perrumpere conati ſunt pagani, omnia ſuppliciorum genera de pijs ſumendo: conati ſunt tyranni, libertatem eripiendo: conati ſunt falſi fratres, charitatem exterminando: conati ſunt Iudæi, fidem impugnando: conati ſunt ſchiſmatici, obedientiam tollendo, & eius vnitatem ſcindendo: conati ſunt hæretici, ſcripturas adulterando, veritatem earum obſcurando, praueq; eas interpretando. Sed fuit hæc acies terribilis omnibus, vicit, fudit, fugauit omnes. Vicit paganos, pro Chriſti fide vitam cum ſanguine profundendo tanta animi conſtantia, tanta alacritate, vt gauderent etiã, eo quòd digni eſſent habiti pro nomine Ieſu contumeliam pati Act. 5. Vicit tyrannos, in Deo ſpem & fiduciam collocando, ac pro ſe perſequẽtibus deprecando. Vicit falſos fratres, tolerando. Vicit ſchiſmaticos, ordinem retinendo, & vnitatẽ capitis conſeruando. Vicit Iudæos & hæreticos, verum ſcripturarum ſenſum ab illis non intellectum, ſed praue detortum, aperiendo. Vnde Eccleſiæ ſuæ dixit Saluator noſter Luc. 21. Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere aduerſarij veſtri. Eſt ergo vere ſancta, inuicta, & inexpugnabilis Eccleſia. quæ tot tantiſq; grauiſsimorũ hoſtiũ oppugnationibus nõ modo fracta nõ eſt, ſeu debilitata, ſed magis cõfirmata, & corroborata: vt vere dicere poſsit illud pſal. 128. ſæpe expugnauerunt me a iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi: Immo ſemper ſibi proprium fuit, vt oppugnationibus creſceret. Qua de re ſcripſit Clemẽs presbyter alexandrinus lib. 6. ſtromatum: Græcam quidem philoſophiam, ſi quisuis magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit: noſtram autem doctrinam a prima vſque prędicatione prohibent ſimul reges & tyranni, duces ſinguli & magiſtratus cũ vniuerſis ſatellitibus, nos pro viribus excindere conantes: illa autẽ magis etiam floret. De qua Hilarius 7. de Trinitate: Eccleſia noſtra dũ eã impij perſequũtur, floret. dũ opprimitur, creſcit: dum cõtemnitur, proficit: dum lęditur, vincit: dũ arguitur, intelligit: tunc ſtat, cum ſuperari videtur. Et beatus Ambroſius lib. 9. in capit. 20. Lucæ de eadem: Vt vinea dum ligatur,

inquit,

inquit, erigitur: dum humiliatur, attollitur: dum reciditur, corónatur. Quanti ab initio oppugnarunt Eccleſiam oſtendit Chryſoſtomus in ſermone de pentecoſte, dicens: Cum fidei ſemina iacerentur, arma contra eam commota ſunt: ſed quanto magis impugnabatur, tanto clarior reddebatur. Hæc igitur nota ita eſt Eccleſiæ propria, vt eam hæretici ſibi nulla ratione queant vſurpare. Verum Eccleſia non dicitur ſancta per naturam, ſiue per eſſentiam, ſicut Deus, qui vt dicitur in hymno angelico, eſt ſolus ſanctus: & pri. Reg. 2. Quis ſanctus vt Dominus? ſed dicitur ſancta per participationem gratiæ: fideles enim omnes in gratia exiſtentes dicũtur ſancti. Vnde Dauid pſal. 85. dicebat de ſeipſo: Cuſtodi animã meam, quia ſanctus ſum. & licet in Eccleſia mali ſint permiſti bonis, & in maiori numero, quàm boni, iuxta illud Matth. 20. Multi ſunt vocati pauci vero electi: inde non ſequitur, quòd Eccleſia nõ dicatur ſancta, cũ a nobiliori fiat denominatio. Nec per hoc, quòd Eccleſia dicitur ſancta, ſequitur aut datur intelligi, quòd omnia illius membra ſint in charitate exiſtẽtia: ſed ſolum illa, quæ numero & merito (vt dictum eſt ſupra) ſunt de Eccleſia, quæ ſunt proprie membra Chriſti, vita gratiæ viuentia. Nec etiam ſic intelligendum eſt Eccleſiam dici ſanctam, quòd aliqui de Eccleſia fuerint ſemper ſancti: cum conſtet omnes, dempto Chriſto & beata virgine, ſub peccato eſſe concluſos, iuxta illud ad Rom. 5. Per vnum hominẽ peccatũ in hunc mũdũ intrauit, & per peccatũ mors: & ita in oẽs homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt: multi enim fuerunt in gratia, per quam erant membra viuentia, qui decidentes ab ea, facti ſunt membra arida: ſed dicitur Eccleſia ſemper ſancta, quia in omni tempore in Eccleſia, quæ vtitur viſibilibus ſacramentis, fuerunt aliqui iuſti & ſancti.

De tertia Eccleſiæ nota, quæ eſt, quòd eſt catholica. C. XXXVII.

PRO tertiæ particulæ ſiue notæ Eccleſiæ declaratione notandum, quòd Eccleſia dicitur catholica, hoc eſt vniuerſalis & per totum orbem diffuſa, bifariã: Vno modo, quia conſtat ex diuerſis Eccleſijs, vt ſumitur in c. Alienus 24. q. pri. Vbi ex ſententia beati Cypriani dicitur: Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt, nec poteſt Deum habere patrem, qui vniuerſalis Eccleſiæ nõ tenet vnitatem: quo modo Eccleſia romana non eſt vniuerſalis, ſed pars Eccleſiæ vniuerſalis: prima tamen & præcipua, velut caput in corpore, vt habetur c. Quamuis 21. diſt. Alio modo Eccleſia dicitur catholica,

ideſt vniuerſalis: quia ſub ſe continet Eccleſias vniuerſas, ſeu quia præeſt vniuerſis: Et iſto modo Eccleſia Romana dicit vniuerſalis, vt habetur in dicto c. Quamuis. Quo etiam modo accipiẽdo Eccleſiam vniuerſalem, Papa dicitur paſtor, & rector vniuerſalis Eccleſiæ, vt in c. In nomine domini 23. diſt. & Io. 10. Erit vnum ouile & vnus paſtor: cui omnes oues indiſtincte erunt commiſſę. Quod factum fuit, cum dictum eſt Petro Io. 21. Paſce oues meas. Vnde tota ſynodus Calcedoneñ. acclamauit Leoni Papę, Sanctiſsimus, apoſtolicus, œcumenicus (ideſt vniuerſalis) patriarcha per multos annos viuat. Nec obſtant c. Nullus, & c. Ecce 99. diſt. vbi prohibetur romanum Pontificem dici vniuerſalem: quia dicta prohibitio facta eſt, ne putetur, quòd Papa præficiatur cuilibet particulari Eccleſiæ, vt proprius & ſpecialis illius Eccleſiæ rector: quia ſic ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates. Sed propter hoc nõ prohibetur dici vniuerſalis, hoceſt ſupremus & principalis poſt Chriſtum. Eccleſiæ autem particulares poſſunt dici catholicę, non ratione diffuſionis, ſed ratione fidei catholicę, quæ eſt cõmunis omnibus Eccleſijs: quo etiã modo omnes fideles dicũtur catholici. Ex præmiſsis apparet, quòd nulla alia a chriſtiana religione debet dici catholica. Vnde beatus Auguſtinus lib. de vera religione ait: Quia licet quęlibet ſecta proponat, quæ tradit ab omnibus vniuerſaliter credenda & obſeruanda: hoc tamen iure non competit cuicumque ſectę, quòd ſcilicet dicatur catholica. Vnde ſi hoc ſibi vẽdicare præſumeret, ad hoc tamen numquam pertingeret. Et quamuis idololatria ad omnes mundi partes pertingerit, non tamen iuridice: neque etiam idololatria erat vna religio vniuerſaliter obſeruata, ſed apud diuerſos diuerſa: cum diuerſi diuerſos Deos colẽdos ſibi inſtituiſſent. Non etiam ab omnibus nationibus fuit recepta, ſed ſẽper a veris Dei cultoribus reprobata: ſicut & a ſapientibus gentilibus, aſſerentibus huiuſmodi cæremonias eſſe obſeruandas tanquã legibus iuſſas, non tanquam dijs placitas: vt de Seneca inquit beatus Auguſtinus 16. de ciuit. Dei. Eccleſia tamen noſtra licet a ſui exordio fuerit ſemper catholica, & vniuerſalis vniuerſitate puritatis, ſanctitatis, & veritatis, non tamen vniuerſitate dilatationis, aut vniuerſitate præceptorum & remediorũ. Vnde dicitur in pſal. 75. Notus in Iudæa Deus. & pſal. 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Vnde lex Moyſi non obligabat gentiles. Hac vniuerſitate dilatationis cœpit Eccleſia eſſe catholica, cum fides annuntiata eſt per Apoſtolos & concionatores in vniuerſum mundum. Vnde beatus Auguſtinus ſermone 131. & 181. de tempore, declarans hoc nomen catholicam, inquit: Eccleſia

cleſia ideo catholica, quia toto orbe diffuſa: Vnde diuerſorum hæreticorum Eccleſiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per ſuas quaſque prouincias continentur. Hæc vero a ſolis ortu vſque ad occaſum vnius fidei ſplendore diffunditur, quam græci vocant catholicam, & latini vniuerſalem: pertinet enim ad vniuerſa loca, ad vniuerſa tempora, ad vniuerſa hominum genera, & ad nationes vniuerſas. Apoſtoli enim in mundum vniuerſum ire iuſsi ſunt, & prædicare euangelium omni creaturæ Marci vlt. Hinc eſt, quòd diuus Paulus commendans Romanos: Fides, inquit, veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo ad Rom. primo. Sumpſit quoque exordium cum orbe condito, duratura vſque ad finem ſçculi: fundauit enim eam Deus in æternū, qui dixit Matth. 28. Ego vobiſcū ſum vſque ad conſummationem ſæculi: Ideo pertinet ad vniuerſa tempora. Quòd autem pertineat ad omnia hominum genera cuiuscunque ſtatus, cōditionis, ætatis, ſexus, ſiue gentis fuerint, teſtis eſt beatus Paulus ad Rom. 10. Non eſt in ea diſtinctio Iudæi & Græci non eſt in ea circuncifio & præputium, nō barbarus & ſcytha, non ſeruus & liber, non maſculus neque fœmina: ſed omnia in omnibus Chriſtus, idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Quòd autem pertineat ad vniuerſas nationes, indicat ille locus Apoc. 5: Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populo, ac natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum: Oſtendit & beatus Petrus Act. 10. inquiens, in veritate compe, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & qui operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi: Poſita eſt enim ſuper eum montem Eccleſia, quem vidit Nabuchodonoſor, e lapide ſine manibus exciſo creuiſſe in montem magnum, & orbem vniuerſum impleuiſſe Dan. 2. In quo comminutis regnis aliis vniuerſis iuxta Danielis interpretationem, Deus cæli ſuſcitauit regnum, quod in æternum non diſsipabitur, & alteri populo non tradetur. Hunc Danielis locū adducens beatus Bernardus ſermo. 66. ſuper cant. contra ſui temporis hæreticos: Ita ne, inquit, lapidem de monte abſciſsum ſine manibus, montem factum, & implentem mundum, veſtris creditis intruſum antris? habet & ſemper habebit integram Chriſtus hæreditatem ſuam, & poſſeſsionem ſuam terminos terræ. Si quis dixerit Matth. 24. Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, monet nos ipſe: nolite credere. ſi dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite moueri. Non eſt caput niſi in corpore ſuo: non eſt Chriſtus niſi in ſua ſancta catholica Eccleſia, quæ ibi eſt, vbi eſt fides catholica. Fides autē catholica ea eſt, quæ per orbem vniuerſum iuxta Chriſti præ-

ceptum

ceptum eadem ſemper annuntiatur, nec vel tempore vel locis umquam variatur: a qua ſi quis diſſentiat, is catholicus non eſt, quòd ſingularem quandam opinionem, non vnam communem omnium fidem complecti videatur.

De quarta Eccleſiæ nota, videlicet: Apoſtolica. C. XXXVIII.

CVM poſtremo vocamus Eccleſiam apoſtolicam, non excludimus patriarchas & prophetas; quia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Adam, vel eius filio Abel, initium ſumpſit Eccleſia: quæ ædificata et ſupra fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum ad Eph. 2. Nam quod Apoſtoli factum eſſe prædicauerunt, id prophetæ futurum prædixerunt. Dicitur itaque Eccleſia apoſtolica, in qua & doctrina Apoſtolorũ, & legitima Epiſcoporũ eſt ſucceſsio, à temporibus Apoſtolorũ ad hæc vſque noſtra deducta. Porro doctrina Apoſtolorũ non ſcripto tantũ, verũ & traditione cõſtat: quos quid Apoſtolos, quæ ad cõſtituendã Eccleſiã, quæ ad fidẽ, quæ ad religionẽ, quæ ad ritus & cæremonias ſpectant, docuiſſe dubium nõ eſt: & tamen nuſquã ſcripta reperiuntur. Beatus enim Paulus ſcribens ad Theſſal. c. 2. epiſtolæ 2. inquit: State, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Qua etiam ratione & quibus ritibus euchariſtiæ ſacramentum celebrari debet, verbo tradidiſſe videtur: vnde primæ Cor. 11. ait: Cetera (de eodé loquens ſacramento) cum venero diſponam. Ex quo loco beatus Auguſtinus ad Ianuarium Epiſtola 118. a Paulo inquit totum illum ordinem agendi, quem vniuerſa per orbem tenet Eccleſia, inſtitutum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. Idem Paulus eodem loco laudat Corinthios, quòd tenerent præcepta, quæ tradiderat illis: et 2. ad Tim. 2. Quæ audiſti, inquit, a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere. Ireneus lib. 3. c. 4. dicit, de multis rebus, quæ literis mandatæ non erant, edoctam ab Apoſtolis recentem illam Eccleſiam fuiſſe; quas ſucceſſores Apoſtolorum Epiſcopi ſibi per manus ab illis traditas ſuis uiciſſim ipſi ſucceſſoribus Eccleſiæq; tradiderunt. Hilarius ſuo quoque tempore in lib. ad Conſtantium auguſtum, cum dixiſſet quidam, nolo verba, quæ ſcripta non ſunt, dici: dic (inquit) prius, ſi recte dici putas, nolo aduerſus noua venena nouas medicamentorũ comparationes, nolo aduerſus nouos hoſtes noua bella, nolo aduerſus nouas inſidias conſilia recentia. Athanaſij etiam verba ſunt hæc in lib. de decretis Nicenæ ſynodi contra Euſebium: cum ex diuerſis

uerſis doctoribus probaſſet filium eiuſdem eſſe cum patre eſſentiæ: Ecce, inquit, nos quidem ex patribus ad patres per manus traditã fuiſſe hanc ſententiam demonſtrauimus. Apud etiam Theodoretũ lib. pri. c.8. legimus: ex non ſcriptis ſermonibus, pie tamen intellectis, Arrianos eſſe damnatos, cum reijcerent illi vocem Homouſij, propterea quòd nuſquam in ſcripturis reperiretur. Athanaſius quippe, & qui cum eo faciebant epiſcopi catholici, teſtimonio patrum, qui doctrinam hãc ab Apoſtolis receperant, eos redarguebant. E ſcripturis Eluidius Mariæ perpetuam virginitatem, e ſcripturis etiam Donatiſtæ paruulorum baptiſmum impugnabant: Sed ſicut illum Hieronymus, ita hos Auguſtinus Eccleſiæ traditione refellit. Cuius tãtam eſſe vim Paulus ad Gal. pri. voluit, vt audacter diceret: Etiam ſi nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: ſiquis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Nõ dixit, ſi vos docuerit aliter, quàm ſcripſit aut Matthæus, aut Lucas, aut Ioannes, aut quàm ipſi ſcripſimus: ſed præter id quod euangelizauimus, hoceſt prędicauimus vobis, præter id quod ipſi coram tradidimus vobis. Quatuor ſunt enim euangelia, quæ ſcriptura nobis prodit: & tamen ſiquis ea nõ credit, hæreticus eſt. Vnde ideo credimus, non quia ſcriptum eſt, ſed quia ſic ab Apoſtolis legitima epiſcoporum & ſacerdotum ſucceſſione per manus nobis traditũ eſt. Spiritus quoque sãctus, quòd procedat a filio, licet formaliter eius veritas per ſcripturas non ſit nobis manifeſta, eſt tamen nota quoad ſenſum, & per Eccleſiæ traditionem. Tres etiam perſonas eſſe dicimus, non quia ſcriptura dicit tres perſonas eſſe, vt inquit Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. 4. ſed quia ſcriptura non contradicit: & quia ſic ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus traditum accepimus. Quorum etiam eſſe traditionem, vt paruuli baptizentur, diuus Dionyſius c. 7. eccle. hierar. & Origenes libro 5. in epiſtola ad Rom. teſtantur. Quòd etiam in miſſæ ſacrificio pro defunctis oretur, Apoſtolorum eſſe traditionem narrat Chryſoſtomus Homil. 3. in epiſt. ad Philip. Similiter quòd de maioribus Eccleſiæ cauſis ad ſedem apoſtolicam ſit referendum, Apoſtolos inſtituiſſe ſcribit Zepherinus Papa & martyr. Symbolum Apoſtolorum, quod præ manibus habemus, ab Apoſtolis confectum eſſe narrat Clemens in epiſtola ad Iacobum fratrem domini, Hieronymus ad Pammachium aduerſus hæreſes Ioannis Hieroſolymitani, Auguſtinus ſerm. 115. & 181. de tempore, & Leo epiſtola 13. & 24. Multa etiam eſſe refert beatus Auguſtinus lib. 2. c. 7. de baptiſmo paruulorum, quæ neque in

literis Apoſtolorum, neque in concilijs poſteriorum reperiuntur: Tamen quia per vniuerſam ſeruantur Eccleſiam, non niſi ab ipſis Apoſtolis tradita & commendata creduntur. Reuertendo ad principale beatus Gregorius in regiſtro exponens ſymbolum, ait: Credo vnam fidem, vnum baptiſma, vnam apoſtolicam & vniuerſalem Eccleſiam: quæ dicitur apoſtolica triplici ratione. Tum quia primo Apoſtoli Chriſto adhæſerunt, & primitias ſpiritus habuerunt: vnde Apoſtolus ſecundæ Theſſ. 2. Elegit nos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis: & ad Rom. 8. Nos ipſi primitias ſpiritus habentes: vbi glo. dicit, tempore prius & ceteris abundantius. Tum etiam, quia Apoſtoli poſt aſcenſionem domini in fide & ſancta doctrina, verbo & exemplo ſanctitatis & miraculis eam fundauerunt: Vnde beatus Paulus ad Eph. 2. Superædificati, ſcilicet eſtis, ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, hoceſt ſuper nouum & vetus teſtamentum: quia quæ Apoſtoli prædicauerunt, hæc prophetæ prædixerunt. Tum denique dicitur apoſtolica, magis quàm prophetica, quia Apoſtoli magis explicitam tradiderunt, quàm prophetæ: vnde gloſ. ſuper illud pſal. 17. Tenebroſa aqua in nubibus aeris, dicit, obſcura doctrina eſt in prophetis: & quia prædicatio Apoſtolorum fuit vniuerſalior & diffuſior, quàm prophetarum, cum in omnem terram exiuerit ſonus eorum: prædicatio vero prophetarum ſoli populo Iudæorum nota fuit: & quia omnis Chriſtianæ religionis & ſacrarum inſtitutionum eccleſiaſticarum obſeruantia per traditionem Apoſtolorum deriuata eſt ad Eccleſiam, vt habetur in cap. Eccleſiaſticarum 11. diſt. Hinc ſedes beati Petri, quæ nobis mater eſt & magiſtra rationis, quæ etiam a tramite apoſtolicæ traditionis nūquam receſſit iuxta c. A recta 24.q. pri. ſpecialiter apoſtolica nominatur. Spiritus enim ſanctus, qui remittit peccata, non alibi reſidet, quàm apud Eccleſiam apoſtolicam. Apoſtolis enim Ieſus dixit Io. 20. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hic enim Spiritus copulat & ſociat omnia Eccleſiæ membra, non ſecundum corporalem congregationem in vnam patriam, prouinciam, regionem, ſed ſecundum ſpiritualem copulam in vno fidei ſacramento, in vna profeſſione, in vno grege, in vno ouili, ſub vno paſtore, & ſub vna cathedra. Sequitur in articulo: Sanctorum communionem: quæ proprie eſt explanatio præcedentium. Declarat enim quid intelligendum ſit per ſanctam Eccleſiam, & quem fructum referat, qui Eccleſię catholicæ membrum viuum eſt. Proinde credimus aliorum omnium piorum hominum benefacta nobis ſubuenire, nos iuuare, defendere, ac confirmare,

donec tamen mēbra corporis, hoc eſt Eccleſiæ, fuerimus. Hinc eſt quòd Saluator noſter nos orare docens, iubet non ſibi quēque peculiater aliquid petere: ſed vult vnius corporis mēbra eodē animata ſpiritu, quod communiter omnibus expediat, poſtulare. Alter enim alterius onera portemus, & ſic adimplebimus legem Xp̄i ad Gal. 6. Extra hāc ſanctorū cōmunionem, quæ eſt Eccleſia, ne ꝓpria quidē benefacta etiā eximia cōducunt quēquam ad ſalutem. Quapropter etſi pro Xp̄i nomine quis ſanguinem fundat, ſi in hac vita nō tenuit Eccleſiæ catholicæ vnitatē (ſecundū Rufinum aquileienſem in tractatu de Symbolo) non habebit æternam ſalutem. Nam ſi vnam ſanctam Eccleſiam Sanctorumq; communionem credimus, quæ eſt Chriſti corpus myſticum: conſequens eſt eum nullam cum ſanctis communionem habere, qui hanc deſerit vnitatem: in corpore quoque Chriſti myſtico non eſſe, qui ab illa recedit: nec pertinere ad Chriſti præmia, qui relinquit eius Eccleſiam. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt, denique habere non poteſt Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem, in qua ſola eſt remiſsio peccatorum ſecundum Auguſtinum de Symbolo ad Cathecum. lib. 2. c. 10. Communio bonorum (vt dictum eſt) fit in Eccleſia: inter alia vero membra Eccleſiæ principale eſt Chriſtus: quia eſt caput, ad Epheſ. pri. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius: bonum enim Chriſti communicatur omnibus Chriſtianis, ſicut virtus capitis omnibus membris: quæ communicatio fit per Eccleſiæ ſacramenta, in quibus operatur virtus paſsionis Chriſti: quæ operatur ad conſequendam gratiam in remiſsionem peccatorum. Non modo enim nobis communicatur virtus paſsionis, ſed & meritum vitæ Chriſti: & quicquid boni egerunt omnes ſancti, communicatur in charitate exiſtentibus, ex quo omnes vnum ſunt, iuxta illud pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te: ſpecialiter tamen illi, pro quo ſpecialius fit aliquod bonum. Excommunicati autem, quia ſunt extra Eccleſiam, amittunt partē omnium bonorum, quæ fiunt in eadem: quod eſt maius damnum, quàm damnum amiſsionis omnium bonorum temporalium. Per illa enim ſuffragia (vt inquit diuus Thomas opuſcu. 7. de Symbolo) impeditur diabolus ne poſsit nos tentare: quando enim quis excluditur a dicta communione, diabolus facilius vincit eum: hinc eſt, quòd in primitiua Eccleſia, cum aliquis excommunicabatur, ſtatim diabolus vexabat eum corporaliter.

De duodecimo articulo, ideſt: peccatorum remiſsione. Caput. XXXIX.

EX ſuperioribus euidentiſſime patet, quòd nec Deus pater ob aliam cauſam miſit filium ſuum, nec ipſemet filius propter aliud ſuſcepit hominem ſanandũ, nec ſpiritus ſanctus ſua dona ob aliud infudit, niſi vt animæ noſtræ a ſarcinis peccatorum liberarentur. Suſcepit igitur Chriſtus totum hominem & in anima & in corpore curandum: A cura tamen animæ cœpit, tandem etiam corpori daturus felicitatem immortalitatemq;. Quin priorem curam animæ adhibendam eſſe, quàm corpori Dominus noſter Matth. 9. demonſtrauit, cum paralyticum ſanaret. Fili, inquit, confide, remittuntur tibi peccata tua. Deinde cum vidiſſet peruerſam Iudæorum mentem, vt (inquit) ſciatis quia habet poteſtatem filius hominis in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula Marc. 2. Congruum eſt enim vt prius interius ſanus ſit, qui exterius ſaluus eſſe deſiderat. Quemadmodum dominus Matth. 23. ait: Munda prius quod intus eſt, vt fiat & id, quod deforis eſt, mundum. Credimus ergo in ſola Chriſti Eccleſia, & non alibi eſſe remiſſionem peccatorum per baptiſmum, & poſt baptiſmum per pœnitentiam, & claues Eccleſiæ datas. Baptiſmus enim extra Eccleſiam eſſe poteſt apud hæreticos baptizantes in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: ſed prodeſſe non poteſt adultis ad remiſſionem peccatorum, niſi baptizatus ante vitæ ſuæ finem catholicæ Eccleſiæ reconciliatus, redditus, & incorporatus fuerit. Dictus baptiſmus omnia prorſus delicta delet & originalia ac ꝓpria, ſimiliter & omnem pœnam peccatis debitam. Si vero poſt baptiſmũ in peccata quamuis grauia & crebra ceciderimus, ſupereſt ſecunda poſt naufragium tabula, nempe pœnitentia, per quam lapſis in virtute ſanguinis Chriſti, & aliorum ad iuſtificationem concurrentium, donatur remiſſio peccatorum miniſterio clauium Eccleſiæ in perſona Petri traditarum: de quibus inquit Saluator Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Et vt melius ſupradicta & articulus iſte intelligantur, voluimus hic iuſtificationis articulum annectere, quo quis ſalutem & animæ vitam per peccata perditam conſequi poſſit: de reſurrectione vero corporis diffuſe in ſequenti articulo diſſeremus. Ad impij iuſtificationem multa requirunt. Primum Dei præueniens gratia, gratia videlicet gratis data, de qua pſal. 58. Miſericordia eius præueniet me: & pſal. 78. Cito anticipẽt nos miſericordiæ tuæ: & Io. 6. Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum: & cap. 15. Sine me nihil poteſtis facere: & 2. Cor. 3.

Non

Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis &c. & ad Philip.2. Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere: & ego ſto ad hoſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo Apoc.3. Propter hoc declinamus a Pelagianorum hæreſi dicente: liberum arbitrium noſtrũ proprijs uiribus & abſque gratia illa præueniente a peccatis reſurgere, ac iuſtitiã acquirere poſſe. Secundum requiſitum eſt liberi arbitrij cooperatio, cum in facultate noſtra ſit aſſentire vel diſſentire vocationi, pulſationi, & attractioni diuinæ. Vnde prouer.1. Vocaui (inquit Deus) & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Vnde Auguſtinus de verbis Domini: Sine voluntate tua non erit in te iuſtitia Dei: & in libro de ſpiritu & anima: Cõſentire diuinæ vocationi,& ab ea diſſentire, proprie eſt voluntatis. Vnde D. Ioannes Driedon. lib.pri. de redemptione humani generis inquit: Quemadmodum accidit, vt ex duobus iam æqualiter iuſtis, vnus conſentiendo carnis deſiderijs a iuſtitia deficiat, alter vero eodem arbitrio innixus auxilio dei perſeueret: ſic contingit, vt ex duobus adhuc impijs, æqualiter indignis, æqualiter diuinis inſtinctibus pulſatis atq; admonitis aut ad fidem aut ad cordis pœnitentiam, vnus non reluctetur, ſed locũ det pulſanti Deo, alter vero repugnet, & in obſtinatione ſuę voluntatis permaneat. Vnde qui ſic vocatus reſiſtit, in ſua poteſtate habet non reſiſtere: alioqui non peccaret, neque reſiſtendo meritum ſupplicij ſibi faceret. & quamuis qui vocatus venit, habeat opus aliquid per voluntatis ſuę arbitrium factum, per illud tamen in ſe gloriari nõ debet,ſed in domino: qui vt hoc opus ipſe faceret, dignatus eſt ipſum prępuenire. Vnde Auguſtinus lib. 83. q. quęſt. 68. Ad Cœnam illam magnam, inquit, non omnes qui vocati ſunt, venire voluerunt: nec illi qui venerunt, venire potuiſſent niſi vocati: Tertium requiſitum eſt motus dicti liberi arbitrij in Deum per fidem, ſpem, et charitatem: ſimiliter & pœnitentia interior peccatorum,de qua infra. De præexigentia fidei habetur Hebr.11. Credere oportet accedẽtem ad Deum: & ſine fide impoſsibile eſt placere Deo, cum ipſa ſit totius ſpiritualis ſtructuræ fundamentum. De ſpe habetur pſal.36. Saluauit eos, quia ſperauerunt in eo: & pſal.90. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum; & ad Rom.8. Spe ſalui facti ſumus: & ſecundum beatũ Ambroſium nemo poteſt bene agere pœnitentiam,qui non ſperauerit indulgentiam, vt habetur de pœnitentia diſt.pri.c. Nemo,il ſecõdo. De charitate prærequiſita, qua liberum arbitrium conuertitur ad creatorem, & in eum tendit, patet, quia ab eius mãdato vniuerſa lex pendet Matth.22. & Luc.10. Hoc fac(ideſt dilige) & viues:

et 1. Io. 3. Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui enim non diligit, manet in morte. Quòd pœnitētia etiam præexigatur, habetur Ecc. 17. pœnitentibus dedit Deus viam iuſtitiæ: & Luc. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis: & Act. 3. Pœnitemini, vt deleantur peccata veſtra: & de pœnitentia diſt. pri. c. Quis aliquando: Nullus vmquam ſine pœnitētia Deo reconciliari poterit. Si dicatur quomodo prærequiritur pœnitentia, cum ſit ſecunda tabula: Reſpondetur, quòd prout habetur ibidem, duplex eſt pœnitentia: quædam interior tantum, quæ eſt quædam diſplicentia, & deteſtatio peccati: & hæc ſemper præexigitur baptiſmo adultorũ in iuſtificatione: de qua Auguſtinus ad Felicianum: Omnis qui ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, & ad ſacramenta fidelium accedit, non poteſt nouam inchoare vitam, niſi eum veteris vitæ pœniteat: & hæc nõ eſt ſecũda tabula. Alia enim eſt pœnitentia exterior, quæ dicitur ſecunda tabula: & ſub ſe continet contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem, quæ non præexigitur baptiſmo: de qua beatus Ambroſius ad Rom. Sine pœnitentia ſunt dona, & vocationes Dei: quia gratia Dei in baptiſmate non requirit planctũ: Et patet quòd loquitur de exteriori pœnitētia, quæ tamē neceſſaria eſt poſt perditā per mortale primā gratiā, ſeu gratiā baptiſmalē. In iuſtificatione vero infideliũ adultorũ neceſſario requiritur præfata interior pœnitentia, qua volũtas dolet de peccatis, & ab eis abſtinere de cetero proponit, & Deo obedire, ac diabolo & pompis eius renũtiare. In ſupradictis omnibus dēpto primo, concurrit voluntas noſtra actiue, ſiue cooperatiue, mere libere diuinæ vocationi aſsentiendo, & intellectui vt credat imperando, & actus ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ eliciendo. His præmiſsis, Deus peccatori ſic diſpoſito occurrēs, gratis ei omnia errata condonat, omnemq; culpā remittit, vt cauſa effectiua: de qua Eſa. 43. Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me: & Mar. 2. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? Concurrit etiam tāquam cauſa meritoria Saluator noſter, qui pretioſisſimi ſui ſanguinis aſperſione ſatisfecit pro nobis æterno patri, Adæq; debitum ſoluit, ac chirographum decreti deleuit ad Col. 2. Lauit etiam nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo Apoc. 1. In quo etiam habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorũ ad Eph. 1. & pri. Io. pri. Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato. Culpa ſic remiſſa, ſequitur ſecundus actus iuſtificationis, qui eſt infuſio gratiæ, cuius Deus eſt mera cauſa efficiens: de qua Ezech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Cauſa vero meritoria etiā ipſi-

us infuſionis gratiæ eſt pijſsimus Ieſus, qui per eandem ſui ſanguinis effuſionem meruit nobis gratiam & gloriam: Vnde ad Eph. 1. Gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionē per ſanguinem ipſius. Ad iſtum vero infuſionis gratiæ actum volūtas noſtra ſe habet mere paſsiue, cum gratia ſecundum Theologos ſit creationis terminus, in quem (ſecundum Auguſtini ſententiam ſuper Gen. c. 22. lib. 9.) non poteſt etiam ſupremus Angelus, ſicut nec creare ſeipſum: Et ſimul cum ipſa gratia gratum faciente Deus in animam infundit habitum fidei & ſpei. Poſt quæ ſtatim ſeqnitur tertius actus, videlicet immutatio, ſeu innouatio mentis vel animæ: de quo 2. Cor. 4. Is qui intus eſt homo noſter renouatur. Mox enim vt anima habitu charitatis, fidei, et ſpei ex alto induitur, deponens ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, renouatur ſpiritu mentis ſuæ, induitq; nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis ad Eph. 4. Imago quoque Dei in nobis, quæ per peccatum denigrata fuerat, priſtino decori reſtituitur: Datque Deus cor nouum homini, & ſpiritum nouum Ezech. 36. Et ſicut homo ante huiuſmodi iuſtificationem per infidelitatem erat membrum a myſtico corpore Chriſti præciſum (etſi fidelis erat, mortali tamen culpa infectus) aridum, & ſterile, ita quòd nihil boni operis meritorij vitæ æternæ operari poterat: ſic in renouatione iſta eidem Chriſti corpori per gratiam annectitur, eiuſque membrum efficitur, & ab ipſo capite Chriſto vegetatur, & tanquā fœcundiſsimus palmes veræ viti, quæ Chriſtus eſt, inſeritur & vnitur. vel ſi per fidem vnitus erat, viuificatur: ita vt vberes bonorū operum fructus vitæ æternæ dignos producere poſsit, prout ipſemet Io. 15. dicit de ſe: Ego ſum vitis, & vos palmites; qui manet in me, hic fert fructum multum &c. Initiū ergo ſalutis noſtræ deo miſerante habemus. Vt acquieſcamus ſalutiferę inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt. Vt adipiſcamur quod acqeſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris. Vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adiutorij. Vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt, & ignauiæ. Sicut ergo initium ſalutis noſtræ Deo miſerante & inſpirante habere nos credimns, ita arbitrium naturæ noſtræ ſequax eſſe diuinæ inſpirationis libere confitemur. Igitur vt non labamur a bono naturæ vel meriti, ſolicitudinis noſtræ eſt, et cęleſtis pariter adiutorij: vt labamur, poteſtatis noſtræ, & ignauiæ. Vnde diuus Bonauen. inquit: nam cum ſint in ſalutis opere iſta quatuor, videlicet: Inuitare, acquieſcere, adiuuare, permanere: primum eſt inſpirationis dei, ſecundum libertatis arbitrij: nec hoc ſolum, ſed & ſequax eſſe diui-

næ inſpirationis: tertiũ muneris diuini: quartũ ſolicitudinis noſtræ, & diuini pariter adiutorij. De duobus primis beatus Auguſtinus de ſpiritu & litera ait c. 24. His ergo modis quando Deus agit in animam, vt ipſi credat: neq; enim credere poteſt quodlibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio, cui credat. profecto & ipſum velle credere Deus operat̃ in homine, et in omnibus miſericordia eius p̃uenit nos: cõſentire autem vocationi dei vel ab ea diſſentire, proprie voluntatis eſt. Deq; iſtis duobus & de ceteris diffuſe tractatur in ſeſſione 6. concilij Tridẽtini, & in dogmatibus & doctrina de iuſtificatione. In ſupradictis totus proceſſus iuſtificationis fidelium & infidelium adultorum exprimitur: in quo tamen eſt triplex differentia. Quia in iuſtificatione infidelium, quæ fit per baptiſmũ, non præexigitur pœnitentia exterior, ſed interior tantum. In iuſtificatione vero fidelium, qui a gratia baptiſmali per mortale exciderunt, requiritur vna cum interiori exterior pœnitentia, quæ tres habet partes, vt dictum eſt in tractatu de ſacramentis, titulo de pœnitentia c. 4. 5. & 9. videlicet, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: quarum prima in actu neceſſario requiritur: aliæ vero duæ, ſi actu haberi nequeunt, requiruntur ſaltem in voto. Secunda differentia eſt, quia in prima iuſtificatione per gratiam baptiſmalem remittitur omnis culpa tam originalis, quàm actualis: ſimiliter & omnis pœna tam æterna, quàm temporalis: ita vt nulla maneat iuſtificato ſatisfactio in hac vel aliena vita peragenda. In ſecunda vero deletur tantum culpa actualis, & remittitur in ea ordinarie pœna æterna, & non temporalis: pro qua remanet ſatisfactio in hac vita vel in purgatorio facienda. Tertia autem differẽtia, quia in prima iuſtificatus, qui antea per infidelitatem erat totaliter ſeparatus a Chriſto, & ab eius corpore ſeiunctus, eidem Chriſti corpori per gratiam baptiſmalem annectitur, & vnitur. In ſecunda iuſtificatus, qui per culpam mortalem effectus erat membrum aridum, ſterile, & mortuum, ſed non ab ipſo corpore Chriſti præciſũ, eidem corpori non vnitur, cum præfato corpori per fidem adhæreat, ſed vireſcit per pœnitentiam, ac viuificatur. Et ſpirituałẽ a Chriſto tanquam a capite vegetationem accipiens, fructuoſus & ad producendum bonorum operum fructus fœcundus efficitur. Et hæc quoad remiſsionem peccatorum ſufficiant.

De articulo tertiodecimo, videlicet: de carnis reſurrectione, & de beatitudine animæ concernente corpus: quod congruum eſt conglorificari animę noſtræ, eo quòd cum ipſa pro Chriſto perpeſſum ſit paſsiones. Caput. XL.

DOMINVS

DOMINVS Ioannes Damaſcenus cap. 28. quarti libri orthodoxæ fidei, inquit: Credimus reſurrectionẽ mortuorum, quæ indubitato erit. Reſurrectionẽ vero dicentes, corporum intelligimus, ſiue compoſiti. Eſt enim reſurrectio ſecũda eius, quod interijt, ſtatio. Nam animæ cum immortales ſint, quomodo reſurgent? Siquidem mortem definientes dicimus eſſe ſeparationem animæ a corpore: & ſic ſecundum eundem reſurrectio omnino erit cõiunctio rurſus animæ & corporis: & ſecunda iterataq; eius, quod diſſolutũ fuerit, ieritq; peſſum, animalis reſtitutio. Ne quis igitur ſe difficilem præbeat in ſuſcipienda fidei reſurrectione, idẽ ſanctus doctor Damaſcenus ad omnipotentiam Dei conſiderandam nos inducit: quæ ſicut prius ex limo terræ potuit corpus humanum formare, ita ipſũ in puluerem reſolutum poterit denuo in priſtinum ſtatũ reparare. Et reuera qui ſolum naturæ virtutem attendebant, vt rerum naturalium perſcrutatores philoſophi, impoſsibilem putabant eſſe corporum reſurrectionẽ: & Apoſtolos eam prædicantes, vt deliramenta quædam & friuola aſſerentes, irridebant: quemadmodum Acta Apoſtolorum c. 17. de Paulo Athenis prædicante atteſtantur. Verũ huiuſmodi rerum indagatores defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: qa virtutem Dei infinitam intenſiue, & immenſam, voluerunt concludere finibus, & metis virtutis naturæ finitæ, & certo limite determinatæ: & vnam alteri æquare contenderunt. Attamen ex his, quæ in natura nobis perſpecta ſunt, & ex operibus Dei præteritis, poſſumus faciliter manuduci in credendam mortuorum reſurrectionem, modo noſipſos præbeamus dociles & perſuaſibiles. Et hac via ſancti patres plurimum tentarunt ipſam reſurrectionem nobis credibilem oſtendere. Vnde beatus Gregorius ad infirmos in fide apud ſe hæc conquirentes de futura reſurrectione, Quomodo homo ex puluere reducitur? & quomodo fit, vt cinis animetur? ſic reſpondet: Longe minus eſt Deo reparare quod fuit, quàm creaſſe quod non fuit. Aut quid mirum, ſi hominem ex puluere reſuſcitet, qui omnia ex nihilo creauit? Mirabilius namque eſt cælum & terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe, quàm ipſum hominẽ ex terra reparare. Videmus enim, quòd in vno grano paruiſsimi ſeminis latet tota, quæ naſcitura eſt, arboris moles. Quid ergo mirum, ſi oſſa, neruos, carnem, capilloſq; reducat ex puluere, qui lignum, fructus, folia, in magna mole arboris ex paruo quotidie ſemine reſtaurat? Si enim tolleretur mortuorum reſurrectio, tunc in nullo a brutis animalibus & ratione carentibus (vt inquit Damaſc. vbi ſupra) diſcreparemus. Si enim non eſt reſurrectio, ex conſequenti

non

non erit anima ſuperſtes poſt mortem, pręmiũ aut pœnam pro ſuis operibus receptura. Ideo ſi anima noſtra poſt mortem non permanet, ęadem eſt humana conditio, quæ & brutorum, in quibus anima interit cũ corpore: quinimmo deterior erit & infelicior noſtra ſors, quàm animalium ratione carentium: Recte enim rationis iudicio a cupiditatibus & voluptatibus corporis nos in hac vita abdicamus, atque frẽnamus. Si igitur futuræ vitæ oblectamentis nõ perfruemur, quibus bruta animalia paſsim in hac vita perfruũtur, erũt ipſa eo ipſo beata: homo vero vndique miſer, vt cui oẽs abnegatæ ſunt voluptates, cuiq; & p̃ſentis vitæ & futuræ interdictæ ſunt delectationes. Quare beatus Paulus primæ Cor. 15. inquit: Si in hac vita tantũ in Xp̃o ſperãtes ſumus, & mortui nõ reſurgũt, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Aliud incõueniẽs, quod adducit idem doctor, eſt: quòd tollẽtes reſurrectionẽ, etiã tollunt Dei ꝓuidentiã, & rectũ ſeu iuſtũ eiuſdẽ iudicium: cũ non relinquant locũ corpori cum anima præmijs affici, aut pœnis pro qualitate operum. Quãdoquidem in pręſenti vita huiuſmodi non exercetur iudicium, in qua ipſi peccatores & abundantes in ſęculo diuitias obtinẽt, & rerum proſperitatem pſal. 72. boni vero calamitatibus affliguntur, & ærumnis quamplurimis. Porro & ſi Deus in præſenti vita bonos ſinat tribulationibus agitari ac premi, malos vero rebus gaudere ſecundis, & fortunatos florere: non tamen iccirco aut iudiciũ eius non eſt iuſtum, aut prouidentia non recta. Nam hoc in mundo nõ exercet extremum ſuum iudicium, ſed illud reſeruat in finem mũdi, & in vita futura cõſummandum, quo iuſtis præmia pro ſuis reddat operibus, & malis ſupplicia. & illud erit maxime ęquitati conſentaneum, quandoquidem pro bonis tunc bona retribuet, & pro malis intermina mala, quemadmodum Lazaro vlceribus, fame, & paupertate afflicto, ſinum quietum Abrahæ conceſsit Luc. 16. Malis quippe huius mundi opes & bona impartit, vt ſuæ beneficentiæ muneribus reuocet eos ad vitæ rectitudinem: & ex diuinæ in eos benignitatis largitate reducat ad ſalutẽ atque ad ſuum benefactorẽ colendum. Verum ipſi ſuæ voluntatis prauitate eiſdem abutuntur bonis ad illecebras ſuarum voluptatum, & ad grauioris iudicium damnationis illa ſibi materiam faciunt. E diuerſo bonis infert Deus hic tribulationes ad expurgationem terrenæ fecis hærentis animæ, & peccatorum contractorum: quia meliora illis bona præparat, videlicet, æterna. Quocirca non vult animos impleri bonis huius vitæ fluxis & caducis: ſed quemadmodum dicit beatus Gregorius, Qui humiliter hic flagella ſuſcipiũt, poſtea ad requiem ſublimiter ſuſcipiuntur: ſic vua, inquit, calcibus tunditur, & in vini

humorem

humorem liquatur: ſic oliua contuſionibus expreſſa amurcam ſuā deſerit, & in olei liquorem pingueſcit: ſic per trituram areæ a paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt. Idem Damaſcenus ſcripturæ teſtimonio probans futuram reſurrectionē, adducit inter cetera illud Gen. c. 9. verbum Domini ad Noe poſt diluuium, quo prohibuit humani ſanguinis effuſionem, quòd de manu omnium beſtiarum ipſum eſſet requiſiturus. quod ſecundū glo. in præfato Damaſceni loco, ſic intelligitur: de manu omnium beſtiarum requiret Deus humanum ſanguinem: quia hominū etiā a beſtijs interfectorum corpora in extrema reſurrectione reuocabit ad vitam, rurſus vnito corpori ſanguine, qui dum vitam hic agebat, prius in eo fuerat. Matth. etiam 22. dicitur: Quòd Dominus non eſt mortuorum Deus, neque morientiū. Mortuos & morientes ſcriptura appellat nullo modo ſubſiſtentes: & qui omnino & quantum ad corpus, & quantum ad animam, interierint. Horum quidem non dicitur Deus, quia refertur dumtaxat Deus ad exiſtētes, & in natura quoquo pacto habentes eſſe. Cum itaq; Deus ad Moyſem ſe appellauerit Deum Abraham, Iſaac, & Iacob iam morte reſolutorum, conteſtatur probatam eſſe & oſtenſam mortuorū reſurrectionem: quo argumēto vſus eſt Dominus noſter in Sadducæos negantes reſurrectionem Matth. 22. Adducit & aliud ſcripturæ teſtimonium Damaſc. ex pſal. 103. depromptum, ſcilicet: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: vbi ſecundum eundem de iterata animarum ad corpus vnione eſt ſermo: Siquidem emittet ſpiritum ſuum Deus, cum virtutem viuificandi, quæ ſpiritu ſancto fit, expandet in omnes mortuos, & e tumulis rediuiuos excitabit, vt Ezechiel 37. capite latius explicuit. Et tunc ſane creabuntur, quia e puluere terræ quaſi ex nihilo ſuſcitabuntur corpora: & renouabitur facies terræ, quia terrena corporis humani moles in meliorem commutabitur qualitatem. Inſuper ſubnectitur ab eodem Damaſc. ex Daniele, aliud eiuſdem rei argumentum, qui 12. cap. ait: Quòd multi dormientium in terræ puluere reſurgent. Quod non ideo dictum putetur, quia multis ad iteratam reſurgentibus vitam, & aliqui futuri ſint reſurrectionis expertes, & minime reſurrecturi: cum dicat beatus Paulus ſecundæ Cor. 5. Omnes enim vos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat quiſque prout geſſit in corpore ſiue bonum, ſiue malū: & primæ Cor. 15. Omnes quidem reſurgemus: ſed eſt haud dubie omnium futura reſurrectio. Verum conſuetudo loquendi ſacræ ſcripturæ eſt (vt inquit beatus Auguſtinus 20. de ciu. Dei) omnes multorum appellatione denotare, & multos pro omnibus interdum dicere. Itaque multi dor-

mientium

mientium reſurgent, ideſt omnes mortui reſurrecturi ſunt, cuiuſuis fuerint ætatis, dum vitā agerent, ſexus, aut conditionis, Quinimmo & qui in ipſo iudicis aduentu, aut paulo ante inuenientur viui, morientur per veram animæ a corpore diſſolutionem, vt compleatur in eis illa pſal. 88. ſententia: Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? & illa Pauli ad hebræos 9. Statutum eſt hominibus ſemel mori. Ex euangelio etiam beati Io. c. 5. Damaſc. vbi ſupra aſtruit reſurrectionem: vbi omnes, qui in monumentis ſunt, dicuntur audituri vocem filij Dei, videlicet: Surgite mortui, & venite ad iudicium. nam eius fiet iuſſu & imperio. Archangeli autē & cæleſtium ſpirituum eadem vox erit, vt exequētium Dei iuſſum, & formationem vocis adminiſtrantium, vt dicit Apoſtolus primæ ad Theſ. 4. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, deſcendet de cælo. Dicitur autem vox illa tuba: quia officium tubæ veteris teſtamenti fungetur, & ſimile cum illa peraget miniſteriū. Siquidē ſecundum Moſaica inſtituta, tuba ordinata fuit ad conuocandum populum ad concilium, ad præparandum milites ad bellum, & denique ád inuitandum homines ad feſtum. Illa autem diuina voce accerſentur omnes ad iudicium Dei. Armabitur omnis creatura in accuſationem malorū. Nam pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos ſap. 5. & inuitabuntur iuſti ad perpetua feſta cælorum. Denique facto & opere Dominum noſtrum comprobaſſe mortuorum reſurrectionem, oſtendit Euangeliſta Ioannes c. 11. eo quòd Lazarum reſuſcitauit quatriduanum a monumento. Verum quia mortuorum reſurrectio fit ad vitā immortalem, & nullo vmquam fine terminandā, ideo Lazarus, adoleſcens, & puella a Chriſto ſuſcitati, cum non fuerint ſuſcitati niſi ad mortalem & paſſibilem vitam, completam reſurrectionem non habuerunt, ſed potius imaginem quandam futuræ reſurrectionis ſortiti ſunt.

De qualitate ſuſcitandorum quoad omnes in generali, & in ſpecie quoad bonos & malos. Cap. XXXXI.

SANCTVS Thomas opuſculo 6. ſuper hoc articulo inquit: Quòd quoad omnes quatuor cōditiones attendi poſſunt in reſurrectione, Prima de idemptitate corporum reſurgentium: cum idē numero corpus ſurrecturum ſit quoad carnem & oſſa, de qua primæ Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: & Iob 19. Rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Secunda erit quantum ad qualitatem:

quia

quia corpora reſurrectura erunt alterius qualitatis, quàm nūc ſint: quia & quoad beatos , & quoad malos , corpora erunt incorruptibilia : cum boni ſint futuri ſemper in gloria , & mali ſemper in miſeria . Tunc etiam propter eorum immortalitatem & incorruptibilitatem non erit vſus ciborum & venereorum , Matth. 22. In reſurrectione neque nubent, neque nubētur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo . Tertia conditio cōcernit integritatem : quia omnes boni & mali reſurgent cum omni integritate, quæ ad perfectionem hominis pertinet : nō enim erit ibi cæcus vel claudus . Vltima eſt quātum ad ætatem : quia omnes reſurgent in ætate perfecta , ideſt triginta trium vel duorum annorum . Et ratio eſt , quia qui nondum peruenerunt ad tempus hoc , non habent perfectam ætatem : ſenes vero eam iam amiſerūt:ideo iuuenibus & pueris addetur quod deeſt, ſenibus vero reſtituetur, vt dicitur ad Eph . 4 . Donec occurramus omnes in virum perfectum , in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti . Ad hęc ſecundum diuum Bonauenturam diſt . 43 . q . art. pri. q. 5 . ſciendū,quòd in reſurrectione tria eſt reperire . Primū eſt corporis ex pulueribus reformatio : & hoc eſt contra naturam , ideſt contra ſolitum naturæ curſum , quæ poteſt perfecta deſtruere , non autem deſtructa reparare . Secundum eſt ipſi corpori reformato animæ vnio : & hoc eſt animæ naturale , quòd videlicet corpori optime organizato, cui deſiderabat vniri, vniatur : licet non poſsit ſeipſa eidem vniri, ſed virtute dumtaxat diuina . Tertium eſt vnitorum inſeparabilis colligatio : & hoc eſt ſupra naturam , videlicet , quòd ex corruptibili fiat incorruptibile & inſeparabile . Quoniam igitur primum & vltimum ſunt ſupra vel contra naturam, ideo nullo modo habemus dicere reſurrectionem eſſe naturalem,ſed ſupra naturam . Si quæratur cauſa noſtræ reſurrectionis , dicit idem ſanctus vbi ſupra q . 6 . quòd in Chriſto eſt aſsignare noſtræ reſurrectionis duplicem cauſam,videlicet efficientem & exemplarem.Prima adhuc eſt duplex, ſcilicet vel vt primum principium , aut vt inſtrumentum . Efficiens vt primum principium erit beata Trinitas : efficiens vero vt inſtrumentum erit vox Chriſti, ad cuius vocationem & vocis prolationem mortui reſurgēt . Exemplaris etiam eſt duplex, vna in qua res cognoſcitur & diſponitur : & ſic eſt Dei filius ſecundum diuinam naturam , & tota Trinitas : ſecunda in qua res inchoatur & exēplificatur : & hoc modo Chriſti reſurrectio eſt cauſa, de qua Auguſtinus in libro de Trini . Talia erūt corpora noſtra, quale Chriſtus ſua reſurrectione monſtrauit : unde eſt quaſi exemplum , in quo noſtra reſurrectio eſt inchoata tanquam membrū in capite, vt dicitur ad Eph . 2 . conuiuificauit nos Chriſto,& corre-

ſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu. Ex quibus patet, quomodo Chriſti reſurrectio & vox eius eſt cauſa noſtræ reſurrectionis: & quòd reſurrectio & vox eſt filij Dei in carne. Ideo inquit beatus Auguſtinus ſuper primũ caput Ioannis: Quòd per verbum carnem factum ſit reſurrectio corporum. Quantum vero ad qualitatem bonorum dicunt doctores, quòd erit ſpecialis gloria: quia habebunt corpora glorificata. Modum ponit Apoſtolus primæ Cor. 15. dicens: Inſipiens tu quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur: & quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum. Deus autem dat ſibi corpus ſicut vult: & vnicuique ſeminum proprium corpus, quaſi diceret: quod in ſeminibus, quæ tu in terram iacis, per annos ſingulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ lege Dei ſeminatur in terra, futurum eſſe non credis? Non ne cum diuerſa ſemina quis in vnũ permiſcet, & hæc indiſcreta ſeminat, ac paſsim ſpargit in terram, vniuſcuiuſque ſeminis ſatio, quocumque loco fuerit, competenti tempore ſecundum naturæ ſuæ ſpeciem germen producit, & culmum ſuæ formæ ſuiq; corporis reparat? Quid ergo mirum ſi Deus vniuſcuiuſque carnis ſubſtantiam, quamuis varie diſperſam mutatis qualitatibus refingat ſic, vt vnicuique animæ non confuſum aut extraneũ corpus, ſed ſuum, quod habuerat, reparetur: vt ſubinde idẽ corpus cum ſua anima ſancta coronari vel peccatrice puniri poſsit? Sicut igitur portamus imaginem terreni videlicet Adã, ita & portemus cæleſtis, ſcilicet Chriſti: q̃ vt inquit Paulus pri. Cor. 15. reſurrexit a mortuis primitiæ dormientiũ: quoniã quidẽ per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in vno homine omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. primitiæ Chriſtus: deinde qui ſunt Chriſti? qui in aduentũ eius crediderunt. Et ſtatim poſt verba iſta (ſtella a ſtella differt in claritate) ponit dotes corporis glorioſi, videlicet: Seminatur in corruptione &c. Dotes corporis præfati ſumuntur ſecundum quatuor defectus, quos corpus ſingulorũ habet a quatuor elementis, ex quibus componitur. habet enim ab igne caliditatem & inde nigredinem, a terra craſsitiem, & ab aere paſsibilitatẽ, ab aqua frigiditatem & inde tarditatem: quæ omnia tolluntur per quatuor dotes corporis, quas Saluator noſter habuit in corpore ſuo, & oſtendit ante paſsionem ſuam, vt dicit Hugo de Sancto victore: Claritatem in transfiguratione Matth. 17. Agilitatem, quando ambulauit ſupra mare Marc. 6. Subtilitatem in natiuitate: quia ſalua virginitate matris & integritate natus fuit Luc. 2. Impaſsibilitatem, quãdo corpus ſuum diſcipulis manducandum dedit Matth. 26. quod

intelligendum

intelligendum eſt ſecundum actum, & non habitum: quia aliter diuinis derogaretur miraculis. Dos prima corporis beati & reſuſcitati eſt claritas. Pro qua nota, quòd aliquid dicitur clarum duobus modis: aut quia peruium, vt vitrum clarum: aut quia lucidum, ſicut ſtella a ſua luce dicitur clara. Duo enim ſunt, quæ nunc cauſant obſcuritatem, ſcilicet materiæ impuritas, & luminis defectus: tunc autem tolletur vtrumque, videlicet impura denſitas & obſcuritas, quæ ex defectu luminis eſt: ideo erunt corpora clariſſima, immo ſepties clariora, quàm modo ſit ſol. Vnde Matth. 13. dicitur, quòd iuſti fulgebunt ſicut ſol: & Eſa. 30. Erit lux lunæ, ſicut lux ſolis: & lux ſolis ſeptẽpliciter, ſicut lux ſeptẽ dierũ. Claritas tamen ſanctorum non erit æqualis: quoniã melior anima habebit corpus lucidius. Claritas etiam ſanctorum erit ſicut ſtellarum in comparatione ad claritatem Chriſti: ſancti enim plus vel minus lucebũt ſecundum differentiam meritorum. Pueri vero, qui immediate moriuntur poſt baptiſmum, claritatem habebunt ſimilem claritati lunæ, quæ lucem habet per participationem, hoceſt a ſole: ſic illi gloriam habent ex merito pręciſe alieno, videlicet Chriſti: cum baptiſmus ex Chriſti paſſione ſuam habeat efficaciam. Secunda dos eſt impaſſibilitas, quæ reſultat ex virtute animæ corpus ſuum potenter continentis, vt a nullo exteriore agẽte valeat immutari. Et quãquam corpora ſanctorum erunt compoſita ex contrarijs, illa tamẽ contrarietas erit ad omnimodam æqualitatem & concordiam redacta: & hæc impaſſibilitas erit non poſſe pati. Impaſſibilitas vero Adæ fuit poſſe non pati: ſicut puerorum in Limbo erit nihil pati: & hoc non erit ex potentia reſiſtendi læſioni extrinſecæ, quam non habebunt, ſed ex ordinatione diuinæ miſericordiæ, quæ non permittet aliquid eis adhiberi, per quod poſſint lædi. Vnde ſi ponerẽtur in igne læderentur, niſi obſtaret diuina miſericordia: ſecus eſt de corporibus glorificatis, quæ ſi ponerentur in inferno, nullam ſentirent læſionem. Tertia dos eſt ſubtilitas, quæ aufert craſſitiem corporis cauſatam ex materialitate elementi, & compoſitione elementalium qualitatum, quæ non prouenit ex raritate partium, ſed ex perfecta victoria formæ ſuper materiam: & huiuſmodi ſubtilitas eſt vnita ſubſtantiæ, ſicut dicitur cælum ſubtile. Verum ſicut duo corpora non beata non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, ita nec duo corpora glorioſa. Corpus autem glorioſum bene poteſt eſſe ſimul cum corpore non glorioſo, vt dicunt doctores in 49. diſt. 4. Vltima dos eſt agilitas, quæ tãta erit, vt inquit beatus Auguſtinus, quòd protinus vbi volet ſpiritus, ibi erit corpus. Sed melior anima habebit corpus agilius: ita tamen quòd voluntas ſanctorum

erit omnino coniunċta rationi. Vnde voluntas eorum numquã appetet, quod non deceat: voluntas enim animæ ſanċtioris volet rationabiliter citius moueri corpus ſuum, quàm alterius: & ſpiritus minoris gloriæ non volet corpus ſuum tam cito moueri, quàm alterius. Quare modo corpora ſunt tarda, hæc eſt ratio: quia in corpore duplex eſt motor, videlicet natura elementi prædominantis, quæ mouet ad medium locum: & voluntas animæ, quæ mouet indifferenter ad quemlibet locum. Nunc autem corpora tarda ſunt ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem, cum terra prædominans naturaliter trahat deorſum. In futura vero corporũ reſurreċtione natura erit totaliter voluntati ſubdita, vnde tunc corpus mouebitur ad imperium ſpiritus. Eæ quatuor corporis dotes vel qualitates ponuntur ab Apoſtolo primæ Cor. 15. vbi ait: Seminatur corpus in corruptione: reſurget, ſcilicet per dotem impaſſibilitatis, in incorruptione. Seminatũ corpus ignobile, reſurget in gloria per dotẽ claritatis. Seminatur corpus animale, reſurget ſpirituale per dotem ſubtilitatis. Seminatur corpus in infirmitate, reſurget in virtute per dotem videlicet agilitatis. De his quoque idẽ Apoſtolus ad Philip. 3. ait: Saluatorẽ expeċtamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ cõfiguratum corpori claritatis ſuæ. De quibus etiam loquitur beatus Auguſtinus 22. de ciuit. Dei, dicens: Aberit a corporibus noſtris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Omnis deformitas per claritatem: omnis tarditas per agilitatem: omnis infirmitas per ſubtilitatem vel penetrabilitatem: omnis corruptio per impaſſibilitatem. Hæ demum corporis dotes tanguuntur ſapientiæ 3. vbi dicitur: Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. In fulgore notatur claritas: in ſcintilla impaſſibilitas: in arundineto ſubtilitas: & in diſcurſu agilitas. De quibus diuus Bonauentura in 49. diſt. 4. articulo primo q. 2. partis ſecundæ inquit: quòd eſt loqui de dotibus corporis, in quibus eius glorificatio conſiſtit vel quantum ad diſpoſitionem, vel quantum ad conſummationem. Si primo modo, dicit, quòd ſunt diſpoſitiones & qualitates abſolutæ corporis, quæ ſibi a Deo elargiuntur in ſua reformatione. Si vero quantum ad conſummationẽ, concludit, quòd ſunt a gloria animæ. Vnde ſicut in præſenti vita anima in corpus influit, per quam influentiã corpus eſt coloratius, durabilius, virtuoſius, & agilius, quàm cum anima ſeparatur: ſic dicit in propoſito, quòd ſuo modo anima glorioſa influens in corpus omnes diċtas dotes, ad quas diſpoſitiones habebat, per ſui reformationem perficit & conſummat. Vnde credit, quòd ſi corpus ſepararetur, ſi eſſet clarum, ſubtile,

agile,

agile,& impaſsibile: nõ tamen ita vt tunc,quando anima beata erat ſibi cõiuncta. Damnatorũ vero cõditio,vt inquit diuus Tho. Opuſ. 6,in declaratione huius articuli,contraria erit cõditioni beatorum: quia erit in eis pœna æterna, in qua quadrupliciter afficientur eorũ corpora: quia erunt obſcura,de qua Eſa.13.facies combuſtæ vultus eorũ erunt. Paſsibilia,licet nũquam corrumpentur:ſemper enim in igne ardebunt,& nũquam conſumentur Eſa. 66. Vermis eorũ non morietur,& ignis eorũ nõ extinguetur.Erunt & grauia:quoniã anima erit ibi quaſi catena,de qua in pſal.149.Ad alligandos reges eorum in cõpedibus. Poſtremo erunt quodammodo carnalia, anima ſcilicet & corpus eorum . de qua Iohelis primo : Cõputruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Ex fide.n.huius articuli,& ſpe reſurrectionis, quatuor conſequimur vtilitates. Primo.n. valet ad tollendas triſtitias,quas ex mortuis concipimus.Difficile eſt enim,quòd homo nõ triſtetur de morte chari ſui : ſed per hoc, quia ſperat eũ reſurrecturũ,valde dolor mortis tẽperatur: vnde pri. ad Theſſal. 4. dicit Apoſtolus, Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt nõ contriſtemini ſicut & ceteri,qui ſpem nõ habent. Secundo aufert mortis timorẽ: Nam ſi homo poſt mortẽ non ſperaret aliã meliorẽ vitã, dubio procul mors eſſet ei valde timẽda ; & prius eligeret quodcũque incommodũ, quàm mortẽ: ſed quia meliorẽ ſperamus vitã, ad quam functi vita corporali ex Dei miſericordia perueniemus,conſtat quòd nullus debet mortem timere,aut eius timore aliqua mala operari. Vnde idẽ Apoſtolus ad Hebr.2. inquit: Vt per mortem deſtrueret eũ, qui habebat mortis imperiũ, ideſt diabolũ : & liberaret eos,qui timore mortis per totã vitã obnoxij erant ſeruituti. Tertio reddit ſolicitos & ſtudioſos ad bene operandũ: Quia. n. credimus, quòd per hæc bona,quæ facimus in hac peregrinatione,recipiemus bona æterna in reſurrectione , ideo ſtudemus bene operari : vnde pri.Cor.15. Si in hac vita(vt dictũ eſt ſupra)tantũ in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus . Vltimo retrahit a malo: ſicut enim ſpes p̃mij allicit ad bonũ,ita timor pœnæ, quam credimus malis reſeruari,retrahit a peccatis Io.5.Et ꝓcedẽt, q̃ bona fecerunt , in reſurrectionẽ vitæ : qui vero mala , in reſurrectionẽ iudicij. Credimus ergo per ſpiritũ ſanctũ reſuſcitandã omnẽ carnẽ , hoc eſt omnes homines ſecundũ corpus & carnẽ reuicturos tam pios,quàm impios,tã bonos,quàm malos: ſic vt eadẽ caro,quã circũferimus,quę mortua eſt & ſepulta, reſuſcitãda ſit.quod aperte oſtendit Apoſtolus , cum reſurrectionem carnis tradit , addito ꝓnomine hoc, videlicet: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionẽ pri.Cor.15.cum enim dicit,hoc,in carnẽ,quam geſtamus,

quaſi digitũ intẽdit. Quid enim aliud eſt dicere mortale hoc, quàm quòd hæc viſibilis caro ſit reuictura? Reſurget ergo hoc corpus ad immortalitatẽ: quæ pijs atque impijs cõmunis erit, ſed longe diuerſa ratione: nã pijs æternã beatitudinẽ, impijs vero æternos cruciatus afferet, quemadmodũ Danielis 12. legimus: Tunc reſurgent, qui ſunt in terræ puluere, hi quidẽ in vitã æternã, hi autem in opprobriũ & confuſionem æternam. Procedent enim, qui mala egerunt, in reſurrectionem iudicij, ideſt æternæ damnationis; vt expreſſius in Symbolo tangitur Athanaſij.

De vltimo Symboli articulo, videlicet, de vita æterna: ibi, Vitam æternam. Cap. XLII.

DVLCIS profecto & iocunda eſt huius ſancti Symboli concluſio: qua in Chriſto manentibus poſt glorioſam reſurrectionem corporum promittitur æterna vita, a catholicis doctoribus aurea dicta: quæ non eſt niſi beatitudo eſſentialis vel ſubſtantialis animæ, diſtincta ab aureola, quæ eſt gloria incorruptionis ſecundũ ꝑfectum triũ viriũ animæ in carne operantiũ, vt ſunt vis iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis. Aureola virginũ eſt gloria de incorruptione corporis vel carnis, atteſtante incorruptione mẽtis. Aureola martyrũ eſt gloria de inuicta ſuſtinẽtia mortis pro fide vel iuſtitia. Aureola vero prædicatorũ eſt gloria de incorruptione doctrinæ ad alterũ verbo & exẽplo prolatæ. Tribus igitur generibus hominũ debetur aureola propter opera excellẽtiſſima triũ potentiarũ animæ: Excellentiſſimũ enim opus cõcupiſcibilis eſt obſeruantia virginalis caſtitatis: ſingulariſſimũ opus rationalis eſt ꝑdicatio veritatis: & perfectiſſimũ opus iraſcibilis eſt perpeſſio mortis: Virginibus. n. ꝑdicatoribus, & martyribus cõuenit aureola. Per dictas profecto virtutes reportamus de hoſtibus in ſpirituali militia, quę eſt vita hominis ſuper terrã Iob 7. victoriã: Martyres enim vincunt mundum: virgines carnem: prædicatores veritatis diabolum, quẽ nõ ſolũ de ſeipſis, verũ & de cordibus audientiũ expellunt. Ceterũ quia paſſionũ quædã ſunt innatæ, quædã illatæ, & quædã in cordibus aliorũ inflictæ, primas ſuperat virginitas, ſecundas martyrium, tertias prædicatio, ſecundũ quas Chriſto ſaluatori perfectiſſime cõformamur. Fuit enim Saluator noſter doctor veritatẽ mũdo manifeſtãdo Matth. 22. Martyr a mundo paſſionẽ & mortẽ ſuſtinẽdo Ioan. 19. Fuit & virgo virginitatẽ illibatã ſeruãdo Ioan. 8. Aureola diminutiuũ eſt ab aurea, quę quidẽ aurea (vt dictũ eſt) præmiũ eſt ſubſtãtiale, quod metaphorice dicitur corona: tũ ex parte meriti, cum non reſpondeat

generi

generi operis, ſed radici charitatis: tũ ex parte p̄mij, cũ per hoc efficiatur homo particeps diuinitatis, & per cõſequens regię poteſtatis: tũ ẽt ratione perfectionis, quam ſignificat figura circularis. Aureola ergo eſt præmiũ accidẽtale, & illud ſolummodo quod reſpõdet operi excellẽti & priuilegiato, vt virginitati, martyrio, & prædicationi. Palma uero eſt p̄miũ accidẽtale, quod nec radici, nec operi debetur, ſed uoluntati. Tale enim p̄mium habuit nõ modo beatus Antonius patauinus, in cuius hiſtoria dicitur, O martyr deſiderio, ſed & ſãctus epiſcopus Martinus ꝓ voluntate ſuſcipiẽdi martyriũ: de cuius anima ſancta mater Eccleſia cantat: O ſanctiſsima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmã tamen martyrij nõ amiſit. Aureola prima debetur martyribus, in quibus eſt perfectiſsima victoria de impugnatione exteriori: quæ victoriæ perfectio cõſideratur primo ex magnitudine paſſionis, cũ inter omnes illatas exterius mors ſupremũ obtineat locum. Dolor etiã tactus ſingulis alijs præeminet, propter quod in eo glorioſior victoria eſt. Secũdo ex cauſa pugnæ, quæ ipſe Chriſtus eſt. Martyrẽ enim nõ facit pœna, ſed cauſa, ideſt mors propter Chriſtum ſuſcepta. Martyrio ſiquidẽ non debetur præmiũ, prout alicui exterius infligitur, ſed ſecundum quod voluntarie pro Chriſti nomine ſuſtinetur: cũ proprie nõ mereamur, aut demereamur niſi per ea, quæ ſunt in noſtra facultate. Quanto autẽ id, quod quis voluntarie pro Chriſti nomine ſuſtinet, difficilius eſt, & voluntas magis naturaliter refugit illud, tãto volũtas, quæ ꝓpter Chriſtũ id ſuſtinet, ſtabilior firmiorq; oſtẽditur, & ceteris paribus excellẽtius ei præmiũ debetur. Aureola ſecũda debetur virginibus ꝓpter ſingularẽ victoriã, quam obtinent de carne, cõtra quam quotidie bellũ geritur: licet enim viduæ pugnẽt contra carnẽ, ꝑfectius tamẽ triumphãt virgines: q̃a nobiliſsimũ genus victorię eſt, hoſti nũquam ceſsiſſe. Illis vero virginibus tantum debẽt aureola, qui vel quę ſeruãdi integritatẽ carnis ꝓpoſitũ habuerunt: tametſi propoſitũ hoc quãdoque interruptũ fuerit, dummodo in eiſdẽ remaneat integritas carnis: & dummodo in fine vitæ inueniãtur ad primũ ꝓpoſitũ rediiſſe: cũ virginitas mẽtis recuperari poſſit, nõ autẽ corporis. Verũ aliqua poteſt carne corrumpi, quæ non amittet aureolã, vt illa quæ violẽter opprimitur. In ſuo enim agone dicebat beatiſsima Lucia: Si inuitã me corrũpas, merces mihi duplicabitur ad coronã: quod de duplicata aureola nõ eſt intelligẽdũ: ſed quia duplex erat reportatura p̄miũ: vnũ pro integritate ſeruata: alterũ pro iniuria quã ꝑtulit. Aureola tertia eſt p̄dicatorũ: ex p̄dicatione. n. perfectiſsima victoria obtinetur, dum aliquis non modo diabolo impugnãti nõ cedit, verum ipſum de eius regno & ab aliis

expellit. Nec eſt dicẽdũ, vt quidã aſſerunt, quòd hæc aureola debeatur illis dumtaxat, quibus cõpetit ex officio ꝑdicare & docere: cum etiã quibuſcũque exercẽtibus licite actũ iſtũ merito cõueniat. Prælatis vero non debet̃ hæc aureola, eo quòd illis incũbat ex officio ꝑdicare, ſed quia actu ꝑdicant: cũ aureola nõ detur habitui, ſed actui pugnæ ſecundũ illud Apoſtoli ſecundæ ad Tim. 2. Nõ coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Notãdum etiã, quòd dos ſumitur vno modo iuridice & ciuiliter pro eo, quod datur a muliere marito, vel ab eius patre, aut extraneo: & hoc propter onera matrimonij. Alio modo naturaliter & phiſice pro ꝓprietate & virtute alicuius rei, ſicut dicitur: Hic eſt bene dotatus in fortitudine. Sumit̃ vltimo theologice & ſupernaturaliter: & ſic ſecundũ beatũ Tho. 49. diſt. 4. eſt ornatus perpetuus collatus corpori, & animæ vitæ ſufficiens, in æterna beatitudine cõſiſtens. Hoc tertio modo ſumẽdo eã ſecũdũ doctores in ſupradicta 49. diſt. 4. ſen. ſeptẽ ſunt dotes, quatuor pertinẽtes ad corpus, de quibus dictũ eſt in ꝑcedẽti articulo, & tres ad animã: Quæ vt adhuc melius intelligãtur, eſt prænotandũ, quòd ſpõſis carnalibus dãtur tria, videlicet: dos, donatio ꝓpter nuptias, & parapherna. Dos eſt donatio facta ſpõſæ ex parte patris, & hoc ad vſũ ſpõſi propter onera matrimonij, ſed ad poſſeſsionẽ ſponſæ. In diuinis vero Deus pater dat ſponſæ dotẽ ad poſsidendũ Chriſtũ ſponſũ ad gloriã & honorẽ, & nõ ad vſum, cum bonorũ noſtrorũ nõ egeat. Donatio autẽ ꝓpter nuptias eſt, quæ a ſpõſo datur ſpõſæ: & hoc erit in futuro gaudiũ, quod habebit anima de ſocietate beatorũ, & ď cõgratulatione felicitatis eorũ. Dotes etiã animæ ſunt, qbus Deo tãquam principio vitæ cõiungitur: & per quas introducitur in amplexus ſpõſi ſui indiſſolubiles, & in fruitionẽ. Dos etiã ĩ patria eſt illud, quod immediate animã Deo cõiungit: & dotes dicuntur tantũ dona ꝑcipua, per quæ ad actũ vitæ glorioſæ diſponitur: ſicut in matrimonio corporali, nõ dicitur ꝓprie dos quodcumque donum datũ ſponſæ, ſed ꝑcipuũ de quo ſuſtentari debeat. Dotes vero animæ ad ſubſtãtiale, corporis vero ad accidẽtale ſpectãt ꝓmiũ. Chriſtus dñs noſter dotes nõ habet, quia ſpõſus eſt: ſed anima eius ſpõſa. Dos autẽ eſt poſſeſsio ſpõſæ, quæ vſum eius habebit poſt mortẽ viri. Angeli etiã non habent dotes: quia in nuptijs eſt cõſenſus animarũ, & vnio corporum: Angeli vero licet primum habere poſsint, cũ careant ſecundo, ſponſæ dici non poſſunt vt homo: & ex conſequenti nec habent proprie dotes. Omnes enim vires, quæ habent per gratiã actũ in Deum, vt inquit diuus Bonauen. 49. diſt. 4. art. pri. quæſt. 5. habebunt per gloriã actus perfectos euacuatis imperfectis. Vnde rationalis, cuius eſt modo credere per fidem, tunc videbit aperte. Con-

cupiſcibilis,cuius eſt amare,diliget tunc perfecte. Iraſcibilis,cuius eſt erigi & inniti per ſpem,tunc perpetuo & certe tenebit. Vnde ſecundū hos tres actus diſtinguūtur tres dotes,ſcilicet viſio, (de qua Ioan.17.Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant te,& quem miſiſti filiū: & beatus Auguſtinus primo de Tri.c.penultimo:Viſio eſt tota merces)dilectio,(de qua idē Auguſtinus primo de doctrina Chriſtiana c.6.ſumma merces eſt,vt ipſo perfruamur: frui modo eſt actus volūtatis: eſt enim amore inhærere alicui propter ſe) & comprehēſio ſiue tentio: erunt enim Sancti perpetuo beati, & de ſua corona ſecuri.Vnde Matth 25.dicitur:ibūt iuſti in vitam æternam:& pſal. 83. dicitur de beatis: In ſęcula ſęculorū laudabunt te. Tentio vero vno modo,vt inquit Scotus diſt. præfata q.6.pertinet ad voluntatem, vt eſt concupiſcibilis: & dicitur ſuccedere ſpei,ſicut viſio fidei,& fruitio charitati: eo modo quo per ſpem voluntas deſiderat ſibi bonū habendum:& per tentionem amat illud bonum habitum:& illa tentio eſt amor cūcupiſcentiæ boni præſentis. Alio modo tentio dicitur eſſe quidam actus aſſecutionis,vel paſsio conſequens ſpem paſſionem:& hoc modo eſt in iraſcibili:& nullo iſtorum duorū modorū ſecundum eundē tentio eſt de eſſentia beatitudinis. Ratio primi eſt,quia amor præſentis commodi nō pertinet ad beatitudinem, vt inquit dictus doctor vbi ſupra,ſed amor boni honeſti vel boni in ſe. Ratio ſecundi,quia cū ſit in iraſcibili,magis appropinquat ad ſecuritatem,quæ ſuccedit ſpei paſsioni, quàm ſpei virtuti.

De Dei cognitione in cæleſti gloria habenda. Cap. XLIII.

ISTA beatitudo cōſiſtit in Dei cognitione,dilectione,& fruitione:in qua cognoſcitur Deus facie ad faciem ſicuti eſt,hoceſt Deus per Deum. Vnde pſal.35. in lumine tuo videbimus lumē, ideſt Deum patrē in filio Deo,& filium Deum in patre Deo,& ſpiritū ſāctum in vtroque. Vnde Apoſtolus primę Cor.13.Tunc cognoſcam ſicut cognitus ſum.Deus enim cognoſcit nos per ſe Deū: pari modo & nos cognoſcemus ipſum.Tunc oculo ad oculū Deus manifeſtabitur in omni attributo diuinæ naturæ ſuæ,videlicet potentia,ſapientia, bonitate. Hæc ergo beata cognitio iuſtitiam conſummatā facit,& immortalitatē adducit iuxta illud ſapientiæ 15.Noſſe te cōſummata iuſtitia eſt: & ſcire iuſtitiam & virtutem tuā,ideſt totā diuinā naturam,totam ſapientiam, potētiam, bonitatem tuam, radix eſt immortalitatis.In hac pręcipue cognitione eſt gloriādum,vt dicitur Hier. c.9. Qui gloriatur,in hoc glorietur,ſcire & noſſe me.In eadem beata cognitione quicquid cognoſcitur in Deo vel de Deo,

ducit ad Deum & in Deum,ſiue ſit potentia,ſapientia,bonitas, ſiue charitas. Tanta eſt enim in Deo iocunditas & amabilitas, vt cognitus ab anima,ſtatim ipſam ad ſe trahat, eamq; vehementer in ſe abſorbeat ad ſimilitudinem adamãtis.Hoc modo cognoſcens Dominum Saulus per vocem dicentem,Ego ſum Ieſus Nazarenus Act.9. mox tractus fuit ad obſequendum diuinæ voluntati,dicẽs:Domine quid vis me facere?idem fecit Magdalena,vt cognouit, quòd Ieſus accubuit in domo phariſæi, quæ in feruore ſpiritus venit,afferẽs ſecum alabaſtrum vnguenti pretioſi. In præfata etiã beata viſione cognoſcitur ipſe Deus propter Deum, cum finis cognitionis ipſe ſit: Licet enim anima ex illa faciali cognitione percipiat æternã beatitudinem,ſicut habetur Ioan.17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcãt te ſolum Deum &c .illam tamen beatitudinem non percipit finaliter pro ſuo priuato cõmodo,ſed pro manifeſtatione gloriæ Dei,vt glorificetur in anima beata Trinitas . Ibi enim limpide cognoſcet anima,quomodo videlicet æternus Deus immenſus ſit,vnus in ſubſtãtia,& trinus in perſonis:quomodo etiam filius æternaliter naſcitur a patre, & ſpiritus ſanctus continue & æqualiter ab vtroque procedit:& quòd vna perſona non eſt maior vel minor altera,aut prior ſiue poſterior:ſed quòd in ſingulis eſt vera ęternitas & coęqualis maieſtas.Cognoſcet etiam quomodo diuinitas & humanitas inſeparabiliter vnitæ ſunt in perſona verbi:ſimiliter & quòd quicquid Deus habet per naturã,habet ille homo per gratiam , ſiue per communicationem idiomatũ. Et licet dicat Salomõ Eccleſiaſtes 8. quòd omnium operum Dei nullam poſsit homo inuenire rationẽ eorũ,quæ fiunt ſub ſole,& quanto plus laborauerit ad quærendũ, tãto minus inueniet:ibi tamẽ manifeſte cognoſcet anima omnia opera diuina , & creaturarũ:rationem creationis cæli & terræ ex nihilo:diſtinctionẽ omnium ordinum Angelorum:ſapientiſsimũ diſcrimen donorũ gratuitorum,& naturaliũ:& in ſingulis diuinis operibus anima ſupra modum delectabitur,luculentiſſime cernens ſingula opera Dei eſſe optima,ac ſuo tẽpore optimo modo ordinata,adeo quòd nec meliori modo potuiſſent fieri.Item et aperte uidebit anima ſingula dona a fonte diuino fluentia,non tamen taliter,ut ab ipſo recedant ueluti riuus a fõte,ſed perpetuo in ipſo ĩtegraliter manẽt ſicut ſol , qui nõ amittit ſuã plenitudinem , ex eo quòd ſine ſui diminutione cõmunicat lumẽ omnibus: ſine enim damno & diminutione bonorũ ſuorũ omnibus deſiderantibus dat affluenter Iac. pri . Dona etiã Dei ibi sẽper noua ſunt,cũ nec ſit ibi præteritũ,nec futurũ,ſed præſens:&quod ſemel dat,sẽper dat. Rurſus anima ibi videbit, quæ hic ſunt occulta,quomodo videlicet Deus idem ipſe immutabilis, ſimplex,

plex,indiuiſibilis: & quomodo nõ æqualiter participatur ab Angelis,& ſanctis,ſed magis & minus ſecũdũ quod magis & minus diuinis moribus aſsimilantur,ad inſtar ſolis, qui vnũ magis,aliũ minus calefacit. Et licet teſte Apoſtolo ad Rom.11. incõprehenſibilia modo ſint iudicia Dei de damnãdis, & inueſtigabiles viæ eius circa ſaluandos:ibi tamẽ, ſcilicet in illa beata patria,apphẽdet anima, quòd vniuerſæ viæ Domini in iudicijs peragendis miſericordia,& veritas: Miſericordia reſtringet iuſtitiã,ne nimis ſeuere animaduertat in dãnandos iuxta illud Habacuc 3.Cũ iratus fueris,miſericordię recordaberis:Iuſtitia vero temperabit miſericordiã, ne faciliter cõdonet delicta, & ſit incẽtiuũ delinquendi. Iuſtitia enim ſemper miſericorditer punit:& miſericordia ſemper ſuperexaltat iudicium . O quam occulta ſunt nobis,dum ſumus viatores,diuina iudicia. Quis enim inueſtigare poterit illud,quod dixit Dominus ad Rom.9.Cum nondũ nati eſſent,aut aliquid boni egiſſent,Iacob dilexi, Eſau vero odio habui?Quod tunc vitium deteſtabatur in Eſau,& quã virtutẽ diligẽbat in Iacob,cũ ſecundũ beatum Thom.in opuſculo 63.c.pri. nullũ iudicet niſi ſecundũ præſentẽ iuſtitiã? quis etiã inueſtigare poterit rationẽ de duobus ad baptiſmũ delatis, quorũ vnus natus de fideli moritur antequã baptizetur,& deſcẽdit ad limbũ: Alius vero natus ex infideli baptizatur,moriturq;,& ſtatim euolat ad cælũ?quare etiã Dominus Ieſus tantã gratiã cõtulit vni latroni, & alteri nullã? Similiter quare Iudam finaliter cadere permiſit,& nullum aliorum Apoſtolorũ?cur etiam vnius grauia & multa peccata diu tolerat, vt Dauid:Saulem vero vno dumtaxat peccato cõmiſſo damnat?Hæc tamẽ ſoluit gloſſa ſuper gen.dicens:Nouit Dominus cui parcat vſque ad conſummationẽ in melius, ſicut pepercit Aaron, quẽ non perdidit cum alijs in conflatione vituli aurei:ſicut & pepercit Ezechiæ, cõtra quẽ dederat mortis ſententiã,cuius dehinc vitę tẽpus annorũ quindecim ſuperaddit. Nouit etiã cui parcat ad tẽpus, quamuis præſciuerit eũ mores vitioſos numquam emẽdaturũ. Ante etiã diluuium peccatoribus dedit cẽtum annorũ ſpatiũ ad pœnitendũ, poſtmodũ vero omnes perdidit per diluuium,pter octo animas.Nouit inſuper quibus non parcat,intantũ vt nec mutationẽ eorũ expectet, quales fuerunt Sodomitæ,quos igne & ſulphure cõbuſsit:& Datan ac Abiron,quos terra in momẽto abſorbuit viuos. Hæc omnia clariſsime anima videbit in ſpeculo æternitatis:ſicut& omne illud quod augere poteſt ſuã beatitudinẽ,de quibus omnibus mirũ in modũ gaudebit cũ electis.cognoſcet etiã ibi,quomodo ſapiẽtiſsimus Deus omnia diuina opera angelica,& humana,ſemper cõuertit ad optimum finẽ, hoceſt ad manifeſtationẽ gloriæ ſuæ : & Angelis & hominibus

L iiij ad

ad fruitionem diuinæ naturæ,& ſapientiæ. Similiter & quòd ſingula mala opera ordinat ad magnũ bonũ ſapiẽtiſsimus Deus, qui in domo ſua nihil inordinatũ relinquit. Vnde miſerabilẽ & irrecuperabilẽ caſum Angelorum, & eorũ conſummatã & obſtinatam malitiam ordinauit ad exercitium & coronã iuſtorum. Similiter vnicũ caſum ſolius hominis Adæ cõuertit in admirabilẽ humanæ naturæ exaltationẽ. Ex hoc enim humana natura diuinæ inſeparabiliter vnita eſt in perſona filij Dei. Reuera enim magnũ & mirabile eſt carnẽ noſtrã ſurſum ſedere,& ab Angelis omnibus adorari:quod nequaquam factum fuiſſet,ſi Adã non peccaſſet ſecundũ aliquorũ opinionẽ, tametſi ſecundum alios incarnatus Chriſtus fuiſſet, etiã quòd Adã non peccaſſet:& tunc veniſſet nõ vt redẽptor,ſed vt glorificator:vide ad hoc Scotum in 3. ſen. adducẽtẽ probabiles pro ſua aſſertione rationes. Iniquam quoque vẽditionẽ Ioſeph cõuertit in ſalutẽ Aegypti, & fratrũ ſuorũ:quia ſi venditus nõ fuiſſet,tota Aegyptus & circumiacẽtes ꝓuinciæ inedia perijſſent. Eodẽ modo grauiſsimũ peccatũ, quod ab initio factũ fuit, cũ de cõſilio Iudæorum vẽditus filius Dei fuit,traditus,blaſphematus,& ad turpiſsimã mortem cõdemnatus, crucifixus,& inter latrones ſuſpẽſus,ſapientiſsimus Dominus ordinauit ad peccati deſtructionẽ, angelicæ ruinæ reparationẽ, diabolicæ poteſtatis diminutionẽ, captiuorũ in limbo liberationẽ, cæleſtis ianuę apertionẽ & reſerationẽ: et vt quilibet peccatorũ functi hac vita multo facilius,quàm antiqui patres,ꝓmereri poſſent immediatũ trãſitũ ad diuinã fruitionẽ. Grauẽ etiã illã Petri negationẽ conuertit ad nõnullorũ Eccleſiæ mẽbrorũ aridorũ bonũ, vt apud eum, quem dicta Eccleſia paſtorẽ & caput haberet, vberiorẽ cõpaſsionẽ & miſericordiã inuenirent. Ex quo etiã Petri caſu p̃ſumptionẽ dñs omnibus amputauit hominibus. Graue quoque infidelitatis peccatũ ſancti Thomæ redegit Saluator noſter ad ꝓfectũ totius Eccleſiæ: maiorẽ. n. fidẽ adhibere debemus de reſurrectione Dñi beato Thomæ ꝓ viſu & tactu cicatricũ, quàm beatæ Magdalenæ, quæ pro ſolis verbis credidit Angelorũ. Pertinaciã etiã Sauli cõuertit Deus in ſalutẽ omnibus Eccleſijs: cũ ꝓſtratus ex lupo verſus in agnũ Euãgelij factus eſt intrepidus p̃dicator. Graue quoque peccatũ & cõtumeliã,quam ſuſtinuit in mẽbris ſuis ꝓphetis videlicet, Apoſtolis,& martyribus, Saluator noſter cõuertit in fulcimentũ ſpei cunctis fidelibus. Vnde Eſa.pri.dicitur: Niſi Dñs reliquiſſet nobis ſemen,videlicet in Apoſtolis,& martyribus,quaſi Sodoma fuiſſemus,& quaſi Gomorra eſſemus. Cognoſcet itidẽ anima in illa vita beata ꝓuidentiã creatoris circa ſalutẽ humani generis,quæ in hoc apparuit, cum vnumquemque hominẽ ad ſuã creauerit imaginẽ, & vnicui-

que

que Angelũ cuſtodẽ deputauerit,qui eundẽ in materno vtero conceptum ab inſultu dæmonũ cuſtodiret:cumq; neceſſaria corpori & cõuenientiſsima ſingulis momẽtis miniſtrauerit, ab originali peccato vnda baptiſmatis animã mundauerit,ꝑ ſpiritũ ſanctũ cõferẽtẽ omnia dona ſua in filium adoptauerit, in adoleſcentia quandoque per ſomnũ,quandoque interna inſpiratione,ad æternam ſalutẽ inuitauerit, exterius vero ꝑ creaturas ac viuorũ & mortuorũ exẽpla, vt ad inuiſibilẽ creatorẽ animã introduceret, excitauerit. Eodẽ modo Saluator ipſe noſter per ſacrã,& diuinã ſcripturã lucidiſsime demõſtrat,qualiter homo ad Deũ, qualiter ad proximos,ſimiliter amicos & inimicos,qualiter quoque ad prælatos & ad ſubditos,ad viuos & mortuos ſe habere debeat:Sed quia nõ omnes diuinã intelligũt ſcripturã,addidit doctores & nũtios fideliſsimos,qui eã omnibus fideliter & deuote exponerent.In qua quidem ſcriptura per ſuos veros prædicatores,& non per adulterantes verbum eius,nunc minis terreret,nũc blãditijs & promiſsis alliceret miſeros ad ſalutẽ, qui forte nihil de ꝓpria ſunt ſoliciti cõuerſione. Vnde dicit ſpõſus animæ in canticis c.5.aperi mihi ſoror mea,quia caput meũ plenũ eſt rore: quod beatus Gregorius exponens,inquit: Dũ ſponſa dormit, dilectus ei, vt aperiat,pulſat :quia dũ mens ſibi per ociũ intendit, Chriſtus multa peccatorum opera in hac vita tolerat:quare niſi ſpirituales viri ad doctrinam ſe accingãt, numquam infirmi ſeipſos carnales cognoſcunt,vel corrigere curant. Vult ergo ſpõſus,vt aliquãdo ociũ ſanctũ dimittatur,& ad ædificationẽ proximorũ ſpirituales intendãt:quia dũ perfecti ſibi ſolũ per interiorem quietẽ occupãtur, dolet ſpõſus,quòd infirmi vel imperfecti in dies ad peiora corruãt. Quoniã autẽ hæc omnia pro ſalute minime ſuffeciſſent propter diuerſa peccatorũ vulnera,ideo benigniſsimus pater ineffabili motus diligentia & charitate filiũ vnicũ ſuũ miſit:qui diligẽter animaduertẽs quomodo in ſingulis mẽbris omnipotentẽ deũ peccatores offẽderẽt,abundãtiorẽ emendã,quã meruetat genus humanũ, exhibuit in cruce deo patri,in qua cũ clamore valido & lachrymis ĩ ſingulis partibus vulneratus ſalutẽ ꝑditã humano generi reſtituit,a patre ꝓ ſua reuerẽtia exauditus ad Hebr.5.Et innumera ſimul cõtulit alia beneficia,quæ breuitatis cauſa omitto. Nihil enim ꝑtermiſit eorũ,quæ ad noſtrã ſpectabãt ſalutẽ,dicente Eſa. c.5. Quid vltra debui facere tibi,& nõ feci?hoc ſolũ nõ fecit, quòd violẽter ad cælũ nos trahere noluit:quod ideo ꝑtermittit,quia ſuæ nõ cõuenit iuſtitiæ,inuitũ aliquẽ ſcilicet coronare,cui liberũ dedit arbitriũ a nemine cogẽdum.

De dilectione & fruitione Dei in cælis. Cap. XLIIII.

VLTRA

VLTRA cognitionẽ intuitiuã & facialẽ Sancti in illa cæleſti patria diligent Deum. Pro cuius intelligẽtia notandũ, quòd in beato Io.c.5.ſcriptum eſt, quòd pater diligit filium: & cap.14.in perſona Chriſti, Ego diligo patrẽ. Hæc dilectio non eſt minor, quàm diligẽs & dilectus. qa ſpiritus ſãctus eſt amor patris & filij: nec minus amat̃ ab amante & amato ipſe amor, quàm amans ab amato & amatus ab amãte. Et hæc eſt illa iocũdiſsima triũ pſonarũ in vna ſubſtãtia dilectio, vbi amãs eſt idẽ quod amatus, & amatus idem quod amans. Amor vero idẽ quod amatus & amãs: & e conuerſo, ideſt amatus & amãs idẽ quod amor. Vbi etiã amãs amatus & amor penitus vnũ eſſe cõmunicant, in vno velle cõueniunt, vnum nolle habẽt, idẽ poſſe participant, immo totum poſsident. Ibi vnũ ſummũ bonũ, quod eſt omne bonũ, in ſolidũ poſsidetur: & nullius boni ſine dilectione eſt poſseſsio. In qua quidem dilectione nullus defectus, nulla vmquam turbatio, nulla interpolatio. De qua totũ mutũ eſt quod loquimur, etiã ſi ſummo ſtudio loqueremur. Hęc eſt cuius vnio animã ſibi vnitã vere beatã facit: hoc eſt gaudiũ de quo dicitur Io.15. Vt gaudium meũ in vobis ſit &c. Quod eſt gaudiũ patris & filij niſi amar̃ & amari? & taliter amari, quòd anima famelica nõ ſaturabit̃, niſi huic gaudio vniatur: & ipſa in hoc gaudio, & gaudiũ hoc in ipſa ſit: & eius ſic gaudiũ impleatur, cũ amãti ita vnita fuerit & amato, quòd ſe in tam feliciſsima vnione amare ſentiat & amari. Amor enim Dei vehemẽter ducit Deũ ĩ animã, & animã in Deũ iuxta illud pri.Io.4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus ĩ eo. Et quare? qa Deus charitas eſt. O quam felix anima, quæ ſe abſque interpolatione ex omni virtute ſãctæ Trinitatis ad omne & propter omne ſentit ſe amari, & Deũ tãto amore circa ſe occupari, vt dicit beatus Thomas in opuſ. 63.c.2. quaſi omnium creaturarũ ſit oblitus: Cuius beatitudo augetur, cũ e cõuerſo in amore beatiſsimæ Trinitatis cum omnibus uiribus ſuis penitus ſe immergit. Et tũc implebitur illud præceptũ Deut. 6. quod ſecundũ expoſitionẽ beati Auguſtini in hac vita impleri nõ poteſt, videlicet: Diliges dominũ Deũ tuum ex toto corde, ideſt intellectu ſine errore: ex tota anima, ideſt memoria ſine obliuione: ex tota mẽte, vt voluntate ſine contradictione. Tũc enim anima nũquã errabit in amore Dei, vt ei aliquã creaturã æquet vel præponat: numquã obliuiſcetur ad momentũ amoris diuini, qui ſemper præſens eſt: numquã contrarium ſentiet amori Dei, ſicut in hac vita, vbi frequẽter aliquid æquiparat Deo vel pponit: vel aliquid diligit, propter quod Deũ minus diligit: & ſæpe Dei obliuiſcit, vel appetit aliquid diuinæ contrariũ volũtati. Quid enim eſt diligere toto corde

(ſecundum

(ſecũdũ expoſitionẽ Chryſoſtomi) niſi vt cor tuũ ad nullius rei dile-ctionẽ magis inclinatũ ſit, quàm Dei: nec delectetur in ſpecie creata pluſquam in Deo, nõ in honoribus, nõ in auro, nõ in amicis, ſed præ his omnibus Deũ amet? Quid eſt diligere Deũ tota anima, niſi certiſsimũ habere animũ in veritate, & firmũ eſſe in fide? Quid eſt Deũ diligere tota mẽte, niſi vt oẽs sẽſus nr̃i, intellectus, ſapientia, cognitio, memoria Deo vacẽt? Qui ergo aliquẽ horũ ſenſuũ occupat circa tẽporalia, iam nõ ex tota mente diligit Deum. Vltra ꝓdicta in illa beata patria fruetur anima Deo. Fruitio vero eſt delectatio ꝓueniens ex cõiunctione intellectus & affectus in Deũ: cũ enim anima figit intellectum in æternitatẽ, immenſitatẽ, omnipotentiã, ſapientiã, bonitatẽ, charitatẽ, nobilitatẽ Dei &c. ſtatim affectus animæ delectatur in ſingulis intellectis: & nõ ſolũ in ſeipſo, ſed & in ſingulis Angelis, & Sanctis, & ſingulis virtutibus, & donis eorũ gratuitis & naturalibus. Et ita ſecundũ Apoſt. pri. Cor. 15. Deus erit omnia in omnibus, ideſt in omni creatura, quam ipſe plene & ꝓprie poſsidebit, in ſingulis, quæ ab ipſo ſunt, videlicet Angelis & Sãctis. De hac fruitione dicit Eſa. 60. Tũc videbis & afflues &c. videbis intellectu diuinã naturã & diuina opera: Et afflues te in ſingulis delectãdo: Et mirabitur cor tuũ trinitatẽ in vnitate, & vnitatẽ in Trinitate, & ſingula opera diuina cõtemplando, ſimiliter & quomodo in ſingulis ſit totus: Et dilatabitur cor tuũ ad ſuſcipiendã Trinitatẽ cum omni quod habet & poteſt. Hanc delectationẽ operabitur in nobis ipſe Deus ſicut per Eſa. 66. inquit. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego ipſe conſolabor vos, quia delitię meæ eſſe cum filijs hominũ. Ibi igitur fruetur anima Deo ꝓpter Deũ: quia frui ſecundũ beatũ Auguſtinũ eſt amore alicui inhærere ꝓpter ſe. Delectatio n. qua anima Deũ apprehendit, accendit eã ad deſiderandũ multo vehementius diuinæ gloriæ manifeſtationẽ, quàm propriã beatitudinẽ. Valde. n. manifeſtatur diuina gloria, dum ſe fideli animæ Deus exhibet ad fruendũ: & tanta puritate afficitur anima circa Deum, vt ſi ſibi neceſſe eſſet eligere vnũ de duobus, vel æterna carere beatitudine, vel diuinã voluntatẽ in ſe vel in alijs impediri, multo lubentius eligeret æterna felicitate priuari, quàm Dei voluntatẽ in aliquo retardare: & magnã ſibi reputaret beatitudinẽ cũ ꝓprio detrimẽto diuinã in omnibus implere voluntatem. Sic Eleazarus, vt ſcribitur in 2. Machab. c. 6. potius voluit in inferno puniri, quàm ex timore mortis mandatũ legis de non comedendo carnes porcinas tranſgredi. Et ne tędio afficiamus legẽtes, vt huic imponamus finẽ articulo, cõcludimus, quòd ſupradicta ſunt, quæ nos vere felices & beatos faciũt, nõ quæ vulgo expetẽda & optabilia vidẽtur, vita videlicet cõtẽplatiua, nõ voluptuoſa:

modeſta,

mōdeſta,nō affectibus obtēperās: ſtudioſa, nō inerti ocio torpens: Dei cognitione illuſtris,nō falſo inflãtis ſciētiæ nomine cæca:futuræ vitæ ſpe firma,nō p̄ſentis fiducia fluctuãs: Dei charitate felix, nō mūdi amore miſera & captiua.Et ad eas capeſſendas metamorphoſi opus eſt: hic ſit inopia,illic opes:hic lachrymæ,illic lætitia:hic nuditas & mendicitas,illic copia & abundantia: hic labor, illic quies: hic cōtumeliæ,illic gloria: hic malorū perpeſsio,illic omniū bonorū cōſecutio. Ideo ſi hic cōpatimur,in cæleſti illo regno conregnabimus. O beata regio ſupernarū virtutū,vbi beata Trinitas a beatis facie ad faciē videtur: vbi illa ſublimia agmina pennarum applauſu Sanctus,Sanctus,Sanctus,Dn̄s Deus ſabaoth clamare nō ceſſant. Locus ſplendoris,vbi iuſti fulgent ſicut ſplendor firmamēti:Locus lætitiæ,vbi ſempiterna lætitia ſuper capita eorū. Locus abundãtiæ,vbi nihil deeſt videntibus eum. Locus ſuauitatis, vbi apparet Dn̄s ſuauis vniuerſis. Locus pacis, vbi in pace factus eſt locus eius. Locus admiratiōis,vbi ſūt mirabilia opera eius. Locus viſionis,vbi magna videbit̃ viſio. o Regio ſublimis plena diuitiarū,de valle lachrymarū ſuſpiramus ad te,vbi ſapiētia ſine ignorãtia, memoria ſine obliuione,intellectus ſine errore,ratio ſine obſcuritate ſplēdebit. Regio in qua dn̄s trãſiens miniſtrabit electis ſuis,ideſt talē ſe,qualis eſt,oſtēdet. Illic erit Deus omnia in omnibus,vbi rerū vniuerſitas mirabiliter ordinata dabit creatori gloriã,lætitiã creaturę,oculus nō vidit Deus abſque te,quæ p̄paraſti diligētibus te. Pax.n. eſt,quæ exuperat omnē ſenſū,pax ſuper pacē,indeficiēs exultatio,torrens voluptatis diuinæ, flumē lætitiæ,gaudiū plenū:cogita q̄cquid vis,quicquid potes exopta,excedit cogitatū omnē,deſideriū omne exuperat illa felicitas,æternitas illa,beatitudo illa,ad quam nos ſua miſeratione p̄ducat,p̄ueniens in benedictionē dulcedinis, & indeficiēter interim tribuēs p̄miſſã cētupli gratiã, ad ſolatiū vtique & remediū laboris huius, ne deficiamus in via, vt de exhibitiōe p̄ſentiū munerū firma ſit expectatio futurorū,qui venit,vt vitã æternã habeamus,& abūdãtius habeamus, Ieſus Chriſtus dominus noſter &c. Amen.

QVONIAM omnia ſupradicta veriſsima eſſe indubitate credimus,& quæ vel ad creationē,vel redemptionē,vel iuſtificationem noſtram ꝑtinent,patrē cæleſtē ꝑ verbum ſuū in et cū Spiritu ſancto operatū eſſe,& nobis certo ꝑ dei miſericordiã obuētura credimus: iccirco dicimus Amen. quæ vox eſt ſermonē cōfirmantis, & ratum fore præcantis,hoc eſt ita certo fiat.

FINIS SYMBOLI.

ABSOLVIMVS IN SVPERIORI TRACTATV (Deo optimo labori noſtro aſpirante) Apoſtolici Symboli expoſitioné: Accuratiſq; lucubrationibus, vt par erat, cõtentarum in eo rerum maculas enixe expreſsimus, queſtioneſq; enucleauimus. Nunc de Sacramẽtorũ materia eorumq; explanatione conſequenter agendum eſt: & primo in generali, minutatim poſtmodũ de ſingulis diſſerturi.

CAPVT PRIMVM.

SACRAMENTI vocabulum ſancti patres, & qui Biblia tranſtulerunt, accommodarunt ad ſignificãdum id, quod græce myſterium dicunt: quod ſacrum ſecretum, aut religioſum arcanum, dicere poſſumus. In qua tamen ſignificatione interdum latius, interdum ſtrictius, accipitur. Nam in genere accepto vocabulo, ſignificat omne religioſum arcanum, ſeu omnem rem ſacram abſconditam, etiam quòd alterius rei ſignum non ſit: vti dicimus ſacramentum diuinitatis, de quo Paulus Epheſijs cap. 1. ſcribens, ait: Deus nobis ſacramentum voluntatis ſuæ notum fecit ſecundũ beneplacitum ſuum, quod alijs generationibus non eſt agnitum, ſed abſconditum a ſæculis: quippe cum gentes concorporales ſint, & comparticipes promiſsionis eius in Chriſto Ieſu, in quo omnes habemus fiduciam, ac acceſſum in confidentia per fidem ad ipſum: & primæ Tim. 3. Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne: nimirum ipſum Chriſtum innuens magnum eſſe pietatis ſacramentum, quòd cum ſit filius Dei inuiſibilis, manifeſtatus eſt in carne. Frequentius vero ſacramentum dicitur ſacræ rei ſignum, quod eius ſimilitudinem gerit, cuius ſignum eſt: quemadmodum ſigna & figuræ veteris teſtamenti ſacramenta appellantur: id quod familiare eſt patribus: Vnde Auguſtinus contra Fauſtum manicheum libro decimonono capite tertiodecimo, ait: Sacramenta, quæ obſeruabantur ex lege, prænuntiatiua tantum fuiſſe Chriſti venturi. Denique quod ad propoſitum noſtrum attinet, patres ſtrictiſsime ſacramenti vocabulum ad ſignificãdum peculiariter ſacramenta nouæ legis deflexerunt, ea ſcilicet, quæ ſunt ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ, quam Deus efficaciter & certe in ipſis operatur, modo rite tractentur & accipiantur. Sunt

ergo ſacramenta omnia nouæ legis principaliter inſtituta, vt ſint nõ modo ſigna certa gratiæ, ſed cauſa: cum id efficiant ſiue conferant, quod ſignificant. Cauſa vero potisſima inſtitutionis ſacramentorum dictæ nouæ legis hæc eſt, vt ſint præſentiſsima remedia contra peccata, & efficacia ſigna gratiæ Dei. Proindeq; ſic ſunt ſigna, vt non tantum ſignent, ſed ſanctificent. Quamobrem dominus Ieſus Chriſtus leui iugo ſuo, & leui ſarcinæ nos ſubdens, ſacramentis numero paucisſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantisſimis ſocietatem noui populi colligauit: Et ſic cæleſtis medicus humani generis reparatiuus tali modo ſanauit ægrotum, ſicut optime competebat ægrotanti, ægritudini, occaſioni ægrotandi, & ipſius ægritudinis curationi. Aegrotus erat humanum genus, morbus originalis culpa. Origo vero iſtius culpæ licet principaliter fuerit ex cõſenſu voluntatis, occaſionem tamen ſumpſit ex ſenſibus exterioribus. Ad hoc ergo vt medicina reſpondeat morbo, oportet, vt non tantum ſpiritualis ſit, verum etiam aliquid habeat de ſenſibilibus ſignis: vt ſicut ſenſibilia fuerant animæ occaſio labendi, ita eſſent ei occaſio reſurgendi. Et hac ratione medicina noſtri vulneris conſiſtit in eccleſiaſticis ſacramentis. Propter quod quæritur, an congruũ fuerit in qualibet lege inſtitui aliqua ſacramenta ad prolapſi generis humani reparationem. Manifeſtum eſt enim, quòd ſacramenta in nulla lege ſunt neceſſaria ſimpliciter: cum ſic neceſſarium ſit ſolum illud, quod per nullam potentiam poteſt non eſſe, vt Deus, qui eſt ens neceſſarium ſimpliciter. Nec ſacramenta ſunt homini neceſſaria in ordine ad finem, qui eſt beatitudo: cum Deus eam posſit homini conferre ſine ſacramentis: Non enim, vt inquit Magiſter ſentent. pri. diſt. 4. Deus ſuã potẽtiã alligauit ſacramentis. Ex ſuppoſitione tamen diuinæ ordinationis, qua ordinauit nullum de maſſa perditionis propagatum ſaluare regulariter, ſi non excuſãt ſuſcipiendi impotentia, niſi per ſacramenta, ipſa ſacramenta ſunt ad ſalutem neceſſaria. Vnde Io. 3. de ſacramẽto baptiſmi dicitur: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cælorum. Quęſtio igitur eſt de inſtitutionis ſacramentorum congruitate. Pro quo notãdum ſecundum doctores, quòd tres ſunt hominis ſtatus. Primus naturę perfectæ: Secundus naturæ integræ, nondum a perfectione ſuæ cõditionis lapſæ: Tertius naturæ lapſæ ſiue corruptæ per peccatum Adæ. Primus erit in patria, de quo Boet. 3. de conſol. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: Secundus fuit in Paradiſo terreſtri ſub præcepti obedientia: Tertius eſt hominis in præſentis exilij miſeria. Sacramenta etiam ſunt quædam ani-

mæ

mæ medicinæ ſecundum Hugonem lib. 1. de ſacra. parte 9. c. 4. dicentem: Ipſa medicina ipſa ſunt ſacramenta: & capite 3. ea vaſa medicinalia eſſe inquit, cum ait: Deus, medicus, homo, ægrotus, ſacerdos, miniſter vel nuntius, gratia, antidotum, vas, ſacramentum. Medicus donat: Miniſter diſpenſat: Vas ſeruat, quæ ſanat percipientem ægrotum, gratiam ſcilicet ſpiritualem. Et Deus vt magiſter contra peccati originalis & actualis vulnera ſacramentorum remedia inſtituit. Ex quibus elicitur, quòd ante lapſum hominis ſacramentorum inſtitutio curatiua non fuit congrua, cum tunc non eſſet morbus: Non enim opus eſt valentibus medico Matth. 9. Et licet in illo ſtatu indiguerit gratia, prout ipſa eſt ornatus animæ, diſponens vel cooperans ad meritum & beatitudinem, non tamen gratia ſacramentali. Vnde Ricard. diſt. pri. 4. ar. 2. q. pri. inquit: Quòd hominibus non diſpoſitis ad aliquam infirmitatem (prout erant homines tempore innocentiæ) non eſt danda medicina, ſed ordinatum regimen percipiendum. Et præcipiendum erat, vt recte viuerent: per cuius præcepti obedientiã mererentur confirmationẽ gratiæ, qua perpetuo pſeruarentur a lapſu. Et licet matrimonium inſtitutum fuerit in ſtatu innocentiæ, nõ tamen ſacramentum matrimonij: cum ibi inſtitutum fuerit in officium tantum, & non vt efficax gratiæ ſignum. In qualibet tamen lege hominis lapſi congruum fuit ſacramenta inſtitui. Et ratio eſt: quia vt dictum eſt ſupra, congruum eſt hominibus vnius religionis in aliquibus ſignis exterioribus communicare, per quæ ab alijs alterius inſtituti diſtinguantur. Et hoc ſcire congruit: quia cum cognoſcunt ſe eſſe eiuſdem legis, ſe mutuo iuuent ad eius obſeruationem: & ſi alterius, ſe vitent & caueant tanquam mutuo impedientes: & talia ſigna expedit eſſe practica reſpectu alicuius effectus inuiſibilis cooperantis ad religionis ſuæ obſeruantiam. Huiuſmodi autem ſigna in religione chriſtiana ſunt ſacramenta: & ideo eorum inſtitutio toti cõmunitati fidelium congrua fuit. Vnde beatus Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum manichæum cap. 11. inquit: In nullum nomen religionis ſeu verum, ſeu falſum, homines coagulari poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium cõſortio colligentur. Nec congruit ſigna ipſa eſſe certa certitudine euidentiæ: quia ſic auferrent a ſuſcipiente debitam præparationem: cum ſufficeret ſibi qualitercunque indiſpoſito ſigna illa ſuſcipere: quod impediret ſuſcipientis deuotionem & profectum: ſed congruit, quòd ſint certa, vt in pluribus, ideſt ſemper, niſi ſuſcipientis indiſpoſitio impediret. Sãctus Bona. pri. diſt. quar. quæſt. pri. aſſignat rationes cõgruitatis inſtitutionis ſacramentorum ex parte Dei, & noſtri. Ex

parte Dei ſummam miſericordiam, iuſtitiam, & ſapientiam. Miſericordiam, qua homini, qui male gratiam propter voluntatis vertibilitatem ſeruauerat, ſacramenta præparet, ad quæ recurrens gratiam certe inueniret. Iuſtitiam, qua hominis, qui per ſuperbiã ceciderat, humiliationem requireret, per quam ad gratiam ſe diſponeret: hinc ſacramenta inſtituit, vt ſuſcipiendo illa, quæ infra eum ſunt, ſe humiliaret: & ſic gratiam quaſi ex pacto inueniret. Sapientiam, vt in eo, in quo homo ceciderat, reſurgeret: & ſicut a viſibilibus occaſionem lapſus acceperat, ita in ſacramentis viſibilibus gratiam inueniret. Ex parte noſtri fuit congruum ſacramenta inſtitui: quia homo lapſus cæcatus erat in rationali: ideo data ſunt ei ſacramenta ſenſibilia ad eruditionem: elatus erat in iraſcibili, ideo data ſunt ad humiliationem: torpebat in concupiſcibili, ideo dari debuerunt ſacramenta ad exercitationem.

Congruebat diuerſa ſacramenta inſtitui pro ſtatu diuerſarum legũ ad hominis vulnerati curationem. Cap. II.

DIVERSA autem ſacramenta congruebat inſtitui in diuerſis legibus quantum ad ſenſibilia ſignificantia, & quantum ad perfectionem ſignificati, ſimul & modi ſignificandi. Et ratio eſt per Sco. in pri. diſt. 4. quia in ꝓceſſu generationis humanæ ſemper creuit notitia veritatis, vt patet per beatum Gregorium homil. 16. ſuper Ezech. Lex etiam poſterior regulariter in progreſſu generis humani fuit priore perfectior: Lex autem perfectior eminentioribus ad ſui obſeruantiam indiget adiutorijs: & notitia veritatis clarior exigit ſigna manifeſtiora: Et ad hoc magis congruebat inſtituere alia ſigna, quàm priora de nouo confirmare: vt ſic tolleretur ſignorum æquiuocatio, quæ eſt mater dubiorum & errorũ. Præterea lex Moyſi propter pronitatem populi ad idololatriã data erat in onus: & hac ratione dicta eſt lex ſeruilis & timoris: ideo multis cæremonijs & ſacramentis (ſumendo ſacramenta improprie) oneranda erat, vt populus ille iugo legalis ſeruitutis oneratus ab idololatria arceretur. Lex vero euãgelica, quæ eſt lex gratiæ & amoris & a ſeruitute legis liberans, potioribus, facilioribus, paucioribus, & magis manifeſtis ſacramentorum auxilijs indigebat. de quibus beatus Auguſtinus 19. lib. contra Fauſtum manichæum cap. 13. inquit: Cum Chriſtus ſuo aduẽtu veteris legis ſacramẽta impleuiſſet, ablata ſunt: & ideo ablata, quia impleta: non enim venit ſoluere legem, ſed adimplere: Et alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora,

numero pauciora tanquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filijs Dei iugo ſeruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. hæc ille. Videndum eſt primo de ſacramentis legis naturæ: nullo enim tempore dimiſit Deus cultores ſuos ſine remedio neceſſario ad ſalutem. Omni namque tempore poſt lapſum fuit neceſſaria ad ſalutem deletio originalis peccati: & ad hoc omni tempore poſt lapſum fuit aliquod efficax remedium. Vide dominus Alexāder de Ales parte 4. q. 5. mem. pri. quem Sco. pri. diſt. 4. q. vltima imitatur, tenet, quòd licet peccatum originale in adultis potuerit deleri per aliquem bonum motum intrinſecum: in paruulis tamen, in quibus talis motus fuit impoſsibilis, non potuit deleri per actum proprium eorum, ſed per actum aliorū ad paruulorum ſalutem relatum: de quo nullus potuit eſſe certus, niſi hoc eſſet inſtitutum a Deo. Cum ergo non ſolum adultis ſuis cultoribus prouiderit Deus de remedio neceſſario ad ſalutem, ſed & paruulis eorum, & de tali remedio, de quo parentes poſſent eſſe certi: ſequitur, quòd pro tempore legis naturæ erat a Deo inſtitutum aliquod ſignum certum & afficax ad deletionem originalis. Et magis probabile eſt ſignum huiuſmodi fuiſſe ſenſibile, quàm intelligibile tantum: cui opinioni concordat dictum Auguſtini ſupra allegatum contra Fauſtum, videlicet: Quòd in nullum nomen religionis homines coagulari poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium cōſortio colligentur. Ad illud vero, quòd beatus Gregorius 4. moralium dicit. Quòd apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres pro paruulis ſola fides, & pro maioribus virtus ſacrificij: Reſpondent præfati, quòd per ſolam fidem nō intelligit ſolum habitum, aut actum interiorem fidei, ſed actum ſenſibilem exteriorem fidem proteſtantem: & ille actus ſufficienter habere potuit rationem ſacramenti, etiam ſi illa proteſtatio fieret in aliquo verbo ſolum, inuocando Deum, vel paruulum eidem offerendo. Et ſic diſtinguitur fides ſola, ideſt ſolitaria, ſine ſacrificiis, contra fidem in ſacrificijs proteſtatā. Primum ponit idem beatus Gregorius ſufficere pro paruulis: Secundum vero, videlicet fidem proteſtatam in ſacrificijs, requiri in adultis, vt patet ex ſcriptura: eo quòd pro tempore illo placuerunt Deo ſacrificia, ſicut notum eſt de oblatione Abel. Gen. 4. Noe Gen. 8. Melchiſedech Gen. 14. Abrahæ diuidentis vaccas Gen. 15. Non autem placuiſſent, niſi fuiſſent a Deo inſtituta: immo præſumptuoſum reputaretur, ſi talia obtuliſſent ſine diuina inſpiratione vel præcepto. Subdit ad hæc idem doctor: quòd aliud eſt inſtitutio ſacramentorum, aliud promulgatio: & ſecundum, ſcilicet promulgatio, præſupponit

inſtitutionem per ſe vel alium factam. Inſtitutio autem ſacramentorum, quæ non ſolum repræſentant, ſed certe & efficaciter ſignificant & cauſant ſacramentalem effectum, per ſolum Deum fieri poteſt: cum ipſe ſolus inſtituere poſsit ſacramentũ, q. cauſare poteſt ſacramentalem effectũ: cum.n.dictus effectus ſit ſupernaturalis, excedit facultatem creaturæ. Auguſtinus tamen tract. 5. in euangelium Ioannis ait: quòd Chriſtus potuit communicare & cõmittere ſacramentorum inſtitutionem quoad ſignificationem & efficaciam miniſtris, vt in nomine miniſtri conferrentur, & eorum etiam virtute & merito eſſent efficacia, ſicut eis communicauit poteſtatem miracula faciendi: ſed quia non conueniebat vnitati & ſaluti fidelium, non fecit. Miniſterium, inquit, dedit ſeruis Chriſtus; ſed poteſtatem ſibi retinuit: quam ſi vellet poterat ſeruis dare, vt ſeruus daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & poteſtatem ſuam conſtituere poterat in aliquo vel aliquibus ſeruis, vt tãta vis eſſet in baptiſmo ſerui, quanta eſt in baptiſmo domini. Vide eum ibi: & illi dictarum duarum opinionum adhære, quæ eſt magis conſona determinationi Eccleſiæ. Et licet ſecundum priorem opinionem ſolus Deus poſsit ſacramenta inſtituere: alius tamẽ a Deo poteſt huiuſmodi inſtitutionem promulgare, cum hoc non excedat facultatẽ hominis. Inſuper licet inſtitutio ad ſignificandũ ſimpliciter poſſit cõmitti creaturæ, non tamen inſtitutio ad certe & efficaciter ſignificandum, cum illa non poſsit fieri niſi per determinationẽ voluntatis diuinæ producendo effectum ſignatum. Prędictis addimus, quòd Eccleſię fundamenta fides ſunt & ſacramenta: Quare ſicut nõ aliã fidẽ homines tradere poſſunt, quàm quę a ſolo Chriſto tradita eſt, ita nec alia ſacramenta, quàm ea quę Chriſtus tradidit: vnde Eccleſiam non conſtituendam nec fundandam commiſit Chriſtus hominibus, ſed fundatam iam gubernandam. Si quęratur vnde habeant ſacramenta efficaciam, an ex inſtitutione diuina, an ex Chriſti paſsione: Reſpondet Biel prima diſt. 4. q. 2. Quòd ſacramenta ex tribus habent efficaciam, videlicet a Deo, tanquã a cauſa principali inſtituente: a paſsione Chriſti, tanquam a cauſa prima merente: & a fide Eccleſiæ, cauſam minus principalem principali cauſæ cõtinuante: De prima & vltima dicetur in de ſacramento euchariſtię: de prima cauſa merente loquitur beatus Auguſtinus 15. de Ciuit. Dei c. 26. declarans oſtium arcæ Noę, ait: Illud eſt vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum eſt: hac ad illum venientes ingrediuntur: quia inde ſacramenta manarunt, quibus credentes initiãtur: manarunt inquam tanquã a cauſa meritoria. Si quæratur, quæ ſint partes integrales ſacramentorum: Reſpondet Magiſter in litera,

ra, quòd duobus ſacramenta conſiſtunt, verbis ſcilicet, & rebus: quæ duo beatus Auguſtinus tractatu 81. cap. 15. ſuper Ioannem, nominat elementum, & verbum. Accedit, inquit, verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Per elementum vel rem intelligens actum aliquem ſenſibilem, vt ablutionem, vnctionem, calicis traditionem &c. quæ cum verbis ſignificant effectum ſacramentalem. Per verba autem orationem prolatam ore miniſtrantis ſacramentũ. Elementum ſine res dicitur materia: verba vero dicuntur forma. Vltra etiam pręfata requiritur intentio actualis vel virtualis in cõferente ſacramentum, qua intendit miniſtrare illud, ideſt rem & verba exhibere tanquam ea, quæ ad certum effectum inſtituta ſunt a Chriſto, hoceſt exhibere in fide Eccleſiæ, etiam ſi non crederet ſequi effectum. Hæc autem intelliguntur dumtaxat de ſacramentis nouæ legis: quoniam ſacramenta veteris legis conſiſtunt in rebus, & non coexigunt aliqua verba, vt patet de circuncifione: cui non præſcribitur aliqua forma. Congruitas autem, quare in ſacramentis nouæ legis requiruntur verba, eſt, quia ipſa ſunt perfectiora ſacramentis veteris legis, non modo in cauſando, ſed & in ſignificando. Perfectiſsima autem ſignificatio fit per verba, quæ certius, expreſsius, & diſtinctius ſignificant ſecundum omnem mentis conceptum ex impoſitione, quàm ex naturali ſimilitudine.

De varijs Sacramenti deſcriptionibus parum ab inuicem diſtantibus. Caput. III.

SACRAMENTVM ſecundum beatum Thomã & Durañ. in 4. diſt. pri. dicitur a ſacrando actiue: ſicut ornamẽtum ab ornando: eſt enim medicamẽtum, quo aliquis ſacratur. Interior enim contritio præparans, vel gratia formaliter ſanans, non eſt ſacramentum: quippe cum ſacramẽtum ſit aliquod ſenſibile extrinſecus ad ſanctificandum hominem appoſitum. Sacramentum autẽ ſumptum pro ſigno gratiæ efficaci & certo, definitur ab Auguſtino in libro de corpore Chriſti, quòd eſt per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretius ſalutem operatur. Magiſter vero ſent. ſic illud deſcribit, videlicet quòd ſacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, hoceſt ſenſibile ſignum, vt ipſius imaginẽ gerat, & cauſa exiſtat. Scotus vero pri. diſt. 4. q. 2. licet concludat, quòd definitio proprie dicta non ſit niſi entis poſitiui per ſe vnius, realis, compoſiti realiter, vel quoad conceptus vniuerſalis & ſolius talis: ponit tamẽ (eo videlicet modo, quo entia rationis poſ-

ſunt definiri) talem ſacramenti deſcriptionem, videlicet: Quòd eſt ſignum ſenſibile, gratiam Dei vel effectum eius gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Et hæc ratio eſt eadem cum definitione Magiſtri, ſi illa recte intelligatur: per hanc enim illa ſupplenda eſt. Nam quod illa per formam intelligit, hæc per ſignum ſenſibile explicat, eo modo quo imago Herculis dicitur forma Herculis. Et quòd additur viſibile, debet intelligi pro ſenſibili cuiuslibet ſenſus: eo quòd viſus eſt excellentior omni ſenſu, & plurium differentiarum cognitiuus pri. Meta. in proœmio. Ponitur ibi gratia inuiſibilis pro effectu Dei gratuito interiori, ordinato ad ſalutem hominis viatoris. Suppleri autem debent differentiæ ſpecificantes ſignum: puta ex inſtitutione contra ſignum ſignificans naturaliter: & efficaciter contra ſignum æquiuocum, quod eſt ſignum incertum: cum æqualiter habeat ſecum ſignatum concomitans & oppoſitum. Signum enim diuiditur in rememoratiuum, quod eſt præteriti: prognoſticũ, quod eſt futuri: & demonſtratiuum, quod eſt præſentis. In ſupradicta etiam definitione efficaciter includit tam certitudinaliter, quàm prognoſtice, accipiendo prognoſticum pro ſigno nõ tantum priori duratione ſignato, ſed etiam natura. Tria autem ſunt neceſſaria ad ſacramentum: Primum, quòd ſit res ſenſibilis habens naturalem ſimilitudinem ad gratiam, ſiue effectum Dei gratuitum, quem repræſentat: naturalem ſimilitudinem dico per proportionabilitatem, quæ eſt ſimilitudo duarum proportionum: quia ſicut ſe habet aqua ad abluendas maculas corporales, ita ſe habet gratia ad abluendas ſpirituales. hæc ſanctus Thomas diſt. pri. 4. q. pri. Secundum neceſſarium eſt, quòd ſit a Deo actualiter inſtitutum: ille enim ſolus poteſt inſtituere ſacramentum, qui poteſt eius ſigno dare certitudinem & efficaciam: & iſte eſt ſolus Deus, vt dictum eſt ſupra. Tertium eſt, quòd ſit ſignum efficax & certum: ita quòd ſemper habeat effectum ſuum, quem ſignat infallibiliter, niſi ſuſcipiens ponat obicem. Sacramenta etiam primo ſignificant gratiam ſeu effectum gratuitum, reſpectu cuius (vt dicetur in ſequenti capite) habet aliquam cauſalitatem: Secundo principalem cauſam meritoriam gratiæ, videlicet Chriſti paſsionem: Poſtremo vero finem effectus ſacramentalis, qui eſt vita æterna, ad quam omnia ſacramenta ordinantur. Exemplum: Baptiſmus primo ſignificat gratiam baptizato collatam, qua mundatur a peccato: ad hanc enim ſignificandam & cauſandam eſt inſtitutus. Significat ſecundo Chriſti paſsionem & mortẽ: Vnde ad Rom. 6. Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte eius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cũ

illo

illo per baptiſmum in mortem. Significat finaliter futuram gloriã; ad quam perueniemus per finalem reſurrectionem. Vnde Apoſtolus vbi ſupra: Si enim complantati ſumus facti ſimilitudini mortis eius (ſcilicet per baptiſmũ) ſimul & reſurrectionis erimus. Eſt ergo baptiſmus ſimilitudo mortis Chriſti, reſurrectionis Chriſti, & reſurrectionis noſtræ ad gloriam. Quoad primum ſacramenta ſunt ſigna demonſtratiua, habentia ſemper effectum concomitantem: Quoad ſecundum ſunt ſigna rememoratiua: Quoad tertium prognoſtica. hæc Thom. vbi ſupra q. 2. & Paludanus ibidem. Verum vt dictum eſt ſupra, quia ſacramenta ordine naturæ præcedunt effectum ſacramentalẽ, ideo reſpectu illius poſſunt dici ſigna prognoſtica per Scot. vbi ſupra, qui q. 3. ponit tres conditiones ſigni efficacis. Prima eſt, quòd ſit practicum, ideſt habens aliquam cauſalitatem reſpectu ſignati: ſecunda, quòd ſit certum certitudine vt in pluribus, ideſt ſemper, dum non ponitur impedimentum ex parte ſuſcipientis. Tertia, quòd ſit naturaliter prius effectu ſignato.

Quomodo ſaluatur, quòd ſacramenta ſint cauſa gratiæ. C. IIII.

EST ergo modus ſaluandi, quòd ſacramẽta ſint, prout ſunt, cauſa gratiæ, talis, videlicet: quia ſuſceptio ſacramenti eſt diſpoſitio neceſsitans ad effectum ſignatum per ſacramentum: non quidem per aliquã formam intrinſecam, per quam neceſſario cauſaret terminum: ſed ſecundum diuum Bonauenturam per aſsiſtentiam Dei cauſantis illum effectum, non neceſſario abſolute, ſed neceſsitate reſpiciente potentiam ordinatam. Diſpoſuit enim vniuerſaliter Deus, & de hoc certificauit ſuam Eccleſiam, quòd ſuſcipienti tale ſacramentũ ipſe cõferret effectũ ſignatum. Nec obſtat, ꝙ ſuſceptio ſacramenti eſt aliquid circa corpus ſuſcipientis, gratia autẽ creatur in anima: quia ſufficit, quòd diſpoſitio & forma ſint in eodem ſuppoſito, maxime quando diſpoſitio non eſt ex parte Dei, ſed in ordine ad agens voluntarium. Scotus enim vult, & ſanctus Bonauentura in pri. diſt. 4. q. 4. Quòd cum neceſsitas eorum, quæ ſunt ad finem, ſumatur a fine, & finis ſacramenti ſecundum omnes ſit gratia, vel aliquis effectus Dei inuiſibilis, diſponens hominem ad ſalutem, & iſte finis poſsit ſufficienter haberi, eo modo quo habetur per ſacramentum abſque hoc, quòd dicatur ſacramentum habere aliquam actionem proprie dictam reſpectu gratiæ, quam nõ poteſt attingere, cum illa creetur: ſequitur quòd non ſit ponenda talis actio. Si vero fiat altercatio propter auctoritates ſanctorum de

iſto vocabulo virtus, an ſit aliqua virtus ſupernaturalis in ſacramẽto: et propter decretum Eugenij quarti in regulis traditis Armenis, quod ponens diſcrimen inter ſacramenta veteris legis & nouæ, dicit: quòd ſacramenta legis antiquæ non cauſabant gratiam, ſed eam per paſsionem Chriſti dandam figurabant: noſtra vero & continent gratiam, & eam digne ſuſcipientibus conferunt: Reſpondet ſanctus Bonauentura vbi ſupra, dicens: quòd eſt aſsiſtentia diuinæ virtutis, quæ eſt cauſa gratiæ: & fides ac deuotio ſuſcipientis, quæ diſponunt ad dictam gratiam. Et ponit exemplum: quia ad verbũ Eliſæi Naaman ſe lauit, cui aſtitit virtus diuina ſanitatis effectiua, & deuotio ac obedientia ipſiusmet Naamã diſpoſitiua: cauſalitas tamen nec fuit in verbo Eliſæi, nec in aqua Iordanis. Si ergo Deus ita inſtituiſſet, vt ad verbum Eliſæi non ſolum ipſe Naaman, ſed ceteri accedentes curarentur: & hoc ex quadam pactione, ita quòd ſemper aſsiſteret vis diuina: aqua illa diceretur curare & ſanare lepram, ac eſſe cauſa curationis, & habere virtutem curandi. Eodem modo dici poteſt de ſacramentis ſecundum eundem, quę dicuntur habere virtutem, & dicuntur cauſa, & efficere ſecundum communem modum loquendi, propter aſsiſtentiam diuinæ virtutis. Scotus tamẽ addit, ſaluando ibi virtutem propter auctoritatem Auguſtini ſuper Ioannem homil. 80. d. Quæ eſt iſta virtus aquæ tanta, quæ corpus tangit, & cor abluit? Quòd virtus vno modo eſt vltimum de potentia pri. cæli t. c. 116. Vltimum autem potentiæ ſigni practici eſt, quòd ſignificet efficaciter, hoc eſt præuie & certitudinaliter. Nam non poteſt ſigno, inquantum practicum eſt, competere maior potentia: Et ſic talis virtus poteſt ſecundum eum concedi in ſacramento eſſe: Sed illa non eſt aliqua forma abſoluta, ſed relatio conformitatis ſigni ad ſignatum. Et ad Auguſtini auctoritatem reſpondet Scotus: quòd aqua abluit cor, ideſt animam, tanquam inſtrumentum ſiue diſpoſitio proxima & immediata ad gratiam. Donum enim gratiæ, vt inquit diuus Tho. in 2. parte ſummę q. 112. art. pri. excedit omnem facultatem naturæ creatæ. Nam cũ aliud non ſit, quàm quædam participatio diuinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam, impoſsibile eſt, quòd aliqua creatura cauſet gratiam. Item ibidem humanitas Chriſti non cauſat gratiã: licet gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta ſit: ſed diuinitas humanitati vnita, ex qua actiones humanitatis ſunt ſalutares. Dicit etiam vbi ſupra q. 76. art. 2. quòd gratia nõ acquiritur noſtris actibus, ſed ex Dei munere: Et in 3. parte q. 64. art. pri. inquit: quòd ſolus Deus operatur interiorem effectum ſacramenti, cum ſolus illabatur animæ, in qua ſacramenti effectus exiſtit: Et infra ſubdit,

quòd virtus meriti paſsionis Chriſti operatur in ſacramentis: nec miniſter illud operatur, ſed impetrat operandum a Deo. Si dicatur, quæ erit igitur tunc differentia ſacramentorum veteris & nouæ legis? Riſpondet Sco. quòd eſt ex efficacia ſigni & gratiæ, quæ complete confertur ex opere operato, hoceſt non ob noſtram aut miniſtri fidem, deuotionem, ſeu bonum motum cordis, ſed propter ſolam filij victimam, ſiue ex merito mortis Chriſti, qui talem virtutem dedit ſacramentis. Vnde beatus Auguſtinus lib. 19. c. 16. & 17. contra Fauſtum dicit, noſtra ſacramenta ſignificare Chriſtũ paſſum & mortuum tanquam cauſam ſcilicet, ex qua eorum efficacia procedit: proprie vero primo & per ſe ſignificant effectus, quos Deus per ea operatur: quod idem eſt cũ canone 8. ſeſsionis 7. cõcilij Tridentini dicente, ſacramenta conferre gratiã ex opere operato. Et ad magiſtrum, qui inquit, quòd ſunt gratiæ cauſa, reſpondet idem Scotus: quòd ideo inquit hoc, quia ſunt ſignum efficax, per quod intendit ſignum practicum, certum, verum, & præuium naturaliter ad ſuum ſignatum. Neutra enim ſacramenta nec nouæ, nec antiquæ legis agũt ad aliquid ſpirituale in anima, vt dictum eſt ſupra de mente Scoti: ſed noua cauſant tanquam ſignum efficax, ſiue ſecundum alios inſtrumentaliter: Vetera autem non. Si vero decretum Eugenij, quod factum fuit ſacro approbante concilio, & concilium Tridentinum, ac patres antiqui plus attribuant cauſalitatis ſacramentis, quàm Bona. & Scotus, ego etiam ſententiæ dictorum patrum & Eugenij ac dicti Tridentini concilij omnino me ſubſcribo. Hugo vero de ſacramentis lib. pri. inquit, quòd ſacramenta præfata veteris legis inſtituta fuerunt, primo ad ſignificandum vel paſsionem Chriſti, vt ſacrificia: vel noſtra ſacramenta, vt baptiſmus eorum baptiſmum noſtrum. Sed ad efficiendũ non ſunt inſtituta, niſi ſolum exterius circa carnem. Sed quia ſignificant id, quod fides credit, in eorum perceptione eſt perfectio fidei, non tantum verbo, ſed & facto: & quia talis fides diſponebat ad iuſtificationẽ, ideo ſacramenta illa per accidens iuſtificabant. Sacramẽta autem nouæ legis ex prima ſua inſtitutione ſunt ordinata ad iuſtificandum, & obtinendam gratiam: ideo iſta per ſe iuſtificant, illa per accidens. Auguſtinus vero in præfatione p̃s. 73. aſsignat aliã differentiam, videlicet: Quòd veteris legis ſacramenta promittebant tantum & ſignificabãt: hæc vero nouæ legis dant ſalutem: vbi accipitur promiſsio non gratiæ iuſtificantis, ſed gloriæ: & illa promittebant, & non dabant: quia ianua nondũ erat aperta: Hæc autẽ promittunt & dant. Sacramentorum in veteri lege ſecundum Frãciſcum de Mayronis in pri. diſt. 4. q. pri. fuerunt quatuor genera

Quædam

Quædam moralia, quæ ordinabant hominem ad perfectum ſtatum, vt præcepta decalogi: quædam ſacramentalia, quæ ordinabant ad cultum diuinum, ſicut ritus ſacerdotales: quædam cæremonialia, quæ pertinebãt ad ritum humanum: Vnde cæremonialia dicuntur, quæ non habebant ex ſe rationem manifeſtam ſuæ vtilitatis, vt Nõ arabis in boue & aſino &c. Quædam iudicialia ad directionem populi, ſicut illud: Dentem pro dente &c. omnia præfata fuerũt euacuata in lege noua, præter primum. Sacramenta enim legis nouæ, vt vult Sco. pri. diſt. 4. q. 6. ex virtute operis operati conferunt gratiam: ita quòd nõ requiritur ibi bonus motus interior, qui mereatur gratiam: ſed ſufficit, quòd ſuſcipiens non ponat obicem. In ſacramentis vero veteris legis conferebatur gratia, non quia non ponebant obicem, ſed ex virtute boni motus interioris, tanquam meriti. Circuncifio vero ſecundum Magiſtrum fuit proprie ſacramentum in lege præceptum & obſeruatum, non tamen in ea inſtitutum: quod ratione operis operati remittebat originale: vnde Beda in cõment. euangelij Lucæ cap. 2. Idem ſalutiferæ curationis auxilium circuncifio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit: excepto quòd regni cæleſtis ianuam non aperiebat. Qui enim nunc per euangelium ſuum ſalubriter clamat: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ intrabit in regnum Dei: ipſe dudum clamabat per ſuam legem: Maſculus, cuius pręputij caro circunciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo, hoc eſt (teſte Aug. lib. 2. de gratia contra Cæleſtium cap. 30.) in æternũ morietur, & damnabitur. Quibus verbis addit Scotus, quòd conferebat gratiam, quia ſecundum eundem non eſt poſsibile de potentia ordinata culpam originalem, nec aliquam mortalẽ dimitti ſine infuſione gratiæ: quia licet abſolute & ſine cõtradictione poſsit eſſe medium in ſpecie humana inter filium regni & perditionis, vt homo in puris naturalibus: tamen ſecundum legem ſapientiæ diuinæ poſt lapſum nullum eſt medium inter gratum, qui eſt filius regni, & peccatorẽ, qui eſt filius carceris: & ideo nullũ liberat a culpa, niſi cui dat gratiam. De facto enim circuncifio delet culpam originalem propter auctoritates ſanctorum: Scoto vero aduerſatur glo. ad Rom. 4. ſuper illud: Signaculum accepit circunciſionis: quę inquit, quòd peccata ibi ſolum dimittebantur, ſed gratia ad bene operandum non pręſtabatur: Et Auguſtinus in pſal. 73. Illa, inquit, (de ſacramentis legis veteris loquens) tantum promittebant & ſignabant: hæc autẽ, videlicet legis nouæ, dant ſalutem. Circunciſio etiam ſecundum Bedam vbi ſupra, non aperiebat ianuam, quæ patet habenti gratiã

ſecundum Auguſtinum 15. de Tri. c. 19. dicentem: quòd ipſa diuidit inter filios regni & perditionis. Et ad hæc eſt ratio : quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum ſine remedio neceſſario ad ſalutem, maxime illos, quibus legem dedit, vt per eius obſeruãtiã pertingerẽt ad ſalutẽ:fruſtra enim fuiſſet data lex ſine tali remedio, eo quod non potuiſſent attingere ad ſalutem ſine deletione originalis culpæ. propter quod Gen. 17. dicitur: Maſculus, cuius caro pręputij &c. Quibus tamẽ nõ obſtantibus poteſt de mente diui Bonauenturæ in quarto, diſt. pri. art. 2. q. 3. reſpõderi, quòd circuncíſio conferebat gratiam,ſed non tantam, quanta confertur in baptiſmo, quæ plenum effectum habebat ad delendum omnem culpam mortalem: ſed ſemiplenum, ad habilitandum potẽtias animæ, & ad proficiendum: Ideo circunciſio dicitur ordinari ad effectum ablationis culpæ, non quia ipſum ſolum habeat,ſed quia ſolum cõpletum habet effectum illum. Et quia ſacramentum non omne ſignificat quod facit,ſed quod plenius & perfectius facit: ideo in circunciſione ſolum eſt ſignum ablationis effectus completi, qui eſt remiſsio originalis: Et per hoc reſpondetur ad obiecta in contrariũ ſupra, quòd nec glo. nec doctores adducti voluerunt negare,quòd nullo modo daretur gratia habilitans:ſed quòd ita parum habilitãs, & reprimens concupiſcentiam, vt ſolum mereretur dici deletiua culpæ, non habilitatiua potentiæ. Concludit ergo Sco. vbi ſupra, quòd circunciſio per modũ ſacramenti non modo conferebat gratiam ex virtute operis operantis,ideſt ex bono motu interiori,& ex deuotione ipſius circuncidentis, ſed ex opere operato. Non tamẽ tantam conferebat, quantã baptiſmus. Et licet non contulerit gratiam vt diſpoſitionem immediatam ad gloriam, cum non aperuerit ianuam : hoc non fuit ex defectu eius,ſed quia fluxit tẽpore,quo pretium non fuit ſolutum. Et quamuis iuſtus accedat ad baptiſmũ, vberiorem tamen recipit gratiam : cum baptiſmus generaliter augeat ibi gratiam iam habitam: ſed non eſt ita in circunciſione : Vnde Abrahę iam iuſtificato ſignaculum tantum fuit. Nihil enim ſibi interius contulit : quia gratia Abrahę iam attigerat,vel tranſcenderat illum gradum videlicet gratiæ, ad quem determinata fuerat circunciſio : intelligendo ſic, quòd nihil ſibi intus contulit per modum ſacramenti,ſiue ratione operis operati.Credit tamen,quòd ſibi aliquid contulerit per modum meriti,ſiue virtute operis operantis : Eſt enim veriſimile, quòd actus circuncidendi ſe ex obedientia Dei & ex charitate fuerit ei meritorius, ſicut & immolatio Iſaac &c. Et ſi dicatur, quòd cum circunciſio non habeat ſemper certum effectũ,non poteſt eſſe ſacramentũ : Dicimus,quòd ſatis ſignificat

ficat

ficat circunciſio certitudinaliter gratiā tunc in fieri, ſi nōn ſit obex, vel tunc in eſſe. Et ſic fuit ſignum certum, cum ex parte ſui ſemper habuerit effectum concomitantem. Et hoc modo ſoluuntur auctoritates in oppoſitum: Quia vel loquebantur de ſacramentis veteris legis improprie dictis, ſcilicet de cæremonijs: vel ſi loquantur de circunciſione, quæ fuit proprie ſacramentum, negant eam conferre gratiam ſecundum aliquem ſenſum ſupradictum. Sanctus tamen Thomas 3. parte ſummæ q. 70. ar. 4. dicit: quòd in circunciſione conferebatur gratia quantum ad omnes effectus gratiæ, aliter tamen quàm in baptiſmo. Nam in baptiſmo confertur gratia ex virtute illius baptiſmi, quam habet inquantum eſt inſtrumentum paſsionis Chriſti iam perfectæ. In circunciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute circunciſionis, ſed ex virtute fidei paſsionis Chriſti: cuius ſignum erat circunciſio. Hoc modo quia homo, qui accipiebat circunciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem vel adultus pro ſe, vel alius pro paruulis: & quia baptiſmus operatur inſtrumentaliter in virtute paſsionis Chriſti, non autē circunciſio: ideo baptiſmus imprimit characterem incorporantē hominem Chriſto: & copioſiorem gratiam confert, quàm circunciſio: maior enim eſt effectus rei iam præſentis, quàm ſpei: & in reſponſione ad quartum, dicit: Sed & circunciſio ſi haberet locum poſt paſsionem Chriſti, introduceret in regnum: ante tamē paſsionem Chriſti non introducebat, ſicut nec baptiſmus. Certum modo eſt, quòd regnum non conſequitur quis, niſi ſit in gratia gratum faciente. Hęc opinio differt a pcedente in hoc: quia ibi dicitur, quòd circunciſio ex opere operato conferebat gratiā: hæc vero, quòd ex virtute fidei paſsionis Chriſti. Adhærendū vero eſt illi opinioni, quę magis recte conſonat rationi, ac orthodoxæ Eccleſiæ determinationi: A cuius humillima ſubiectione ne me vmquam vis vlla amouere queat, certa firmaq; deliberatione mecū ipſe decreui: Quippe cum me a primæuis vſque annis in ſacra religione educatum, neque ulla vmquam fraude, neque terroribus, neque mortis timore e gremio piæ matris Eccleſiæ euelli poſſe deceat.

De ratione, qua vnum Sacramentum eſt altero maius. C. V.

SACRAMENTVM vnum dicitur maius altero multipliciter. Vno modo ſignificatione: & ſic matrimonium dicitur maius, cum ſignificet vnionem Chriſti & Eccleſiæ, & naturarum in Chriſto. Alio modo continentia, quomodo euchariſtia eſt maius ſacramentum

cramentum : continetur enim realiter et vere corpus et ſanguis Chriſti ſub illis ſpeciebus, videlicet panis & vini : ſimiliter & anima Chriſti,cum ſit corpus viuum : Chriſtus enim ſemel mortuus,vt inquit beatus Paulus ad Rom . 6 . iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur : viuet ergo perpetuo : Quibus etiam eſt coniuncta diuinitas, ex eo quia quod ſemel aſſumpſit ſecundum Damaſcenum numquam dimiſit, loquendo de partibus eſſentialibus, anima ſcilicet & corpore, quibus a ſua conceptione fuit vnita diuinitas. Et talis vnio etiam in morte integra remanſit:cum nec ab eius corpore, nec ab anima fuerit ſeparata diuinitas tempore mortis. Tertio modo efficacia,vt baptiſmus,per quem remittitur omnis culpa, & omnis pœna. Quarto dignitate miniſtrantium, ſiue diſpenſantium, vt confirmatio : cum detur a ſummis ſacerdotibus, ſiue Epiſcopis. Quinto quia in nobiliori Eccleſiæ gradu conſtituit, vt ordinis ſacramentum. Ceterum credendum eſt ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta a Chriſto inſtituta : per quæ quamuis externa & corporalia ſigna, Deus inuiſibiliter ſiue per bonos ſiue per malos miniſtros noſtrã ſalutẽ operatur,quæ ſunt: Baptiſmus, Confirmatio,Euchariſtia, Pœnitẽtia, Extrema vnctio, Ordinis ſacramentũ,& Matrimonium. de quibus conciliũ Tridentinũ ſeſsione ſeptima canone primo inquit: Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia a domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora, quàm ſeptem videlicet ſupradicta, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere & proprie ſacramentũ, anathema ſit. Per baptiſmum renaſcimur in vitam quandam nouam, qua non iam nobis viuimus, ſed viuit in nobis Chriſtus,quẽ in baptiſmo ſumus induti: vnde baptiſmus dicitur ſacramẽtum fidei. Sed poſtquam in baptiſmo ſemel Chriſto deſponſi ſumus, non ad fidem ocioſam, ſed ad pugnam periculoſam nos vocati ſumus: Dolet enim ſatanas ereptũ ſibi bolum ex faucibus : quamobrem omni telorũ genere nos oppugnat, vt in ſuam iterum nos reducat ſeruitutẽ. Vnde Iob 7. ſcriptum eſt : Militia eſt vita hominis ſuper terram. Quo igitur ſimus in prȩlio gerẽdo fortiores, ſignamur in fronte & vngimur chriſmate ſalutis : quo ſigno datur nobis Spiritus ſanctus, qui præſto nobis ſit pugnantibus, robur præſtet, fiduciáq; reſiſtendi ſuppeditet : Vnde vocatur confirmatio ſpei ſacramentum,eo quòd per illud in bonam ſpem erigimur ex hoſtibus victoriæ deportandæ. Sed quia qui pugnant, indigent alimento, aliter vires non ſuppeditarent: de illo pater miſericordiarũ nobis prouidit:qualis enim vita per baptiſmũ, & qualis pugna per confirmationẽ, talis & alimonia. Omnia enim in præfatis ſpiritualia ſunt : quia ſpiritus eſt, qui viuificat Ioannis 6.

Quamobrem non ea carne,quæ videri, quæ tangi, & quæ ſenſu aliquo comprehendi poſsit, ſed ea, quam ſola fide complecti licet,ſua videlicet vera & viua carne, ſuo vero & viuo ſanguine nos reficere dignatur: Qua in re cum maxima ſit illius in nos charitas, qua nos ad illum amandum viciſsim inflammamur,recte dicitur euchariſtia ſacramentum charitatis: per quam vnum cum Chriſto capite, vnũ inter nos corpus efficimur. Sed quia ſæpe noſtra culpa fit, vt cũ hoſtibus dimicantes ſuccumbamus,grauiterq; ſauciati proſternamur, hac quoque in parte de remedio Pater noſter cæleſtis prouidit: pœnitentiæq; medicinã conceſsit, qua ſanati reſurgere poſſemus:Deo quoque per hoc ſacramentum reconciliaremur. Neque tamẽ tam gratis ſicut in baptiſmo: cum requiratur aliquid a nobis, ſi redire velimus in gratiam: vt ſcilicet a peccatis ceſſemus, vt ea deteſtemur,& odio habeamus: vt corde contrito & humiliato (quod Deus non deſpicit)non ſolũ recogitemus in amaritudine peccata noſtra, verum etiam miniſtro recõciliationis euangelico ſacerdoti ea confiteamur,& ab eo abſolutionis beneficium petamus. Poſtremo vt per ieiunia, orationes, eleemoſynas, ac alia pię vitæ ſpiritualis exercitia,dignaq; pœnitentiæ opera ſatisfaciamus:non quidem pro pœna æterna, quæ merito Chriſti paſsionis & mortis per ſacramentum vel ſacramenti votum vna cum culpa nobis remittitur,ſed pro pœna temporali, quæ nõ tota ſemper, vt fit in baptiſmo,remittitur. Sacramentum enim hoc ad iuſtitiam refertur: cum iuſtũ ſit, vt qui gratiæ, quam acceperat, ingratus ſpiritum ſanctum contriſtauit, & templum Dei violauit,non ſine ſatisfactione reconcilietur. Sed planum eſt, quòd non alio tempore grauius & periculoſius certamen inſtat, quàm cum graui infirmitate conflictatis ex hac vita migrandum eſt: Qua de re non dedignata quoque eſt Dei benignitas: deditq; ſacramẽtũ extremæ vnctionis, quo vires tam corporis, quàm animi refocillari poſsint: vt cum ad congrediendum cum tam potenti aduerſario accedimus, illius gratia adiuti non omnino ei impares eſſe poſſemus. Hoc ſacramentum ad fortitudinem refertur, cuius pars eſt perſeuerantia, quam huius vnctionis beneficio conſequimur fortes in pugna perſeuerãtes, ac ſumpto ſcuto fidei omnia tela nequiſsimi ignea extinguimus. Sed quia ſine miniſtris vita conſtare non poteſt, de illis etiam Eccleſiæ ſuæ Deus prouidit non ſine ordine,qui non ſolum ad decorem facit plurimum,verum etiã ad concordiam & vnitatem retinendam. Vnde dedit minores ordines quatuor: dedit & maiores, ſubdiaconatum, diaconatum, & ſacerdotium cum ſuis miniſtris. Refertur autem hoc ſacramentum ad prudentiam: quandoquidem fidelem eſſe ſeruum & prudentem

oportet,

oportet, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam. Fidelem, vt bonum in communem vtilitatem ordinet. Prudentem, vt rationem diſpenſandi agnoſcat: perſonæ enim vtilitas in diſpenſatione attendenda non eſt principaliter, ſed Eccleſiæ, vt inquit Paulus pri. Cor. 10. Sine offenſione eſtote Iudæis,& gẽtibus,& Eccleſiæ Dei,ſicut & ego omnibus ꝑ omnia placeo,nõ quærẽs quod mihi vtile eſt, ſed quod multis,vt ſalui fiant. Quoniã vero vnius hominis ætas lõga non eſt, breui defecturi erant, qui per baptiſmum renati Chriſti ſe militiæ aſcriberent: etiam huic rei remedium Deus contulit, ac matrimonium in ipſo paradiſo inſtituit, vt noui Chriſti milites cõſcriberentur: Si modo parentes nõ alia voluntate liberos procrearent, quàm vt per baptiſmum ex membris primi hominis in membra Chriſti translati, in eiuſdem Chriſti militum locum ſiue album referrentur: atque iis, qui vita functi eſſent, noui ſemper ſuccederent. Hoc ſacramentum ante Adæ peccatum erat tantum in officium & miniſterium: poſt vero non modo in officiũ, ſed & in remedium inſtitutum erat: quapropter ad eam virtutem refertur, quæ temperantia dicitur, vt eſt incontinentiæ remedium.

Nouæ legis ſacramenta quare inſtituta ſint: & quomodo differant a ſacramentis veteris legis. Caput. VI.

SACRAMENTA nouæ legis Chriſtus Saluator noſter inſtituit,qui cũ ſit ſummæ bonitatis,ſummæ veritatis,& ſummæ virtutis, ꝓmiſit præmia beatificantia, dedit p̄cepta ad bonũ dirigentia, & inſtituit remedia adiuuãtia: vt per ſacramenta reparetur virtus ad implẽda præcepta,quibus perueniatur ad præmia. Initiauit quædã ſacramenta ante aduentum ſuum, vt matrimonium & pœnitentiam: ſed ea perfecit & confirmauit in lege euangelica, dum pœnitentiã prædicauit, & nuptijs interfuit. Alia quinque in dicta noua lege inſtituit. Confirmationem,paruulis manus imponendo Mar. 10. Vnctionem, diſcipulos ad curandum mittendo, qui infirmos vngebãt oleo Marci 6. Baptiſmum, illum ſuſcipiendo,& formam tradendo. Ordinem, poteſtatem ligandi & ſoluendi tribuendo. Euchariſtiam conſecrãdo,ac diſcipulis poteſtatem conficiendi conferendo. Sacramenta a peccato mundant, in bono conſeruant, myſtico Chriſti corpori incorporant, iuſtificant, ad futuram vitam præparant, erudiendo illuminant, & demum a malo præſeruant: vt patebit infra, cum de ſingulis eorum diſſeremus. Sacramenta ſemper habent ſãctificationem veritatis, non tamen ſemper efficaciam curationis,

non propter defectum ex parte ſui, ſed ſuſcipientis: quia nulli repugnanti & charitatis fontem impugnanti datur gratia: non enim ſanctificant niſi digne & abſque fictione accedentes. Quorum primum eſt intrantium, vt baptiſmus: Secundum pugnantium, vt cõfirmatio: Tertium vires ſumentium, vt euchariſtia: Quartum reſurgentium, vt pœnitentia: Quintum exeuntium, vt extrema vnctio: Sextum miniſtrantium, vt ordo: Septimum nouos milites introducentium, vt matrimonium. Ordinantur vero contra triplicẽ culpam, & quadruplicem pœnam. Baptiſmus cõtra originale: pœnitentia contra mortale: extrema vnctio contra veniale: ordo cõtra ignorantiam: euchariſtia contra malitiam: confirmatio contra impotentiam: matrimonium contra concupiſcentiam, quam temperat. Huiuſmodi ſacramentorum diſpenſatio committitur homini non ratione ſanctitatis, quæ variatur: ſed ratione virtutis & aſſiſtentiæ diuinæ, quæ ſemper adeſt quantum eſt de ſe. Triplex eſt fidelium ſtatus in acie eccleſiaſticæ Hierarchiæ, vt dicetur infra in ſacramento ordinis, videlicet: fidei genitæ, fidei roboratæ, & fidei multiplicatæ. Per primũ fit diſtinctio fidelium ab incredulis in baptiſmo: per ſecundum fortium ab infirmis in confirmatione: per tertium clericorum a laicis in ſacramento ordinis. Hinc eſt, quòd hæc tria ſacramenta imprimunt characterem, vt habetur in concilio Tridẽtino ſeſſ. ſeptima can. 9. vbi dicitur: Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, baptiſmo ſcilicet, confirmatione, & ordine nõ imprimi characterem in anima, hoceſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, anathema ſit. per quẽ indelebiliter impreſſum ſemper diſtinguuntur habentes a non habentibus. Character baptiſmalis eſt incipientium, confirmatio ꝑficiẽtium, ordo vero perfectorum. Character baptiſmalis eſt omnium characterum fundamentũ: & ideo illo non habito non poſſunt ceteri characteres imprimi. Vnde ſi quis ordinaretur nondum baptizatus, nihil prorſus fieret. Ab initio enim inſtituta ſunt ſacramẽta (large ſumendo ſacramentum) ad curationem hominũ: & ſemper cum morbo cucurrerunt. In lege naturæ fuerunt oblationes, ſacrificia, & decimationes. In lege ſcripta introducta eſt circunciſio, quæ ſola erat verum ſacramentum: & conferebat gratiam, eo modo quo dictum eſt ſupra: cui adiuncta eſt expiatio, oblatio, & ſacrificiorum diſtinctio. In lege noua (vt dictum eſt) ſtatuta ſunt ſacramenta numero pauciora, vtilitate potiora, virtute efficaciora & digniora, ac ſignificatione euidentiora: In quibus eſt impletio, ſimul & euacuatio omnium prædictorum, vt inquit Hugo de Sancto victore in libro de ſacramentis. Primi temporis ſacramenta fue-

runt ſicut vmbra: Secũdi ſicut imago & figura: Tertij, ſcilicet gratiæ, ſicut corpus, quod intra ſe veritatem continet & gratiã, quam ſignificatione repræſentant. Sacramenta veteris legis nutriebant paruulos, exercebant perfectos,& duros onerando domabant. Sed ſacramenta nouæ legis conferunt, quæ vetera de longinquo monſtrabant. Vnde priora ſacramenta præpararunt & perduxerunt ad noua, ſicut via ad terminum, ſicut figura ad veritatem, & ſicut imperfectum ad perfectum. Item legalia ſecundum Auguſtinum fuerunt ante paſſionem Domini viua, poſt paſſionem vero mortua: ſed poſtquam claruit euangelij veritas, fuerunt omnino ſepulta. Noſtra vero ſacramenta vſque ad finem ſæculi in ſuo ſemper vigore manebunt. In ſequẽtibus dicemus, ſi ſint apud hæreticos ſacramẽta: & ſi vtilia,vel ne: ſicut & quòd ſacramentũ non eſt melius ꝓpter miniſtrum,& quòd ſacramenta ipſa extra Eccleſiã nõ proſunt.

Antequam de baptiſmo Chriſti diſſeramus, prius de baptiſmo Ioãnis dicendum eſt: cur videlicet dicebatur illius, & quid operabatur. Cap. VII.

DICENDVM eſt in hoc capite, quid erat baptiſmus Ioannis, & quid operaretur: pro notitia cuius dicimus, quòd baptiſmus, quo utitur & vſa eſt ſemper Chriſti Eccleſia catholica, eſt aliud a baptiſmo Ioannis, vt habetur in concilio Trideñ ſeſs. 7.can. primo de baptiſmo,vbi dicitur: Si quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eãdem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit: quod etiã patet Act. 19. eo quòd Paulus iuſſit eos,qui baptizati erant baptiſmo Ioannis baptizari in nomine domini Ieſu, ſicut & in ſequenti capite clarius diſſeremus. Idem oſtendit Cyrillus in comment. ſuper Ioãnem: Hoc expreſſe etiam tenet Auguſtinus lib.5. de baptiſmo cõtra Donatum c. 9. & lib. 2. contra literas Petiliani dicens: Manifeſtum eſt ex ſcripturis alium fuiſſe baptiſmum Ioãnis,alium Chriſti. Idem inquit beatus Hieronymus in comment. Iohelis c. 2. & aduerſus Luciferianos: et Beda comparans baptiſmum Ioannis catechiſmo noſtro inquit: Quantum Catechumenis nõdum baptizatis prodeſt doctrina fidei, tantum profuit baptiſmus Ioannis ante baptiſmum Chriſti. Pro quo ſciendum, quòd non dicebatur Ioannis, quia hunc Ioannes miniſtraret,cum tunc ſimiliter eſſet dicẽdus baptiſmus Petri, quo ipſe baptizabat: quod reprobatur 1. Cor. 1. & 3. nec dicebatur baptiſmus Ioannis, quia fuerit a Ioanne inſtitutus: cum a Deo, a quo miſſus fuerat baptizare, fuiſſet ordinatus:

vnde ipſemet Ioannes ait. Qui miſit me baptizare, ipſe mihi dixit &c. Ioannis 1. Ille enim inſtitutor eſt rei, cuius præcepto & auctoritate fit, vt inquit beatus Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, vbi proprie loquitur de dicto baptiſmo Ioãnis. Nec etiã dicebatur baptiſmus Ioannis, eo quòd primus ipſe dicto baptiſmo baptizauerit: ſicut nec eſſet baptiſmus Apoſtoli, ſi aliquis Apoſtolorũ primus baptizaſſet baptiſmo Chriſti: ſed dicebatur Ioannis, quia ipſe primus fuit illius baptiſmi promulgator, & eiuſdẽ miniſter: cum ſolus illo baptiſmo, & nullus diſcipulorũ ſuorum baptizauerit. Vnde Auguſtinus vbi ſupra inquit: Nulli prophetarũ, nulli prorſus hominum eſt cõceſſum baptizare in aqua pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, ſed tantum Ioanni, qui mirabili gratia ſuſpendens in ſe corda populorum, viam præpararet in eis illi, quem ſe tanto prædicabat eſſe maiorem. Ex quo ſequitur, quòd talis baptiſmus durabat dumtaxat tẽpore eius: & ita congruũ erat, vt adueniente baptiſmo Chriſti, ceſſaret baptiſmus eius, qui fuit præparatorius ad ipſũ: ſicut ceſſat generaliter diſpoſitio introducta forma. Dicitur etiam baptiſmus Ioannis, eo quòd Ioannes fuit auctor totius, quod agebatur exterius, cum per baptiſmum fieret exterior corporis lotio, quam totam Ioannes operabatur: & non interior, cum per baptiſmum eius nõ conferretur gratia ex opere operato: & ex conſequẽti nec remiſsio peccatorum. Vnde Matth. 3. Ego vos baptizo in aqua, ille autem baptizabit vos in ſpiritu ſancto: & Act. 1. Ioannes baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini ſpiritu ſãcto. Quia vero beatus Marc. 1. cap. dicit: Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, videtur dicto baptiſmo attribuere remiſsionem culpæ. Dicẽdum, quòd remiſsio peccatorum non determinat participium baptizans, ſed nomen baptiſmus. Dicitur enim baptiſmus Ioannis baptiſmus pœnitentiæ: quia baptizando prædicauit pœnitentiam: vel quia baptizatis impoſuit fructus dignos pœnitentiæ: vbi glo. Pœnitentiæ baptiſmum dedit: baptiſmum vero in remiſsionem peccatorum prædicauit, & non dedit; Vnde Hugo de ſacramentis lib. 2. parte 6. c. 6. Solum ſacramentum fuit ibi, ſcilicet in baptiſmo Ioannis, ſed nõ remiſsio peccatorum. Vltimo dicebatur Ioannis, quia nõ dabatur in forma, quam inſtituit Chriſtus. Si quis petat, in qua ergo forma baptizabat: tenet Magiſter, & poſt eum D. Alexander Alenſis, Petrus de Palude, & Thomas, quòd in forma venturi, iuxta illud Act. 19. Ioannes baptizabat populũ baptiſmo pœnitentiæ, dicens: quòd in eum, qui venturus erat poſt ipſum, crederent, hoceſt in Ieſum venturum: non quantum ad carnis præſentiam, ſed quantum ad ef-

fectum

fectum redemptionis ſiue paſsionis : vel quantum ad actum baptizandi & docendi. Fuit ergo hæc forma ſua ſecundum eoſdem: Ego te baptizo in nomine(ideſt in fide)venturi ſecundum Alexandrum: licet Durañ. teneat,quòd non baptizabat in aliqua forma verborũ: cui etiam arridet Gabriel Biel diſtinctione ſecunda 4. q. 2.

An baptizati baptiſmo Ioannis erant rebaptizandi baptiſmo Chriſti. Cap. VIII.

AD hoc dubium reſpondeo ſecundum doctrinam ſancti Thomæ, ſancti Bonauenturæ, Scoti,Petri de Palude, & communiter aliorum, quòd omnes baptizati baptiſmo Ioannis iterum rebaptizandi erant baptiſmo Chriſti. Non enim ſufficiebat dictus baptiſmus ad ſalutem,ex quo non conferebat gratiam : cum eſſet tantum præparatio ad baptiſmum Chriſti : non obſtãte, quòd baptizati habuiſſent fidem Trinitatis,& non ponerent in eo ſpem, ſed ipſum referrent ad baptiſmum Chriſti.Magiſter tamen ſententiarum aliter ſub diſtinctione reſpondet, dicens : quòd baptizati baptiſmo Ioannis erant in duplici differentia : quidam enim in eo ſpem ponebant, nõ referentes baptiſmum illum ad baptiſmum Chriſti,nec habentes fidẽ Trinitatis : ſed erant de illis, qui dicebant : Neque ſi ſpiritus ſanctus eſt, audiuimus Act. 19. Et tales erant rebaptizandi baptiſmo Chriſti. Quidam autem ſpem in baptiſmo Ioannis non fixerant, & fidem Trinitatis habuerant: & tales non erant baptizandi baptiſmo Chriſti : ſed per impoſitionem manuum ab Apoſtolis factam recepturi erãt ſpiritum ſanctum in robur, quem prius receperant in remiſsionem peccatorum.Et pro hac Magiſtri opinione adducitur illud Act. 8. Quòd Apoſtoli in Samariã venientes baptizatos a Philippo non rebaptizabant : ſed tantum eis manus imponebant, vt acciperent ſpiritum ſanctum. Adducitur & illud,quod beatus Hieronymus ſuper illud Iohelis 2. Effundam de ſpiritu meo, inquit : ſcilicet, Hæc eſt cauſa, quare quidam baptizati a Ioanne Chriſti baptiſmo iterum baptizati ſunt a Paulo, vt dictum eſt in præcedenti capite, quia fidem Trinitatis non habebant. Sed quia communiter in hoc Magiſter non tenetur, ideo ad duas auctoritates præfatas reſpondemus : Ad primam, quòd baptizati a Philippo baptizati erant baptiſmo Chriſti : & ideo non erant rebaptizandi : in quo baptiſmo dabatur ſpiritus ſanctus in remiſsionem peccatorum, non autem ad robur : cum ſic daretur per ſacramentum confirmationis : quod tantum per Apoſtolos, qui erant Epiſcopi, cõferebatur. Iſte enim Philippus fuit vnus ex ſeptẽ Diaconibus : qui

cum non eſſet epiſcopus nec Apoſtolus, ex conſequenti non poterat imponere manus. Ad ſecundam vero dicitur, quòd admiſſis verbis Hieronymi conceditur, quòd baptizati baptiſmo Ioannis, nō habentes fidem Trinitatis, rebaptizandi erant baptiſmo Chriſti: ſed non ſequitur a contrario ſenſu, quòd habentes fidem eiuſdem Trinitatis, & baptizati baptiſmo Ioannis non ſunt rebaptizandi: quoniam ſecundum Thomam conſequentia à cōtrario ſenſu non tenet, niſi in cauſis præciſis. Modo non ſola infidelitas fuit cauſa rebaptizationis: ſed præcipua fuit, quia baptiſmus Ioannis non erat verus baptiſmus, nec conferebat gratiam. De Apoſtolis autem, an fuerint baptizati glo. ſuper illud Io. 13. Qui lotus eſt, non indiget &c. dicit, quòd ſic: licet quando & vbi non legatur. Notandum tamen ad hæc, quòd refert dicere, iterum baptizari, & iterato baptiſmo baptizari. Nam iterum baptizatur, qui ſecundo abluitur, ſiue prima ablutio fuerit verus baptiſmus, ſiue non: ſed iterato baptiſmo baptizatur, qui poſt verum baptiſmum ſecundo baptizatur: & ideo quando baptizati baptiſmo Ioannis baptizantur baptiſmo Chriſti, non iterato baptiſmo baptizabantur: cum primus non fuerit verus baptiſmus. Concludo igitur, quòd vniuerſaliter omnes, dempto Chriſto, baptizati baptiſmo Ioannis, poſt ſufficientē baptiſmi Chriſti promulgationem, erant baptizandi baptiſmo Chriſti. Chriſtus vero non erat rebaptizandus, cū eſſet ſuper legem, & ſuper omnes. Circuncifi enim ante promulgationem baptiſmi, per circunciſionis ſacramentum ſine baptiſmo ſaluabantur. Quòd ſint rebaptizandi ſupradicti aſſerit Auguſtinus ſuper Io. homil. 5. dicens: Quos baptizauit Ioannes, iterum ſunt baptizandi, plane iterum, ſed non iterato baptiſmo: Quos enim baptizauit Iudas, baptizauit Chriſtus: nō ſic quos baptizauit Ioannes. Et in libro de baptiſmo contra Donatiſtas, inquit: Tali baptiſmo Chriſtus mundat Eccleſiam, quo accepto non erat alter neceſſarius. Si dicatur, ex quo baptiſmus Ioannis non conferebat gratiam, ad quid fuit inſtitutus? Reſpōdent doctores, quòd fuit vtilis propter quatuor rationes. Prima ad figurādum baptiſmum Chriſti: Secunda ad præparandum populū ad Chriſti baptiſmum: nam ſuo baptiſmo aſſuefecit populum, vt non horreret Chriſti baptiſmū: vnde glo. Matth. 2. in perſona Ioannis, ait: Quia ſoluere peccata nequeo: ſicut Chriſto naſcendo & prædicando præcurro, ſic baptizādo ad baptiſmum Chriſti dirigo. Tertia ad manifeſtandum Chriſtum, & noſtri baptiſmi materiam conſecrandam: vnde Matth. 3. Cum baptizaret Chriſtū Ioannes aperti ſunt cæli, & viſus eſt ſpiritus ſanctus deſcendere in ſpecie columbæ ſuper eū, & vox patris audita eſt dicens: Hic eſt filius meus dilectus.

In hoc etiam baptiſmo Chriſtus contactu ſuæ mundiſsimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis ſecundum Bedam, ideſt aquam ordinauit, ſiue ſanctificauit, vt eſſet materia ſacramẽti regenerationis. Quarta ratio eſt, vt reuocarentur Iudæi a circunciſione. Poteſt tamen dici baptiſmus Ioannis finis veteris teſtamenti, ſecundum illud Matth. 11. Lex & prophetæ vſque ad Ioannem. Dubitatur etiã, quare baptiſmus Chriſti magis habuit præparatorium, quàm circũciſio, & quàm alia ſacramẽta nouæ legis: Reſpondet Alexander par. 4. q. 9. mem. 1. quòd perfecte obedientibus non eſt neceſſarium præparatorium, ſed ad obediendum duris. Circunciſio data eſt Abrahæ, qui fuit credulus, & obedientiſsimus verbis Dei. Populus autẽ Iſrael, cui erat dandus primo baptiſmus, ex quo erat duræ ceruicis, indiguit præparatorio: quod Abrahæ, cum eſſet obediens, neceſſarium non fuit. Similiter filiorum eſt acquieſcere præceptis & doctrinæ patris: ſed antequam ſint filij, neceſſaria eſt quædam præparatio, vt fiant filij, & acquieſcãt doctrinæ & præceptis patris. Nũc autem per baptiſmum ex filijs iræ efficiuntur filij Dei: ideo baptiſmus indiget præparatorio: ſed iam facti filij dei per baptiſmum nõ indigent eodem ad alia ſacramenta percipienda. Dubitatur tertio, quibus conueniebat baptiſmus Ioannis: Reſpondetur, quòd Chriſto, & multitudini virorum, ſed alia & alia ratione: Chriſto, vt humilitatem impleret, vt baptiſmum Ioannis approbaret, vt aquam ſanctificaret, ac vt ipſe innoteſceret: Populo autem Iudęorum cõueniebat, vt ad pœnitentiam, quam Ioannes prædicabat baptizando, inſtrueretur & incitaretur. Ideo baptiſmus pœnitentiæ prædicabatur, vt ad baptiſmum Chriſti præpararetur, & a circunciſionę auocaretur. Propter hoc non conueniebat pueris, qui pœnitentiæ incapaces erant: nec ad Chriſti baptiſmum præparari poterant, cum vſu carerẽt rationis. Sed dubium eſt, an mulieres baptizatę fuerint baptiſmo Ioannis: Alexãder de Ales in 4. parte ſuæ ſummæ opinatur, quòd non: tum propter honeſtatem, ne in conſpectu multitudinis virorum ad baptiſmum Ioannis concurrentium nudarentur: tum quia non fuit opus eas reuocari a circunciſione, ad quam non tenebantur; tum etiam, quia ſatis per baptiſmum virorum inclinari poterant &. diſponi ad baptiſmum Chriſti, quo vniuerſaliter omnes erant baptizandi.

De baptiſmo Chriſti, qui eſt verus baptiſmus, & qui eſt ianua omnium ſacramentorum, cum cetera omnia pręſupponant illum, tanquam fundamentum totius ſtructurę ſpiritualis: ſimiliter & de eius inſtitutione. Cap. IX.

BAPTISMVS primum nouæ legis ſacramentum non fuit inſtitutus, quando Saluator noſter à Ioanne baptizatus fuit, cum eum baptizauerit in forma propria, & nõ Chriſti. Dedicauit tamen tunc aquam tãquam materiam idoneam ſuo baptiſmo ex contactu ſuæ mundiſsimæ carnis: nec in illo verbo dicto Nicodemo Io. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto &c. cum non fuerit congruum, vt tam neceſſarium ſacramentum inſtitueretur coram perſona priuata, quæ non debebat fieri præco illius inſtitutionis: Neque prorogata fuit inſtitutio uſque ad tempus aſcenſionis: cum certum ſit, ꝙ diſcipuli Xp̃i ante illud tẽpus baptizauerint Chriſti baptiſmo: vnde diſcipuli Ioannis dicebãt ad eũ vbi ſupra, Rabbi cui teſtimoniũ ꝑhibuiſti, ecce ipſe baptizat, & omnes veniunt ad eũ. Et capite ſequẽti: Quanquam Ieſus nõ baptizaret, ſed eius diſcipuli. Sacramentũ ergo principale euãgelicæ legis, per quod intratur in eius obſeruantiã, debuit eſſe nouũ & proprium illi legi: Debuit eſſe euidẽs in ſignificatione, cum lex noſtra ſit lex veritatis, euacuans vmbram: Debuit eſſe copioſum in gratiæ collatione, cum hæc ſit lex gratiæ: gratia enim & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt Ioan. primo: Debuit etiam eſſe facile, cum eius iugum ſuaue ſit & leue Matth. 11. Debuit poſtremo eſſe commune: quia Deus ad legem Moyſi recipiendam elegit unum tantum populum, ſed ad legẽ nouam totum mundum, iuxta illud pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum &c. Prima duo patent de ſe, tria vero ſequentia inueniuntur in baptiſmo, videlicet ablutio cum verbis: quia hoc euidenter ſignificat mundationem animæ, quæ eſt effectus principalis. Et dat gratiam copioſe, de qua pſal. 22. Aqua refectionis educauit me: qui etiam eſt facilis & nullo modo periculoſus, ſicut fuit circunciſio: & communis omni ſexui & ætati, de quibus vide Scotum diſt. 3. 4. q. 4. Dicimus vltra, quòd inſtitutio huius præceſsit promulgationem, cum ante inſtitutionem non promulgetur: a determinatione enim legiſlatoris ſuam habet firmitatem: & poteſt dicta determinatio nuncupari inſtitutio. Pro quo notanda ſunt duo: Primum, quòd per inſtitutionem non erat ſimpliciter neceſſariũ baptizari: vnde dicitur Io. 15. Si non veniſſem, & locutus eis nõ fuiſſem, peccatum non haberent. Nullus enim obligatur ad aliquod preceptum diuinum niſi per aliquem miniſtrum idoneum & authẽticum: vel fama veridica & teſtimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere, promulgetur ſibi: & hoc eſt verũ de lege poſitiua, quæ non eſt nota interius in corde. Per ſolam ergo illam inſtitutionem præcedentem promulgationem non obligabatur

populus

populus ad baptiſmum. Nec præceptum poſitiuum circunciſionis debuit ſtatim dimitti, ex quo erat a Deo inſtitutum, niſi certum eſſet præceptum baptiſmi fuiſſe datum ab eodem: quæ certitudo nõ potuit ſine promulgatione authentica haberi. Et licet beatus Auguſtinus in lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicere videatur, quòd ſtatim & ex illo tempore, quo ſaluator noſter dixit: Si quis renatus non fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum dei: abſque ſacramẽto baptiſmatis p̃ter eos, qui in Eccleſia catholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum celorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam: quem ſenſum verba Chriſti ſupradicta inſinuant. Vnde dictus Auguſtinus libro 3. de origine animæ cap. 9. inquit: Noli credere, noli dicere, infãtes antequam baptizẽtur, morte p̃uentos peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus. Rupertus vero in commen. in Ioannem, atque beatus Bernardus in epiſtola ad Hugonẽ aperte docent contrarium, dicentes eſſe neceſſariam ſollemnem baptiſmi promulgationem. Promulgatio vero poteſt poni duplex: altera per modum conſilij, & altera per modum præcepti. Prima adhuc ex duobus: quia lex euangelij perfectiſſima nõ debuit præcipitanter imponi, ſed homines primo ad illam allici, vt iam exercitatis poſſet ſub p̃cepto imponi. Secundo, quia lex vetus non erat mala, ideo non debuit ſubito aboleri: ſed ſynagoga cũ honore ſepeliri, vt oſtenderetur eam fuiſſe bonam pro tẽpore ſuo. Impoſitio autem baptiſmi per modũ præcepti euacuauit circunciſionem, ſaltem quantum ad neceſſitatem. Pro quo notandũ, quòd promulgatio facta de conſilio diuino obligat ad non contemnẽdũ: cum tunc contemneret conſulentem. Promulgatio vero per modũ præcepti obligat ad obſeruandum, ſi ſit affirmatiuum: vel cauendũ, ſi ſit negatiuum. Secus eſt de conſilio & præcepto humano: q̃a licet illud tanquam irrationale & infructuoſũ iudicare: quanquam non licet, dum eſt Prælatus, contemnere non obſeruando, Matth. 23. Super cathedram Moyſi ſederunt principes & phariſæi: quæcũque dixerint vobis facite: & ſic patet obligatio prima baptiſmi per modum conſilij, quæ fuit ad non contemnendum: & per modũ p̃cepti ad ſuſcipiendum. Prima durauit a principio, ex quo prædicabatur euangelium vel baptiſmus per Chriſtum, vel per Apoſtolos, vſque ad prædicationem ſollemnem eiuſdem poſt aſcenſionẽ Xp̃i. Secundum autem tempus (vt credunt aliqui) incœpit a die pentecoſtes in Hieruſalem: quia vſque ad illum diem Apoſtoli non prædicauerunt publicæ, iuxta illud Luc. 24. Vos autem ſedete in illa ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Non enim incœpit tempus

ſimul apud omnes: ſed de Sion exibat lex,& verbũ Domini de Hieruſalem Eſa. 2. Quibuſdam enim incœpit tempus præcepti baptiſmi poſt menſem, alijs poſt annum &c.

Quo tempore baptiſmus fuit neceſſarius: & quo euacuata circuncіſio. Caput. X.

SVPPOSITO tanquam veriſsimo baptiſmum fuiſſe in noua lege inſtitutum, vt habetur in cõcilio Tridentino ſeſs. 7. & quòd in baptiſmo non eſt diſtinguere niſi duo tempora: primum, quo erat ſub conſilio: & ſecundum, quo erat ſub præcepto, vt patet ex dictis in capite præcedenti: Videndum eſt, an ex eodem fuerit circunciſio euacuata. Sanctus Bonauentura in dubijs circa literam diſt. 3. 4. dicit de mente Hugonis de Sancto victore, quòd non eſt culpandus aliquis, niſi ex culpa ſua ſit ingratus conſilij aut præcepti. Fuit autem Nicodemo reuelatum tanquam conſilium amico. Cum vero dictum eſt Matth. vlt. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos &c. omnibus informandis expoſitus eſt ſub præcepto. Vnuſquiſque autem ex eo tempore debitor eſſe incœpit baptiſmi, quoad ipſum per prædicationem inſtitutio peruenit. Scotus tamẽ diſt. 3. quarti q. 4. diſtinguit eiuſdem circunciſionis quatuor tempora. Primum, in quo erat neceſſaria. Secundũ,in quo vtilis. Tertium,in quo licita. Quartum, in quo erat omnino mortifera. Primum tempus præceſsit vtrumque tempus baptiſmi videlicet conſilij & præcepti. Secundum tempus comitabatur primum tempus baptiſmi: Iudæus enim tunc poterat eligere vtrumque: & ſic licitũ & vtile fuit pro illo tempore circuncidi: licet magis vtile fuiſſet dimiſſa circunciſione baptizari. Tertium tempus cucurrit cum ſecũdo tempore baptiſmi: & hoc,quoad Iudæos, vſque ad tempus,quo beatus Paulus dixit ad Galatas 5. Si circuncidimini, Chriſtus nihil vobis proderit: & forte vltra,cum tempore purificationis Pauli videbantur fratres Hieroſolymis approbare obſeruantiam legis, & de ea conſulere Paulo. Sed quoad gentiles conuerſos non eſt dubium, quin cucurrerint ſecundum tempus baptiſmi, & quartũ circunciſionis ſimul: maxime poſt illud tempus, quo Paulus aſcendit Hieroſolymam ad ſeniores, ſuper illa quæſtione conſulens Act. 15. Vbi primo Petrus allegat factum Cornelij, de quo Act. 10. Et deinde Iacobus tanquam Epiſcopus Hieroſolymitanus (ſecundum magiſtrum hiſtoriarum) profert ſententiam dicens Act. 15. Ego iudico non inquietare eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum:

ſed

ſed ſcribere ad eos, vt abſtineant ſe a contaminationibus &c. De illis quatuor duo ſunt neceſſaria, videlicet abſtinere ab immolatis ſimulachrorum, & fornicatione: duo alia, ſcilicet abſtinere a ſuffocato & ſanguine, non erant neceſſaria: verum congruebat, vt abſtinerent, ne Iudæis conuerſis eſſent abominabiles. Quo vero ad Iudæos conuerſos, nec in principio ſecundi temporis ipſius baptiſmi, nec poſt illud tertium concilium Apoſtolorum circunciſio omnino excluſa eſt tanquam illicita: nec etiam cetera legalia, ſed multo poſt tempore licite ſeruabantur. Si dicatur, quòd Paulus ad Galatas 2. reſtitit Petro in Antiochia, dicens: Cum veniſſet Cephas in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, & reddit cauſam: Prius enim quàm veniſſent quidam a Iacobo, edebat Petrus cum gentibus: cum vero applicuiſſent, ſegregabat ſe ab illis, timens eos, ꝗ ex circunciſione venerant: & ſimulationi eius conſenſerunt ceteri Iudæi: Paulus ægre ferens dixit, Si tu Iudæus cum ſis gentiliter viuis, & non iudaice, quomodo gentes cogis iudaizare? et hoc fuit paulopoſt illud tertium concilium: nam quarto Claudij anno venit Petrus Romam, & in via cum tranſiret Antiochiam, facta ſunt iſta. Reſpondeo, quòd de hoc facto eſt cõtrouerſia inter Hieronymũ & Auguſtinum. Scotus tenet cum Auguſtino, qui defendit Paulũ hac ratione: Quia licet Apoſtoli in actibus, aut verbis, ut homines potuerint errare: nullus tamẽ Apoſtolus vel propheta inquantũ ſcriptor alicuius libri canonici aliquo modo errauit: Quia ſecundum eundem Auguſtinum in epiſtola ad Hieronymum: Si ad ſcripturas diuinas admiſſum fuerit aliquod mendacium etiã officioſum, quid in eis remanebit auctoritatis? quaſi dicat, nihil. Vbi ſubdit: his ſolis libris ſcriptorum, qui canonici dicuntur, hanc didici habere reuerentiam, quòd nullum eorum in ſcribendo erraſſe firmiter credam. Cum ergo Paulus, vt ſcribit ad Galatas, quæ eſt pars ſcripturæ canonicæ, in faciem Petri reſtiterit, quia reprehenſibilis erat, & quia non ambulabat recte ad veritatem Euangelij, neceſſe eſt dicere, illa verba eſſe ſimpliciter vera: aliter totius ſacræ ſcripturæ auctoritas auferretur. Poterat ergo dici reprehenſibilis: quia vt dicũt beati Ambroſius & Auguſtinus, ad quamcumque Eccleſiam veneris, illi te conformes: Ideo Eccleſiæ gentium libere debebat ſe cõformare, & non dare occaſionem gentibus (ſubtrahendo ſe ab illis ne ſcandalizaret Iudæos ad eũ venientes) ſeruandi legem: Vel quia oſtendebat facto illud eſſe neceſſarium, ſaltem ad hoc, vt conuerſi ex Iudæis vellent cõmunicare cum eis &c. Poteſt ergo intelligi ad hunc ſenſum illa Pauli reprehenſio: quia ſimulabat nõ reputans mẽte hoc faciẽdum, quod fecit opere: licet Scotus credat omne illud,

quod fuit reprehenſibile in Petro fuiſſe veniale & nō mortale peccatum. Concludit tamen, quòd nullum illicitum eſt committendū propter ſcandalum euitandum: Cum vtilius ſcandalum naſci permittatur, quàm veritas relinquatur, extra de reg. iur. c. Qui ſcandalizauerit. Breuiter ergo dicimus, quòd Paulus licite inter Iudæos ſeruauit legalia: & multo tempore poſt tertium concilium prædictum. Et hoc fuit licitum, dummodo non poneret in eis ſpem: tametſi illud neque vtile neque neceſſarium eſſet. Inter gentes autem eiſdem ſe conformabat: quia licuit ſibi non ſeruare legem pro illo ſecundo tempore baptiſmi. Petrus autem Hieroſolymis ſimiliter ſeruans legem non peccauit: quia licuit Iudæo & inter Iudæos tunc temporis legem ſeruare. In Antiochia autem inter gētiles cōuerſos non ſeruans legem, ſed conformans ſe gentibus in cibis & potibus, ſimiliter non peccauit: ſibi enim licuit non ſeruare legem. Peccauit autem ſegregans ſe poſtea ab eis in cibis propter iam dicta, vt verba Pauli prędicta ſaluentur. Nec obſtat, quòd habetur de baptiſmo & eius effectu c. Maiores. Vbi dicit Innocētius: Abſit vt in illam damnatam hæreſim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum euangelio & circunciſionem cum baptiſmo ſeruandā: cum non videatur, quòd Eccleſia hoc iudicauerit hæreſim ex ſola omiſsione Iudæorum quadam neceſsitate diſperſionis, vel huiuſmodi non ſeruantium legem: Sed vt inquit Scotus, videtur, quòd hoc fuit propter aliquam reuocationem ſimpliciter factam a Deo. Et ſi dicatur, quòd circunciſio Abrahæ in fœdus ſempiternum data fuerit Gen. 17. reſpondetur, quòd erat fœdus ſempiternum inter Deum & Abraham, & ſpecialiter eius ſemen, ex quo numquam fuit aliud ſignum ſpecialiter inter Deum & illud genus: cum hoc tamen futurum erat aliquod ſignum fœderis inter Deum & totum genus humanum. Et melius erat ſemini Abrahæ eſſe ſub illo fœdere communi, quàm remanere ſub ſigno fœderis ſpecialis, ideſt ſub circunciſione. Quantum ergo ad gentiles conuerſos, præceptum de circunciſione reuocatum erat in tertio cōcilio auctoritate Petri & Iacobi, immo & Spiritus ſancti: cū dixerit Iacobus, Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto. Quantū autē ad Iudæos, ſupponitur aliquādo reuocata, licet tēpus non fuerit ſimpliciter explicitum in ſcriptura.

De definitione baptiſmi, & eius propria forma. Caput. XI.

MAGISTER ſent. diſt. 3. 4. ſic deſcribit baptiſmum: Baptiſmus dicit intinctio, ſiue ablutio corporis exterius facta ſub forma verborū pſcripta. Vbi dicit beatus Bonauen. quòd ablutio auctoritate Eccleſiæ determinatur

terminatur ad ſtandum pro ablutione aquarum: ſimiliter & corpus ad ſtandum pro corpore humano: vt ſit ſenſus, quòd baptiſmus eſt ablutio corporis humani in aqua facta. Ablutio enim facta in elemento, eſt ſacramentum. Et ſubdit, quòd in baptiſmo concurrit lotio tribus modis nuncupata. Nam ille, qui mergit, dicitur lauare: & ex conſeqnẽti baptizare. Similiter & aqua dicitur lauare, & corpus lauari: & ſic lotio eſt hominis, & aquæ lauantis, & corporis loti. Quia ergo ad baptiſmum hæc trina lotio neceſſario concurrit, per illam potiſsimũ deſcribitur, quæ alias claudit & præſupponit: Et hæc eſt lotio corporis paſsiua, quæ immediate reſpicit baptiſmum, & præſupponit duplicem lotionem prædictam, factam ab homine & ab aqua: quæ lotio eſt ſignum effectus gratiæ, nec habet perfectam ſignificationem, niſi pront coniungitur lotioni aquæ & miniſtri. Illa enim eſt ſignum, quòd anima purificatur a Deo. Doctores tamen nonnulli, quibus arridet dñs Gabriel Biel in 3. diſt. 4. q. vnica, aſsignant talem quid nominis baptiſmi definitionem, dicentes: Quòd eſt lotio hominis viatoris non diſſentientis, facta in aqua elemẽtari, fluida, ab alio, ſimul formam debitam cum debita intentione proferente, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans ablutionem a peccatis. Deſcriptio cauſalis eſt, ſimul indicans quidditatem baptiſmi, ſubiectum, materiam, formam, ſuſcipientem, & finem. Dicitur ablutio in aqua, non autẽ aqua: cum baptiſmus non ſit aqua, quæ eſt res permanẽs: ſed lotio in aqua, quæ eſt operatio tranſiens. Dicitur hominis viatoris, per quod tãgitur ſubiectum recipiens baptiſmũ. Pro quo nota, quòd omnis homo, qui lauari ſeu tangi poteſt ſecũdum ſe totũ, vel aliquam ſui principalẽ partẽ, poteſt baptizari. Paruulus vero in ventre baptizari nõ poteſt: eo quia ſecundum beatum Paulum. 1. Cor. 15. Non prius quod ſpirituale, ſed quod animale. Dicitur nõ diſſentientis: quia in paruulis carẽtibus vſu rationis requiritur fides Eccleſiæ: in adultis fides propria vna cum pœnitẽtia interiori peccati mortalis a ſe commiſsi, non vt recipiant ſacramentum, ſed vt conſequantur gratiam, quæ eſt res ſacramenti. Dicitur in aqua elemẽtari: aqua enim ſimplex ſiue elementaris eſt materia ſacramẽti baptiſmi, iuxta illud Io. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. Vnde in concilio Triden. ſeſſ. 7. titulo de ſacramento baptiſmi c. 2. dicitur: Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſsitate baptiſmi, atque ideo verba illa domini noſtri Ieſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit. Per aquam igitur excluditur omnis humor, qui ſpecie differt ab elementari. Vnde in aquis artificialibus diſtillatis, quia ſpe-

cie

cie differunt ab aqua communi, vt ex eorum proprietatibus patet, nō poteſt fieri baptiſmus: nec in quocumque humore miſto, vt vino, ſanguine, flegmate, ſaliua, vrina, & ſimilibus, quæ ſpecie differunt ab aqua elementari: Si vero non mutatur ſpecies, poteſt in ea fieri baptiſmus. Dicitur fluida, quia in niue aut glacie, niſi prius reſoluantur, non poteſt quis baptizari. Aqua enim elementaris cōgruit ſignificationi effectus baptiſmi & vſui, vt tangit Scotus q. 3. diſt. 3. 4. eo quòd aqua eſt frigida, lucida, communis, & neceſſaria: quæ proprietates cōueniunt humori, in quo debet fieri baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendū rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandum claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis. Dicitur facta ab alio, cum nemo baptizari poſsit a ſe ipſo: cuius ratio eſt diuina inſtitutio, ſicut & omnium aliorum, quæ ſunt eſſentialia in quolibet ſacramento. Vnde Matth. vltimo habetur: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos: eos dicit, non vos ipſos. Oportet ergo eſſe diſtinctionem perſonalem inter baptizantem, & baptizatum: cum baptiſmus ſit regeneratio ſpiritualis, Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit &c. Nemo, vt inquit beatus Auguſt. pri. de Trinit. c. primo, vt ſit, generat ſe ipſum. Dicitur conſequenter, ſimul debitam formam cum intentione proferente: vbi tria tanguutur, videlicet forma debita, verba ſcilicet ad hoc a Deo inſtituta, intētio neceſſaria actualis vel virtualis, & ſimultas prolationis formæ cum lotione. Nam ea, quæ ſunt conſtituta pro reuerentia ſacramentorum, & non ſunt ſacramento ſubſtantialia, ſunt de neceſsitate miniſtri: ea enim omittendo peccaret: & tamen verum eſſet ſacramentum, quod miniſtraret. Si tamen ſint de neceſsitate ſacramenti, cum ſint etiam de neceſsitate miniſtri, ſi omittantur, non eſt ſacramentum. Eſt quoque aduertēdum, quòd forma baptiſmi exprimitur de baptiſmo, & eius effectu cap. 1. vbi dicitur: Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, Amen: & non dixerit, ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, non eſt puer baptizatus. Amen vero non eſt de complemento formæ: ideo nihil refert, ſi addatur, ſiue omittatur. Hæc oratio, videlicet: ego te baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, eſt forma baptiſmi neceſſaria quantū ad omnes ſuas partes, neceſsitate miniſtri, Eccleſiæ romane ſubiecti. Peccaret enim non obſeruando, cum teneatur illius legibus parere. Eccleſia enim prędicta ſtatuit hanc formam ſeruari, vt habetur vbi ſupra de baptiſmo, & eius effectu c. Si quis. Nec poteſt quiſpiam ſe de ignorātia excuſare, ſi ſibi incumbat ex officio baptizare: cum quilibet teneatur ea ſcire, quæ ſpectant ad ſuum officium.

um. Apud græcos autem forma præfata quãtum ad aliquos terminos minus principales, eſt mutata. Verba principalia ſunt, quibus inuocatur Trinitas, ſcilicet: In nomine patris &c. Minus principalia ſunt, quibus ſignificatur ſuſcipiens, actus, & miniſter, videlicet: ego te baptizo. Baptizant enim græci in hac forma: baptizetur ſeruus Chriſti in nomine patris &c. qua ideo vſi ſunt, ne gloriarẽtur de miniſtris baptizãtibus, cõtra illud 1. Cor. 1. Vnuſquiſque veſtrũ dicit, ego quidẽ ſum Pauli &c. Melius tamẽ potuiſſet nomine proprio exprimi ſuſcipiẽs, quàm per ſeruũ Chriſti. Et ratio eſt: quia non eſt ſeruus Chriſti, cũ baptizatur: ſed vt ſit ſeruus Chriſti ſpiritualis (eo modo quo Chriſtiani ſunt eius ſerui) baptizatur. Hæc tamen forma quandiu toleratur ab Eccleſia romana, & pro tẽpore quo fuit inſtituta, fuit rationabilis: quòd autẽ toleretur, patet ꝑ decretũ Eugenij 4. pro doctrina Armenorũ in fine concilij Florentini. Pro qua notãdum: quòd licet de ſubſtantia formæ ſit expreſsio actus & ſuſcipientis: non eſt tamen de ſubſtantia, quòd determinate exprimatur per verbũ indicatiuũ vel optatiuũ: ſimiliter quòd per pronomen primæ vel tertiæ perſonæ. Quia licet Saluator Matth. vltimo, & Mar. 16. exprimat actum & ſuſcipientẽ: non tamen exprimit ſub verbis innuentibus præceptũ. Quonſque igitur Eccleſia romana ſic permittit, non peccant græci: ſed ſecundum Durandum diſt. 3. 4. q. 1. vere baptizant, cum ſecũdum eum in forma ſua ſint omnia ſubſtantialia formæ: & reuertentes ex eis ad obedientiam Eccleſiæ romanæ non rebaptizantur. Statutũ autem Eccleſiæ licet poſsit ligare miniſtrum, non tamen euacuare ſacramentum. Si igitur miniſter intẽdit facere, quod Chriſtus inſtituit, & non ſit mutatio circa ſubſtantialia, licet ſic faciens credat Eccleſiam catholicam errare, & ſe bene ſentire, verum ſacramentum confert. Mutatio tamen verborum principalium formæ, quæ ſunt, In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, in alia verba eis ſynonyma, niſi Deus diſpenſet, tollit ſacramenti veritatem, & amouet eiuſdem efficaciam. Hoc patet per verba Chriſti Matth. vlt. ſupra allegata, videlicet: Baptizantes eos in nomine patris &c. Vnde de conſecratione diſt. 4. c. in ſynodo, dicit Zacarias Papa in ſynodo Anglorum: Decretũ firmiſsime præceptum, & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur: quòd quicũque ſine inuocatione Trinitatis merſus fuiſſet, ſacramentum regenerationis non haberet. Dicitur verborum principalium: quia in verbis, quæ exprimunt actum & ſuſcipientem, quorum expreſsio non eſt neceſſaria, admittitur aliqua variatio per terminos nõ ſynonymos, vt dictum eſt de græcis. Additur non ſynonyma: quia licet illorum verborum, videlicet, in nomine patris &c. ponere eorũ

ſynonyma

ſynonyma in alia lingua, cum in omni lingua latina, hebraica, græca, teutonica &c. poſsit tradi baptiſmus, dummodo verba infraſcriptis fuerint ſynonyma latinis, videlicet, In nomine patris &c. quamuis ſacerdos latinus ſub romana Eccleſia conſtitutus peccaret in alia lingua ſollemniter ex officio baptizando: ſicut etiam ſi conſecraret euchariſtiam in alia lingua: cum ordinauerit dicta Eccleſia romana, vt officia eccleſiaſtica dicantur, & miniſtrentur in latina & græca. Nec per verba ſynonyma intelligimus verba æquipollentia, quæ idem ſignificant, vt vult glo. in c. Multi, de conſecratione diſt. 4. ſed per ſynonyma intelligo verba idem, & eodem modo ſignificantia ex natura ſua, vel ex propria inſtitutione, aut ex communi vſu accommodato: & hoc modo pater & genitor quantuncunque idem ſignificent, differunt tamen in modo ſignificandi. Si autem eſſet tanta corruptio verborum, quòd ſenſus eorum nō perciperetur ab audientibus, & latinum intelligentibus, tunc nihil fieret, niſi Deus diſpenſaret. Hoc modo ex diſpenſatione diuina Apoſtoli ex familiari ſpiritus ſancti conſilio, in principio naſcentis Eccleſiæ baptizabant In nomine Chriſti Act. 2. & 10. In quo tamen implicite tota Trinitas deſignatur & inuocatur. Nā qui dicit Chriſtum, ideſt vnctum, dicit eum qui unxit, ſcilicet patrem, & eum quo vnctus eſt, Spiritum ſanctum, vt inquit Magiſter ex auctoritate beati Ambroſij. Et hoc fecerunt, vt nomē Chriſti Ieſu, in quo eſt ſalus, diuulgaretur, & amabile redderetur: quod tunc plurimis odioſum erat incredulis, & erubeſcibile infirmis. Dum enim videbāt ſuper baptizatos in nomine Chriſti deſcendere ſpiritū ſanctum in ſigno viſibili, excitabantur ad amorem & venerationem nominis eius, vt inquit dominus Alexander de Ales in 4. parte ſuæ ſummæ. Sed ratione illa ceſſante, & nomine Chriſti iam diuulgato, Eccleſia redijt ad priorem formam a Chriſto inſtitutā: Quia ceſſante ratione diſpenſationis, etiam ipſa diſpenſatio ceſſauit, vt dicit S. Thomas in 4. Ex quibus ſecundum nonnullos ſequitur, quòd ſi quis nunc baptizaretur in nomine Chriſti, non eſſet baptizatus, ſed veniret iterū baptizandus: cum deficeret forma, & diſpenſatio locum non haberet. Concordant Thomas, Bonauentura, Durandus, & Petrus de Aliaco. Scotus tamen videtur dubitare: nec audet dicere, quòd baptizatus hodie in nomine Chriſti eſſet baptizatus, nec quòd non eſſet baptizatus: ex quo non legit, vbi fuerit dicta diſpenſatio reuocata: & circa ipſum (ſecundum eundem) agendum foret, vt in dubiis, hoceſt rebaptizandus eſſet ſub conditione, vt habetur de baptiſmo & eius effectu c. De quibus. Ex quibus ſequitur, quòd ſi quis baptizaretur in nomine Trinitatis, aut in nomine genitoris & ge-

niti,

tij, & procedentis ab vtroque non eſſet baptizatus, ſecūdum ſententiam fere omnium doctorum. Pronomen (ego) non eſt ſubſtantiale in forma baptiſmi: cum vt dictum eſt Græci ſine eo baptizent. Si dicatur, quod beatus Ambroſius in libro de Trinitate ait: Si vnum in ſermone comprehendes vel patrem, vel filium, vel Spiritum ſanctum, fide autem nec patrem, nec filium, nec ſpiritum ſanctum abneget, plenum eſt ſacramentū fidei, ideſt baptiſmus: Reſpondet dominus Alexander cum ceteris, quòd ibi ſumitur ſignum pro ſignato: vnde cum dicitur plenum fidei ſacramentum, hoc eſt plena eſt fides, quæ per ſacramentū deſignatur. Dominus vero Gabriel Biel tertia diſt. 4. q. vnica, aliter reſpondet: quære eum ibi.

De miniſtro huius ſacramenti. Cap, XII.

DOMINVS Gregorius Nazianzenus dictus Theologus in ſanctum lauacrum oratiōe tertia de miniſtro ſacramenti baptiſmi elegantisſime inquit: Ne dicas, epiſcopus me baptizet, & hic metropolitanus vel Hieroſolymitanus; ſiquidem non locorum eſt gratia, ſed ſpiritus. Ne dicas, nobilis ille ſit: indignum etenim eſt, ſi baptizatori ignobilitas exprobretur. Ne dicas, ſenior ſit, ſed & cælebs, & ex continentibus illis, qui angelica viuunt conuerſatione: nam moleſtum eſſet ſi purgationis tempore ſordibus inquinarer. Verum ne tu quæras prædicatoris, ſeu baptizatoris dignitatem: alius enim rei huius eſt iudex, & abſconditorum cenſor: quandoquidem homo ſecundum faciem, Deus autem iuxta cor diiudicat. Tibi autem vnuſquiſque ad purgationem fide dignus cenſeatur: tantummodo ſit ex approbatis, & non manifeſte damnatis. Noli iudicare iudices tu, qui indiges medela: noli mihi dignitates eorum, q te purgant, curioſe expendere: neque ex maiorum proſapia iudica: etenim alius alio melior vel humilior: at te vnuſquiſque eſt ſublimior. Addit ſubinde ad hoc exemplum accōmodum, inquiens: Ceterum ita conſidera. Sint annuli duo, aureus hic, ferreus alius, vterque eadem regia imagine ſculptus: ceræ ambo imprimantur, quid inter ſignum hoc & illud intererit? nihil. diſcerne materiā in cera, etiā ſi ſapientisſimus exiſtas: dic quodnam ferri, quodue ſit auri ſignaculum. Sed quo pacto vnum eſt? quia inter materiam, non characterem, eſt diuerſitas. Ita & tibi ſit omnis baptizator: qui tametſi conditione excellat, æqualis tamen baptiſmatis vis eſt: ac vnuſquiſque tibi æqualis ſit expurgator, qui fide eadem eſt formatus. quin nec tu diues vna cum paupere baptizari dedigneris: nec tu genero-

ſe cum ignobili,nec tu domine cum eo, qui hucuſque ſeruus fuit. Beatus etiam Hieronymus aduerſus Luciferianos de ijs,qui ſua dignitate & auctoritate ſanctisſimum baptiſmatis ſacramentum adminiſtrant ait:Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde venit, vt ſine chriſmate,& epiſcopi iusſione neque presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi: quod frequenter(ſi tamen necesſitas cogit) ſcimus etiam licere laicis. Beatus autem Auguſtinus libro 2. contra epiſtolam Parmeniani cap. 13. inquit: Et ſi laicus aliqua pereuntis dederit necesſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio an pie quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente necesſitate ſi fiat, alieni muneris vſurpatio eſt. Si autem necesſitas vrgeat, aut nullum,aut veniale delictum eſt: Sed & ſi nulla necesſitate vſurpetur, & a quolibet cuilibet detur,quod datum fuerit,non poteſt dici non datū:quamuis recte dici posſit illicite datum: non enim per deuotum militē, quod a priuatis vſurpatum eſt, ſignum regale violabitur. Proprius enim miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos ſecundum Iſidorum in libro de officijs (& habetur de conſecr. diſt. 4. c. Conſtat)dicentem: Quòd ſolis ſacerdotibus eſt traditus baptiſmus: quod intelligitur,niſi necesſitas aliud poſtulauerit: quo tempore cuilibet baptizare licet. Vnde de Eunucho ſcribit Hilarius in pſal. 67. Quòd ſacramentum baptiſmatis adeo impatientis cupiditate deſiderij p̄uenerit, vt a diacono, Philippo videlicet, miniſteriū apoſtolici officij ſalutis ſuæ cupidus exigeret. Verum quia ſacramentum baptiſmi eſt necesſitatis, ideo ea adueniente in abſentia ſacerdotis diaconus, & eo abſente ſubdiaconus, & deinde acolytus, & conſequenter vſque ad clericum, & in abſentia eius laicus, & in abſentia viri mulier conferre poteſt. Vnde in c. Mulier de conſecr. diſt. 4. dicitur:Mulier quamuis docta & ſancta,viros docere vel baptizare non præſumat niſi cogente necesſitate. Neque vero ad integritatē baptiſmatis quicquam refert, qua vita ſit præditus, qui baptizat: nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus 1. Cor. 3. Vnde beatus Ambroſius in prologo librorum ſuorum de Spiritu ſancto inquit: Non mundauit Petrus, non Ambroſius, non Gregorius:noſtra enim ſeruitia, ſed tua ſunt ſacramenta: Neque enim humani operis eſt diuina conferre, tuum domine munus, & patris eſt, qui loquitur per prophetam Iohelem dicens: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem Iohelis 2. Et ad Anaſtaſium Auguſtum ſcribens Anaſtaſius Papa diſt. 19. c. Secundum

cundum Eccleſiæ, inquit, baptiſma, quod procul ſit ab Eccleſia, ſiue ab adultero, ſiue a fure fuerit datum, ad percipientem munus puenit illibatum: quoniam vox illa, quæ per columbam ſonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua dicitur: Hic eſt, q baptizat in Spiritu ſancto Ioannis primo. Porro Chriſti baptiſmus cuiuſcumque tandem miniſterio ſemel datus, iterari fas non fuit; adeo vt etiam ſi ab hæretico datus eſſet, modo intẽdat facere, quod Eccleſia facere intendit, eum repeti non liceret. Quodq; maius eſt, etiam ſi non baptizatus baptizaſſet, modo formam debitã obſeruaſſet, valere baptiſmum, nec eum iterandum eſſe viſum eſt: vt expreſſe habetur in decreto Eugenij 4. facto ſacro approbante cõcilio pro doctrina Armenorum in fine concilij Florentini: & in cõcilio Triden. ſeſs. 7. canone 9. de ſacramentis in genere. Et licet beatus Auguſtinus libro 2. contra epiſtolam Parmen. c. 13. ſuper hoc dubitare videatur, in libro tamen 7. contra Donatiſtas cap. 53. propenſior eſt in eam partem, quòd efficax & ſalutaris huiuſmodi ſit baptiſmus. Aduertit enim ſententiam Dei, qui eum miſerat baptizare, locum habere, Hic eſt qui baptizat, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem. Verum illud interea ſcire oportet, baptiſmũ eſſe quidẽ extra Eccleſiã poſſe, ꝓdeſſe nõ poſſe. Eccleſia.n. Paradiſo cõparata, ſicut ab Auguſt. lib. 4. de vnico baptiſmo c. 1. ſcriptũ eſt, indicat nobis, poſſe quidem eius baptiſmum homines etiam foris accipere: ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradiſi foras largiter manauerunt Gen. 2. nec tamen in Meſopotamia, vel in Aegypto, quo illa flumina peruenerunt, felicitas vitæ eſt, quæ in Paradiſo commemoratur. Ita fit, vt cum Paradiſi aqua ſit extra Paradiſum, beatitudo tamen non ſit niſi intra eandem. Quamobrem etſi redeuntes ad Eccleſiam hæretici rebaptizandi non ſint, veruntamen nõ niſi poſt abiuratam hæreſim per manuum impoſitionem ſunt ſuſcipiendi: vt quòd acceperant ad perniciem, habere iam incipiant ad ſalutem: ſicut copioſe de eo contra Donatiſtas ſcribens, multis in locis differit Auguſtinus. Et licet non ſit de neceſsitate ſacramenti baptiſmatis, quòd baptizãdus leuetur ab aliquo, ꝑcipue in neceſsitate, extra tamẽ neceſsitatis caſum peccaret ſacerdos baptizãs ſine leuãte ꝓpter ritũ a ſãctis Apoſtolis inſtitutũ, ꝓut beatus Diony. c. vltimo ſuæ eccleſiaſt. Hierar. dicit: Quia cum baptiſmus ſit quædã regeneratio, ſicut in generatione carnali paruulus eget nutrice & pædagogo: ſic in ſpirituali propter ſpetialẽ imbecillitatem, quæ reperitur etiam in adultis: de quibus primæ Petri 2. Sicut modo geniti infantes, lac concupiſcite. Vnde ſicut nouitij in religione egẽt

O ij ſpeciali

ſpeciali inſtructore circa ea, quæ ſunt religionis, ſic nouiter baptizati. Tenentur autem leuantes ad inſtructionem: vnde beatus Auguſtinus in quodam ſermone paſchatis dicit: Vos autē tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, vt cognoſcatis vos fideiuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere. Nota tamen, quòd licet nō baptizatus & infidelis posſint baptizare, non poſſunt tamen leuare, vt declaratum eſt in concilio Maguntino.

De quibuſdam ritibus adhibendis circa ſacramentum baptiſmi, non ſimpliciter neceſſarijs, licet peccaret quiſpiam, ſi ſine necesſitate, & ex contemptu illos prætermitteret. Caput. XIII.

ADHIBENTVR autem ritus in ſacramēto baptiſmi maioris cuiuſdā ſollemnitatis & decoris gratia, tribus præcipue ex cauſis. Primo vt tanto maiore pietate, ac reuerentia ad hoc accedatur ſacramentum: ne communis quædam ablutio eſſe putetur, ſi citra ſollemnitatem vllam fiant, & ſic ſacramentum hoc cōtemni incipiat. Secundo vt per benedictiones, obſecrationes,& alia ſimilia vis dæmonis arceatur: qui nihil intentatum relinquit, vt impediat, ne fructus huius ſacramenti percipiatur. Tertio, quo per hæc exteriora, qui ex fidelibus indigent lacte,& non ſolido cibo, diligētius inſtruantur: eorum enim vſus eſt vetuſtisſimus, cum ab ipſis Apoſtolis per lōgam epiſcoporum, & ſacerdotum ſuccesſionē ad nos peruenerint. Ceterū cū ritus & cæremoniæ pfatę nō vacēt myſterio, ideo breuiter ꝑ rudiū inſtructione, quicquid nōnullæ earū ſignificēt, explicabimus. Principio nō ſtatim baptizādus tēplū ingredit, neque ſe dignū iudicat, vt domū illā ingrediat̃, quam decet ſanctitudo: cū adhuc diaboli poteſtati ſit ſubiectus. In hūc ante fores templi conſtitutum inſufflat ſacerdos: neque id ſine Chriſti exemplo, qui & ipſe in diſcipulos inſufflaſſe legitur, ſpiritum ſanctum eis daturus: exſufflantur enim & exorcizantur paruuli, vt dicit Auguſtinus de ſymbolo ad Catechumenos libro primo c. pri. vt pellatur ab eis diabolica poteſtas, quæ decepit humanū genus, vt illud posſideret. In libro autem de gratia & peccato originali c. 60. aſſerit eam eſſe priſcam traditionem, & recte, præcipue cum beatus Dionyſius c. pri. eccleſiaſticæ Hierarchiæ exſufflationis præfatæ & exorciſmi meminerit. Inſufflatione facta ſacerdos exorcizat: cuius rei meminit Chryſoſtomus in homil. de Adam & Eua. Exorcizare

vero

vero nil aliud eſt, quàm per diuina verba ſpiritum immundum adiurando expellere: quod Apoſtolorum temporibus factũ legimus. Cum exorcizatur quis, ſignat eum ſacerdos ſigno crucis in fronte primum, vbi ſedes eſt verecundiæ: deinde in pectore, vt intelligat diabolus expelli ſe eius virtute, qui in cruce pependit: vnde ſuam virtutem crux contra eum accepit, ne impedimento ſit, quo minus, qui baptizatur, corde credat ad iuſtitiam, & ore confiteatur ad ſalutem ad Rom. 10. Quantum autẽ exorciſmo, qui adhibetur ante baptiſmum ſecundum Auguſtinum ſerm. 10. de verbis Apoſtoli, & catechiſmo, tribuatur, ex Chryſoſtomo homil. 40. in epiſt. ad Corinthios poſſumus videre: vbi quæ præcedunt baptiſmũ, vocat arcana verba, & metuenda, ac horribiles canones de cælo tranſmiſſos. Poſt exorciſmum leguntur ſuper baptizandum orationes, vt fiat catechumenus, ideſt vt edoceri poſsit myſterium ſacræ fidei: quæ cum Dei donum ſit, ab eo petenda eſt, qui adiuuat incredulitatem noſtram. Recte etiam exorciſmus præcedit catechiſmũ: cum prius eripi vaſa neceſſe ſit de manu iniuſti poſſeſſoris, quàm transferri in poſſeſsionem illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem. Quòd vero ſal poſtmodum in os infantis imponit baptizans, & quòd aures & nares ſputo poſtea linit: aurium linitio ſignificat receptionem ſanæ doctrinæ, narium approbationem, ſal in ore cõfeſsionem. Idem enim feciſſe Chriſtum Io. 9. legimus: liniuiſſe enim lutum ſuper oculos cæci, & iuſsiſſe abire, vt ablueret: Miſiſſe etiam digitos in aures ſurdi, dixiſſeq; effeta, quod eſt adaperire: expuentemq; tetigiſſe linguam muti Marci 7. Dum autem catechizatur baptizandus, legitur euangeliũ, admonẽturq; patrini, vt manus imponant ſuper caput infantis baptizandi, ac eius nomine profiteantur ſymbolum & orationem dominicam. Quos etiam Auguſtinus ſermone 163. de tempore admonet his verbis: Admoneo fratres chariſsimi, quicumque viri, quæcumque mulieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter exceperunt, agnoſcant ſe pro ipſis fideiuſſores apud Deum extitiſſe, vt dictũ eſt in præcedenti capite. Quòd autem benedictiones cum impoſitione manuum inter catechizandum fiant, ratio eſt: vt qui ſemel per exorciſmum pulſus eſt iã diabolus, ei reditus præcludatur. Introducitur poſtea baptizandus in eccleſiam, vt a ſacerdote interrogatus reſpondeat per ſuſceptores ſuos, ſi eſt paruulus: vel per ſeipſum, ſi ſit adultus: abrenuntiare ſe ſatanæ, & omnibus operibus & pompis eius, ac Chriſto ſe coniungi velle. De hac abrenuntiatione loquitur beatus Diony. de eccleſi. Hierar. In cuius etiam rei ſignũ ad ſingulos articulos fidei, de quibus interrogatur per ſacerdotẽ, credere ſe reſpondet. De qua ab-

renuntiatione Auguſtinus de nuptijs & concupiſcen. lib. 2. c. 29. diffuſe diſſerit. Beatus quoque Chryſoſtomus homilia vigeſima prima ad populum Antiochenum: nihil hac voce, abrenuntio tibi ſatana, tutius eſſe ſcribit, ſi ipſam per opera exhibemus. Hortatur itaque non modo cum in forum prodimus, verum etiam cum fuerimus egreſsi ianuę veſtibulum, vt iis prius verbis vtamur, Abrenuntio tibi ſatana, & coniungor tibi Chriſte. Hęc vox ſit nobis baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Poſt hęc vngit eos ſacerdos oleo more athletarum, qui paleſtram iam ingreſſuri ſunt, vt futuri iam Chriſti athletæ deſignētur, quibus colluctatio futura eſt contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. De qua beatus Auguſtinus tractatu 33. in Ioannem dicit: Chriſti nomen a chriſmate dictum eſt: chriſma autem græce, latine vnctio nominatur: ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit: Et Cyprianus lib. pri. epiſtolarum epiſt. 12. Vngi quoque neceſſe eſt eum, qui ſit baptizatus, vt accepto chriſmate & vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſsit. Vngitur etiam & in pectore, vt intrepidus diabolo reſiſtat, charitate erga Deum inflāmatus, cui nihil eſt difficile: & inter ſcapulas, vt ad ſuaue Chriſti iugum ferendum fiat robuſtior. Quibus peractis baptizatur, ac ter immergitur. quæ trina immerſio, vt inquit Damaſcenus lib. 4. c. 10. tres dies dominicæ ſepulturæ repræſentat, vel trinitatē perſonarum. In concilio tamen quodam Toletano in deteſtationem erroris cuiusdam ita conſtitutum eſt, vt vna tantum fieret immerſio: quin & ipſa immerſio prætermitti recte poteſt, ac ſola aſperſio vel perfuſio, qua multi nunc vtuntur, ſufficit: vt apud B. Cyprianum lib. 4. epiſt. 7. legimus. Baptizatum puerum miniſter ſignat cruce, cum chriſmate in vertice capitis ſuper cerebrum, vt admoneat, quòd vetus homo crucifixus in illo eſt, atque cum Chriſto cōſurrexit, vt in nouitate vitæ ambulet, quandoquidem ex terreno cæleſtis, ex Adæ filio Dei filius factus eſt. Poſtea dat illi veſtem candidam, vt ſit indicium, prout dicit beatus Ambroſius libro de iis, qui initiantur myſteriis, quòd exuerit inuolucrum peccatorum, & induerit innocentiæ caſta velamina: Nam in primitiua Eccleſia fuit mos, vt non baptizarentur niſi in vigilia paſchæ, & pentecoſtes. Qui itaque baptizabantur in vigilia paſche, incedebant ueſte candida induti per octo dies, & vocabantur albati: atque octauo demum die veſtem albam deponebant. Vnde tractum nomē eſt dominicæ in albis. Quare autem patrini adhibeantur, dictum eſt ſupra. Et hoc eſt, vt dicit Dionyſ. de eccle. Hierar. lib. 7. ex apoſtolica traditione. Contrahi autem cognationem ex baptiſmo antiquum eſt: de qua Origenes explicans

illum

illũ Pauli locum, Lucius & Iaſon & Soſipater cognati mei ad Rom. 16. Hanc, inquit, cognationem vel conſanguinitatem arbitror eſſe ex baptiſmo contractam. Datur poſtremo baptizato cereus ardẽs, vt meminerit, quòd ſponſauit eum ſibi Chriſtus in fide: & vt cum venerit ſponſus ad nuptias, ſe præparet ad occurrendum ei cum lampade non extincta, ſed ardente: hoceſt, cum fide non mortua, ſed igne charitatis accenſa, quæ ocioſa eſſe non poteſt. Præfata fere omnia de ritibus & cęremonijs circa ſanctum baptiſmum habentur in cõfeſsione Chriſtiana catholicę fidei Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. domini Hoſij Cardinalis Vuarmienſis in tractatu de ſacramentis c. 37. quæ nõ ſunt temere prætermittẽda: quippe quòd & ipſis Apoſtolorum tẽporibus obſeruata, ac deinceps longo ſęculorum tractu numquã intermiſſa, & ad hæc vſque noſtra tempora deueniſſe, vt ex vetuſtiſsimis quibuſque ſcriptoribus abunde liquere poteſt.

Effectus ſancti lauacri, ſiue baptiſmi, ſunt multiplices. C. XIIII.

DOMINVS Gregorius Naziãzenus Theologus oratione 3. in ſanctum lauacrum nominat dictum ſanctum Balneum diuerſis nominibus, videlicet, Donũ: quia cum nihil contulerimus, nobis datum ſit. Beneficium, tanquam debentibus: Baptiſma, tanquam peccata in vnda pariter ſepeliantur: Vnctionem, tanquam ſacra ſit, & regia, ſiquidem hæc erant vncta: Illuminationem, tanquam ſplẽdorem: Indumentum, veluti turpitudinis tegumentum: Lauacrum vero, tanquam ablutionem: At ſigillum, tanquam conſeruationẽ, & dominationis deſignationem. Lux igitur eſt peculiaris baptiſmatis illuminatio, de qua nunc nobis ſermo eſt, magnum & admirandum noſtræ ſalutis continens myſterium. Poſtquam enim nil peccare Dei naturæ eſt proprium, (ſimplicitas enim pacifica exiſtit, & ſeditione caret) at peccare humanum eſt, indignum eſt arbitratus dominus facturam ſuam ſine auxilio derelinquere. Verum quemadmodum cum non eſſet, illam creauit, ita & creatam reformauit. Vnde ipſa baptiſmatis gratia, ac vis non mundi diluuium, vt olim, ſed vnius cuiuſque peccati continet purgationem, & omnimodam fœditatum, & inquinationũ, quæ a prauitate ingreſſæ ſunt, reiectionem. Proinde cum compoſiti ſimus ex anima, quæ naturæ eſt inuiſibilis & ex corpore viſibili, duplex erit purgatio, per aquam inquã, & ſpiritum. Hæc quidem ſcilicet aqua viſibiliter & corporaliter ſuſcipitur: illa vero incorporaliter & inuiſibiliter cõcomitatur: Vna eſt figuralis, altera vera, quæ & profunda, expurgat, prioris genera-

tionis adiutoriũ exiſtens, nonos pro veteribus, ac Deo ſimiles pro eo quòd nunc ſumus, efficit: abſque igne conflans, & ſine conflatione irradians. Et vt breuiter cõprehendamus multa, baptiſmatis vis cum Deo vitæ ſecundæ, ac purioris conuerſationis eſt pactum cenſendum. Quapropter admodum timendum, ne pactum hoc fallere videamur. Si enim pacta humana non abſque Dei indignatione franguntur, quanto periculo obnoxij erimus, ſi ea pacta, quæ cũ Deo ipſo pacti ſumus, tranſgredi inueniamur? Regeneratio autem baptiſmatis communis eſt, & facilis, ac honore æqualis omnibus, ſeruis, dominis, pauperibus, opulentis, humilibus, excelſis, nobilioribus, ignobilioribus, debentibus, nil debentibus, quemadmodum aeris ſpiritus, & luminis effuſio, annui temporis immutatio, ac creaturæ aſpectus ob magnas & communes omnibus nobis delitias. Si igitur tentator te inſatiabiliter oppugnare conatur, vt te a baptiſmali gratia faciat excidere, omnia oſtendens regna, tanquam illa vno tempore, momentoq́;, & ictu oculi præſtare poſsit, adorationem expetens: tanquam mendicum cõtemne, ac ſignaculo cõfiſus reſpõde: & ego ad Dei ſum imaginem, nondum propter elationem, veluti tu, a ſuperna excidi gloria: Chriſtum indui, Chriſtum baptiſmate acquiſiui, tu me adora: diſcedet, recte noui, his deuictus, & veluti a Chriſto lumine primo, ita & ab iis, qui ab eo illuminati ſunt, confuſus. Talia lauacrum iis, qui illud ſentiunt, confert: hæc illæ. Baptizemur igitur: vt vincamus, & participes fiamus aquarum purgatiuarum: & tunc ſi corpore Aethiopi ſimiles erimus, anima tamen vt nix dealbabitur. Debite igitur ſacramentũ baptiſmatis ſuſceptum plures parit effectus. Primus remiſsio eſt peccatorũ, non futurorum, aut poſt baptiſmum cõmiſſorum, vt hæretici aſtruunt, dicentes: quòd per memoriam baptiſmi delētur peccata poſt baptiſmum commiſſa, quorum hæreſis damnata fuit in cõcilio Tridentino ſeſſ. 7. tit. de baptiſmo can. 10. vbi dicitur: Si quis dixerit peccata omnia, quę poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit. Fit igitur remiſsio peccatorum nõ modo originalium verũ & actualium omnium: cùm gratia Chriſti magis abundauerit, quàm delictum Adæ. Vnde beatus Paulus ad Rom. 5. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Ideo diuus Auguſtinus in lib. de baptiſmo paruulorum inquit: Quòd generatione carnis tãtum trahitur peccatum originale, regenerante autem ſpiritu, nõ ſolum originalium, ſed & actualium omnium fit remiſsio peccatorũ. In adultis tamen prærequiratur pœnitẽtia interior, vt dictum eſt in primo tractatu articulo de

remiſsione

remiſsione peccatorum: quia per baptiſmum veteri vitæ peccati moritur homo,vt nouam vitam inchoet:Hæc autem pœnitentia eſt odium & deteſtatio vitæ prioris, ſiue actus pœnitētiæ virtutis, quæ non ſufficeret ad remiſsionem culpæ, niſi adeſſet fides paſsionis Chriſti, & propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, per quem regulariter recipitur gratia :non ita tamen, quin poſsit iterum amitti. Vnde in concilio Tridentino ſeſſ. 7. tit. de ſacramento bapt. can. 6. decretum fuit: Si quis dixerit baptizatum non poſſe, etiam ſi velit, gratiam amittere, quantuncunque peccet, niſi nolit credere, anathema ſit. Secundus effectus eſt deletio omnis reatus, ſiue liberatio a pœnis pro peccatis debitis, eo quòd per baptiſmū ſumus plene incorporati paſsioni Chriſti: & ex conſequenti baptizato communicatur paſsio Chriſti ad remediū, ac ſi ipſe paſſus eſſet: Vnde ad Rom. 8. Nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, & non ſecundum carnem ambulant. Damnatio enim ſolum duo cōprehendit, videlicet culpam, & pœnam :modo baptizati vere ſunt in Chriſto Ieſu, cui in baptiſmo perfecte conſepeliuntur. Hæc deletio pœnę locum habet apud Deum, cum remaneat obligatus apud homines, quos iuſtum eſt ædificari de pœna, ſicut fuerunt ſcandalizati de culpa. Nec habet locum de pœnalitatibus huius vitæ, quæ ſunt debitæ naturæ: Vnde ſuper illud ad Rom. 6. Deſtruatur corpus peccati, dicit glo. per baptiſmum id agitur,vt vetus homo crucifigatur: non tamen ita, vt in ipſo carnis concupiſcentia reſperſa, & innata abſumatur, & non ſit fomes, æſtus, & mors. Tertius effectus eſt character, qui eſt indelebilis: de quo diffuſe in ſacramento confirmationis dicetur. Fictio etiam impedit principalem effectū ſacramenti, videlicet gratiam: Vnde ſapien. 1. dicitur: Spiritus ſāctus effugiet fictum: Fictus autem dicitur aliquis per hoc,quòd voluntas eius contradicit baptiſmo, vel eius effectui.Vnde cum Deus ſecundum Damaſcenum non cogat aliquē ad iuſtitiā, ad hoc quòd aliquis iuſtificetur per baptiſmum requiritur, quòd homo voluntate amplectatur baptiſmū, & eius effectum. Quartus effectus baptiſmi eſt gratia ſacramentalis, de qua beatus Auguſt. in lib. de baptiſmo paruulorum inquit: Quòd ad hoc baptiſmus valet, vt baptizati Chriſto incorporentur,& membra eius fiant,ac a capite noſtro Chriſto in omnia membra eius gratia & virtutis plenitudo deriuetur ſecundum illud Ioannis 1. De plenitudine eius omnes nos accepimus. Vltimus effectus baptiſmi eſt apertio regni cæleſtis, vt inquit venerabilis Beda ſuper illud Lucæ 3. Apertum eſt cælū. Virtus hic baptiſmatis oſtenditur, de qua quiſque cum egreditur, ei regni cæleſtis ianua aperitur.Ante paſsionem baptiſmus non habe-

bat hunc effectum in re, ſed ſolum in ſpe: ideo poſt aſcenſionem Chriſti, quando anima ſeparatur a corpore, ſi poſt baptiſmum non poſuit impedimentum, ſtatim aditum habet ad regnum cælorum. Negandum tamen eſt ſimpliciter, quòd baptiſmus liberet ab omnibus Chriſti præceptis, & ſolum obliget ad fidem, vt hæretici fingunt: vnde in concilio Tridentino vbi ſupra can. 7. decretum fuit: Si quis dixerit baptizatos per baptiſmũ ipſum ſolius fidei fieri debitores, non autem vniuerſæ Chriſti legis ſeruandæ, anathema ſit: & can. 8. dicitur, Si quis dixerit baptizatos eſſe liberos ab omnibus Eccleſiæ ſanctæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita vt obſeruare ea minime teneantur, niſi ſua ſponte illis ſe ſubmittere voluerint, anathema ſit. Non mediocria ſunt igitur baptiſmi bona: per illũ enim reconciliamur Deo: recõciliatis pœna omnis & culpa remittitur: deinde regeneramur & renouamur infuſa nobis fide, ſpe, & charitate, quæ dicitur iuſtitia chriſtiana: neque iã deinceps filij Adæ, ſed Dei nominamur, & ſumus: ſi filij, & hæredes: hæredes autem vitæ æternæ, quam nos aſſecuturos certo perſuaſum habemus, ſi vel baptizati ſtatim ex hac vita exceſſerimus: vel poſt baptiſmum ambulauerimus digne Deo, ſibi per omnia placentes: & ambulauerimus in omni opere bono, ſcientes quòd labor noſter non erit inanis: cum bonorum laborum glorioſus ſit fructus ſapient. 3.

Quòd Baptiſmus iterari non debeat, & quomodo eſt triplex, qui non modo adultis, verum & paruulis eſt neceſſarius. Caput. X V.

BAPTISMVS nullo modo iterari debet: noceret. n. ſi ſcienter iteraretur. Vnde beatus Paulus ad Epheſ. 4. inquit: Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma: Et ad Hebræos *6*. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, ſcilicet per baptiſmũ, vt dicit Chryſo. & Damaſc. in 4. Et dominus Auguſtinus contra Petilianum. Et ratio eſt: quia baptiſmus repræſentat mortẽ, & ſepulturam Chriſti: Vnde ad Rom. *6*. conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem: Chriſtus vero ſemel mortuus eſt, & ſepultus. Qui ergo rebaptizat, ſignat Chriſtum bis mortuum: quod eſt contra Apoſtolum, vbi ſupra dicentem: Chriſtus mortuus eſt ſemel, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Et de talibus ſubdit: Rurſus crucifigentes filium Dei in ſemetipſis ad Hebr. *6*. Si quis etiam more Arrianorum vitiaret ſacramentum, & diceret:

ceret: Ego te baptizo in nomine patris maioris, & in nomine filij minoris, talis non eſſet baptizatus, ſed baptizandus: cum primus non fuerit verus baptiſmus. Ex verbis etiam B. Auguſtini lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 23. colligimus triplicem eſſe baptiſmum, videlicet fluminis, flaminis, & ſanguinis: vltimum quorum Origenes homil. 7. in librum iudicum, docet eſſe eminentiorẽ eo, qui per aquam traditur. Ac paruulos quidem perſuaſum habemus, niſi aut aqua, aut (quod de Innocentibus illis Herodis iuſſu trucidatis factum legimus) ſanguine ſuo fuerint baptizati, minime eſſe ſalutem aſſecuturos. Vnde Aug. libro 3. de origine animæ c. 9. inquit: Noli credere, noli dicere, & noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præuentos peruenire poſſe ad originaliũ indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus. Si quis etiam ex adultis nec inopinata morte præuentus, cuperet maxime baptizari, ſacerdotis tamen baptizantis poteſtatẽ habere non poſſet, fit illud, quod ab Auguſtino in pſal. 103. concione pri. ſcriptum eſt: Coronat Deus intus voluntatem, cum non inuenit facultatem: affectum enim Deus penſat, non effectum. Quod etiam exemplo Valẽtiniani cõprobatur, qui quamuis ex aqua & ſpiritu renatus non eſſet: q̃a tamen popoſcit, eo ipſo quod popoſcit, quam deſiderauit gratiã, eũ accepiſſe, ſcribit beatus Ambroſius in oratione funebri de obitu Valentiniani. Fuit Bernardi temporibus, qui diceret abſque actuali baptiſmo ſaluari poſſe neminem: cuius errorem ad Hugonem de Sancto victore ſcribens epiſtola 77. grauiter confutauit. Eſt itaque baptiſmus omnibus ad ſalutem neceſſarius, quem niſi re paruuli receperint, ab ingreſſu regni cælorum arcentur: In adultis (modo contẽptus abſit) ſi baptizantis poteſtas non datur, voluntas prompta ſufficit. Beatus quoque Auguſtinus in libro de baptiſmo paruulorum, inquit: Baptiſmi vicem aliquando implere paſsionem, vt de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo Luc. 23. qui licet nõ fuerit occiſus pro Chriſti nomine, fuit tamen ei mors accelerata propter defenſionem Chriſti: ideo martyr poteſt appellari. Paſsio enim Chriſti operatur in baptiſmo aquæ per quandam figuralem repręſentationem: in baptiſmo vero pœnitentiæ per cordis commotionem: Et in baptiſmo ſanguinis per potiſsimum dilectionis & affectionis feruorem, ſecũdum illud Ioannis 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuã ponat quis pro amicis ſuis. Ceterum paruuli, ſicut ſecundum ſcripturam & fidem contrahunt originale, ita & baptizari debent. De quibus beatus Auguſtinus de fide ad Petrum, inquit: Firmiſsime tene paruulos, qui ſine ſacramento baptiſmi de hoc ſęculo tranſeunt,

unt, æterno ſupplicio puniendos : quia originale peccatum in carnali conceptione contraxerunt: quæ ſententia extenditur etiam ad eos, vt ibidem dicit, qui moriuntur in ventre materno, non obſtãte quòd concipiantur ex Chriſtianis parentibus. Et licet dicti infãtes baptizati non credant actu, credunt tamen habitu. Vnde dñs Gregorius Nazianzenus vbi ſupra in oratione tertia in ſanctum Lauacrum mouet dubium, dicens: Dicet quiſpiam, quid de infantibus, qui neque quid gratia, quidue pœna ſit cognouerunt? Num & illos baptizemus? Reſpondet, maxime quidem, ſi periculũ aliquod imminet: Melius eſt enim nondum rationis compotes ſanctificari, quàm non ſignatos & initiatos vita excedere: idq; nobis deſignat poſt octauum diem circuncisio illa, quæ figurale fuit ſignaculum. Beatus etiam Hieronymus libro 3. aduerſus Pelagianos dicit. Infantulos baptizari debere, vt eis peccata in baptiſmate dimittãtur. Regnauit enim (vt inquit Apoſtolus ad Rom. 5.) mors ab Adã vſque ad Moyſem etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinẽ præuaricationis Adã, qui eſt forma futuri. Sanctus ẽt Cyprianus epiſtola ad Fidum presbyterum, qui cenſebat infantes infra ſecundum vel tertium diem, quo nati ſunt, non debere baptizari, ſed expectãdum octauũ diem, vti in circunciſione, aperte indicat, paruulos recenter in lucem hominum emiſſos ob noxam originalem omni hora poſſe baptizari: Nulliq; hominũ nato miſericordiã Dei & gratiã denegandã. Nã Lucæ 9. dicit, quòd filius hominis nõ venit animã hominũ perdere, ſed ſaluare. Quantũ. n. in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Chryſoſtomus quoque chriſtiane ſentiens de baptiſmo infantium, ait homil. 24. ad Neophitos: Hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, vt non ſint coinquinati peccato, & eis addatur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hęreditas, Chriſti fraternitas, vt eius membra ſint omnes, & vt ſpiritus habitatio fiant. Diuus etiam Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum ita inquit: Ad templum Dei pertinent paruuli ſantificati ſacramento Chriſti, regenerati Spiritu ſancto: qui certe regenerati per ætatem nondum poſſunt cognoſcere Deũ: Et epiſtola 89. ad Hilarium cõtra Pelagianos & Manichæos quęſtione 3. de peccato originis, ita inquit: Quòd autem dicunt infantem morte præuentũ, nõ baptizatum perire non poſſe, quoniam ſine peccato naſcitur, non hoc dicit Apoſtolus: & arbitror eſſe melius, vt beato Paulo potius, quàm iſtis credamus: dicit enim ad Rom. 5. Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt: & lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 23. ait, Traditionem eſſe vniuerſalis Eccleſiæ,

quòd

quòd cũ paruuli infantes baptizantur (qui certe nondum poſſunt corde credere ad iuſtitiã, & ore cõfiteri ad ſalutẽ, quod latro potuit: quin etiam flendo & vagiendo cũ in eis myſteriũ celebratur, ipſi mœſtis vocibus obſtrepunt)nullus Chriſtianorũ credere debet eos inaniter baptizari.Damaſcenus etiã huic arridet ſentẽtiæ lib.4. c.10. dicens: Peccatorum igitur remiſſio omnibus æque per baptiſmum donata eſt:gratia vero Spiritus ſancti ſecundũ proportionem fidei & puritatis.

Infantes iudæorum, an inuitis parentibus debeant baptizari, ſimiliter & expoſiti: & an peccet, qui ſcienter recipit baptiſmum a malo miniſtro Cap. X V I.

SANCTVS Thomas in 3. parte ſuæ ſummæ q.68.ar. 10. reſpondet ad primam partem dubij: Quòd aut baptizandi habent vſum rationis, aut non: ſi ſic, quantum ad illa, quæ ſunt iuris diuini vel naturalis, incipiunt ſuæ eſſe poteſtatis: & ſic propria voluntate inuitis parentibus baptiſmum ſuſcipere poſſunt, ſicut & matrimonium cõtrahere:& ſic tales licite moneri poſſũt,& induci ad ſuſcipiendum baptiſmum. Si vero nondum habeant vſum liberi arbitrij, ſecundum ius naturale ſub cura parentum exiſtunt,quandiu ipſi ſibi prouidere nõ poſſunt. Vnde pueri antiquorum ſaluabantur in fide parentum:Ideo ſecundum eundem contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi tales inuitis parentibus baptizarentur: ſicut ſi aliquis habens vſum rationis baptizaretur inuitus, eſſet periculoſum eum baptizare: quia de facili ad infidelitatem redire poſſet propter naturalem affectum ad parentes. Diuus vero Bonauentura in 4. diſt.4.ar.2.q.1.& ante eum Dominus Alex. de Ales in 4.par.q. 18.mem.1. ponit duplicem coactionem, alteram ſufficientem, & alteram inducentem: In prima non recipitur ſacramentum, ſi violẽter & eo renitente baptizetur. Si vero immergatur coactione inducente, vtpote minis & flagellis, ita quòd magis vult ſe baptiſmo ſubijcere Eccleſiæ,quàm morte perire:ita tamen quòd velit id, quod facit Eccleſia, circa ſe fieri, magis quàm perire: tunc ſiue credat ſiue non, ſiue velit habere gratiam ſiue non,ſecundum eoſdem recipit ſacramentum: Eo quòd quamuis non ſit ibi meritoria voluntas, eſt tamen ibi conſenſus & voluntas: nec eſt ſimpliciter inuoluntarium, cum talis recipiat ſacramentum exterius, vnde ſecũdum canones iudicãdus eſt baptizatus: Et hoc definitum eſt in decretali Innocentij. In concilio tamen Toletano,vt habetur diſt.45.

Sicut

Sicut nō ſunt Iudæi ad fidē cogendi, ita nec conuerſi ab ea recedere permittantur. Ricard. de media villa in 4. diſt. 4. ar. 3. q. 3. idē in ſubſtantia dicit, quod S. Thomas. Scotus vero eadem diſt. q. 9. ait: Quòd licet ratio diui Thomæ & Ricardi cōcludat de quacūque perſona priuata, quòd nō poſsit paruulos a talibus auferre, aut iuſte baptizare: nō videtur tamē cōcludere de principe, cui in regimine reipublicæ tales ſunt ſubditi. Nam in paruulo Deus maius habet ius dominij, quàm parentes. Vniuerſaliter enim in poteſtatibus ordinatis, poteſtas inferior non obligat in his, quæ ſunt contra ſuperiorem, ſicut docet beatus Auguſtinus de verbis domini homil. 6. & ponitur c. vlt. 2. lib. Si illud iubet poteſtas, quod non debes facere, hanc ſane contemne poteſtatem, timendo maiorem: quod declarat exemplo de curatore & proconſule, de proconſule & imperatore, de imperatore & Deo. Si quis igitur habet regere rempublicam, magis debet quantū in ſe eſt, cogere vnumquēque parere domino ſuperiori, quàm inferiori. Si ergo imperator procurare deberet, vt obediatur procōſuli contēpto curatore, ſi cōtradiceret procōſuli: multo magis deberet princeps zelare ꝓ dominio ſeruando ſupremi domini, Dei videlicet: & per conſequens (ſecundū eundem) non modo licet, ſed debet princeps auferre paruulos a dominio parentum, volētium eos educare contra cultum Dei, qui eſt ſupremus & honeſtiſsimus dominus, & applicare cultui diuino. Cōcludit ergo, quòd ſi princeps hoc exequeretur cum cautela bona, ne ſcilicet parentes prius cognoſcentes hoc futurum, occiderēt pueros ſuos, & quòd baptizatos faceret religioſe educari, benefaceret. Si ſupradictæ opiniones bene & recte expendantur, crederē quòd facile eſſet, tantos viros ad inuicem conciliare. Quid dicendum de paruulo expoſito, ſi nullum ſignum ſit aut teſtimonium, quòd ſit baptizatus: an debeat abſolute, aut ſub conditione baptizari? Reſpondet Scotus vbi ſupra q. 8. quòd debet abſolute baptizari, ſi nullum teſtimonium haberi poſsit per fide dignos, quòd ſit baptizatus: ſi vero aliqua certa ſigna inueniantur in eo, quòd non ſit baptizatus, & aliqua, quòd ſit: tutius eſt in eo baptizando vti forma illius capitis, De quibus dubium, extra de baptiſmo & eius effectu: Et de iſto caſu loquitur Leo de conſecra. diſt. 4. c. Si nulla, dicens: Si nulla extant indicia inter propinquos & vicinos, quibus baptizati fuiſſe cognoſcantur, agendum eſt, vt renaſcantur, ne pereant: in quibus quod non oſtenditur, ratio non ſinit, vt dicatur iteratum. Si quæratur, an recipiens baptiſmū a malo ſcienter peccet mortaliter, Scotus q. 2. diſt. 5. 4. reſpondet quantum ad adultum, quòd ei licet recipere baptiſmum a præciſo, ſi alius miniſter

haberi

haberi nequit, vt expreſſe innuit beatus Auguſtinus de bapt. contra Donat. lib. 6. cap. 5. inquiens: Poteſt tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus: ſed vitioſe tradere. Ille autem, cui tradidit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat: ſicut pleriſque accidit, vt catholico animo & corde ab vnitate pacis nō alienato, aliqua neceſsitate mortis ingruentis in aliquem hæreticũ irruerent, & ab eo Chriſti baptiſmum ſine illius peruerſitate perciperent, & ſiue defuncti, ſiue liberati nequaquam apud eos remanerent, ad quos numquam corde tranſierant: quia non animo efficiēdi ſequaces eorum ſuſceperant. Quo vero ad paruulum, ſi nullus poſsit non præciſus haberi, & immineat periculum tale, quòd non poſset idoneũ expectare miniſtrum, tenetur neceſſario quis offerre paruulum ſuum præciſo. Nimis enim durum eſſet dicere, quòd teneatur illum perpetuæ damnationi committere, cum poſsit habere aliquem, qui eum baptizet, ex quo ſaluatur a quocumque baptizetur, etiam ſi paganus baptizaret, vt habetur de conſecra. diſt. 4. c. Romanus, & in decreto Eugenij 4. vbi ſupra. Si autem loquamur de malo non præciſo ab Eccleſia: Reſpondet, quòd ſi ſit occulte malus, ita quòd vita eius non ſit offendiculo proximo, debet a tali recipere baptiſmum: cum propter peccatum occultum non debeat aliquis in actibus notorijs vitare proximũ. Si vero ſit notorie malus, vt publicus concubinarius, tunc aut incũbit ſibi ex officio cōferre ſacramentum, vt pote quia eſt ſacerdos & curatus eius: aut non incumbit, ſed eſt datus, aut vocatus in adiutorium curati. Primo modo non peccat, qui recipit baptiſmum pro ſe, vel pro paruulo ſuo: cum petat, vel accipiat debitum. Curatus enim eſt debitor parochiæ ſuæ in ſacramentis iſtis miniſtrandis. Secundo modo ſi poſsit habere alium, cui incumbit ex officio baptizare, eo quòd eſt ſacerdos & parochus, licet non proprius eiuſdem: tunc aut æque malũ, aut meliorē: ſi meliorē, peccat, ſi ab illo recipit, ex quo nō incumbit ſibi miniſtrare ſacramēta baptizando, cũ in illo actu non ſit ſibi ſubditus: ſi æque malũ, debet recipere a ſuo proprio parocho, cui ex munere ſibi demādato incumbit miniſtrare illud. Sed ſi nullus alius poſsit haberi ſacerdos niſi æque malus iſti, poſsit tamen haberi aliquis bonus laicus, concludit Scotus, quòd ex quo officium miniſtrandi ſacramenta in Eccleſia competit ſacerdoti, quòd magis eſt eligendus malus ſacerdos, quàm bonus laicus. Et ſi dicatur, quòd ſecundum beatum Ambroſium de initiādis rudibus, qui faciunt, & quibus faciunt nihil prodeſt, ſed ad iudicium eſt: Reſpondet idem doctor, quòd ſi hæreticus baptizat paruulum in forma & intentione Eccleſiæ, nihil obeſt paruulo, nec quantum ad ſacramentum,

cramentum,

cramentum, nec quantum ad effectum: Si vero adultũ, adhuc cõfert ſibi vtrumque prædictum, ſi in eo non eſt aliquis malus motus, puta aſſenſus in hęreſim baptizãtis: uel intentio, vt fiat eius diſcipulus: & de iſtis loquitur beatus Ambroſius. Si iterũ obijciatur, quòd cooperans alicui ad peccandum mortaliter, peccat mortaliter, cum ſit contra fraternam charitatem: huiuſmodi eſt recipiens baptiſmũ a malo miniſtro &c. Reſpondetur, quòd ille, qui petit baptiſmum a malo ſacerdote, nõ cooperatur illi directe ad mortale, cum ab eo petat actum debitum: Et in hoc non delinquit: quia nullius malitia excuſat eum a ſoluendo debitum, quo tenetur alteri. Ille etiã actus petitus poſſet ſolui ſine peccato, ſi baptizaturus contereretur: Vnde quantum eſt ex actu petentis, magis inducit miniſtrum ad pœnitendum. Si vero non pœniteat, nihil eſt imputandum petenti, cum petat ſibi rem debitam. Quæritur vltra, an aliquis debeat miniſtrare alicui baptiſmum, quãdo præſumitur, quòd vergeret in periculum vitæ corporalis ſuſcipientis: Reſpondet Scotus vbi ſupra q. 3. quòd aut talis præſumptio ex euidentibus ſignis eſt certa, & tunc peccaret mortaliter eum ſubmergendo vel occidendo: cum quilibet magis teneatur vitare peccatum mortale in ſeipſo, quàm quærere ſalutem proximi, ex quo ordinata charitas magis ſit ad ſeipsũ, quàm ad proximum: aut præſumptio illa de morte acceleranda per baptiſmũ nõ ęſt certa, ſed leuis, & forte irrationabilis, vt ſi baptizãdus ſit in articulo mortis cõſtitutus. ſubdit, quòd talis cõſcientia de accelerãda morte eſt erronea: Ideo tenetur de necefsitate ſalutis (ſi nullus adſit) baptizare illum, ne damnetur: cum magis teneatur diligere eius perpetuã ſalutẽ, quàm eiuſdẽ vitam corporalẽ. Nec ille erit irregularis, cũ nulla lex eccleſiaſtica reddat quantũ ad hoc irregularẽ, niſi vere homicidã. Quid dicẽdũ de furioſis, & amẽtibus, qui numquã habuerunt vſum rationis, nec habẽt lucida interualla, an debeat eis dari baptiſmus? Reſpondent doctores, quòd ſufficit, quòd baptizãs intendat facere, quod Eccleſia facit: & ſic ex fide Eccleſię ſacramẽtũ operat̃ in illis. Qui vero ex infirmitate vel aliquo ſiniſtro accidente de ſana mẽte inciderunt in amentiã, tales iudicãdi ſunt ſecundum voluntatẽ, quã habebant, dũ erant ſanæ mentis: & ideo ſi tũc apparuit aliqua voluntas in eis recipiendi baptiſmũ, dãdus eſt eis in amẽtia exiſtẽtibus. Si vero nulla apparuit in eis voluntas, nõ debet eis dari. Amentes autẽ & furioſi, qui habẽt lucida interualla, & tẽpore interualli habent voluntatẽ ſuſcipiendi baptiſmũ, debent baptizari etiã in amentia, ſi eſt periculum mortis: alias melius eſt expectare tẽpus ſanæ mẽtis. Si vero in interuallo non apparuerit deſiderium baptiſmi, non ſunt baptizandi.

Baptiſmus diuerſimode figuratur in lege antiqua. Cap. XVII.

HIS Quatuor præcipue figurabatur baptiſmus in antiqua lege, videlicet, circunciſione, diluuio, nube, & mari rubro. Vnde beatus Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum pelagianum c. 3. inquit, Baptiſmũ Chriſti fuiſſe circunciſione adumbratum his verbis: Quòd ſacramentum circunciſionis in figura præceſſerit baptiſmi, quis vel mediocriter ſacris eruditus literis ignoret? cum apertisſime de Chriſto dicat Apoſtulus ad Coloſſ. 2. Quòd eſt caput omnis principatus, & poteſtatis: in quo & circunciſi eſtis circunciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Ieſu Chriſti cõſepulti ei in baptiſmo, in quo & conſurrexiſtis per fidem operationis Dei &c. Beatus Chryſoſtomus oſtẽdens diluuiũ adumbrationem fuiſſe baptiſmi ſermone ſuper illud dictum Pauli pri. Cor. 10. Nolo nos ignorare, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes mare tranſierunt, inquit: Tranſitus ille futuri baptiſmi typus erat. Oportebat igitur primũ figurã illã bene omnia figurare, quòd oẽs ipſam tenerẽt: ſicut & hic, in baptiſmo ſcilicet omnes ex æquo participes ſunt. Et paulo poſt: Nam ibi aqua, & hic aqua: lauacrum hic, & ibi pelagus: omnes hic in aquam ingrediũtur, & ibi omnes: iuxta hoc ſimilitudo eſt: Ibi quidẽ liberati ſunt ex Aegypto per mare, hic autem ab idololatria: & ibi quidem Pharao ſubmerſus eſt, hic autẽ diabolus: Ibi Aegyptij, hic autem vetus homo peccati defoditur. Magna eſt cognatio figuræ ad veritatem: neque enim omnino alienum oportet eſſe typum a veritate, alioqui non eſſet typus: neque omnino adæquari debet veritati, cum veritas ipſa foret. Maiora tamen & excellẽtiora noſtra: quia a veritate ſunt, quæ figuræ præſtat, & imagini. Ioãnes Damaſc. lib. 4. c. 10. idẽ ſentit cum dicit: Primum baptiſma fuit diluuij in abſciſsionem peccati: Secundum, quod per mare & nubem, ſignum erat nubes ſpiritus, mare vero præferebat aquam. Clictoueus in additionibus ad cyrilli commetaria in Ioãnem ad locum illum, Hæc cũ dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei, vade ad natatoria Siloe, quod interpretatur miſſus: abijt ergo, & lauit Ioan. 9. Erudite declarabat baptiſmi ſacramẽtum multis ante figuris fuiſſe præfiguratum & prænũtiatũ: atque in euangelica lege multa virtute exhibitũ. Aquis, inqt, diluuij totius mundi expiata ſunt peccata: & qui in arca recõditi erãt, per aquam ſalui facti ſunt: hoc baptiſmi typũ geſsit, per quem ſordes omnes peccatorum deponuntur, & vitæ vetuſtas tollitur: de

quo pri. Petri 3. In diebus, inquit, Noe octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & nos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma. Inſuper populus Iſrael duce Moyſe mare rubrum ſicco pede pertrãſijt, ſubmerſis ibidem Aegyptijs: quod per baptiſmi ſuſceptionem totam diabolicæ prauitatis cohortẽ a nobis expelli inſinuat. Noſq; in Chriſto regeneratos a duriſsima eius tyrannide Dei gratia liberari. Teſtem huius habemus Paulum primæ Cor. 10. dicentẽ: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari. Vbi beatus Ambroſius libro pri. de ſacramentis c. 6. dicit, Baptiſmum præfiguratum fuiſſe per tranſitum maris rubri. Quid præterea populus Iſraeliticus Ioſue ductu Iordane traiecto, vbi etiam aquæ hinc atque hinc immotæ conſtiterant, & medium præbuerant iter (Ioſue 3.) in terram promiſsionis perductus ſignificat? niſi Chriſto auctore quicumque baptizati ſacramentum rite ſuſceperint, in terram viuentium tandem peruenturos? Quid Naaman Syrus ſepties in Iordane ablutus, & a lepra mundatus nobis innuit 4. reg. 5. niſi baptiſmo Chriſti lotos ab omni prorſus animæ lepra peccatoq; purgari? Quid denique expiationis aqua ſecũdum legis ritum, tollens immunditiam ex contactu morticinorum contractam, denotat, niſi aquam baptiſmi omnem penitus animi impuritatem abſtergentem? Hanc plane aquam Dominus per Ezech. 36. c. promiſit dicens: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Vidit etiam eam, cum dixit: Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, & omnes ad quos peruenit aqua iſta ſalui facti ſunt. Denique hanc effudit latus Chriſti transfixum in remiſsionem peccatorum: qua sãctificata eſt Eccleſia, & a maculis emundata. Poſtremo hanc baptiſmi gratiã præſignauit probatica piſcina, in quam poſt aquæ ab Angelo motionem deſcendens, quacumque tenebatur ægritudine lãguidus, illico ſanabatur. Multa alia de hoc fidei ſacramento dici poſſent, quæ breuitatis cauſa omittimus.

Confirmatio quid ſit, & quomodo eſt ſacramentum legis nouæ. Cap. XVIII.

NOTANDVM pro ſacramento Confirmationis, quòd hic non ſumitur confirmatio pro cõſtanti firmitate in bono, eo modo quo beati dicuntur cõfirmati, ſed pro quadam vnctione: vnde ſic definitur a domino Ioanne Scoto 7. diſt. 4. q. pri. Sacramentum

tum confirmationis eſt vnctio hominis viatoris, aliqualiter cōſentientis,vel libero arbitrio numquã vſi, facta in fronte in figura crucis cum chriſmate ſanctificato:& hoc a miniſtro idoneo ſimul cum intentione debita inungente,& verba certa proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina, ac conferens ſicut alia ſacramēta, vt inquit decretum Eugenij.4. Vnctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum conſtantia fidem Chriſti. Materia proxima eſt vnctio facta in fronte in figura crucis cum chriſmate ſanctificato: Materia vero remota eſt ipſum Chriſma compoſitum ex oleo oliuæ,& balſamo.Forma vero eſt,ſigno vel cōſigno te ſignó crucis:confirmo te chriſmate ſalutis vel ſanctificationis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Suſcipiēs eſt viator aliqualiter cōſentiens, ſi ſit adultus:vel libero arbitrio numquam vſus,ſi ſit puer, vt dictum eſt de baptiſmo:ſecundum determinatam partem,videlicet frontem. De miniſtro dicetur infra, ex parte cuius requiritur vltra debitã intentionem ſimultas in exequendo vtrumque actum, videlicet vnctionem, & formę prolationem. Per verba vero ſequētia, videlicet: efficaciter ſignificans &c. intelligitur illud quod eſt formale in hoc ſacramēto. Et quod vltimo additur, ſcilicet vnctionem interiorem, denotat correlatiuum illius relationis. Et ſi dicatur, quòd Chriſtus non inſtituerit huiuſmodi formam, cum per inſufflationē dederit diſcipulis Spiritum ſanctum,& in linguis igneis, vt patet Io. 20. & act. 2. Apoſtoli etiã non vtebantur huiuſmodi forma, ſed impoſitione manuum: Reſpondet idem doctor, quòd Chriſtus ſuam non alligauit potentiam ſacramentis: ideo ſiue in terra exiſtens,ſiue in cælo potuit confirmare Apoſtolos ſine huiuſmodi materia,& forma: Cũ Apoſtolis etiã in primitiua Eccleſia potuit diſpenſare; præcipue quia in confirmatione ab eis collata erãt aliqua ſigna ſenſibilia, vt deſcenſus Spiritus ſancti ſuper confirmatos, & donum linguarum. Ceſſantibus tamen dictis miraculis miniſtri hanc materiam, & formã ſeruare debuerunt. Supponitur ad prędicta tanquam verum, hoc ſacramentum inſtitutũ fuiſſe a Chriſto,vt habetur in concilio Tridentino ſeſ. 7. de ſacramentis in genere can. primo,licet tempus & modus dictæ inſtitutionis in ſcriptura non legatur. Multa enim ſunt tradita auctoritatiue a Chriſtó Eccleſiæ per Apoſtolos, quæ tamen in ſcripturis non legimus. Vnde beatus Auguſtinus epiſtola 108. inquit: Quòd non omnia,quæ facta ſunt ab Apoſtolis ſcripta inueniuntur, veruntamen facta eſſe ex ceteris documentis probantur. Idem dicit dominus Damaſcenus lib. 4. c. 4. vbi loquens de adoratione imaginum ait: Eſt autem nobis tradita hæc traditio, quòd oportet ad orientem adora-

re crucem, & alia plurima his ſimilia. Si iterum quęratur: an ſacerdos ſimplex poſsit hoc ſacramẽtum cõferre, videtur quòd ſic, iuxta cap. Peruenit, diſt. 95. vbi beatus Gregorius Ianuario Epiſcopo ſcribens, inquit: Peruenit ad nos quoſdã ſcãdalizatos, ex eo quòd presbyteros tangere chriſmate eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus. & ſequitur. Si omnino de hac re aliqui cõtriſtentur, vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, cõcedimus. Sanctus Thomas in 3. parte ſummæ q. 72. art. 2. arridens dictæ ſententiæ, inquit: Quòd Papa in Eccleſia habet poteſtatis plenitudinem: ex qua poteſt quædã, quæ ſunt ſuperiorum ordinum, committere quibuſdã inferioribus: ſicut quibuſdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad poteſtatem epiſcopalem: Et ex hac plenitudine poteſtatis conceſsit beatus Gregorius Papa, quòd ſimplices ſacerdotes hoc ſacramentum conferrent, quandiu ſcandalum tolleretur. Euſebius tamen Papa, vt habetur in c. Manus, de conſecr. diſt. 5. inquit: Manus impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt, eo quòd ab alijs perfici non poteſt, niſi a ſummis ſacerdotibus: neque tempore Apoſtolorum ab alijs, quàm Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe: neque ab alijs, quàm qui eorum locum tenent, vmquam perfici poteſt, aut fieri debet. Nam ſi aliter pręſumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, & inter eccleſiaſtica non reputabitur ſacramenta. Vnde in concilio Tridentino titulo de cõfirmatione ſeſſ. præfata canone 3. dicitur: Si quis dixerit ſanctæ confirmationis miniſtrum ordinarium non eſſe ſolũ Epiſcopum, ſed ſimplicem ſacerdotem, anathema eſt. Si quis tamen velit ſaluare beatum Gregorium, poſſet reſpõdere, quòd præſumendum eſt tantum Pontificem non errasſe in dicta diſpenſatione: Pro quo adduci poteſt in ſimili beatus Bernardus de præcepto & diſpenſatione circa finem, reſpondens ſuis monachis, ac dicens. Poſtulaſtis abſolui vobis, cur beatus Gregorius neſcio quẽ Venantium habitum monachalem, quem pie ſuſceperat, impieq; reiecerat, non ſolum reſumere non coegit, ſed etiam omnem legitur indulſiſſe communionem apoſtatæ perduranti: poſt multa reſpõdet ſic: Certus ſum enim ſiue in ſuo abundauerit ſenſu, ſiue in Dei ſpiritu hoc egerit, ſicut & in ceteris, ita & in hoc extitiſſe fidelẽ, videlicet in diſpẽſando quod præ manibus erat. Viguerius vero in ſuis inſtitutionibus de ſacramento confirmationis ver. 3. nititur hoc modo defendere beatum Thomam dicens: Quòd ad plenitudinẽ poteſtatis Papæ non ſolum pertinet diſponere & ordinare ea, quæ ſunt duntaxat iuriſdictionis, verum & ea, quæ ſunt ſacramentorũ,

in

inquantum illa præciſe concernunt corpus Chriſti myſticum. Et ideo ſicut poteſt aliquam variationem facere circa materiam matrimonij illegitimando perſonas, vt in gradibus conſanguinitatis, ita quòd ſi poſt illegitimationem attentent contrahere, matrimonium eſt nullum: pari modo Papa aliquam immutationem facere poteſt circa miniſtrum ſacramenti in his tantum, quæ ſpectant ad corpus Chriſti myſticum, vt ſunt confirmatio, & quatuor ordines minores, qui ex ſe non habēt ordinationem directam & immediatam præparandi & præſentandi materiam euchariſtiæ. Cōfirmatio vero, & quatuor ordines minores habent tantum ordinationem ad corpus Chriſti myſticum: Ideo ad plenitudinem poteſtatis Papæ pertinet illa committere etiam inferioribus miniſtris, ſicut rex poteſt committere receptionem & conſignationem militum non ſolum ducibus principalibus, verum & ex cauſa centurioni. Neque hoc Papa faciēdo tollit, quin Epiſcopus ſit ordinarius miniſter huius ſacramenti: nec mutat miniſtrum. Non enim quando ſimplex ſacerdos fit Epiſcopus, recipit nouum characterem: ſed character eius ſecundum Thomam & dictum Viguerium extenditur: & illa extenſio in his, quæ pertinent ad corpus Chriſti myſticum, ſpectat ad Papam, quæ per ſolam commiſsionem abſque conſecratione fieri poteſt. Et ſic reſolutorie dicit, quòd miniſter determinatus ſacramenti confirmationis, & quatuor minorum ordinum iure diuino eſt epiſcopus, vel ſimplex ſacerdos ex commiſsione plenitudinem poteſtatis habentis. Quæ commiſsio erit miſta ex poteſtate ordinis, & plenitudine poteſtatis iurisdictionis, quam non habent epiſcopi. Euſebius Papa loquitur de miniſtro ordinario: Simplex vero ſacerdos ſine commiſsione Papæ nihil faceret, etiam quòd attentaret. Scotus vero vbi ſupra adducit aliquos modos reſpondēdi ſupradictæ obiectioni, & videtur approbare vltimum, videlicet: quòd a principio non licuit ſacerdoti ſimplici: Papa tamen potuit quemlibet ſacerdotem illius regionis, ex ſuæ poteſtatis plenitudine facere epiſcopum quantum ad iſtum actum: quod tamen non ſic intelligitur, quòd gradus epiſcopalis poſsit diuidi, & vna pars ſine alia conferri. Nam aut fecit eos epiſcopos, aut non: ſi ſic, cōtulit omnem poteſtatem ad hunc gradum pertinentem: ſi non, tūc cōceſsit nō epiſcopo, quòd cōfirmaret, vt dicit Biel 7. diſt. 4. q. vnica. Scotus vero credit, quòd fecit eos vere epiſcopos: Tamen quātum ad omnes alios epiſcopales actus poteſtatē præcepto reſtrinxit: & hunc ſolum actum confirmandi libere conceſsit propter ſcādalum vitandum. Iſta tamen reſponſio non placet domino Franciſco de Mayronis 7. diſt. 4. dicenti, quòd per literas nō datur or-

do epiſcopalis, licet iuriſdictio dari poſsit. Præfatus tamen Biel aliter videtur dicere, videlicet: quòd beatus Gregorius conceſsit, non poteſtatem tradendo, ſed factum tolerando propter turbationem & ſcandalum vitandum. Ego vero tum propter auctoritatem diui Bernardi ſuperius adductam, tum etiã propter ſupradictas rationes, quæ ſatis mouent, non auderẽ dicere, quòd tantus Sanctus & doctor diuus videlicet Gregorius pro ſcandalo vitando tacuiſſet veritatem: & dediſſet auctoritatem ſacerdotibus præfatis confirmandi, ſi ex iure diuino ad ſolos epiſcopos huiuſmodi actus cõfirmandi ſpectaret: Cum vtilius ſcandalum naſsi permittatur, quàm veritas relinquatur, extra de regulis iuris c. Qui ſcandalizauerit. Ante tamen mille centum annos in Carthaginenſi 3. & 4. & Toletano primo concilijs, poſtea vero in Antiſiodorenſi & Bracarenſi fuit conſtitutum, vt ne quiſquam alius præter Epiſcopum chriſma conſecrare auderet: quod etiam à Leone Pontifice cautum eſt, dũ ad Germaniæ & Galliæ ſcribit epiſcopos epiſtola 88. Innocentius autem tertius in c. Quæſitum, de conſuetud. definit, nulla conſuetudine præſcribi poſſe, quòd ratum ſit & validum ſacramentũ confirmationis a ſimplici ſacerdote miniſtratum.

De materia & forma huius ſacramenti. Caput. XIX.

CIRCA materiam & formam ſacramenti confirmationis præſupponimus, vt inquit diuus Bonauent. in 7. diſt. 4. circa literam, quòd confirmatio eſt ad corroborationem fidei, & euchariſtia ad augmentum charitatis: quia ibi eſt ſignum cõfeſsionis fidelis, hic vnionis. Similiter quòd dicta cõfirmatio ſit legis nouæ ſacramentum. Vnde Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 104. vocat iſtud ſacramentum chriſmatis: quod quidẽ, inquit, in genere ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus. In lib. etiam conciliorum extat epiſtola ſancti Fabiani Papæ & martyris, quã ſcripſit ad epiſcopos orientales: in qua teſtatur, quòd poſtquam cœnauit Dominus cum diſcipulis, & lauit pedes eorũ, chriſma conficere docuit: ſicut, inquit, a ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſq; reliquerunt. Beatus etiam Cyprianus librum edidit de chriſmate. De hoc ſacramento Melchiades Papa ſcribẽs ad Hiſpaniarum Epiſcopos, ait: De his, ſuper quibus rogaſtis nos vos informari, vtrum ſit maius ſacramentum manus impoſitio Epiſcoporũ, an baptiſmus, dicimus, quòd vtrumque magnum eſt ſacramentum: quod Chriſtus, vt inquit ſanctus Thomas

in 3. parte q. 72. art. pri. inſtituit, non exhibendo, ſed promittendo, ſecundum illud Ioan. 16. Si non abiero paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero mittam eum ad vos. Et hoc ideo, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus ſancti, quæ non erat danda ante Chriſti reſurrectionem, & aſcenſionē, ſecundum illud Ioā. 7. Nondum erat Spiritus datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus. Et licet dominus Alexander de Ales in 4. parte ſuæ ſummæ q. 34. mem. primo dicat, quòd poſtquam Apoſtoli, qui erant baſes Eccleſiæ, & a Domino alijs prælati, & a Spiritu ſancto confirmati, defecerunt, inſtitutum fuit hoc ſacramentum Spiritus ſancti inſtinctu in concilio Meldenſi quātum ad formam verborum, & materiam elementarem: cui etiam Spiritus ſanctus contulit virtutem ſanctificandi: Hæc tamen opinio communiter non tenetur, ſed ſupradicta, quòd videlicet fuerit immediate a Chriſto inſtitutum. Si quæratur, an modo chriſma ſit materia determinata huius ſacramenti: Reſpondet beatus Gregorius in regiſtro dicens: Preſbyteri baptizatos infantes ſignare in frontibus ſacro chriſmate non præſumant: et hoc non propter aliud, niſi quia chriſma eſt conueniens materia huius ſacramenti. Et ratio eſt ſecundum beatum Thomam vbi ſupra art. 2. quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus ſancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem cum ad perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones ſuas ad alios: antea vero quaſi ſingulariter ſibi ipſi viuit. Gratia vero Spiritus ſancti in oleo deſignatur: vnde Chriſtus dicitur eſſe vnctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus ſancti, quam habuit: Et ideo oleum competit materiæ huius ſacramēti. Admiſcetur autem balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios de qua 2. Cor. 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo. & licet multa alia ſint odorifera, præcipue tamen accipitur balſamum, eo quòd præcipuum odorem, & incorruptionem præſtat: de quo Eccleſiaſtici 24. Quaſi balſamum non miſtum odor meus. Vnde Scotus in fine quæſtionis primæ diſtinct. 7. quar. inquit: Quòd balſamo corpora mortuorum condiuntur, ne putreſiant: ideo ſignificat incorruptionem. Per illam ergo materiam ſcilicet chriſma confectum ex oleo & balſamo ſignificatur, quòd confirmatus debet habere munditiam, charitatem, & bonam famam: cum ſine iſtis non ſit multum vtilis confirmatio fidei chriſtianæ, hæc ille. Rabanus de naturis rerum lib. 18 c. 6. inquit: Balſamum in chriſmatis confectione liquori oliuæ admiſceri ſolet, ac pontificali benedictione conſecrari: quatenus fideles omnes impoſitione manus ſacerdotalis, qua Spiritus ſanctus accipitur, hac vnctio-

ne ſignentur. Subdit tamen beatus Thomas vbi ſupra: Quòd Chriſtus ex poteſtate excellentiæ, quam habet in ſacramentis, contulit Apoſtolis rem huius ſacramenti, ideſt plenitudinem Spiritus ſancti, ſine ſacramento: eo quòd ipſi primitias Spiritus ſancti acceperunt, ſicut dicitur ad Rom. 8. Nihilominus tamen aliquid conforme chriſmati exhibitum fuit Apoſtolis ſenſibiliter in collatione Spiritus ſancti. Quòd enim ſenſibiliter Spiritus ſanctus ſuper eos deſcenderit in ſpecie ignis, ad eandem ſignificationem refertur, ad quam oleum: niſi quòd ignis habet vim actiuam, oleum autem paſſiuam, inquantum eſt materia, & fomentum ignis: quod ſatis conueniebat, cum per Apoſtolos gratia Spiritus ſancti eſſet ad alios deriuanda. Super Apoſtolos quoque Spiritus ſanctus deſcendit in figura linguæ: quod ad idem ſignificandum refertur, ad quod balſamum: niſi quod lingua per locutionem eſt communicatiua ad alterum, balſamum vero per odorem: quia videlicet Apoſtoli replebantur Spiritu ſancto, vt fidei doctores: alij vero fideles, vt operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Similiter etiam ad impoſitionem manus Apoſtolorum, & eorum prædicationem deſcendebat Spiritus ſanctus ſuper fideles in viſibilibus ſignis, quemadmodũ a principio deſcẽderat ſuper eosdẽ Apoſtolos. Vnde beatus Petrus Act. 11. inquit: Cũ cœpiſsẽ loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos ab initio. Et ideo nõ erat neceſſaria ſenſibilis materia ſacramẽtalis, vbi ſẽſibilia ſigna miraculoſe exhibebãtur diuinitus. Vtebantur tamen Apoſtoli communiter chriſmate in exhibitione ſacramenti, quãdo huiuſmodi viſibilia ſigna non apparebãt. Vnde beatus Dionyſius c. 4. eccleſiaſt. Hierar. ait: Eſt quædã perfectiua operatio, quã duces noſtri, ideſt Apoſtoli, chriſmatis hoſtiã nominant. Hæc etiam forma, videlicet, conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, conuenit huic ſacramento ſecundum præfatum dominum Alexandrum vbi ſupra mem. 2. ar. 2. Et ratio eſt ſecundum eundem: quia hoc ſacramentum eſt ad conferendũ robur chriſtiano, & ad confitendum viriliter fidem Chriſti coram inimicis eiuſdem: ad quam confeſſionem tria ſunt neceſſaria, quæ miniſtrant robur confitenti. Primum eſt notitia incommutabilis veritatis, quæ tenet rationem in rectitudine, ne declinet a veritate per deuium erroris, quod exprimitur, cum dicitur: In nomine patris & filij & Spiritus ſancti. Secundum eſt memoria mortis Saluatoris, in qua ipſe per crucem de noſtræ ſalutis aduerſarijs triumphauit ad Col. 2. quæ excitat ad inſurgendum contra hoſtes fidei: quod exprimitur, cum dicitur, ſigno crucis. Vltimum eſt vnctio

ſpiritualis, quæ virtutem miniſtrat ad pugnandum, vt quaſi fortis & inuincibilis athleta pro Chriſti fide dimicet confirmandus, & hoc per acceſſum & conſtantiam voluntatis: quod exprimitur, cū dicitur, chriſmate ſalutis. Ad hæc addimus ſecundū Caietanum ſuper q. 72. 3. partis ſancti Thomæ: quòd chriſma non eſt ita materia neceſſaria ſacramenti confirmationis, ſicut aqua baptiſmi: quoniam ſine balſamo confirmatio tradita valet, ſine aqua vero non valet baptiſmus. Et de hoc ſecundum eum extat textus clarus, extra de ſacramentis non iterandis c. Paſtoralis: vbi quæritur, ſi confirmationis ſacramentum in eo debeat reiterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus: Reſpondet Innocentius 3. quòd non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum. Ex quo apparet ſacramentum confirmationis, quoad ſubſtantialia, fuiſſe completum ſine balſamo: fuiſſet ſiquidem alioqui reiterandum ſine balſamo collatum. Vnde intelligimus Chriſma eſſe regularem materiam confirmationis de neceſſitate præcepti ſecundum dictos doctores, & non de neceſſitate ſacramenti. Accedit ad hæc, quòd chriſmatis nomen, quod ſecundum Diony. Apoſtoli impoſuerunt huic ſacramento, non ſignificat balſamum, ſed vnctionē, cui oleū ſecundū beatū Thomā ſufficit.

Hoc Confirmationis ſacramentum imprimit characterem, præſupponit baptiſmum, & gratiam gratumfacientem confert. Cap. XX.

QVOAD primam tituli præſentis capitis partē, videlicet, an ſacramentum confirmationis imprimat characterem, dicit diuus Thomas in 3. par. q. 72. art. 5. quòd ſicut baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio in vitam chriſtianam, ita confirmatio eſt quoddam ſpirituale augmentum promouens hominem in ſpiritualem ætatem perfectam. Vnde ſicut in vita corporali, alia eſt actio hominis ſtatim nati, & alia cum ad perfectam ætatem peruenit: ita per ſacramentum confirmationis datur homini ſpiritualis poteſtas ad quaſdam alias actiones ſacras, præter illas, ad quas datur ei poteſtas in baptiſmo. Nam in baptiſmo accipit homo poteſtatem ad ea agēda, quæ ad propriam pertinent ſalutem: Sed in confirmatione accipit homo poteſtatem ad agendum ea, quæ concernunt pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei, vt patet in exemplo Apoſtolorum, qui antequam plenitudinē Spiritus ſancti acciperēt, erant in cœnaculo perſeuerantes in oratione: poſt vero acceptum in die pente-

coſtes

coſtes Spiritum ſanctum egreſſi, non verebantur publice fidem fateri coram inimicis crucis Chriſti,& tyrannis. Manifeſtum eſt etiã, quòd in confirmatione imprimitur character, ſicut & in quolibet alio ſacramento, quod non iteratur, vt tenent omnes theologi: & decretum Eugenij quarti, ſacro approbante concilio pro doctrina Armenorum. Dominus autem Franciſcus Mayro. vbi ſupra, 7. ſcilicet diſt. 4. inquit: Quòd character eſt ſignum quoddam ſpirituale in anima noſtra ad ornatum ordinatum. Proprietates vero characteris ſecundum eundem ſunt quatuor: Eſt enim ſignum repræſentatiuum illius, ad cuius inuocationem imprimitur, quæ eſt beata Trinitas vnus Deus. Eſt ſignum rememoratiuum ad reducendum ad memoriam actus præteritos. Eſt ſignũ aſſimilatiuum: cũ homines eiuſdem exercitus habeant ſignum conforme. Eſt poſtremo ſignum diſtinctiuũ, cũ diſtinguat nos ab alijs, qui non ſunt eiuſdem religionis. Et licet ſupernaturaliter imprimatur: naturaliter tamẽ ſignificat illud, cuius eſt ſignum: nec anima coniuncta corpori poteſt tale ſupernaturale donum in ſeipſa cognoſcere. Anima tamen ſeparata, ſi intuitiue cognoſcere poſſet animam noſtram, poſſet cõſequenter cognoſcere omnia, quæ in ea ſunt: & multo magis Angeli ſiue boni, ſiue mali: ex cuius cognitione ſpiritus (ſecundũ eundem doctorẽ) poſſet venire diſcurſiue in cognitionem Trinitatis, cum ipſam ratione imaginis naturaliter repræſentet. Impoſſibile eſt enim cognoſcere Cæſaris imaginem, vt imago illius eſt, quin cognoſcat Cæſarem. Tria igitur ſacramenta ſunt, quæ non iterantur, vt baptiſmus, confirmatio, & ordo: & iſta tria imprimunt characteres, qui non ſunt eiuſdem ſpeciei, cum ad aliquid ſe extendat vnus, ſcilicet baptiſmalis, ad quod non ſe extendit alius, ſcilicet ſacerdotalis: ſunt enim ſicut ſpecies intelligibiles in anima. Ex natura etiam eorum non eſt ordo eſſentialis inter iſtos characteres, ſed ex inſtitutione diuina, ex qua quis confirmari non poteſt, niſi ſit baptizatus. Ad ponendum eoſdem characteres non modo habemus auctoritatem omnium theologorum modernorum, ſed & Sãctorum, & præcipue characterem baptiſmalem. Vnde beatus Dionyſius de eccleſiaſtica Hier. c. 2. dicit: Epiſcopus baptizans cõfert ſacramentum,& ſignum: per ſignum intelligens characterem. Damaſc. quoque in 4. c. primo inquit: In ſacramento baptiſmatis datur gratia,& ſignum. Auguſtinus etiam de baptiſmo contra donatiſtas lib. 6. ait: Quando aliquis reducitur foris, recipit dominicũ characterem. Et paulo poſt: ab hæreticis baptiſmum recipiens, a lupo characterem recipit. Innocentius quoque extra de baptiſmo & eius effectu, c. Maiores, affirmat: quòd fictus recipit characterẽ.

Character vero ponitur ad ornandum, ſicut cetera dona: Nec facit ad ſubſtantiam actus: ſed ſicut homini dantur arma ad defendendum, & deferendum ſignum, & diſtinguendum, ita & character ex inſtitutione diuina, vt dicit ſupradictus doctor. Character eſt indelebilis, ſed non ſimpliciter: poteſt enim per illum annihilari de potentia abſoluta, per quem creatur, & animæ infunditur: de potentia tamen ordinata non annihilatur, ſed remanet etiam in inferno ad damnatorũ contumeliã. Dicimus vltra, quòd character non eſt totalis cauſa non iterationis, ſed virtus ſacramẽtorum, cum ſint ſufficienter efficacia ad ſuum effectum in vno actu. Character etiam propter auctoritatem Eccleſiæ eſt forma realis, & abſoluta: quia eſt principium aſsimilatiuum, diſtinctiuũ, & repræſentatiuum: quæ tria conueniunt tantum formæ reali & abſolutę, & poſſet poni in prima ſpecie qualitatis. Quòd autem character confirmationis præſupponat characterem baptiſmalem affirmat Rabanus in libro de inſtitutione clericorum dicens: Nouiſsime a ſummo ſacerdote per impoſitionem manus paraclitus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum ſanctum ad intrepide confitendũ fidem Chriſti. Dicit enim ſanctus Thomas vbi ſupra ar. 6. Quòd ſi aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet: ſed oporteret eum iterato confirmari poſt baptiſmum: Vnde ſicut nullus poteſt promoueri ad ætatem perfectam, niſi primo fuerit natus: ita nullus poteſt ſacramentum confirmationis accipere, niſi prius fuerit baptizatus. Quòd autem hoc ſacramentum conferat gratiam gratumfacientem, patet per Melchiadem Papam dicentem: Spiritus ſanctus in fonte baptiſmi plenitudinem tribuit ad innocentiam. In confirmatione augmentum præſtat ad gratiam: Ideo concludit diuus Thom. vbi ſupra ar. 7. Quòd in hoc ſacramento datur Spiritus ad robur, ſicut Apoſtolis datus eſt in die pentecoſtes act. 2. & dabatur baptizatis per impoſitionem manuum Apoſtolorum act. 8. Datio autem Spiritus ſancti non eſt ſine gratia gratumfaciente. Quia ergo hoc ſacramentum auget gratiam, ideo non debet dari, niſi per pœnitentiam reparatis. Vnde in Aurelianen. concilio declaratum fuit, vt ieiuni ad confirmationem veniant: & moneantur, quòd prius confiteantur ſacerdoti peccata ſua, vt mundi donum Spiritus ſancti valeant accipere, de conſecra. diſt. 5. c. Vt ieiuni: quia tunc virtus talis ſacramenti in adultis prædiſpoſitis addit ad gratiã baptiſmalem quatuor effectus: quorum primus eſt character, ſecundus robur & firmitas ad pugnandum contra inimicos, tertius deletio alicuius partis pœnę peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum, quartus vero augmentum gratiæ baptiſmalis. Sed quia om-

nes iſti effectus non ſunt eiuſdem rationis cum effectibus gratiæ baptiſmalis, ideo dicitur alia gratia ſacramentalis.

Sacramentum hoc quomodo non eſt ſimpliciter neceſſarium: & eſt conferendum in fronte, ſimiliter & confirmandus ab alio teneri debet, nec aliqua irregularitas in iure incurritur propter eius iterationem. Cap. XXI.

SI quæratur, an confirmatio ſit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutē: Reſpondet Scotus 7. diſt. 4. q. 2. quòd non: Vnde Mar. vlt. dicitur, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: & de cōſecr. diſt. 5. c. Spiritus, habetur: quòd baptizatus per ſolum baptiſmū ſaluatur. Eſt tamen neceſſaria adulto, ſic quòd non contemnatur ab eo, ſicut habetur diſt. ſupradicta c. omnes fideles. vbi glo. ſuper verbum pleni inquit: Quia ſi contemnerent, mortaliter peccarent. Caput etiam ſupra allegatum ſecundum Scotum loquitur de adultis, qui debent ſuſcipere, ideſt non contemnere, & pro tempore congruo recipere in effectu. Iudicaretur enim ibi contemptus, ſi omnimoda opportunitate oblata nō ſuſciperetur. Peccarēt enim mortaliter, qui ex contemptu expreſſo, vel interpretato (vt dictum eſt ſupra) omitterent Spiritus ſancti plenitudinem ad firmiter & publice confitendum fidem, cum non ſufficiat interius credere: ſed oportet etiam fidem exterius proteſtari, iuxta illud ad Rom. 10: Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſsio fit ad ſalutem: a qua confeſsione propter verecundiam impediri poſſunt, contra quam ordinata fuit confirmatio. Hugo tamē de Sancto victore libro de ſacra. parte 7. inquit: Quid prodeſt, ſi a lapſu erigeris, niſi ad ſtādum confirmeris? propterea ait, timendum eſt his, qui per negligentiam amittunt epiſcopi præſentiam, nō ſuſcipientes manus impoſitionem, ne forte propterea damnentur. Idem inquit Thomas Vualden. libro de ſacramentis, cui aduerſari videtur beatus Hieronymus aduerſus Luciferianos, qui inquit: quòd valde vtilis eſt, & quòd multum fructum afferat baptizato, ſed non eſt neceſſaria: cui ſententię arridet ſanctiſsimus dominus Adrianus 6. in quolib. & ante eum diui Thomas & Bonauen. Dicit enim dictus Pontifex, quòd confirmatio eſt tantum conſilij, & non præcepta, etiam imminente articulo perſecutionis tyrānorum, qui cogerent fidem abiurare, tametſi ſit opportunitas eam ſuſcipiēdi: et hoc cōtra Paludanum & Durandum, docentes eam illo caſu præceptam, nec negligi poſſe ſine ſacramenti contemptu, vel pręſumptione:

Sacramentum

Sacramentum enim contemnere æſtimando illud,ac ſi ſacramẽtum non eſſet, nec ad ſalutem vtile, mortale peccatum eſt pertinens ad irreligioſitatem, ſicut contemnere conſilia euangelica, exiſtimando ea eſſe inutilia. Ex prędicto contemptu huius ſacramenti, & aliorum, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſaria, incurritur peccatum mortale. præcipue inquantum omiſſio a contemptu imperatur. Eſt autem contemptus ſacramentorum, nolle eis ſubijci tanquam remedijs a Chriſto relictis. Vnde beatus Thomas in 3. parte. q. 6. ar. 4. ad tertium. Non eſt, inquit, contemptus ſacramenti, ex eo quod aliquis non curat illud ſuſcipere, quod non eſt de ſalutis neceſſitate: alioquin non ſuſcipientes ordines ſacros, vel non contrahentes matrimonium contemnerent ſacramenta: ſed modo ſupra expoſito. Concludit etiam eodem in loco, quòd tria ſunt ſacramenta ad ſalutem neceſſaria videlicet baptiſmus, pœnitentia, (ſuppoſito lapſu in mortale) & ordo, qui eſt neceſſarius Eccleſiæ: alia vero non dicuntur neceſſaria, niſi vt conuenientius ſalutem aſſequamur. Hęretici tamen conantur deſtruere hoc ſacramentum, cum dicunt, quòd tunc vtiliter exercebatur, quandiu per miniſtros Eccleſiæ auctoritas euangelij erat confirmanda: ſed quando deſijt in Eccleſia donum linguarum, cęremonia impoſitionis manus otioſe & inutiliter exhibebatur. Contra quos beatus Auguſtinus ſuper primum cap. act. inquit: Neque enim ſic temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modo datur Spiritus ſanctus, ſicut ante dabatur ad commendationem rudis fidei, ſed inuiſibiliter & latenter: Nec ſolum dona, quæ ad publicam euangelij confirmationem erant neceſſaria, ſed quæ ad perfectionem hominis chriſtiani internam pertinent, intelligi debent nomine Spiritus ſancti, quando Lucas dicit ad manuum impoſitionem apoſtolorum collatum eſſe Spiritum ſanctum: Et ſic fateri poſſumus hunc ritum imponendi manus ceſſare & futurum otioſum, ſi ſolum ad publicam euangelij confirmationem & dona ad eam conducentia Apoſtoli manus impoſuiſſent. Hoc ſacramentum non ſolum poteſt dari viris adultis, ſed & mulieribus, ac paruulis. Vnde act. 2. dicitur: quòd Spiritus ſanctus adueniens repleuit totam domum, vbi erant viri, mulieres, & paruuli: vt colligitur ex primo c. dicti libri. Et quamuis in mundanis agonibus, vt inquit Chryſo. in homil. de Machabæis, ætatis forma generiſq; dignitas requiratur: ideo ſeruis, mulieribus, ac pueris denegantur. In cæleſtibus tamen omni perſonæ, ætati, ſexui, indiſcreta facultate, ſtadium patet. Multi etiam in puerili ætate propter robur Spiritus ſancti vſque ad ſanguinem fortiter pugnauerũt pro Chriſto: ſimili-

ter & pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic maiorem gratiam. Morituris etiam hoc ſacramentum dandum eſt non quidem propter periculum vitæ præſentis, ſed vt in reſurrectione perfecti appareant ſecundum illud ad Eph. 4. Donec occurramus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Eſt etiam conueniens reſpondendo ad alteram tituli partem, vt confirmandus habeat tenentem, vel leuantem: Quia ſi aliquis de nouo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſeruationem vitæ, quanto magis illi, qui aſſumuntur ad pugnādum, eruditoribus indigent, a quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis? Vnde in c. Si quis 30. q. 4. dicitur: Si quis ex vno coniugio filium aut filiam alterius de ſacro fonte ſuſceperit, aut ad chriſma tenuerit, ambo & vir & vxor compatres exiſtunt parentibus infantis: quia vir & mulier caro vnā effecti ſunt. Et quia qui erudire habet alium, oportet eum eſſe eruditum: ideo non debet quis alium tenere in confirmatione, niſi ſit ipſe confirmatus: Quia licet per baptiſmum factus ſit membrum Eccleſiæ, nondum tamen eſt aſcriptus militiæ chriſtianæ: & ideo Epiſcopo tanquam duci exercitus per alium militiæ aſcriptum exhiberi debet. Nec refert, an tenēs ſit maſculus vel fœmina, cū ſcriptum ſit ad Gal. 3. In Chriſto Ieſu neque maſculus neque fœmina, ſed omnes vnū ſunt in Chriſto Ieſu. Quoad aliā in titulo huius capitis partem, videlicet: an ſit in fronte hoc ſacramentū conferendū. Rabanus in libro de inſtitutione clericorū reſpondet: Signatur baptizatus in ſummitate capitis per ſacerdotē, per pontificem vero in fronte. Et Sāctus Tho. vbi ſupra ar. 9. aſſignat duplicē, quoad hoc, congruentiam. Primā, quia inſignitur chriſmādus ſigno crucis, ſicut miles ſigno ducis: Signum autem debet eſſe euidens, & manifeſtum. Inter omnia autem corporis loca, frons eſt notoria, quæ quaſi numquam obtegitur: Ideo linitur confirmandus chriſmate in fronte, vt in manifeſto confiteatur ſe eſſe chriſtianū: ſicut & Apoſtoli poſt acceptam Spiritus ſancti plenitudinem, ſe manifeſtarunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundam, quia aliquis impeditur a libera nominis Chriſti confeſſione propter duo, videlicet: aut propter timorem, aut propter verecundiam, vtriuſque ſignum maxime manifeſtatur in fronte: tum propter propinquitatem imaginationis, tum etiam quia ſpiritus a corde directe ad frontem aſcendunt. Vnde verecundati erubeſcunt, timētes vero palleſcunt 4. Ethi. Et ideo in fronte ſignantur chriſmate, vt neque ob timorē, neque ob erubeſcentiam nomen Chriſti palam confiteri pertimeſcant. Ad vltimum, quod tangitur in titulo, Qua ſcilicet pœna plectuntur hoc

iterantes

iterantes ſacramentum, reſpondet Scotus vbi ſupra q. 5. quòd vniuerſaliter nulla pœna canonica, quæ non eſt inflicta a Papa condẽte ius, incurritur eo ipſo. Nec propter argumenta exponẽtium canonem ſiue a ſimili, ſiue a contrario ſenſu, eſt aliquis tali pœna plectẽdus. Poſſunt enim exponere ius conditum, nõ tamen condere nouum per ſuas expoſitiones. Vnde Innocentius, qui tamen fuit Papa, cum magnum opus compoſuiſſet exponendo ius canonicũ, & ſciſcitatus fuiſſet, quale robur vellet illud opus habere: dixit, quòd nolebat illud eſſe authenticum, ſed tantummodo magiſtrale. Cum ergo non inueniatur in iure canonico expreſſe pœna irregularitatis inflicta pro iteratione confirmationis, ſequitur quòd non incurratur: præcipue cum conſtitutiones pœnales ſint reſtringendæ, non ampliandæ. Si enim voluiſſet legislator pœnam talem infligere pro iteratione confirmationis, ſicut pro iteratione baptiſmi, expreſſiſſet hic, ſicut ibi. Confirmatur etiam hoc per c. Dictum eſt, de conſecra. diſt. 5. vbi nulla pœna iniungitur Epiſcopo iterum confirmãti: igitur nec ſuſcipienti, niſi quòd ſoli Deo ſub habitu regulari vel clericali ipſum religioſiſſime famulari decretum eſt: ſed magis innuit oppoſitum, videlicet exercitium officii clericalis: Nam in executione ordinum, & præcipue in conſecratione euchariſtiæ clericus Deo ſuo religioſisſime famulatur: cui ſit gloria in ſecula ſeculorum.

De maximo omnium ſacramentorum, ſanctisſima videlicet Euchariſtia. Cap. XXII.

EVCHARISTIA ſecundum nominis etymologiam, idem eſt, quod bona gratia, & conuenit rei huius ſacramenti: cũ ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis contineatur realiter & vere Chriſtus dominus noſter, qui eſt auctor gratiæ: cum gratia & veritas per ipſum facta ſint Io. pri. Digne enim ſe recipientibus confert gratiam, aut gratiæ augmentum. Euchariſtia igitur eſt ſpecies panis & vini, corpus Chriſti & ſanguinem virtute ſacerdotalis conſecrationis vere & realiter continens, vt inquit Biel 8. diſt. 4. Per ſpeciem intelligens accidentia ſenſibilia, vt colorem, ſaporem, odorem, humorem, calorem, pondus &c. Additur panis & vini: quia ſub eis ante conſecrationem fuit ſubſtantia panis & vini. Sacramentum etiam Euchariſtiæ non eſt actio tranſiens, ſicut & cetera ſacramenta, ſed permanens: cum illa accidentia panis & vini poſt conſecrationem remaneant. Conſecratio etiam ipſa nõ eſt Euchariſtia, cum tranſeat, nec contineat realiter Chriſtum: ſed

eſt

eſt via ad ipſam. Per ipſam enim conſecrationem corpus Chriſti & ſanguis incipit eſſe ſub illis ſpeciebus: vnde dicitur in ſupradicta definitione, virtute ſacerdotalis cõſecrationis. Additur poſtremo, vere & realiter continens corpus & ſanguinem Chriſti: in quibus verbis includitur materia, forma, & intentio requiſitæ ad eſſe, vel fieri huiusmodi ſacramenti: nam quicquid horum deficeret, non eſſet ibi corpus & ſanguis. Corpus enim Chriſti verum eſt ſacramẽtũ, & res: ſacramentum reſpectu corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia: res vero reſpectu ſpeciei panis. Dicitur etiam panis & vini: quia tam ſpecies panis ſine ſpeciebus vini, quàm ſpecies vini ſine ſpeciebus panis ſunt Euchariſtia: quia vtrumque continet totum Chriſtum. Omnis etiam deuotio populi Chriſtiani (per Scotum 8. diſt. 4) fere eſt in ordine ad hoc ſacramentum: cum propter hoc populus deuotius audiat miſſam, confiteatur &c. Hoc etiam ſacramentum excedit alia ſacramenta in ſignificando, in ſignificato, in continendo, & continendi modo. Primo in ſignificando: quia certius ſignificat, quàm alia ſacramẽta: alia enim ſignificant quantũ eſt ex ſe: quandoque tamen non habent effectum propter indiſpoſitionem ſuſcipientis: effectum enim non habent niſi in ſuſcipiente. Euchariſtia autem numquã caret ſuo effectu, videlicet pſentia corporis Chriſti. Non enim propter malitiam conficientis vel recipientis impediri poteſt, cum ſuum effectum habeat non ſolum in ſuſcipiente, ſed extra in ſpeciebus illis in pixide reſeruatis: In ſignificato quoque excedit alia ſacramenta: quia illa ſignificant gratiam accidentalem, & creatam. Hoc vero ſignificat gratiam ſubſtãtialem, increatam, & gratiæ ceterorum ſacramentorum creatricem, ſcilicet Chriſtum fontem gratiarum. In continendo etiam excedit cetera: quia alia non continent id, quod ſignificant, cum gratia formaliter nõ ſit in alijs ſacramentis, niſi vt inquit beatus Thomas in 3. parte q. 62. art. 3. in ſigno vel in cauſa, aut ſecundum eſſe fluens vel incompletum: ſed in ſuſcipientibus illa. Iſtud autem vere, realiter, & in eſſe completo continet in ſe gratiam ſubſtantialem, quam ſignificat. In modo ſimiliter continendi eſt alijs dignius: quia cetera ſacramenta non continent gratiam, niſi in vſu, ſicut nec ſunt niſi in vſu. Iſtud autem continet permanenter, etiam ante vſum contra Martinum Bucerum, qui pro pace & concordia ineunda inter capita ſectarum, quæ conuenerant Vuirtẽbergam ad ædes Martini lutheri anno 1537. propoſuit excogitatum medium concordiæ, quod in eiuſdem concilij actis reperitur, quod ſic habet. Audiuimus dominum Bucerum explicantem ſuam & aliorum, qui vna aderant ſententiam de ſacramento corporis & ſanguinis

Domini:

Domini: confitentur enim, ſentiunt, & docent cum pane & vino vere & ſubſtantialiter adeſſe, & exhiberi corpus Chriſti, & ſanguinem: & quanquam negant fieri tranſſubſtantiationē, nec ſentiant fieri localem incluſionem in pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra vſum ſacramenti, tamen concedunt ſacramentali unione panem eſſe corpus Chriſti. Nam extra vſum cum ſeruatur in pyxide, aut oſtēditur in ſupplicationibus, ſentiunt non adeſſe corpus Chriſti. Hoc autem medium merito dominus Cyrillus vocat inſaniam: quia verbis myſticæ benedictionis aduerſatur. Vnde Dominus ait: hoc eſt corpus meum: non autem hoc erit corpus meum, quan do ſcilicet edetur. nec ait: Hoc eſt corpus meum, ſi quis ipſum edat: non autem ſi ad circunferendum ſeruetur, vel ſi ad infirmorum cuſtodiatur neceſsitates. Verba enim Chriſti operatoria ſunt, & ſtatim fiunt, quæ dicit: ipſe enim dixit, & facta ſunt: nec verborum eius veritas a futuro vſu, vel euentu pendere poteſt. Vnde beatus Chryſoſtomus in ſermone de proditione Iudæ: Et nunc, inquit, præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam: ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit, & ſanguinem: ſed ille qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum: hoc verbo propoſita conſecrantur. Ante igitur vſum eſt ibi permanenter Chriſti corpus, & non in vſu dumtaxat, quem Buceri errorē diffuſe confutant Alphonſus de caſtro in libro de hæreſibus, & Ioannes Cocleus, ac alij moderni: quorum ſententias & rationes quęre in eorundem lucubrationibus: Significant etiam vltra ſupradicta iſte ſpecies effectum gratuitum duplicem, videlicet gratiā ſubſtantialem, ſcilicet Chriſtum: & accidentalem gratiam, videlicet gratumfacientem, aut eius augmentum in digne ſuſcipiente. Hoc etiam ſacramentum dicitur ſacrificium, & hoſtia: cum ſit ſimpliciter inſtitutum in memoriam illius ſummi ſacrificij in cruce pro nobis oblati: per quod iterum filius patri offertur, & ſacrificij fructus ſuſcipienti applicatur. Dicitur etiam ſacramentum ſacramentorum, & hoſtiarum hoſtia: Nam cū tria ſint, quibus Deus rite colitur, fides, ſpes, Charitas: Baptiſmus fidei, (ab eo enim fideles appellamur) confirmatio ſpei, cum per illam erigatur ſpes noſtra tutore nobis dato Spiritu ſancto, Euchariſtia vero ſacramentum eſt charitatis: in eo enim recolimus, quanta fuerit charitas Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti erga nos, qui dilectam animam ſuam dedit pro nobis. Vnde quanto eſt excellentior charitas, quàm fides & ſpes, tanto præſtat hoc ſacramentum alijs omnibus. Hoc etiam ſa-

cramentum eſt vnum perfectione & integritate, cum ordinetur ad ſpiritualem refectionem, quæ conformatur corporali: ad quā duo ſunt neceſſaria, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum, & potus. Ita & ad integritatem huius ſacramenti duo concurrunt, videlicet ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus, ſecundum illud Ioannis 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ideo Apoſtolus pri. Cor. 10. inquit: Vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Ex quibus patet, quòd cum Euchariſtia ſit ſacramentum eccleſiaſticæ vnitatis, erit vnum, & non plura.

De huius ſanctiſsimi ſacramenti diuerſis appellationibus. Caput. XXIII.

ILLVD itaque ſcire oportet, quòd cum diuerſæ ſint res, quarum per hoc ſacramentum admonemur, diuerſæ ſunt etiam illius appellationes. Nam quorum admonemur, partim præſētia, partim futura, & partim præterita ſunt. Admonemur præſentis vnitatis, quam hoc ſacramentum efficit, atque ita vocatur Synaxis græce, latine communio: quòd per illud, ſicut a Damaſceno lib. 4. c. 14. traditum eſt, Chriſto communicamus: fructus paſsionis & mortis eius participes efficimur: & ſicut cum illo, ita ipſi inter nos vnum reddimur, vt ſimus omnes vnum corpus ſub vno capite Chriſto, iuxta illud beati Pauli ſuperius allegatum, primæ Cor. 10. Vnum corpus, vnus panis multi ſumus, qui de vno pane participamus. Admonemur etiam eius, quod futurum eſt: quia ſicut in hoc ſacramēto Chriſto coniungimur, & eo fruimur, non in ſua, ſed in panis & vini ſpecie: ita poſtquam ex huius vitæ diuerſorio in cæleſtem illam patriam, ad quam anhelamus, peruenerimus, nō iam amplius per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem videbimus eum, ſicuti eſt: atque illius aſpectu ſatiabimur, iuxta illud pſal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua Domine: Qua ratione vocatur viaticum, quòd viam nobis præbeat eo perueniendi: quandoquidem in ſe cōtinet eum, qui via noſtra eſt, dominum Ieſum Chriſtum: qui etiam eſt oſtium illud, per quod ad cæleſtem illam gloriam ingreſſus nobis patet. Admonemur poſtremo præteritæ ſcilicet Chriſti paſsionis, quæ fuit gratiſsimum Deo ſacrificium, quo nos ille Deo patri ſuo reconciliauit: pro peccatis noſtris morte ſua ſatisfecit: ac non modo remiſsionem peccatorum noſtrorum nobis meruit, verum etiam dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum (ad Coloſ. pri.)

qui

qui in filios eius & hæredes adoptaremur. Atque hac ratione vocatur hoc ſacramentum ſacrificium: Sic enim a beato Cypriano lib. 2. epiſtola 3. dictum eſt: paſſio Chriſti eſt ſacrificium, quod offerimus. Vocatur etiam, vt dictum eſt ſupra, Euchariſtia, hoceſt gratiarum actio, eo quòd in hoc ſacrificio grata quadam recordatione proſequimur cum alia omnia, tum præſertim immenſum illud redemptionis noſtræ beneficium. Vt autem intelligi poſsit, qua ratione ſacrificium vocetur, eſt notandum, quòd iuge ſacrificium illud quod nouiſsimis tēporibus per Antichriſtum ſublatum iri Daniel cap. 8. prædixit, quid aliud intelligi recte poteſt, quàm iſtud corporis Chriſti, & ſanguinis ſub ſpeciebus panis & vini ſacrificiū? Quod vſque ad conſummationē ſeculi duraturum eſſe dubitandū non eſt. Quamobrem cum Chryſoſtomo homil. 17. in epiſtola ad Hebręos, Vnam hanc eſſe dicimus hoſtiam cum illa, quæ in cruce peracta eſt: vnum ſacrificium, & non aliud, niſi quòd offerendi modus non eſt idem: ibi facta eſt oblatio in mortem, hic fit in mortis recordationem: illa fuit immolatio ſanguinea, hæc vero eſt incruēta: ſic enim appellatur non modo a Gregorio Nazianzeno in libris carminū, & a Cyrillo in interpretatione anathematiſmi 10. verum etiam a patribus in concilio Epheſino congregatis. Vnde Auguſtinus epiſtola 23. dicit: Nō ne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? & tamen in ſacramento non ſolum per omnes paſchæ ſollemnitates, ſed omni die populus immolat.

Sacrificium hoc Euchariſtiæ figuratum fuit in oblatione Melchiſedech. Cap. XXIIII.

BEATVS Hieronymus in cap. 27. ſuper Matthæū de huiuſmodi ſacramento inquit: quòd poſtquam typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes Chriſtus cum Apoſtolis comederat, aſſumpſit panem, qui cōfortat cor hominis, & ad verum paſchæ transgreditur ſacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret. Auguſtinus idē teſtatur 16. de ciuit. Dei c. 22. cum ait. Tunc benedictus eſt a Melchiſedech, qui erat ſacerdos Dei excelſi: de quo in epiſtola ad Hebræos multa & magna conſcripta ſunt. Ibi quippe primum apparuit ſacrificium, quod nunc a chriſtianis offertur toto orbe terrarum: impleturq; illud, quod longe poſt hoc factum per Prophetā dicitur ad Chriſtum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinē

Melchiſedech pſal.109. non ſcilicet ſecundum ordinem Aaron,qui ordo fuerat auferendus illuceſcentibus rebus; quæ illis vmbris p̄notabantur. Epiphanius lib. 2. contra hæreſes, hæreſi 55. inquit: Viſum eſt,vt in ſacerdotio veteri ſacerdotalis dignitas ne conſtituatur: ſed ad id, quod ante Leui & Aaron fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdotium transferatur: quod ſane nunc in Eccleſia viget. Idem Chryſoſtomus oratione 4. contra Iudæos: Ioannes vero Damaſcenus libro 4.c.4. adhoc etiam propoſitum inquit: Pane & vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cæde alienigenarum reuertentem, qui erat ſacerdos Dei altiſsimi. Illa menſa hanc myſticam præfigurauit menſam:ſacerdos ille,Chriſti veri ſacerdotis figuram præſeferebat, & imaginem: Tu es, inquit, ſacerdos in æternū &c. Arnobius in pſal. p̄fato ante mille trecentos annos explicās illum locum, Tu es ſacerdos in æternum, ita de Chriſto loquitur. Hic qui per myſterium panis,& vini ſacerdos factus eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,panem & vinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio. Cyprianus de cœna Domini:ſignificata,inquit,olim a tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta: & filijs Abrahæ facientibus opera eius ſummus ſacerdos panem profert & vinum: hoc eſt, inquiens, corpus meum. Et Rubertus libro 5. de Trinitate c. 12. At vero Xp̄us rex ſalem, ideſt pacis: rex inquam, idemq; Pontifex maximus illorum talium hominum diebus natus, ſacerdotio ſuo functus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech:protulit enim panem & vinum dicens: Hoc eſt corpns meum: Hic eſt ſanguis meus: & ſic obtulit ſemetipſum pro fideli Abraham verum ſacramentum. Nonnulli tamen hæretici fuerunt,qui ſacramentum hoc corporis & ſanguinis, quod in Eccleſia celebratur, ſoli patri immolandum exiſtimarunt: quorum ſententiam ad Monimum ſcribens Fulgentius lib. 2. grauiter confutauit. Sacrificium itaque,quod a chriſtianis ſacris altaribus admouetur, nō ſolum Deo patri, ſed etiam filio communi deuotione offertur. Hoc enim Eccleſiæ ſacrificium, quoniam ſic aſſidua ſui repræſentatione memoriam innouat, fidem auget,ſpem roborat, charitatem confirmat: non ſuperfluum, ſed valde neceſſariū eſt. Vnde Petrus Abbas Cluniacenſis vir doctrina & ſanctitate præclarus loquens de ſacrificio in cruce peracto: hoc eſt,inquit,noſtrū ſacrificium, hoc legis Euangelicæ, hoc noui teſtamenti, hoc noui populi holocauſtum, quod tunc ſemel in cruce a Dei & hominis filio Deo oblatum eſt: & quod ſemper in altari ab ipſius populo offerendum ſit, ab eodem præceptum & inſtitutū eſt: non enim aliud tunc oblatum, aliud nunc offertur: ſed quod, vt dictum eſt, ſemel

Chriſtus obtulit, hoc ſemper Eccleſiæ ſuæ reliquit in vltima cœna (Matth. 26.) offerendum: Accepit enim panem, gratias egit, fregit, deditq; diſcipulis ſuis dicens. Accipite, & manducate ex hoc omnes: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et lucæ 22. concluditur: Hoc facite in meam commemorationem.

Sacrificia legis veteris quomodo ordinabantur ad hoc altaris Sacrificium. Cap. XXV.

PRO ſupradicti tituli declaratione eſt notãdum ſecũdum beatum Auguſtinum 10. de ciuit. Dei cap. 4. Quòd ſacrificiũ eſt cultus, ſiue honor ſoli Deo exhibendus. Per ſacrificium igitur intelligunt doctores theologi omnem oblationem, ſiue omne id, quod Deo offertur in recognitionem ſupremi dominij: vel ad impetrandam miſericordiam & veniam peccatorum, & gratiam acquirẽdã: aut ad auertendã iram, vltionem, atque vindictam: ſiue ad reddendas gratias de acceptis beneficijs: & ſic peccatorum contritio dicitur ſacrificium interius, iuxta illud pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Nec ipſe offerendi actus dicitur ſacrificium, ſed id quod Deo offertur in recognitionem ſupremi dominij, quæ vel eſt interior, vel exterior. Recognitio interior eodem modo fiebat in antiqua lege, quo nunc fit in noua. Antiqui enim patres cor habebant contritum, & humiliatum: laudabantq; Deum interius; & ei gratias agebant, ſicut & nos qui ſumus in lege noua: Recognitio vero ſupremi dominij exterior, alia erat in lege Moyſi, & alia eſt in lege gratiæ: & ſic aliud & aliud ſacrificium erat exterius exhibendum in eiſdem legibus. In antiqua enim lege aliquando offerebatur ſacrificium de inanimatis, vt de pane, ſimila, & thure, quod fiebat in laudem & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: & vocabatur oblatio ſine addito: licet communi nomine omnia ſacrificia oblationes vocarentur. Quandoque fiebant ſacrificia de animatis, quæ occidebantur, & quorum ſanguis effundebatur, & dicebantur victima, quæ ad triplicem ordinabatur finem: aliquando in expiationem & ſatisfactionem pro peccato: aliquando ꝓ pœnis debitis pro ipſis peccatis, & vocabatur ſacrificium expiatiuum, & hoſtia pro peccato. Aliquãdo autem fiebat ad placãdum Deum, & dicebatur holocauſtum, ſiue victima holocauſti: & totum fiebat ad cultum Dei. Quãdoque autem exhibebatur in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, & vocabatur ſacrificium pacificum. Et cum omnia illa ſacrificia ordinarentur ad ſacrificium Chriſti, qui

vere continetur in hoc ſacramento, tanquam ad finẽ,eo quòd eius ſacrificium & oblatio eminentius continet omnes effectus præteritorum ſacrificiorum : ſequitur, quòd in ſacris literis hoc ſacramentum ratione contenti nominatur nominibus prædictorum ſacrificiorum. Primo enim dicitur oblatio ad Gal. 2. qui dilexit nos & tradidit ſemetipſum oblationem pro nobis Deo: & in c. Tribus, de conſecr. diſt. 2. Secundo dicitur victima holocauſti in odorem ſuauiſſimum domino: Quia Chriſtus ad placandum Deum,& recõciliandum nos illi ſe obtulit in ara crucis, ideo dicitur holocauſtũ, ſiue ſacrificium reconciliatiuum, de quo ad Rom. 5. Cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Et ad Eph. 5. Tradidit ſemetipſum oblationem & hoſtiã in odorem ſuauitatis, ſcilicet ad placandum Deum. Tertio hoc ſacrificium dicitur expiatiuum, ſiue ſacrificium, vel hoſtia pro peccato, eo quòd expiet & mundet peccata, & ſatisfaciat pro pœnis eorum. Vnde Paulus ad Hebr. 9. Si enim ſanguis hircorum, aut vitulorum inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, q ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis? & ad Col. 2. Donans vobis omnia delicta: delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti: & tulit ipſum de medio, affigens illud cruci. Chirographum decreti ſecundum glo. tulit, cum nobis delicta condonauit. Decretum dicitur ſententia Dei, reſpectu neceſſitatis mortis: chirographum vero erat reatus peccati Adæ in totum genus humanum. Si enim Chriſtus emundauit conſcientias noſtras a peccatis,& ſatisfecit pro eis, & in hoc altaris ſacrificio offertur Deo patri: conſequens eſt,quòd hoc ſacramentum, quod ipſum continet, & eum tanquam in cruce repræſentat, expiet conſcientias noſtras, & emundet a maculis & pœnis peccatorum: & ſic dicitur ſacrificium expiatiuum. Sicut. n. panis habet ex ſe virtutem nutriendi, & reubarbarum detrahendi cholerã, & ſi panis reubarbaro miſceatur, vtramque habet virtutẽ: ſic Chriſtus dominus noſter, qui eſt verus panis, nutrit inquantum eſt ſacramentum: inquantum vero eſt miſtus reubarbaro & amaritudini pasſionis, per quam dolores noſtros ipſe tulit, expiat peccata & pœnas peccatorum: & ſic Chriſtus eſt nutrimentum, & medicamentum, ſimiliter & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, purgandasq; iniquitates.

Quomodo meritum cruenti ſacrificij inuictiſſimæ crucis applicatur nobis per hoc ſacramentum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Cap. XXVI.

ANIMADVERTENDVM autem eſt, quòd Apoſtoli omnes, & orthodoxi patres ad noſtra vſque tẽpora maximo conſenſu (vt ex eorum lucubrationibus patet) intellexerunt, quomodo ad memoriam reuocandum ſæpe eſt fidele illud, & certe chriſtianũ Origenis conſilium, quod in quadam homilia ſuper Matth. 24. his verbis inculcat: Quoties, inquit, aduerſus ea quæ obſeruat vniuerſa Chriſti Eccleſia, quibus omnis orbis chriſtianus conſentit & credit, canonicas ſcripturas aliqui proferunt, videntur dicere: Ecce in domibus verbum veritatis eſt: illis nos credere non debemus, neque exire a paterna & eccleſiaſtica traditione: nec aliter credere, niſi quemadmodum Eccleſiæ tradiderunt nobis. Stat ergo firmum fidei & Eccleſiæ fultum fundamentum, Euchariſtiam (per dicta in præcedenti capitulo) non obſtantibus ſcripturis ab hæreticis perperam intellectis, & contra hanc catholicam aſſertionem adductis, eſſe verum ſacrificium. Celebratio enim huius ſacramenti duplici ex cauſa dicitur immolatio. Primo, quia (vt inquit beatus Auguſtinus ad Simplicium) ſolent imagines earum rerum nominibus nuncupari, quarum imagines ſunt: ſicut cum intuemur ſtatuas, dicimus, illa beatus Petrus, & illa beatus Paulus eſt: Sed celebratio huius ſacramenti eſt imago repręſentatiua paſsionis Chriſti, quæ eſt vera immolatio: ideo celebratio ſupradicta dicitur etiam immolatio, vt ex domino Ambroſio in epiſtola ad Hebr. deducitur. Et ſecundum hunc modum poteſt dici, quòd in antiquo teſtamento Chriſtus immolabatur, hoceſt in figuris & immolationibus eius paſsio futura repræſentabatur. Vnde Apocal. 13. dicitur, quòd agnus occiſus eſt ab origine mundi: quia animalia quæ non peccauerant, pro peccatis hominum immolabantur & occidebantur: ſanguiſq; eorum & illorum occiſio erat figura & repræſentatio Chriſti innocentis occidendi pro peccatis noſtris. Secundo dicitur immolatio quantum ad effectum paſsionis eius: quia videlicet per hoc ſacramentum fide & deuotione applicatur nobis fructus paſsionis eius: & participes efficimur illius. Pro quo notãdum, quòd hoc tremendo ſacramento ea de cauſa nos vtimur, vt quod pridem promeruit nobis Chriſtus in ara crucis, id in nos transferre, & eius fructum nobis applicare poſsimus. In qua quidem re opus eſt nobis operibus, opus eſt ſacramentis, & quotidiano ſacrificio, quod in eccleſia celebratur. Quo vero id quod dicimus, clarius queat intelligi, eſt ſciendum, quòd ad modum fontis vitæ perennis eſt latus Chriſti in cruce pẽdentis apertum: eſt enim fons perennis, fons copioſus & redundans, qui ad abluenda totius

mundi peccata, & ad ſalutem omnibus conferendam mortalibus prorſus ſufficit. Sed ſi vis vſum aliquem huius fontis habere, ſi vis fructum ex eo conſequi, neceſſe eſt, vt ad Chriſti latus in cruce pẽdentis fiſtulam applices: & per eam, qui ſolus peccata noſtra abluit ſalutemq; nobis confert, Chriſti ſanguinem ad te deriues, atque attrahas, vt per eum ablutus & ſanctificatus æternam beatitudinem adipiſci queas: Non ipſius fiſtulæ ſiue canalis, vt principalis cauſæ, ſed Chriſti ſanguinis te per canalẽ irrigantis virtute. Hinc videre liquet, quòd omnia quæcumque ad ſalutem noſtram pertinent non niſi illi ſoli ſacrificio in cruce peracto, non niſi fonti, qui apertus eſt in Chriſti latere, vti principali cauſæ meritoriæ, tribuuntur. Verum fructum ex illo fonte capere non poſſumus, niſi ſacroſanctum, qui fuſus eſt ex Chriſti latere, ſanguinem per inſtrumenta & quaſi canales quoſdam ad nos deriuemus. Eiuſmodi canales ſut baptiſmus, & quotidianum hoc ſacrificium, ſimiliter & miſſa, per quam illius in cruce peracti ſacrificij, & fuſi pro nobis pretioſi ſanguinis fructum in nos transferimus, nobis applicamus, & appropriamus. Falſo igitur chriſtianis ſatanæ miniſtri impingũt, quòd per quotidianum hoc ſacrificium illud in cruce peractum obſcuretur, cum illuſtretur magis: immo per hæc verba (hoc facite in meam cõmemorationem) Chriſtus hoc in Eccleſia fieri ſacrificium p̃cepit, vt teſtatur Chryſoſt. homil. 17. ad Hebræos. Vetuſtior etiam illo Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. Si Ieſus Chriſtus, inquit, Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri ipſe primum obtulit, & hoc fieri in ſuam commemorationem præcepit, vtique ille ſacerdos vice Chriſti fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Euſebius quoque libro primo demonſt. euangel. c. 10. Poſt omnia quaſi mirabilem quandam victimam ſacrificiumq; eximium patri ſuo operatus pro noſtra omniumq; ſalute obtulit: eiusq; rei memoriam, vt nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus, inſtituit. Leo etiam ſermone de paſsione 7. Ieſus, inquit, diſcumbentibus ſecum diſcipulis ad edendam myſticam cœnam corporis & ſanguinis ſui, ordinans ſacramentum docebat qualis hoſtia debebat Deo offerri. Theophylactus in cap. 28. ſuper Mattheum manifeſtũ eſſe ſcribit, quòd Chriſtus tunc immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum: quo tempore etiam functus eſt ſacerdotio ſecundum ordinẽ Melchiſedech.

Miniſter huius ſanctiſſimi ſacramenti non poteſt eſſe niſi ſacerdos rite ab Eccleſia ordinatus & conſecratus. Cap. XXVII.

SCOTVS

SCOTVS 13. diſt. 4. queſt. 2. de miniſtro huius ſanctiſsimi ſacramenti inquit: Quòd conficere Euchariſtiam, vt principali cauſæ, nulli poteſt conuenire niſi ſoli Deo: tanquam vero miniſtro poteſt conuenire homini: loquendo ergo de miniſtro cõficiente, diſtinguit: Vel de poſſe conficere abſolute, ita quòd ſi attentet, facit quod intendit: Vel de poſſe ordinate; plus enim requiritur ad poſſe ordinate miniſtrare, quàm ad ſimpliciter poſſe. Primo modo vltra materiam debitam, de qua infra, non requiritur niſi miniſter debitus, cui tria ſunt neceſſaria: Primum, quòd ſit ſacerdos, cum ille ſolus ſimpliciter poſsit, & omnes tales poſſunt, vt patet extra de ſumma Triu. & fide catho. c. Firmiter. vbi dicitur: Hoc ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundũ claues Eccleſiæ: & hoc ex ſententia Chriſti Lucæ 22. dicentis: Hæc quotieſcunque feceritis &c. vbi loquitur Apoſtolis, vel ad minus non niſi diſcipulis, quibus in Eccleſia non ſuccedunt niſi ſacerdotes, ſicut Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, vt habetur diſt. 21. c. In nouo. Idem etiam habetur ex pri. Pauli Cor. c. 10. Panis, quem frangimus, non ne communicatio corporis Domini eſt? quem frangimus nos, inquit, ſcilicet Apoſtoli & diſcipuli eius. Si enim quilibet fidelis, vt hęretici fingunt, poſſet conficere, quilibet poſſet de ſuo ſacrificio communicare: nec eſſet neceſſarium, vt alius alijs frangeret. Secundum requiſitum eſt, quòd poſsit proferre conſecrationis verba. Tertium, quòd poſsit habere intentionem debitam faciendi, ſcilicet quod intendit facere Eccleſia: quæ duo vltima ſunt communia omnibus ſacramentis. Propter defectum primi duorum vltimorum mutus non poteſt cõficere: propter defectum vero ſecundi carens vſu rationis. Si autẽ obijciatur de degradato ſacerdote, quòd non poteſt ſimpliciter cõficere, ex quo ſpoliatur priuilegio clericali, & traditur curię ſeculari: Reſpondet poſt Scotum dominus Gabriel Biel lect. 2. ſuper canonem, quòd character, qui infunditur in rite ordinato, eſt indelebilis, & forma ſupernaturalis a Deo creata, quæ per nullam virtutem creaturæ corrumpi poteſt: Eius enim deſitio eſt annihilatio, ad quam virtus creata non ſe extendit. & paulo poſt: Quantumcunque ſacerdos ſuſpendatur, excommunicetur, degradetur, hæreticus efficiatur, ſemper manet in eo poteſtas conſecrandi: ſimiliter & auctoritas ligandi & ſoluendi: in cuius ſignum cum ſupradicti reconciliantur Eccleſiæ, non reordinantur. Quod probat auctoritate B. Auguſtini cõtra Cyprianũ, quę habetur 1. q. 1. c. Quod quidã. Tales igitur vere cõficiunt, dũmodo in fide Eccleſiæ conficiant,

ant, ideſt intendant in vniuerſali facere quod Chriſtus inſtituit faciendum, & quod Eccleſia facit, licet crederent Euchariſtiã in ſpeciali nihil valere. Vltra prędicta multa ſunt impedimenta ad poſſe ordinate conficere, tum ex parte miniſtri, tum etiã ex parte loci, & ex parte temporis: ſuppoſito enim quòd miniſter habeat materiam conuenientem, & poſsit verba proferre cũ debita intẽtione: ſunt tamen nonnulla impedimenta, quæ non ſinunt recte vel ordinate eum poſſe conficere, videlicet: vel culpa tantum: vel pœna tantum: vel nec pœna nec culpa. De primo dicimus, quòd exiſtens in mortali non poteſt ordinate conficere: & hoc vel quia peccat mortaliter actu interiori vel exteriori: & talis cum indigne manducet pri. Cor. 2. peccat mortaliter: Vel quia poſt peccatum mortale præteritum, de quo non recolit, non pœnituit, nec pœnitet: Vnde ſi eſt negligentia affectata vel craſſa, propter quam non recordatur, non excuſatur a peccato, licet minus peccet quàm primus: de quo beatus Paulus vbi ſupra, Probet ſeipſum homo: Tenetur enim ſe examinare ſecundum diligentiam ſuæ fragilitati poſsibilem, antequam conficiat & communicet. Vel tertio, quia & ſi de illo præterito pœnituit vel pœnitet, non tamen confeſſus eſt, vel abſolutus in Eccleſia. de quo dicit Scotus 9. diſt. 4. Quod ſi occurrat opportunitas, tenetur prius confiteri, quàm celebret ſiue communicet, vt habetur in ſeſs. 13. can. 11. concilij tridentini, ſimiliter & capite 7. de pręparatione, quæ adhibenda eſt, vt digne quis ſacram Euchariſtiam percipiat. Et ratio eſt: quia non tantum debet reconciliari Deo, ſed etiam Eccleſiæ, ad hoc vt recipiat ſacramentum vnitatis: Si vero non occurrat opportunitas confitendi, ſi poteſt ſine ſcandalo vitare, ne celebret vel communicet, tenetur non communicare. Si vero ſequatur ſcandalum, ſi non ſtatim communicet, & non poteſt habere opportunitatem confeſſoris: tunc cum contritione & propoſito confitendi poteſt celebrare, vt ſcandalum euitetur. Dilatio enim confeſsionis in actu, quæ habetur in affectu ſiue voto, non excludit quin ſit membrum Eccleſiæ militantis habile ad actus, in quibus membra communicant, maxime cũ teneatur ſcandalum proximi vitare. De altero impedimento ex parte miniſtri, quod nec eſt culpa nec pœna, ſcilicet cum quis nõ eſt ieiunus, Scotus 8. diſt. quar. q. 3. diſtinguit, quòd eſt quoddam ieiunium Eccleſiæ, & quoddam naturæ. Primum non ſoluitur niſi per aliquam refectionem extraordinariam præter morem Eccleſiæ: non enim ſoluitur per ſpecierum & medicinalium ſumptionem. Ieiunium vero naturæ eſt carentia cibi ſuſcepti in ſtomacho, vel in via ad ſtomachum a principio diei, a qua dicitur aliquis ieiunus: Et ſubdit,

quòd

quòd regulariter oportet ad perceptionem ſacramenti præfati, ſuſcipientem eſſe ieiunum ſimpliciter, ideſt ieiunio naturæ: Cuius non eſt alia cauſa niſi inſtitutio diuina, quam vel Chriſtus diſcipulis dedit, vel per ipſos promulgauit, vel ab eis inſtituẽdam reliquit. Vnde Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij, & habetur de conſecr. diſt. 2. c. Liquido, inquit: Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti, prius in os chriſtiani dominicum corpus intraret, quàm alij cibi. Et quidem rationabilis eſt inſtitutio propter reuerentiam ſacramenti, quæ minor eſt regulariter in pranſo, quàm in ieiuno: Et quia prius quęri debet cibus ſpiritualis, quàm corporalis: licet in aliquo neceſſitatis caſu poſsit infirmo non ieiuno elargiri. Si etiam aliquis ſuper aquam diceret verba conſecrationis, credens illa dicere ſuper vinum, qua ſumpta non eſſet ieiunus, cũ aqua non poſſit confici: tunc in iſto caſu ſecundum Scotum vbi ſupra, tenetur conſecrare ſanguinem de nouo, & conſecratum percipere, dato quòd non ſit ieiunus. Cuius ratio eſt: quia quãdo ſunt duo præcepta ordinata, mandatum ſuperioris magis ligat. Nunc autem præceptum Chriſti & Eccleſiæ, ac etiam ipſa ratio ſacramẽti exigit, quòd quando ſacramentum conficitur, conficiatur integrum: cum Euchariſtia (vt dictum eſt ſupra) ſit ex duobus integra: de qua integritate ſeruanda eſt diſtricta obligatio Eccleſiæ de conſecr. diſt. 2. c. Comperimus. Vbi dicitur, quòd ab integris arceantur: & loquitur de ſacerdotibus conficientibus, & poſtea non cõmunicantibus. Inde ſequitur, quòd qui iam percepit aquam ſimpliciter, tenetur ad illud complendum, quod prætermiſit, videlicet ad conſecrandum integre ſacramentum, & ſic conſecratum ſumere. Et ſi dicatur, iſte non eſt ieiunus; Reſpondet Scotus, quòd Eccleſia non intendit obligare iſtum in dicto caſu: maxime cum præcepta Chriſti & Eccleſiæ obligent ad ſeruandam integritatem ſacramenti. Nec iſte eſt perplexus: quia ſeruando præceptum ſuperioris, & præceptum ſtrictius Eccleſiæ benefacit: nec peccat omittendo mandatum minus graue de ſumendo hoc ſacramẽto ieiuno ſtomacho. Ad hanc ſacramenti integritatem non obligantur laici, videlicet ad ſumẽdam Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, propter tria. Primo propter amotionem erroris, ne ſimplices crederent totum Chriſtum ſub altera ſpecie non eſſe: cum dicat Auguſtinus epiſt. 118. Quòd ſub vtraque totus continetur Chriſtus: Secundo propter cauendam iniuriam: quia cum ſanguis ſit fluxibilis naturæ, cito & faciliter poſſet effundi, præcipue in tanta multitudine cõmunicantium. Tertio propter correſpondentiam veritatis ad figurã: quia in lege & ſacrificijs offerebantur libamina, de quibus nihil

habebant offerentes,ſed tantum ſacerdotes: licet de ſacrificio participarent. Et ideo vt congrue figuratũ & veritas conueniant ſigno, de ſacrificio,ideſt de corpore Xp̃i,ſub ſpecie panis dat̃ populo, ſed nõ ſub ſpecie libaminis, ideſt ſub ſpecie liquida. Vnde Gregorius Papa iij. ante 900. annos tacito quodã populorũ omniũ conſenſu, vtriusque ſpeciei communionem abroganit: quoniam quidam vino abundabant, quidam non: quo fiebat, vt vnus atque idem ritus apud omnes minime ſeruaretur: perdurauitq; huiuſmodi abrogatio vſque ad concilium Conſtantienſe. In quo primum exorti ſunt qui dicerent, populum ſub vtraque ſpecie, etiam ſumpto prandio vel cœna, Euchariſtiam ſumere debere. Quod cum eſſet ad patres concilij relatum, poſt maturam deliberationem habitam decretum eſt, quòd conſuetudo ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta,communicandi ſcilicet populum ſub vna ſpecie tãtum, & diutiſsime obſeruata, habenda eſſet pro lege: quam nec liceret reprobare, nec ſine Eccleſiæ auctoritate mutare: quodq; dicere, hanc conſuetudinem obſeruare, ſit ſacrilegium: aut illicitum, erroneum ſit: & pertinaciter oppoſitum aſſerentes, tanquam hæretici ſint arcendi. Vnde reuerendus Abbas a ſancto Trudone, qui floruit ſub Cæſare Henrico iiij. quem Trithemius libro de eccleſiaſticis ſcriptoribus claro proſequitur elogio, prædictam conſuetudinem (videlicet ꝙ Chriſti fideles ſiue clerici,ſiue laici ſint,qui tantũ cõmunicant & non conficiunt,ſub vna tãtum ſpecie,videlicet corpore, ſacramentum accipere debeant) non modo ante ſuam ætatẽ obſeruatam eſſe, ſed loco præcepti habitam luculenta atteſtatione demonſtrat: Quippe cum Eccleſia, quæ Spiritu ſancto perpetuo regitur,& Chriſti præſentia ad mundi vſque conſummationẽ cohoneſtatur, ex officio ſibi concredito eam approbarit,& decreto admodum maturo confirmarit. Ceterum atteſtationem ipſemet ſuam nedum oppido commendauit, verum & ſequenti(vt vir erat vndequaque diſertus) carmine inſigniuit. Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter ægris aut ſanis tribuat laicis de ſanguine Chriſti. Nam fundi poſſet leuiter: ſimplexq; pntaret, quòd non ſub ſpecie totus Ieſus eſſet vtraque. Ex inſtitutione igitur huius ſacramenti nulla eſt neceſsitas laicis ſub vtraque ſpecie communicandi: Nec Chriſti exemplum in iſto imitari oportet: quia de ſumptione ſacramenti vel ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie nihil diſpoſuit: & ſuper hoc ſpeciales habebat cauſas, de quibus Auguſtinus epiſtola 18. ad Ianuarium. Beatus etiam Paulus primæ Cor. xi. multa de ſacra Euchariſtia apud Corinthios ordinauit,& alias ſe diſpoſiturum pollicetur, cum dicit: Cetera cnm veñero diſponam. Certe enim varius fuit

huius

huius ſacramenti vſus: nam Saluator noſter duobus diſcipulis in Emaus corpus ſuum dedit ſub ſpecie panis tantum. Vnde Theophylactus in caput vltimum Lucæ inſinuatur, quòd oculi eorum, qui benedictum panem accipiunt, aperiuntur, vt cognoſcant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini, de qua etiã Chryſoſtomus inquit: quod ſacerdos de manu ſua dat, non ſolum ſanctificatum eſt, ſed & ſanctificatio: quoniam non ſolum hoc datur, quod videtur: ſed etiam illud, quod intelligitur. Si autem tale eſſet quod de manu ſacerdotis accipitur, quale eſt quod de mẽſa manducatur, omnes de menſa manducarent: et nemo de manu ſacerdotis acciperet. Vnde Dominus non ſolum benedixit panem, ſed de manu ſua dedit Cleophæ, & ſocio eius. Paulus nauigans nõ ſolum benedixit, ſed de manu ſua porrexit Lucæ & ceteris diſcipulis ſuis. Hoc domini ſui exemplum ſecuti Apoſtoli in Eccleſia hieroſolymitana, tantum ſub ſpecie panis ſacram Euchariſtiam diſcipulis diſpenſabant: perſeuerabãt enim diſcipuli in communione & fractione panis. Docuit nos quoque ipſemet Dominus panem noſtrum ſuperſubſtantialem, quem Cyprianus in tractatu de oratione dominica corpus domini interpretatur, a patre cęleſti eſſe petendum. In concilio etiam Nicęno hoc neque regula, inquit, neque conſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant: Veterum ẽt conciliorum canones frequẽter meminerunt communionis laicæ. Beatus Cyprianus ſcribit Trophimum Epiſcopum receptum eſſe, ſed vt tanquam laicus communicet, & non vſurpet locum ſacerdotis. Antiqua quoque conſuetudo Eccleſiæ eſt, quòd infirmis ſub altera tantum ſpecie ſacramentũ hoc miniſtretur, & regulariter ſub ſpecie panis: quibus ſi per infirmitatem corpus Domini ſumere nõ poterant, patres nonnulli ſancti & antiqui miniſtrabant ſanguinem Domini ſub ſpecie vini. In concilio etiam Vuormacien. præcipitur omnibus parochis, vt ſemper in promptu habeant corpus Chriſti pro infirmis. Teſtimonia autem communionis ſub vtraque ſpecie multa etiam ſunt. Nam Apoſtolus vbi ſupra teſtatur Corinthios ſub utraque ſpecie communicaſſe: & longisſima conſuetudine hunc morem in Eccleſijs apoſtolicis fuiſſe obſeruatum dicunt multi doctores, & ſpecialiter beatus Cyprianus epiſtola 2. libro primo. Ait namque: Quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſsione nominis Chriſti ſanguinem ſuũ fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculũ domini iure communionis admittimus? Et beatus Hieronymus in

cõmentum

cõmentum tertij capitis ſophoniæ. Sacerdotes, inquit, qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis diuidunt &c. Et ſanctus Laurentius ad Sixtum Pontificem, cum is iam ad ſupplicium duceretur, exclamauit: Quo ſacerdos ſine leuita properas? experire certe vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem. Et beatus Leo primus in 4. ſermone de quadrageſima præcepit, vt communio non fiat ſub ſpecie panis tãtum propter hæreſim Manichæorum & aliorũ, qui docebant Chriſtum aſſumpſiſſe phantaſticum corpus ſine ſanguine: ob quam cauſam contendebant Euchariſtiam ſine ſanguine eſſe ſumendam. Ex quo Leonis decreto conuincitur in romana Eccleſiã prius fuiſſe cõſuetudinem ſub vna tantum ſpecie communicare laicos, ſed eam tempore ſuo ſublatam eſſe, & inoleuiſſe conſuetudinem communicandi ſub vtraque ſpecie vſque ad tẽpora beati Gregorij: poſt quod tempus durauit communio ſub vna tantum ſpecie vſque ad concilium Conſtantienſe: in quo, vt dictum eſt ſupra, ordinatum fuit, vt eadem conſuetudo ſeruaretur vſque ad nouam Eccleſiæ determinationẽ. Non obſtante tamen tali variatione ſumendi corpus Chriſti vel ſub vna vel ſub duabus ſpeciebus, dicimus quòd laudabilis conſuetudo communicandi populum ſub vna ſpecie ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutisſime obſeruata, & a doctoribus diuinæ legis ſacrarũ ſcripturarum atque canonum multam peritiam habẽtibus iã a longæuo tempore commendata, quouſque aliud per Eccleſiam determinatum fuerit, pro lege ab omnibus tenenda eſt, & inuiolabiliter obſeruanda. Et hoc non modo propter rationes ſuperius adductas, ſed & propter hæreticam radicem euadendam, cum hæretici palam doceant eandẽ communionem ſub vtraque ſpecie eſſe laicis ex Chriſti prçcepto neceſſariam: quæ ſi eis concederetur, peſtilenti & hæretico, eorum errori fomentum & fauor præſtari videretur. Reſtat modo videre de vltimo impedimento, de quo ſuperius dictum eſt, quod erat ſecundum in ordinem, videlicet pœna tantum. Nulla enim talis ſcilicet pœna eſt pure naturalis, ſed tantum canonica: quæ vt breuiter dicamus, eſt aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi, qui alias competeret prohibito. Huiuſmodi pœnæ multæ ſunt, quæ non fundantur in aliquo defectu naturali, vt eſt degradatio, (quæ eſt duplex, videlicet actualis ſiue ſollemnis, & verbalis: de qua in c. Degradatio lib. 6. de pœnis) depoſitio, irregularitas, excommunicatio maior, ſuſpenſio ab executione eorum, quæ ſunt ordinis, ſimonia, & infamia, ſub qua continẽtur publicus fornicarius, & manifeſtus vſurarius. Nonnullæ etiam pœnæ fundantur ſuper

per

per defectus naturales, quibus Eccleſia addit pœnas canonicas, videlicet prohibitiones miniſtrandi, propter reuerentiam ſacramenti, & ad euitandum ſcandalum puſillorum, de quibus diſt. 55. per totum, & ext. de corpore vitiatis etiam per totum: Et merito, quia in lege etiam veteri, vt habetur Leuitici 21. ponitur talis lex. Qui habuerit maculam, non offeret Deo ſuo panem, & non accedet ad miniſterium eius: Ex parte miniſtri requiritur applicatio ornamẽtorum, de quibus de conſecr. diſt. pri. c. Veſtimenta. vbi dicitur: Veſtimenta quibus Deo miniſtratur, debent eſſe ſacrata, & honeſta: quibus non eſt vtendum, præter quam ad peragenda eccleſiaſtica officia, de quibus Innocentius de officio miſſæ par. 1. c. 10. inquit: Quòd ſunt ſex communia Epiſcopis & Presbyteris, ſcilicet amictus, alba, cingulum, ſtola, manipulus, & planeta. In quibuſdam vero locis inoleuit conſuetudo, quòd cingulum non benedicatur: et ex conſequenti ibi vti poſſunt eodem non benedicto. Si autem non ſacerdos vſurpat ſibi munus ſacerdotii, non ſolum peccat mortaliter & nihil facit: ſed etiam efficitur irregularis, vt habetur extr. de clerico non ordinato miniſtrante c. 1. & 2. Idem eſt ſimiliter dicendum de vſurpante ſibi ordinem, quem non habet. Pœna autem miniſtrantis in quocumque impedimento canonico, videtur eſſe irregularitas, vt patet ext. de cler. excom. vel depoſito in diuerſis capitibus, præcipue ſi miniſtrans ignoret ignorantia facti: quæ (vt habetur in eodem capitulo Apoſtolicæ) excuſat, niſi fama veridica & publica ſibi manifeſtet, quòd ſit tali pœna affectus. Inter præfata impedimenta non includitur minor excommunicatio: quia etſi peccet grauiter in minori excommunicatione celebrans, nullius tamen irregularitatis notam incurrit, vt habetur vbi ſupra c. Si celebrat. Simoniacus tamen dictam pœnam incurrit 1. q. 1. c. Presbyter: vbi Papa Gregorius ſimoniacos omnino damnat, ac deponendos auctoritate apoſtolica cenſet. Notorius etiam peccator ante pœnitentiam conficiendo non modo peccat mortaliter, ſed ſcandalizat: licet non inuenerimus in iure, quòd incurrat irregularitatem. Idem poteſt dici de publico vſurario. De infami autẽ, quem tamen pœnituit peccati, ſed nondum eſt reſtitutus in integrum, Scotus nõ audet dicere eum irregularem, cum non inueniatur in iure canonico, quòd tali pœna ſit afficiendus. Pro celebrantibus etiam cum ornamentis non conſecratis, non inuenitur in canone pœna ſupradicta: & ita ex quo iſta eſt pœna iuris poſitiui, ſi nõ infligatur a iure, non incurritur. Miniſter autem ex conditionibus requiſitis in eo non obſeruatis numquam incurrit irregularitatem niſi ex defectu ſacerdotij, vel ex alia taxata pœna ſimpliciter prohibente,

bente,

bente, & remouente eum ab exercitio illius. Si loquamur de requiſitis ex parte loci, oportet diſtinguere locum in locum proprie dictum, & in vas, quod eſt locus mobilis ſecundum Ariſt. 4. phyſ. Primo modo loquendo de loco requiritur, quòd non ſit interdictus, & quòd ſit ſanctificatus. Primum eſt neceſſarium ex parte miniſtri: quia celebrans in loco interdicto facit contra præceptum Eccleſiæ, niſi caſus occurrat neceſſitatis de conſecr. diſt. 1. c. Sicut. vbi dicitur: Non in alijs, quàm Domino conſecratis locis, ideſt tabernaculis a Pontificibus delibatis miſſas celebrare licet. Vnde in eadem diſt. dicitur: Nullus presbyter miſſas celebrare præſumat niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cetero voluerit eſſe ſacerdotij: Exceptio autem illa de caſu neceſsitatis habetur vbi ſupra c. Concedimus. Non enim veriſimile eſt, quòd obſeruationem illius præcepti decalogi Exodi 20. Sanctifica ſabbatum (quod Eccleſia interpretata eſt in hoc, quòd eſt audire miſſam die dominico, de conſecr. diſt. 1. c. Miſſas) voluerit dicta Eccleſia impedire per aliud præceptum minus neceſſarium: cum non debeat quis reſtringi ab obſeruatione magis neceſſarij, per arctationem ad minus neceſſarium. Oratorium ſiue locum facere ſacrum, non licet niſi auctoritate Epiſcopi de conſecr. diſt. 1. c. Nemo. In hoc autem loco requiritur ornatus, videlicet lumen, vt dicitur extr. de celebratione miſſarum c. vlt. Vnde de illo qui ſine igne ſanctificabat & aqua, dicitur: Mandamus, quòd officio & beneficio ipſum priues perpetuo. De loco autē mobili, ſiue vaſe, dicimus quòd vas remotum eſt altare, quod debet eſſe lapideum, de conſecr. diſt. 1. c. Altaria. vbi dicitur: Altaria ſi nō ſint lapidea chriſmatis vnctione non cōſecrentur. Vaſa vero propinqua ſuut calix & patena, quæ debent eſſe de auro, vel argento, vel ad minus ſi paupertas cogat, de ſtanno, vbi ſupra c. Vt calix. De ære autem, aut aurichalco calix non fiat, cum ob vini virtutem eruginem, vel rubiginem faciat, pariter & vomitum prouocet, Nullus quoque in calice ligneo vel vitreo præſumat celebrare. In vitro enim irrationabile eſt propter eius fragilitatem, ne ſanguis domini periculo exponatur: in ligno vero prohibetur, ne imbibat humorem. Hæc vaſa ſupradicta debēt eſſe conſecrata. De altari ſiue fixo, quo communiter vtimur in eccleſijs, ſiue portatili, habetur de couſecr. diſt. 1. in diuerſis capitibus, in quibus licet miſſas celebrare. Altare igitur ſupradictum, ſiue fixum, ſiue mobile oportet eſſe non enormiter fractum, extr. de conſecr. eccleſiæ, vel altaris c. Ligneis: quia ſi eſſet imminutum, deberet iterum benedici. Calice quoque & patena non niſi conſecratis vtendum eſt, vt habetur vbi ſupra. Vaſa etiam & altare debēt

eſſe

eſſe ornata: altare quidem tobalijs duabus (vbi eſt mos Eccleſiæ) cõſecratis: corporale oportet eſſe de ſindone munda, quod debet cooperire ad minus locum calicis & hoſtiæ, quæ collocari debent ſuper altare conſecratum fixum, vel mobile. Pœna autem celebrantium ſine ſupradictis ex parte vaſis & loci requiſitis, eſt irregularitas in duobus caſibus. Primus eſt, ſi ſcienter celebrat in loco interdicto a iudice, vt patet extra de clerico excommunicato miniſtrante c. Poſtulaſti: vel a iure, vt ſi eſt pollutus ſanguine vel ſemine extr. de conſecr. Eccl. c. vlt. Et in talibus, ſi notorium eſt factum, peccatum eſt celebrare: ſi autem priuatum eſt, & non peccatum, reconciliatione non indiget. Secũdus, ſi celebrat in calice non idoneo. Pœna tamen illa depoſitionis, quæ habetur de celeb. miſſarũ c. vlt. infligitur propter multa ſimul, videlicet: quia nõ vtebatur calice debito, nec aqua, nec igne, & ita dubium eſt, ſi propter quodcumque iſtorum ſeparatim debeat infligi depoſitio, cum omnia ibi concurrerent. Tertium, quod requiritur ad ordinate poſſe, eſt ex parte temporis, de quo Scotus 13. diſt. 4. q. 2. inquit: Quòd a principio diei vſque ad nonam miſſa congrue celebratur, non computando principium diei ab ortu ſolis ſuper orizontem noſtrum, ſed ab illa hora, ex qua radij ſolares illuminant hemiſpherium noſtrum, quod dicitur principium auroræ: quæ incipit ſecundum auctores in libro de crepuſculis, quando ſol eſt ſub orizonte ad decẽ & octo gradus: quorum aſcenſus non continet ſpatium vltra horam & quintam vnius horæ, loquendo de horis æqualibus. Et iſtud tempus celebrandi habetur c. Nocte, de conſecr. diſt. 1. vbi dicitur: Nocte vero ſancta Natiuitatis miſſas celebrent presbyteri. In ſabbato vero ſancto circa noctis initium miſſarum ſollemnia ſunt celebranda: quia illa pars diei artificialis, quæ eſt poſt nonam ſabbati ſancti, computatur cum nocte præcedente diem dominicam. Vnde in benedictione cerei dicitur: Hæc nox eſt. Vltimum requiſitũ eſt, quòd celebrantẽ oportet habere aliquẽ reſpondentẽ in perſona totius Eccleſiæ, vt denotetur, quòd eſt mediator inter Deũ & hominẽ, offerẽs ſacrificiũ Deo ꝓ Eccleſia, q̃ ſibi aſſiſtit in offerẽdo.

De intentione debita, materia idonea, & forma neceſſaria huic ſacramento. Cap. XXVIII.

QVOAD primum, ſcilicet de intentione debita, dicit Scotus diſt. 6. quar. quęſt. 6. quòd communiter duę intentiones aſſignantur, videlicet actualis, & habitualis, quibus rationabiliter tertia addi poteſt, ſcilicet virtualis. Ille enim dicitur actualiter intendere,

qui habet actum elicitum reſpectu eius, quod intendit: ille vero habitualiter, qui habet habitum inclinantem ad talem actum. Si. n. aliquis intendit a principio miſſæ celebrare, & poſtea diſtrahatur, certum eſt, quòd in illa diſtractione non habet actualem intentionem, cum tunc non intelligat illud in actu: nec ex cõſequenti velit. Nec habet tantum intentionem habitualem, cum talẽ habeat dormiens: habebit ſe ergo medio modo. Et hanc eius diſpoſitionem Scotus vocat intentionẽ virtualẽ: quia videlicet virtute alicuius intentionis prius habitæ actualiter facit omnia, quæ facit: ex illa, dico, tanquã ex radice: ita quòd illa intentio actualis fuit principiũ ordinatũ ad oẽs iſtos actus, & habet in ſe virtualiter intentionẽ propriã cuiuslibet iſtorum actuum, ſicut intẽtio finis habet in ſe virtualiter intentionem propriam cuiuſcumque ordinati ad finem. Et pro tãto manente intentione cuiuſcumque ad finem ordinati, manet iſta intentio actualis prima virtualiter in omnibus iſtis. Hoc modo intendens ire Hieroſolymam, ex intentione huius finis ordinat omnia neceſſaria ad illam peregrinationem. Exequens autem omnia illa ordinata, non ſemper cogitat de hieroſolymis, nec de reuerẽtia illorum locorum, in quibus Saluator generis humani noſtram operatus eſt ſalutem. In omnibus tamen ordinatis ad illam peregrinationem ſemper meretur: quia vel habet intentionem eorum, quæ ſunt ad viſitanda loca ſancta neceſſaria, quorum eſt illa prima intẽtio: vel habet actus quoſdam ſequentes ex illis intentionibus: licet in itinere concurrant aliqui actus diſtrahentes, & ab intentione illa prima, & ab intentionibus proprijs eorum, quæ ſunt ad illum finem. Et forte nonnulli martyres in actu ſuſtinendi martyrium nõ habuerunt intentionem niſi iſtam virtualem, quæ erat meritoria virtute illius primæ actualis intentionis, qua ſe ſponte pro Chriſto tradiderant in manus tyrannorum: immenſitas enim pœnarum abſorbebat forte vſum rationis eorũ. Quia tamen iſta perpeſſio pœnarum erat quidam effectus deriuatus ex intentione ſeruandi fidẽ Chriſti, ideo dum durabat paſſio, durabat etiam iſta intẽtio virtualis, ſicut in effectu, dummodo actus deſcendẽtes eſſent abſque omni motu voluntatis cõtrario interueniente. Ex quibus cõcludimus, quòd ſi induens ſe pro ſacro peragendo intendat actualiter celebrare ſecundum vſum ſanctæ romanæ Eccleſiæ, & conficere corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & facere in illo actu, quod mandat Chriſtus faciendum, & facit Eccleſia, proferatq; verba neceſſaria ad conſecrationem vtriuſque ſpeciei tanquam talia, & illa quæ ſunt ad reuerentiã, ſimiliter vt talia, ſacrumq; ſiue miſſam licet cum magna diſtractione continuet, vere facit ea, quæ ſunt neceſſa-

ria

tia ad hunc actũ ſacramentalẽ,& conſequenter vere conficit: Quippe cum Deus non obliget ad tam difficile, immo fere impoſſibile vinculum, videlicet ad non diſtrahi: eo quòd ſecundum Auguſtinum 3. de libero arbitrio. Non ſit in poteſtate noſtra, quin viſis tãgamur: Et hæc virtualis intentio eſt illa, quæ requiritur ex parte miniſtri, etiam in alijs ſacramentis. Sufficit igitur miniſtro, vt intendat proferre verba conſecrationis, eo modo quo Chriſtus inſtituit ea proferenda: quibus tanquam inſtrumento a tali agente adhibito, Deus aſſiſtit cauſans in vltimo inſtanti talem effectũ. Ad hæc quæritur de materia huius ſacramenti, an ſit panis & vinum. Sanctus Thomas parte 3. q. 74. art. pri. reſpondet, quòd materia ante conſecrationem eſt panis & vinum: quia Chriſtus accepit in ſanctas manus ſuas panem & vinum. Melchiſedech quoque, qui ſuo ſacrificio, vt dictum eſt ſupra, figurabat Chriſtum, obtulit panem & vinum: Et rationabiliter, tum quantum ad vſum ſacramenti, qui eſt manducatio, (ſicut enim aqua aſſumitur in ſacramẽto baptiſmi ad vſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis communiter ſit in aqua: ita panis & vinum ad refectionem ſpiritualem, eo quòd homines regulariter his corporaliter reficiantur) tum etiam quoad effectum reſpectu totius Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex diuerſis fidelibus, ſicut panis ex diuerſis granis, & vinum ex diuerſis racemis, vt dicit glo. ſuper illud pri. Cor. 10. Multi vnum corpus ſumus. Nec vnum poſſet ſine alio confici, cum non eſſet perfectum ſacramentum in ſignificatione myſterij, licet eſſet perfectum in ratione contenti: quia tantum continetur ſub vna ſpecie, quantũ ſub vtraque. Panis autem huiuſmodi debet eſſe triticeus: cum Chriſtus, qui vere continetur in hoc ſacramento, comparauerit ſe grano frumenti Ioannis 12. Et panis debet adeo eſſe ſanus, vt non ſoluatur ſpecies. Propter hoc nonnulli tenent, quòd cum amylum ſit ex tritico corrupto, in pane ex eo confecto non poſsit confici. Si etiam eſſet adeo magna commiſtio farinæ alterius ſpeciei a tritico, vt mutaret ſpeciem, non eſſet materia idonea ad conficiendum. Non eſt tamen de neceſsitate ſacramenti, quòd panis ſit azimus vel fermẽtatus, quia in vtroque confici poteſt. Cõueniens tamen eſt, vt vnuſquiſque ſeruet ritum Eccleſiæ ſuæ: dicit enim beatus Gregorius in regiſtro: Romana Eccleſia offert panes azimos, (ideo punitus eſt ſacerdos, qui in pane fermentato celebrare præſumpſerat in c. per literas de celebr. miſſarum) Græci vero conficiunt in fermentato. Conſuetudo tamen celebrandi in azimo eſt rationabilior: Tũ quia Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit prima die azimorum, quo die in domibus iudæorũ nihil fermentatũ habebatur Exo. 12. Tum quia

panis azimus eſt magis proprie corporis Chriſti ſignificatiuus, cum fuerit ſine corruptione conceptum: Tum etiam quia hoc magis cõuenit ſynceritati fidelium, quæ requiritur ad vſum ſacramenti, ſecundum illud: Itaque epulemur in azimis ſynceritatis, & veritatis prim. Cor. 5. Ad hæc ſubdimus, quòd ſicut ſolus panis triticeus eſt materia huius ſacramenti, ita etiam & vinum vitis, præcipue cũ Chriſtus in vino vitis hoc inſtituerit ſacramentum Matth. 26. dicens: Amodo non bibam de hoc genimine vitis. Non refert tamẽ, an ſit album, vel rubrum. Ceterum quemadmodum ex pane corrupto non poteſt confici hoc ſacramentum, ſic nec ex vino corrupto, aceto, aut in aliam ſpeciem cõuerſo: quanquam bene ex vino aceſcenti, ſicut de pane, qui eſt in via ad corruptionem: licet peccet conficiens. In agreſta non poteſt confici, cum nondum habeat ſpeciem vini: licet bene in muſto, eo quòd vini ſpeciem habeat. Prohibitum tamen eſt a Iulio Papa ne muſtum ſtatim expreſſum de vua propter eius impuritatem in calice offeratur: ſi tamen fuerit neceſſe, botrus ſecundum eundem Iulium in calice prematur. Aquam vero vino permiſcendam eſſe ſcribit Alexander Papa, dicens. In ſacrorum oblationibus, quæ inter miſſarum ſollemnia celebrantur, panis tantum, & vinum aqua permiſtum in ſacrificium offerantur; Hoc enim cõuenit repræſentationi dominicæ paſſionis: quia vtrũque ex latere Xp̃i in paſſione effluxiſſe legitur. De qua aqua beatus Auguſtinus in lib. de ſacramentis ait: Redundat aqua in calice, & ſalit in vitam æternam. Non eſt tamen permiſtio aquæ ſimpliciter de neceſſitate ſacramenti ſecundum beatum Cyprianum dicentẽ, Si quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter, vel ſimpliciter nõ obſeruauerit, vt ſcilicet aquam miſcuerit in ſacramento, poteſt ſimplicitati eius venia concedi: quod non eſſet, ſi eſſet de neceſſitate ſacramenti. Nouellam quorundam anteceſſorum traditionem merito reprehendit & damnat, qui vel ignoranter, vel ſimpliciter aquam ſolum in calice domini ſanctificando offerebant, non intelligentes myſterij plenitudinem & maieſtatem in ſola aqua, vel vino ſolo non impleri: vnde & exorti ſunt hęretici, Aquarij inde appellati. Si quis tamen ſolum vinum conſecraret, quantumuis ſacrilege & grauiſſime peccaret, eſſet tamẽ vera conſecratio. Eſt enim naturale corpori humano vulnerato, quòd ex eo profluat ſanguis: ſed effuſio aquæ non eſt de neceſſitate paſſionis. Sed ad oſtendendum paſſionis effectum, qui eſt ablutio a peccatis, & ad refrigeriũ contra ardorem concupiſcentiæ, voluit Deus, quòd ex latere Chriſti exiret ſanguis & aqua. Ideo aqua non offertur ſeorſum a vino, ſed permiſta & in parua quantitate. Vnde in c. Pernicioſus extra

de celebr. miſſarum dicitur. Perniciosus in tuis partibus inoleuit abuſus, videlicet quòd in maiori quantitate aqua in ſacrificio ponitur, quàm vinum: cum ſecundum laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem plus vini, quàm aquæ in ipſo ſit ponendum. Et quia finis huius ſacramenti, ad quem ſpecialiter ordinatur, eſt vſus fidelium, ideo oportet, quòd quantitas materiæ illius determinetur per comparationem abſolute ad vſum eorum, & nō reſtringatur ad determinatum numerum hoſtiarum.

De forma conſecrationis panis & vini. Cap. XXIX.

PRO intelligentia formæ conſecrationis panis & vini habenda, eſt notandum ſecundum Scotum. 8. diſt. quar. q. 2. Quòd ſicut hoc ſacramentum, vt dictū eſt ſupra, eſt vnum vnitate integritatis, & non indiuiſibilitatis, cum in ſe includat duo ſigna partialia, quæ primo repræſentant duo propria ſignata proxima, corpus ſcilicet, & ſanguinem, et duo remota, videlicet cibationem & potum ſpiritualem: Ita etiam eſt vna conſecratio vnitate integritatis, & plures formæ partiales, quarum diſtinctio patet: quia vna eſt efficax ſine alia: alioqui fideles corpus adorantes ante ſanguinis conſecrationem eſſent idololatræ, quod eſt falſum. Forma conſecrationis Euchariſtiæ ſub ſpecie panis ſecundum beatum Matth. Marcum, Lucam, & Paulum pri. Cor. ij. eſt iſta. Hoc eſt corpus meum. Conſuetudo tamen romanæ Eccleſiæ ex traditione Apoſtolorum adiūxit hanc dictionem (enim) propter coniunctionem ad verba præcedentia, quæ ſunt. Accepit panem benedixit, fregit, dicens: accipite, & comedite: Hoc eſt enim corpus meum. Vnde conſecrans, ſi omitteret illam coniunctionem (enim) licet conſecraret, peccaret tamen mortaliter in non ſeruando Eccleſiæ ritum. Vnde beatus Ambroſius in lib. de ſacram. Conſecratio fit verbis, & ſermonibus domini Ieſu. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, Laus Deo offertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, & ceteris. Et verba immediate præcedentia ſunt Euangeliſtæ, hiſtoriam & rem geſtam texentis. vbi autem ſacramentum conficitur, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos vtitur, ſed Chriſti. Vis autem conuerſiua, ſiue tranſſubſtantiatiua, quæ eſt in verbis, ſequitur ſignificationē, quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur. Vnde licet ſit in omnibus verbis per modum fluxus, non tamen in quolibet verbo habet effectum, ſed in vltimo inſtanti terminatiuo vltimæ dictionis, in quo ſignificatio dictionis terminatur: Et ideo hæc virtus dicitur ſimplex,

licet in ipſis verbis exterius prolatis ſit compoſitio. Sciendum eſt vlterius, quòd pronomen demonſtratiuum (hoc) non demonſtrat panem, cum panis non ſit corpus Chriſti: nec etiam ſignificatum per hoc complexum (hoc eſt corpus meum) cum in ſacramentis hoc efficiatur, quod ſignificatur:& ſic per hanc formam non fieret, quòd Chriſtus eſſet in hoc ſacramento ſecundum virtutem: ſed demonſtrat contentum ſub his ſpeciebus, ſub quibus erat panis, eſſe corpus Chriſti in vltimo inſtanti locutionis. Pronomen igitur nõ demonſtrat accidentia, ſed ſubſtantiam ſub accidentibus contentam. De forma autem ſanguinis dicit Scotus vbi ſupra, quòd non eſt nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam conſecrationis ſanguinis pertineant aliqua verba poſt iſta, ſanguinis mei: an verba omnia ſequentia vſque ibi, hoc facite: Ideo periculoſum eſt aſſerere, de quo ſufficiens auctoritas non habetur. Non eſt autẽ periculoſum ignorare: quia videtur ignorantia inuincibilis. Quod ergo erit conſiliũ? Reſpõdet, quòd ſacerdos intendens facere, quod facit Eccleſia, legenſq; diſtincte verba a principio vſque ad finem, vere conficit. Nec eſt tutum alicui ſe reputare valde peritum, & dicere volo vti præciſe his verbis pro conſecratione ſanguinis: ſed ſecurior eſt ſimplicitas dicentis, volo iſta verba proferre ſub ea intẽtione, ſub qua Chriſtus inſtituit ea eſſe proferenda: vt quæ ex Chriſti inſtitutione ſunt de forma, dicere vt de forma: & quæ ad reuerentiam, ex reuerentia. Tota tamẽ forma ſanguinis, videlicet: Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorũ, ex diuerſis ſcripturæ locis accipi poteſt. Nam, hic eſt calix, habetur Lucæ 22. Matthæi autem 26. ſcribitur, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Sanctus vero Lucas loco illorum verborum, ſcilicet pro multis, ponit pro vobis. Quod autem additur æterni teſtamenti, & myſteriũ fidei, ex traditione domini habetur, quæ ad Eccleſiam per Apoſtolos peruenit, ſecundum illud: Ego enim accepi a domino, quod & tradidi vobis. Et notandum, quòd hæc dictio calix ſumitur pro poculo in calice contento. Nullus namque liquor potabilis accipitur niſi in vaſe: Ideo Chriſtus non accepit immediate vinum tangendo, ſicut panem: ſed accepit in calice contentum. Senſus igitur huius propoſitionis (hic eſt calix ſanguinis mei) eſt contentum ſub his ſpeciebus in vltimo inſtanti terminatiuo verborum, eſt ſanguis, qui tunc erat effundendus, & nunc eſt effuſus. Subditur, Noui & æterni teſtamenti, & rationabiliter: quia nouum teſtamentũ in veritate exhibebat vitam æternam, quam vetus in figura oſtendebat: & di-

citur

citur æternum, ideſt perpetuum ſecũdum Scotum : quia poſt iſtud, non erit aliud . Additur myſterium fidei: vbi myſterium non ponitur ad excludendam rei veritatem,ſed ad oſtendendam occultationem : quia corpus & ſanguis Chriſti occulto modo ſunt in hoc ſacramento . Ipſa etiam paſsio Chriſti , quæ occulte fuit figurata in veteri teſtamento, dicitur etiam myſterium fidei , quaſi fidei obiectum . Quòd enim ſanguis Chriſti ſecundum veritatem ſit in hoc ſacramento,ſola fide tenetur. Vltimo ſubinfertur: Qui pro vobis,& pro multis effundetur : quod ſic intelligitur , pro vobis ſcilicet Iudæis , ad quos Chriſtus in perſona Apoſtolorum loquebatur : & pro multis, videlicet gentilibus,ex quibus multo plures erãt ſaluãdi . Non tamen dicitur pro omnibus : quia licet ſanguis & paſsio Chriſti ſufficienter ſatisfecerint pro toto mundo, vt dicitur pri . Io. 2 . Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris , non pro noſtris autem tantũ, ſed etiã totius mundi , immo ꝓ infinitis , ſi tot poſſent eſſe : Nõ tamẽ efficaciter cũ nõ omnibus applicentur propter eorum indiſpoſitionẽ.

De veritate huius ſanctisſimi ſacramenti. Cap. XXX.

POST conſecrationem panis & vini,tranſſubſtantiatis ſubſtantia panis in verũ corpus ſaluatoris noſtri, & ſubſtantia vini in verum eius ſanguinem , firmiter credendum eſt ab omnibus, & ſimpliciter confitendum, verum corpus Chriſti cum eiſdem dimenſionibus , quas habet in cælo : licet ſecundum eas non commenſuretur ſacramento ſiue ſpeciebus illis, ſimiliter & ſanguinem,animam , ac diuinitatem vere & realiter eſſe ſub ſacramento . Hanc verborum Chriſti intelligentiam de vera reali ac durabili pręſentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Euchariſtia ex conſecratione ſacerdotis ſine dependentia ab vſu , quam etiam Chriſti verba ſecundum ſermonis proprietatẽ faciunt , ſemper docuit Eccleſia Xp̃i catholica , & vniuerſi patres a tẽporibus apoſtolorũ ſemper ſecuti ſunt : Qui olim vt hæreticos etiam damnauerunt, quotquot docere,aut ſentire auſi ſunt corpus & ſanguinem Chriſti in ſacramẽto eſſe,tãquam in ſigno & figura,ſiue vſu dumtaxat . Quæ ſententia in multis etiam œcumenicis concilijs tanquam certa fide credenda, eſt definita . Nam in celeberrimo concilio Lateranenſi ſub Innocentio 3 . cui omnes quatuor Patriarchæ interfuerunt , definitum eſt conformiter ad concilij Epheſini primi : quòd vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia , extra quam nullus omnino ſaluatur . In qua idem ipſe ſacerdos eſt ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus

& ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter cõtinentur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinẽ poteſtate diuina. In concilio etiam generali Viennenſi tempore Clemẽtis quinti aperte dicitur, quòd in hac ſacramentali Chriſti cõmemoratione Ieſus Chriſtus eſt, ſub alia quidem forma, in propria tamen ſubſtantia. Aſcenſurus quoque in cælum dixit Apoſtolis Matth. 28. & eorum ſequacibus. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſeculi, benigna eos promiſſione confortans, quòd ſcilicet permaneret, & eſſet cum eis etiã pręſentia corporali. In œcumenico poſtremo concilio Florentiæ celebrato ſub Eugenio quarto in epiſtola ſynodatica approbante toto concilio dicitur, quòd non ſolum corpus & ſanguis Chriſti, ſed totus Xp̃us eſt vere reali præſentia in Euchariſtia: & ob errorẽ huic doctrinæ contrarium Berengarius archidiaconus Andegauenſis primo damnatus eſt in ſynodo Vercellenſi ſub Leone 9. deinde ſub Victore 2. qui etiam errorem iſtum tanquam hæreticum abiurauit: panemq; & vinum in ſacrificio Domini non vmbratiliter & figurate, ſed vere Chriſti carnem & ſanguinem fieri confeſſus eſt: & ad eam fidem in poſterũ tenendã ſe iuramẽto aſtrinxit: ſed tandem in hæreſim relapſus a Nicolao 2. ad cõciliũ Romæ 114. Epiſcoporũ coactũ vocatus, rationibuſq; cõuictus reſipuit: Hinc iterũ & primũ illud dogma, quod bis ſollemniter abiurauerat, nõ deſtitit ꝑ diuerſa loca ſeminare: propter quod a Gregorio 7. ad conciliũ Romæ celebratũ vocatus circa annũ milleſimũ ſeptuageſimũ nonũ ob eãdẽ impietatẽ tertio iam damnatur. Qui ſe grauiſſime erraſſe cõfeſſus corã frequẽti illa ſynodo tertio abiurauit antiquum ſuum errorem, veniamq; ab apoſtolica benignitate eſt aſſecutus. Nec eſt mirandum, quòd poſt tertiam etiam abiurationem adhuc ſit ei parcitum, & conceſſum, vt reuerteretur ad archidiaconatum ſuum: eo quia tempore ſuo nondum conſtitutæ erant ſanctiones canonicæ de tradendis brachio ſeculari his, qui pertinaciter perſiſterent in ſuis erroribus, aut in eoſdem ſemel abiuratos relaberẽtur: quę poſtea ad improbam hæreticorum coercendam peruicaciam recte & vtiliter, immo & neceſſario ſunt decretæ, poſtquam docente experientia citra mortis ſupplicium eorum contagio, aliorumq; ſubuerſio cohiberi non poterat, vt docet ſanctus Chriſti martyr Epiſcopus Roffenſis. Ceterum Martinus lutherus perpetuus intelligẽtiæ ſcripturarum corruptor, fatetur ſe ſtuduiſſe, vt alio hæc verba domini detorqueret: ſed ob euidentem eorum claritatem, quod volebat non potuiſſe: ſic enim habet in epiſtola, quam ſcribit. Chariſſimis in Chriſto amicis & chriſtianis Argentinæ. Hoc diffiteri nõ

poſſum,

poſſum, nec volo: ſi Caroloſtadius, aut alius quiſpiam antę quinquennium mihi perſuadere potuiſſet in ſacramento præter panem & vinum eſſe nihil, magno ille me beneficio deuinxiſſet: grauibus enim curis anxius in hac excutienda materia, multum deſiderabam omnibus neruis extenſis me extricare, & expedire conatus ſum: probè perſpiciebam hac in re papatui cũ primis me valde incommodare poſſe. Verum ego me captiuum video, nulla elabendi via relicta: Textus enim Euangelij nimis apertus eſt, & potens, qui facile conuelli non poteſt: multo minus verbis, aut gloſſis ex capite vertiginoſe confictis ſubuerti: ſum enim (proh dolor) plus æquo in hanc partem propenſus, quantum Adami mei naturam aduertere poſſum. Hactenus ille. Ponit enim nobiſcum præſentiam Chriſti corporis & ſanguinis in hoſtia & calice, tametſi neget tranſſubſtantiationem, cum ponat ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem manere cum corpore & ſanguine Domini in propria forma. Nec ſunt audiendæ rationes hæreticorum, & infidelium irriſiones, aut ſuggeſtiones, ſiue illuſiones dęmonum, quas immittũt, vt a fide nos deuiare faciant: ſed audiant doctrinam concilij Tridẽtini ſeſſion. 13. can. primo, dicentis. Si quis negauerit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramẽto contineri vere realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vna cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo vt in ſigno, vel figura, aut virtute, Anathema ſit. Berengarius archidiaconus Andegauẽſis diſcipulus Petri Abailardi, aduerſus quem Bernardus ad Innocentium pontificẽ multas ſcribit epiſtolas, primus legitur docuiſſe verba conſecrationis ſecundũ tropum eſſe intelligenda. Ad excutienda tamen omnia ſupradicta, notanda, & perpetuo memoriæ tradenda ſunt quatuor fundamenta, quæ habemus ex ſacris literis, & ſanctis doctoribus ab Eccleſia approbatis. Primum ex diuo Paulo, qui 2. Cor. 10. inquit: In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti: hoc eſt ad credendum omnibus, quæ Chriſtus dixit, & obediendum ei. Secundum ex primo capite beati Lucæ. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, cum Deus poſſit facere omne illud, quod intellectus poteſt concipere. Tertium eſt ex Domino Hilario in libro de Trinitate, vbi ait: cum Deus ſit infinitæ potentiæ & actiuitatis, & intellectus noſter ſit finitus & limitatus: ſequitur, quòd Deus multo plura poſſit facere, quàm intellectus noſter intelligere: Ideo beatus Iob cap. 36. ait: Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. Quartum eſt, quòd cum Chriſtus ſit Deus & veritas per eſſentiam (iuxta illud. Ego ſum via, veritas, & vita) mentiri non poteſt,

teſt. Vnde ad Hebr. 6. dicitur: Impoſſibile eſt Deum mentiri. Inde ſequitur, quòd quicquid ipſe dixit, verum eſt: ſed Saluator noſter accepto pane, dixit: Hoc eſt corpus meum, non vt in ſigno, ſed realiter, prout manifeſtant verba ſequentia, videlicet: quod pro vobis tradetur: & de ſanguine: Qui pro vobis effundetur: cum clarum ſit verum corpus traditum fuiſſe, & verum ſanguinem effuſũ: ex conſequenti erit ibi vere, & realiter. Et hoc fecit, vt correſponderent vltima primis. Primum enim miraculum, quod fecit, fuit conuerſio aquæ in vinum: Vltimum vero conuerſio panis in corpus, & vini in ſanguinem. Vnde ſi (pro quia) credimus ſcripturæ dicenti Gen. 1. In principio creauit Deus cælum & terram: quare nõ credimus dicenti, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum? Si credimus, quòd Deus ſubito ex limo terrę Adam formauerit, & ex eius coſta Euam Gen. 2. quare non credimus vinum conuerſum in ſanguinem? Si credimus vxorem Loth conuerſam in ſtatuam ſalis, de qua Luc. 17. Mementote vxoris Loth: quare non credimus tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti? Si credimus, quòd Moyſes virtute Dei conuerterit virgam in colubrum, & aquas in ſanguinem: quare non credimus conuerſiones in hoc ſacramento: cum non maior virtus requiratur hic, quàm ibi, præcipue cum hoc Eccleſia atteſtetur, quæ eſt columna veritatis? Vnde in concilio Epheſino contra Neſtorium, vt dictum eſt ſupra, cui præfuit Cyrillus nomine Papæ: & in concilio Lateranenſi, vt habetur in c. Firmiter, extra de ſumma Trin. & fide cath. dicitur. Vna eſt vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur: In qua idẽ eſt ſacerdos, & ſacrificium Ieſus Chriſtus: cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini realiter cõtinetur, trãſſubſtãtiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina. Et in ſynodo Nicęna de hac ſancta Euchariſtia dicitur: Iterum etiã hic in diuina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panẽ & poculum, ſed attollentes mentem fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi incruẽte a ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem nos vere ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum, vt ſciamus quod non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus. Omnes etiam ſancti doctores ab Eccleſia approbati idem ſentiunt. Vnde in præfat. tertij libri corrobor 2. docet dominus Ioannes Epiſcopus & Martyr Roffenſis, quòd ſi nullæ penitus extarent ſcripturæ, quibus huius ſacramenti veritas probaretur, non tamen eſſet alienum a munificentia tanti principis, immo amantiſſimi ſponſi, munus tã

incomparabile ſuæ ſponſæ relinquere. Et licet nonnulli doctores dicant, quòd corpus, quod videtur, non manducaturi ſumus, non intendunt propter hoc excludere veritatem corporis Chriſti, ſed modum manducandi: cum non ſit manducandus viſibiliter in ea ſcilicet ſpecie, qua ab Apoſtolis videbatur.

De fructu ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Cap. XXXI.

CVM eſu ligni vetiti parens noſter prolapſus eſſet in mortem, quam vna cum peccato propagauit in vniuerſum humanum genus, ſeipſum Chriſtus in nouiſſima cœna cibum fidelibus inſtituit, per quem in vitam reſurgere, & illam amiſſam recuperare liceret: vt quemadmodũ per vetitũ cibum lethaliter ſumus ſauciati: ita per hunc, quẽ Xp̃us nos ſumere præcepit, ſanaremur: & vnde ſubrepſit mors, inde vita veniret. De præcepto primo dicitur Gen. 2. Quacũque die comederitis, morte moriemini. De hoc vero, ſi qs comederit ex hoc pane viuet in æternũ Ioan. 6. & hoc tã uita gratię, quam confert digne ſumentibus Euchariſtia, quàm vita gloriæ, quam ſpe conſequimur, manducantes corpus Domini. De prima vita dicit Chriſtus: Qui manducat me, viuet propter me. De ſecunda: Qui manducat meam carnem, habet vitã æternam. Vnde ſi quis digne manducauerit hunc cibum ſpirituali quadam coniunctione Chriſto arctiſsime vnietur, particeps effectus carnis ſcilicet, & ſanguinis eiusdem: quæ quando ſumitur facit vt Chriſtus in nobis ſit, & nos in Chriſto, non animo tantum reformante, ſed carnem etiam noſtram ad vitam & immortalitatẽ præparãte, ſicut ab Hilario 8. de Trinit. & Cyrillo lib. 10. in Ioan. c. 13. traditum legimus. Mortui enim ſumus peccatis, vt iuſtitiæ viuamus, Chriſtus vero vita eſt: & hic eſt primus fructus Euchariſtiæ. Secundus, quia cum illam ſumimus, efficimur participes paſſionis Chriſti: recordari enim illã iuſſi ſumus, dum recipimus. Remiſsionem igitur peccatorum cõfert hoc ſacramentum. Vnde Chryſoſt. ſuper illud Ioan. 19. Exiuit ſanguis & aqua, homil. 84. Sciunt, inquit, hoc initiati: per aquam enim regenerati ſanguine & carne nutriti: hinc myſteria ortum habent, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas: remittuntur enim in hoc ſacramento venialia: In baptiſmo vero & pœnitentia omnia, mortalia ſcilicet, & venialia. Et ratio eſt: quia cum charitas per Euchariſtiam inflammatur, operit multitudinem peccatorum pri. Petri 4. Quamobrẽ prius per pœnitentiæ ſacramentum nos expiari oportet, quam ad

hanc tremendam menſam accedamus: ad quam ſi quis venerit criminis capitalis reus, non vitam, ſed mortem habebit. Reus enim erit, vt dicit Apoſtolus, corporis & ſanguinis Domini 1. Cor. ij. Modum, quo mortalia per ſacrificij altaris oblationẽ remittuntur, declarat beatus Thom. diſt. 12.4.q. 2.ar. 2. in ſolutione argumenti. Euchariſtia, inquit, nõ modo eſt ſacramẽtum, ſed & ſacrificium. Inquantum autem ſacramentum eſt, in ſolo viuente effectum habet. Requirit enim vitam præexiſtere, ſed inquantum eſt ſacrificium, effectum habet etiam in alijs, pro quibus offertur. In quibus non præexigit vitam ſpiritualẽ in actu, ſed in potentia tantum: Et ideo ſi eos diſpoſitos inueniat: gratiam eis obtinet, virtute illius veri ſacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit: Et per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed inquantum gratiam contritionis impetrat: proxima namque cauſa remiſſionis peccatorum eſt baptiſmus & pœnitentia ſaltem deſiderata, Quo modo peccata etiam mortalia delet oblatio ſacrificij crucis. Tertius effectus eſt, quòd ſumentes verum corpus Chriſti, efficimur & ipſi corpus Chriſti myſticum, de quo Paulus pri. Cor. 12. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro: & c. 10. Vnus panis & vnũ corpus multi ſumus, q de vno pane participamus. Significat enim, quòd nos cum ſimus multi, vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Si igitur digne ſit ſumptum, hoc efficit, vt vnum cum capite noſtro: vnum & ipſi inter nos efficiamur. Vnum efficimur cum Deo, cui voluntate adhæremus: Vnũ cum Chriſto, cui tanquam vnius corporis membra capiti connectimur: Vnum etiam inter nos, cum ſimus membra multa, quæ corpus vnum efficiunt. Ad hoc corpus, cuius caput eſt Chriſtus, pertinent non modo, qui ſunt in hac vita, verum & pij omnes, qui cæleſtibus iam gaudijs perfruũtur: Et ij ſimul, qui felicitatem illam expectant: ſed quia purgatione indigent, in purgatorio ſunt: cum nõ niſi purgati ingredi poſſint regnum cæleſte, in quod nihil coinquinatum introibit. Hi orationibus ſuperſtitum adiuuãtur: Vnde Auguſtinus de verbis Apoſt. homil. 17. dicit: Ideoq; habet eccleſiaſtica diſciplina, quòd fideles nouerunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vt non pro ipſis oretur, pro ceteris vero commemoratis defunctis oretur: Iniuria eſt enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus cõmendari. Et tract. 84. in Ioan. Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quẽadmodum alios, qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus: ſed magis vt ipſi orent pro nobis, vt eorum veſtigijs adhæreamus: quia impleuerunt ipſi charitatem, qua dominus dixit Ioan. 15. nõ

poſſe

poſſe eſſe maiorem. Et contra Fauſtum lib. 20. c. 21. Nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamuis in memoriam martyrum cõſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit offerimus tibi Petre, aut Paule? ſed quod offertur, Deo offertur, qui martyres coronauit. Latria enim, ſiue ſeruitus debita Deo, illi exhibetur ſoli, ad quem ſpectat oblatio ſacrificij: & lib. 8. c. 27. ſimiliter & lib. 22. c. 10. de ciuit. Dei dicit: Illos enim, vt pro nobis intercedant, orare poſſumus & debemus: ſacrificium autem præterquam ſoli Deo offerre fas non eſt. Vnde Chryſoſt. in epiſt. ad Philip. homil. 3. apoſtolicum hoc eſſe inſtitutum aſſerens, dicit. Nõ fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerãdorum myſteriorum memoria fiat eorũ, qui hinc diſceſſerunt: Nouerunt enim multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Beatus Dionyſius in eccleſiaſt. hierar. c. 7. commemorationem defunctorum in miſſæ ſacrificio facere, apoſtolicam vult eſſe traditionem. Damaſcenus librum ſcripſit de iis, qui in fide hinc migrarunt, quòd ſacris operationibus & viuorum orationibus viuent. Qualiter autem affectus eſſe debeat, ſi digne manducare velit quis carnes agni, & bibere eius ſanguinem, manifeſtat beatus Paulus 1. Cor. 2. cum dicit: Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Vnde ſi in veteri lege, vbi figura tantum fuit, non permittebatur accedere ad altare, qui maculam haberet, quanto minus illud licere debet in hoc ſacramento, in quo verũ corpus Chriſti, & verus ſanguis eſt? Quãobrem ſuam quiſque conſcientiam diligenter examinet, ne quod bonum eſt, male malus accipiat. Vnde Auguſtinus tract. 26. in Io. Videte, inquit, fratres, panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate: peccata etſi ſunt quotidiana, vel non ſunt mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si dimittis, dimittetur tibi: ſecurus accede, panis eſt, non venenum. Sed vide, ſi dimittis: nam ſi non dimittis, mentiris: & ei mentiris, quem non fallis: mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Vnde ſi quis digne & ad ſalutem accipere vult, elaborare debet, vt ſit membrum Chriſti, hoc eſt vt per fidẽ & charitatem Chriſto adhæreat. Hoc enim ſacramentum ab Auguſtino vbi ſupra vocatur ſacramentum pietatis, ſignum vnitatis, vinculũ charitatis. Vnde admonet, quòd qui accipit myſterium vnitatis, & non ſeruat vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Annuntiatur in hoc ſacramẽto Chriſti mors,

vt inquit beatus Paulus vbi ſupra. Porro Chriſtus mortuus eſt, vt morte ſua nos Deo patri ſuo cæleſti reconciliaret: vt reconciliatos vnum cum illo, vnum nos ipſos inter nos faceret. Quiſquis igitur hanc vnitatem rumpit, vel a Chriſto peccando ſe ſeparat, vel ab eius corpore, quod eſt Eccleſia, ſuo pluſquam illius iudicio tribuendo, ſegregat, vel à quocumque membro per odium ſe diuidit, quid aliud facit, quàm quòd crucifigit ſibimetipſi filium Dei, dum eadem illa deſignat, propter quæ Chriſtus crucifigi, & mori dignatus eſt, quem peccata noſtra de cælo detraxerunt, ac tam acerbis illius cruciatibus cauſam dederunt? Vnde fit, vt non ad vitam, ſed mortem ſumat vitam: reus enim efficitur corporis & ſanguinis domini. Vnde pſal. 68. dicitur: Fiat menſa eorum coram illis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum. Nec ſolum pro peccatis remittendis valet hoc ſacrificium, verùm etiam pro qualibet neceſſitate. Vnde ait beatus Chryſoſtomus homil. 77. in Ioannem Communes in ſacrificio preces effundimus pro non initiatis & infirmis,& pro terræ mariſq; & vniuerſi orbis fructibus ſacrificamus. Et beatus Auguſtinus lib. 22. de ciuit. Dei c. 8. dicit, Per oblationem ſacrificij domum quandam liberatam eſſe à virtute noxia malignorum ſpirituum. Vnde in libro 9. confeſſionum c. xi. & 28. matrem ſuam commendat, quòd inſtante reſolutionis ſuæ die,non de ſepulchri honore, ſed de hoc vno ſolum eſſet ſolicita, vt frequens ipſius ad altare fieret memoria,in qua ſciret diſpenſari victimam illam ſanctam, qua deletum eſt peccati chyrographũ, quod erat nobis contrarium. Si enim Euchariſtia non poſſet alijs applicari, neque pro alijs offerri, tunc ſolum holocauſtum eſſet non pacificum, neque propitiatorium ſacrificium: omnis namque Pontifex & ſacerdos, vt inquit beatus Paulus ad Hebræos 5. pro hominibus cõſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Nec eſt ſimile de alijs ſacramentis, quæ non ſunt ſacrificia: & ideo percipiens ſacram Euchariſtiam cum ea ſolum vtatur vt ſacramento, hoc eſt vt cibo & potu, ſumenti tantum hæc perceptio prodeſt, non alijs. De vario modo ſumendi hoc ſacramentum vide Scotum diſt. 8. 4. ſent. q. 3. Vbi inquit: quòd aliquis poteſt ſumere hoc ſacramentum,non tamen ſacramentaliter,nec ſpiritualiter,vt ſi quis ſumat hoſtiam conſecratam,non tamen vt conſecratam, ſed non diſcernens eam a communi cibo, contra quem Apoſtolus pri. Cor. xi. non diiudicans corpus domini,id eſt non diſcernens a communibus cibis. Quidam poteſt ſumere ſacramentum ſacramentaliter tantum: vt ille qui credit, quòd ibi ſit vere & realiter corpus domini: ſed ſi eſt in mortali peccato, non recipit ſpi-

ritualiter, ideſt non recipit effectum, ad quem eſt ordinata dicta ſuſceptio, qui eſt animæ nutritio per charitatem datã a Chriſto. Quidam autem poteſt ſumere et ſacramentaliter, & ſpiritualiter, quo modo recipit illud bonus chriſtianus, ſine conſciẽtia peccati mortalis, qui vere nutritur, & Chriſto cibo ſpirituali vnitur & incorporatur ſecundũ Aug. dicẽtẽ: Crede & manducabis me, nõ me conuertens in te, ſed tu conuerteris in me. Quidam vero ſumit ſacramentũ ſpiritualiter tantũ, vt quãdo bonus chriſtianus ſecundũ poſſibilitatem ſuam bene & deuote paratus eſt illud ſumere ſacramẽtaliter, tamen propter reuerentiam abſtinet: vel propter aliquod legitimum impedimentum: ſiue quia forte non habet miniſtrum ſibi illud porrigentẽ, cui poteſt dici illud Aug. quod habetur de conſecr. diſt. 3: vt quid paras dentem & ventrem? crede, & manducaſti: & talis ſpiritualiter tantum nutritur.

De ſacramento pœnitentiæ. Cap. XXXII.

PER lauacrum regenerationis in hanc vitam ingredimur, non vt ocio vacemus, & delicijs: ſed vt contra mundum, carnem, & diabolum in acie ſemper ſtemus: ad quos hoſtes noſtros ſuperandos datur nobis in confirmatione adiutor Spiritus ſanctus, cuius virtute facilius impetum eorum propulſare poſſimus. Fit nihilominus, ſicut in prælijs vſu venire ſolet, vt ſæpe ab hoſtibus noſtris ſauciati corruamus, & quam per ſanctum baptiſmum adepti vitã fueramus, eam morte commutemus. Non vult tamen Pater ille miſericordiarum, qui benignus eſt, & præſtabilis ſuper malitia, quemquam de venia lapſum deſperare: ideo huic quoque rei remedium inſtituit, pœnitentiæ ſcilicet ſacramentum: per quod lapſo reſurgere liceret: Et hoc eſt contra Nouatum, a quo Nouatiani, de quo Euſebius lib. 6. c. 33. inquit: quòd ſpem ſalutis ademit peccantibus, etiam ſi digne pœnituiſſent. Tollebat autẽ Nouatus illud quod ante eum Eccleſia facere conſueuerat, videlicet pœnitentiam, quo ad id vſque tempus Eccleſia mederi ſolita fuerat his, qui poſt baptiſmum peccaſſent peccato ad mortem: Neque hæreticus habitus eſt Nouatus, quia pœnitentiam tolleret, qua parte per priſcos pœnitentiales canones politicum quoddam habebat ab humana conſtitutione natum: ſed quia eam tollebat, qua parte diuinum eſt inſtitutum, et aut ſcripturis expreſſum, aut apoſtolica traditione de manu in manum acceptum. De animi enim dolore ſiue diſplicentia nullum eſt hic dubium, ſicut nec de propoſito relinquendi vitã

veterem, cum eas non ſuſtulerit Nouatus. Quin referente ſocrate libro 4. c. 28. docebat relapſos ad Euchariſtiam quidem admittẽdos non eſſe, ſed exhortandos ad pœnitentiam animi nimirum dolorem: Sed quia pœnitẽtia ante Nouatum complectebatur exomologeſin, ſicut diſcimus apud Euſebium lib. 6. c. 44. in hiſtoria, quæ eſt de Serapione, cui addidit Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus hanc ſententiam: Vides ne, inquit, quòd ſenex hic tandiu in vita conſeruatus ſit, donec abſolueretur: & vt deleto eius peccato propter bona, quæ fecerat, confiteri poſſet, cuius confeſſionis, ſcilicet ſacramentalis, luculenta ſunt teſtimonia, & apud Dionyſium ad Demophilum, & apud Origenem, & Cyprianum, qui vixit ante & poſt hæreſim Nouati. Vnde quando catholici doctores dicunt, quòd Nouatus tollit pœnitentiam, id non de vniuerſa pœnitentia accipi poteſt, ſed de confeſſione & abſolutione, quæ fit per ſacerdotẽ: eo quòd poteſtatem remittendi peccata ſoli Deo, & non ſacerdotibus attribuebat. Et ne quis putet confeſſionem & abſolutionem Serapionis politicam dumtaxat rem fuiſſe, qualis eſt apud Cyprianum lib. 3. epiſtola 17. cum ex defectu presbyteri confiteri nos vult diacono, & per eum nos reconciliari: Aduertat Dionyſium ſtudio certo iſta narrare propter Nouatianos, quorum hæreſis paulopoſt defunctum Serapionem extiterat. At Nouatiani de politica abſolutione cum catholicis non pugnabant, an ſcilicet relapſis concedi deberet, ſed de inſtituta diuinitus abſolutione, & qua lapſis ſic cõtingeret remiſſio peccatorum coram deo, vt idonei eſſent ad ſumptionem Euchariſtiæ: Itaque Nouatianos cap. 10. ad Hebræos ita loquentes inducit Chryſoſtomus: Non eſt tutum, inquit, myſteria præbere his, qui peccauerunt: quia non eſt altera remiſſio. Quod dictum perinde valet, ac ſi dixiſſent: baptizatis quidem Euchariſtiã tuto præbemus, quia contingit ipſis per baptiſmũ peccatorũ remiſſio. At relapſis nõ eſt tutũ prębere: quia nõ habet Eccleſia alterum ſacramentũ, per quod ipſis cõtingat remiſſio altera baptiſmali ſimilis. Nã quin fide, quin precibus, quin eleemoſynis, & alijs huiuſmodi exercitijs reconciliationẽ impetrare relapſi poſſint, Nouatus in dubiũ nõ reuocauit: ſed ſeparatus eſt ab Eccleſia, vt inquit Zozomenus lib. primo. c. 22. propter diſſidiũ, quod inter Nouatum & Corneliũ ſub Decio acciderat: quodq; communicatione myſteriorum indigni ſint, qui ſe poſt baptiſmum peccati (quod ſacræ literæ ad mortem vocant) reos faciunt: & ſic vt dictum eſt ſupra, poteſtatem remittendi peccata ſoli Deo, non ſacerdotibus attribuebant. Dicti Nouatiani ſuperbo nomine Catharos, ideſt mundos, appellarunt ſemetipſos: ob quam rem a Cornelio Papa concilium Romæ

congregatum

congregatum eſt Epiſcoporum ſexaginta,totidem presbyterorum, cum diaconis multis: vbi ſtatutum fuit, Nouatum cum ſequacibus alienum eſſe ab Eccleſia.Eos vero,qui lapſi fueriut in certamine,fraterna commiſeratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicãdos. Hic Cornelius fuit. xx. Papa ſub beato Petro, qui in eodem concilio reuocauit ſententiam concilij Carthaginenſis,& beati Cypriani de rebaptizandis hæreticis ad nos venientibus: qui tamen Cyprianus librum edidit contra dictum Nouatum, lapſos ad pœnitentiam cohortãdo. Hæc pœnitentia,ſiue hoc ſacramentum dicitur eſſe reſurgentium: cuius virtute fit,vt cum corruerimus, eleuemur. Et ſi in iſta colluctatione, quæ nobis eſt aduerſus principatus & poteſtates tenebrarum harum, nos proſterni contigerit, ad hoc pœnitentiæ remedium confugiamus: per quod erigi, ac vires recuperare poſſimus. Pronior enim eſt Deus ad miſerendum, quàm nos ad miſericordiam eius petendam. Vnde dominus Gregorius Nazian. theologus in oratione in ſanctum lauacrum,ait:Iucundius dat Deus, quàm alij acceptant. Simul vt dereliquerit impius viam ſuã, & vir iniquus cogitationes ſuas, ac ad dominum conuerſus fuerit, (Eſaię 55.) obuijs, quod aiunt, manibus eum ad ſe reuertentem recipit: & eſt maius gaudium in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis. Cauſa enim effectiua huius pœnitentiæ virtutis, vt inquit diuus Bonauentura in 14. diſt. 4. ar. 2. q. 2. Deus eſt, ſed diſpoſitiua a nobis: qui enim creauit nos ſine nobis, non iuſtificat nos ſine nobis. Diſpoſitio hoc ordine procedit: Neceſſe eſt primo Dei bonitatẽ & iuſtitiam agnoſcere, cui omne malum & inordinatio diſplicet, a qua offenditur, nulloq; modo malum culpæ relinquit impunitum: et poſtea ſe aliquid feciſſe, quod diuinæ diſplicet bonitati: deinde cognoſcat ſe homo ex diuina ſententia obligatum ad pœnam. Quo facto neceſſe eſt Dei miſericordiam cognoſcere: qua paratus eſt omni reuertenti, & de culpa dolẽti remittere & indulgere: Ex quarum cognitionum prima generatur timor: de quo magiſter hic in litera inquit. Quòd pœnitentia timore concipitur. Ex ſecunda vero ſpes remiſsionis: Et ex his,videlicet ex volũtate ſeſe reconciliandi Deo, & ſatisfaciendi per gemitum,& alia ordinata media, cum incipiat facere quod in ſe eſt, diſpoſitus eſt talis ad iuſtificationem. Ex quo videre liquet, quòd magis timore, quàm amore quis diſponatur: cum peccator non habeat Dei, ſed ſui amorem: Iſte autem amor numquam generat pœnitentiã,niſi quia timet.Vnde quandiu amat & credit, non refugit peccatum, ſed quando timet: ideo non concipitur fide: cum ante timorem non ſit pœnitentiæ ſeminarium,

quod eſt ceſſare a malo. Ex quo etiam patet, quare magis timore, quàm ſpe: quia timor ſeruilis concipit, ſpes vero promouet: Nec hoc inconuenit, quia conceptio iſta non eſt per productionem in eſſe, ſed per diſpoſitionem & præparationem: Ideo non oportet, quòd pœnitentia ſit cū timore ſeruili, ſed ſufficit, quòd timor præparet ad pœnitentiam. Et vt magis diſtinctè prędicta intelligamus, notandum, quòd pœnitentia inquantum eſt actus, qui (Deo operāte noſtram inſtificationem, & cui cooperamur) a timore ſeruili vt in pluribus procedit & in filiali terminatur, ſex comprehendit actus. Quorum primus eſt Dei operatio conuertentis cor, ſecundum illud Hier. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. Secundus eſt motus fidei, quæ fundamentum eſt totius ſtructuræ ſpiritualis, & noſtrę iuſtificationis. Tertius eſt motus timoris ſeruilis: quo quis timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ cōſequendæ aſſumit propoſitum ſe emendandi. Quintus eſt motus charitatis: quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, etiam non propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis: quo quis propter reuerentiā Dei emendam voluntarie offert. Et ſic patet, quòd actus pœnitentiæ, quo iuſtificamur, procedit communiter a timore ſeruili, ſicut a primo motu affectus ad hoc ordinato: a timore vero filiali, ſicut ab immediato & proximo principio. Nec per hoc, quòd dicimus eam procedere a timore, excludimus, quin procedat ex actione Dei conuertentis cor. Peſſimus autem error eſt, & crudeliſſimus eorum, qui dicunt pœnitentiam non poſſe iterari: cum claudat viſcera diuinæ miſericordiæ: cogeret enim tunc fere omnes peccatores deſperare: Ideo ſanctus Bonauentura in eadē diſt. concludit, quòd iterari poteſt, quotieſcūque peregrinamur a Domino: non ſic baptiſmus: Cuius ratio eſt triplex. Prima, quia in baptiſmo imprimitur character, qui eſt indelebilis: non ſic in pœnitentia. Secunda, quia baptiſmus eſt contra morbum non iterabilem, videlicet peccatum originale: pœnitentia vero contra iterabilem, vt eſt peccatum actuale: Medicina enim debet aptari morbo. Tertia eſt, quia baptiſmus habet totam efficaciam a paſſione Chriſti: non ſic pœnitentia, quæ vltra hoc pendet ab actu noſtro: Ideo baptiſmus non iteratur, ſicut nec Chriſti paſſio. Pœnitentia vero iteratur, ſecundū quod voluntas noſtra cōuertitur, vel reuertitur. Inde eſt, quòd omnis pœna in baptiſmo remittitur: in pœnitentia non. Baptiſmus etiam ſi iteraretur eſſet nobis occaſio peccandi: non ſic pœnitentia, quæ peccata impunita non relinquit. Et pro hac aſſertione habemus exemplum in Dauid, qui primo peccauit homicidio, & pœnituit:

nituit: rurſus peccauit numerando populum, & iterum pœnituit: & tamen Deus vtramque pœnitentiam acceptauit. Si vero obijciatur illud Amos primo: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum, vbi glo. beati Hieronymi inquit: Quòd quarto eadem peccata committenti, nec pœnitentiam, nec indulgentiam ſe daturum denuntiat. Reſpondet diuus Bonauentura circa literam Magiſtri, quòd beatus Hieronymus intelligit per primum peccatum conſenſum in corde: per ſecundum progreſſum ad opus: per tertium aſſuefactionem ad illud: per quartum finalẽ perſeuerantiam in illo, vel nolle pœnitere: & pro hoc nec dat pœnitentiam, nec veniam: cum poſt mortem non ſit locus pœnitentiæ. Ab alijs tribus liberat: pro quibus ſicut dat pœnitentiam, ita & veniam: ſicut innuitur in reſuſcitatione trium mortuorum: quorum primum in domo, ſecundum in porta, tertium Dominus ſuſcitauit in ſepulchro.

Pœnitentia quomodo ſit voluntaria: & quæ ſint cauſæ illius. Cap. XXXIII

PRO declaratione tituli huius capitis præmittendum eſt ſecundum Scotum 14. diſt. quar. q. pri. Quòd duplex eſt iuſtitia, ſcilicet habitualis, vt charitas: & actualis, vt rectitudo, quæ ineſt actui elicito. Actus enim elici poteſt conformiter ſuæ regulæ, in qua conformitate conſiſtit rectitudo illius: et per conſequens erit duplex iniuſtitia, videlicet habitualis, vt priuatio gratiæ, ſiue charitatis in anima: et actualis, vt priuatio ſupradictæ rectitudinis in actu. Tranſeunte autem actu peccati intrinſeco & extrinſeco, remanet quædam iniuſtitia habitualis: ſed non ab illa ſola denominatur quis peccator: quia ita diceretur peccator, qui commiſiſſet vnum ſolum peccatum, ſicut qui commiſiſſet mille. Cuius ratio eſt, quia ita eſt priuatus tota gratia, qui commiſit vnum ſolum, ſicut qui mille. Iniuſtitia vero actualis manere non poteſt ceſſante actu: cum illius ſubiectum proximum ſit actus in anima, ſicut & rectitudinis ſibi oppoſitæ. Et ſubdit, quòd nihil reale abſolutum, ſiue relatiuum eſt in aliquo, ceſſante actu peccati, a quo cenſeatur peccator. Et ſi dicatur aliquid derelictum ab actu manere, vt habitus vitioſus: ſubdit, quòd illud non eſt formaliter peccatum, cum poſſit ſtare in iuſtificato. Graues enim peccatores non ſtatim, quando ſunt iuſtificati, habent illam pacem, quam habent perfecti, & in virtutibus exercitati. Sed eſt ſecundum præ-

ſatum, quædam relatio rationis, inquãtum eſt obiectum intellectus diuini, vel voluntatis, quæ poſt commiſſum crimen ordinat peccatorem ad pœnam correſpondentem: Et tunc intellectus præuidet dictum ordinem pro omni tempore, donec pœna fuerit ſoluta. Vnde beatus Auguſtinus ſuper pſal. 31. videlicet: Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, inquit: Videre Deũ peccata, nil aliud eſt, quàm ad pœnam imputare. Auertere autem faciem a peccatis, eſt ea non ad pœnam reſeruare: & peccata dicuntur ab eo tecta, cũ ea punire nõ intendit. Ipſum igitur peccatum manere in reatu poſt actum tranſeuntem, nil aliud eſt, niſi ipſum a Dei voluntate ordinari ad pœnam condignam illi peccato. Et hoc patet in ſimili: quia ſi quis offendat magnũ principẽ tali offenſa, quòd correſpõdeat magna pœna, ceſſãte illo actu, nihil eſt in illo, quod prius nõ fuerit, vnde modo dicat̃ inimicus, & nõ prius: ſed tãtum in volũtate domini offenſi eſt actus tranſiens ſuper ipſum. Et propter hoc in ipſo eſt relatio rationis, videlicet ordinatio ad pœnam, vt in obiecto volito, vel ordinato ad talem pœnam. Ita in peccatore tranſeunte actu peccati, nihil aliud eſt, niſi iſta relatio ſcilicet ordinatio ad pœnam: quæ vt eſt diſconueniens animæ, dicitur eius macula: vt autem formaliter eſt obligatio ad illam pœnam, dicitur reatus: vt vero eſt actus voluntatis diuinæ, in qua eſt tota illa realitas, per quẽ actum ordinatur ad talem pœnam, dicitur offenſa. Nihil enim aliud eſt offendi vel iraſci Dei, quàm velle vindicare iſta pœna. Excluſa igitur paſsione in hoc velle, dicitur Deum eſſe formaliter iratum vel offenſum: cum formaliter velit vindicare peccatum commiſſum contra legem ſuam: quod deleri poteſt, & quandoque deletur iuxta illud ſymboli Apoſtolorum: Remisſionem peccatorum. Et Deus eſt, qui remittit: prædeſtinatus enim aliquãdo labitur in peccatum, vt Dauid, Petrus, & Paulus: Non autem beatificari poteſt (ad quod principaliter per prædeſtinationem ordinatur) niſi deleto peccato modo prædicto: cum nullus beatificetur remanens obligatus ad pœnam ſoluẽdam. Dicimus vltra, quòd non remittitur ſine pœna, vel æquiualente in acceptatione diuina. Per quodcumque igitur peccatum offendatur Deus, offenſa eius nil aliud eſt, quàm velle vindicare, & punire: & ex conſequenti ad eius deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquiualens in acceptatione diuina: licet regulariter per pœnam ordinetur, præcipue cum dicat Boetius 4. libro de conſol. proſa 4. Quòd pœna eſt ordinatiua culpæ: quod ſic intelligitur ſecundum beatum Thomam prima. 2. q. 87. ar. pri. Quia homo a tribus iuſte puniri poteſt, eo quòd a triplici ſubiectione peccando receſsit: ſubditur enim homo primo ordini propriæ rationis: deinde ordini

exterioris

exterioris gubernatoris ſpiritualiter, vel corporaliter, politice, aut œconomice : poſtremo ordini diuinæ gubernationis. Peccans vero hos tres peruertit ordines, agendo contra rationem naturalem, cōtra legem humanam, & contra legem diuinam . Operæpretium igitur eſt, vt qui talis eſt, triplicem pœnam ſuſcipiat, per quam ad ordinem, quem peruerterat, redigatur . Punitur homo primo a ſeipſo per remorſum conſcientiæ : Secundo ab homine per varia nocumēta : Vltimo vero a Deo : qui ſic punitus redigitur ad ordinem, cum illi, a quo pœnam patitur, vel inuitus ſubditur, ſubiici noluerit peccando . Non eſt enim proprie pœna ſine culpa . Vnde beatus Auguſtinus lib . primo retractationū c. 9. dicit : Omnis pœna, ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur. Pœna autem duobus modis poteſt conſiderari: Aut in vera ratione ſatisfactionis : & hoc modo vnus innocens poteſt ſatisfacere pro alio, vt fecit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui omnia peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: Aut in vera ratione pœnæ: de qua dicimus, quòd inquantum eſt vindicta, & punitio, numquam infligitur niſi propter culpam propriam . Pœnæ huiuſmodi propriæ conuenit ordinare culpam . Et ratio eſt : quia omne peccatum eſt actus inordinatus: & omne peccans contra aliquem ordinem agit : Ideo oportet, vt ad eundem ordinem per pœnam redigatur, quem peccando deſeruerat. Ad deletionem igitur peccati requiritur punitio volūtaria: quod dicimus ꝓpter damnatos, qui ſatispatiūtur, & nō ſatisfaciūt : ſimiliter & propter illam pœnam, quæ ſequitur peccatum, quæ non eſt voluntaria : de qua beatus Auguſtinus in lib . pri . de confeſſione : Iuſſiſti domine, & ita eſt, vt pœna ſit ſibi quiſque peccator . Pœna vero tripliciter poteſt dici voluntaria : Vno modo cōtra quā non omnino voluntas remurmurat, ſed patienter tolerat : Secundo quæ voluntarie acceptatur : Tertio quæ voluntarie cauſatur : & hoc vel a cauſa proxima partiali, quæ non intendit talem effectum : vel vt a cauſa remota principali, quæ eundem intendit . Pœna patienter tolerata, poteſt dici voluntaria, ſecundum quid : cum malū pœnæ (dum non eſt contra rationem rectam) poſſit non modo abſolute patienter, ſed ordinate ſuſtineri, & acceptari in ordine ad iſtum finem : de qua Auguſtinus in lib . de pœnitentia inquit : Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat . Triſtitia autem in voluntate non poteſt cauſari, niſi a duabus cauſis videlicet actuali nolitione alicuius exiſtentiæ, & actuali apprehenſione illius, iuxta illud beati Auguſtini 14 . de ciuit . Dei . c . 15 . Triſtitia eſt diſſentio animi ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt . Huiuſmodi cauſa communis poteſt eſſe voluntas, imperans actum conſiderationis,

tionis, & actum nolitionis eiuſdem obiecti: & hoc in ordine ad illum finem intentum, vt ſequatur triſtitia puniens. Et reſpectu dictæ deteſtationis eſt cauſa immediata: reſpectu vero triſtitiæ mediata. Ex quo patet, quomodo prima pœna, videlicet triſtitia, poteſt eſſe ſumme voluntaria & a voluntate, ſicut a cauſa totali, remota tamen, applicante cauſas partiales proximas huius effectus. Et licet omnis pœna videatur inuolũtaria comparata ad volũtatem ſequẽtem affectionem commodi, eſt tamen volũtaria voluntate acceptãte, ac ſequente affectionẽ iuſtitiæ. In iſta ergo punitione voluntaria conuenit multa conſiderare: Primum quidem velle punire peccatum a ſe commiſſum, quod eſt velle imperatiuum, ſeu efficax coniungens cauſas proximas ipſius punitionis paſſiuæ: Secundo nolle peccaſſe, quod eſt cauſa partialis proxima, licet non intendat pœnã illã: Tertio velle acceptare pœnã illã paſſiuã iam inflictam: Quarto patienter ferre punitionem. Quæ quatuor ſic explicãtur: Vindicare cõmiſſum: Deteſtari illud: Acceptare pœnã inflictã: Et patienter ferre eandẽ. Et ſecundũ has quatuor acceptiones erit quadruplex definitio eius, quod eſt pœnitere, de quibus in ſequenti capite.

Pœnitere quid ſit ſecundum quatuor præfatas conſiderationes. Cap. XXXIIII.

PRIMA pœnitentiæ definitiò eſt: Pœnitere eſt vindicare peccatum a ſe cõmiſſum: ex qua patet, quòd ibi tenetur pœna: cum applicare ſibi pœnam, ſit tenere eam: Et hoc ſiue in affectu, ſiue in effectu: cũ vindicãs nõ minus vindicet, ſi quandoque pœna nõ ſequatur ꝓpter defectũ alicuius cauſæ ſecundæ, dũmodo ipſe æque intendat pœnã infligere. Secũda deſcriptio eſt: Pœnitere eſt deteſtari, vel odire peccatũ a ſe cõmiſſum: vbi in proxima cauſa partiali tenetur pœna: Et hoc poteſt intelligi de diſplicentia habenda de peccato ſub ꝓpria ratione: Vel in generali ſimul de quolibet a ſe cõmiſſo: Vel de diſplicẽtia formali vel virtuali, quæ eſt actus virtualiter includẽs illã diſplicentiã: vt actus martyrij ſancti Bonifacij, qui dato quòd eſſet magnus peccator, tamẽ ſtatim vt vidit martyres patientes, exclamauit, Chriſtianus ſum. Iſte actus licet formaliter nõ includeret deteſtationem peccati, includebat tamen eandem virtualiter, vel eminenter. Tertia deſcriptio: Pœnitere eſt pœnam inflictam ꝓ peccato ſuo gratãter acceptare: & hoc modo tenet pœnã tanquam obiectum per actum voluntatis: quod intelligitur de acceptatione, in qua iſta includitur, ſicut volitio entis ad finem includitur in volitione

litione finis. Vltima deſcriptio: Pœnitere eſt pœnam pro peccato ſuo inflictam patienter ſufferre: per quod etiam patet, quomodo conformiter ad ſententiam Magiſtri in litera, hic ſit etiam pœnam tenere: quia non abijcitur murmurando. Vnde dicitur ſuſtinere, quod eſt ſub actione agentis infligentis, ſe illi conformando, tenere. Ad deletionem igitur cuiuslibet peccati mortalis actualis poſt baptiſmum cōmiſſi, requiritur aliqua punitio voluntaria vno quatuor prædictorum modorum, loquendo de pœnitentia actuali, ideſt actu pœnitendi, qui eſt tenentia actualis pœnæ. Intelligitur autem requiri non ſimpliciter neceſſario, cuius oppoſitum includat contradictionem: cum poſſet Deus remittere ſine illo actu: poſſet etiã remittere per aliquem feruẽtem motum dilectionis in Deum abſque aliquo pœnitere præfato. Ad hoc tamen quòd regulariter deleatur, requiritur motus præfatus: dicimus regulariter, quia ſit ſecundum regulas determinatas a ſapientia diuina: quarum hæc eſt vna, quòd peccatum non deleatur ſine diſplicentia de commiſſo, quæ eſt rationabilis. Quia ſicut peccatum auertit a fine, & conuertit ad creaturam: Ita rationabile eſt, quòd non deleatur niſi per motum oppoſitum auertentem a peccato, ſiue a creatura, circa quam fuit peccatum, & conuertentem ad Deum. Dicit enim Scotus vbi ſupra q. 2. quòd pœnitere ſecundum omnes quatuor præfatas deſcriptiones poteſt eſſe actus virtutis, quia conformis rationi rectæ: cum ſecundum rectam rationem quilibet legislator vindicet trãſgreſſionem legis. Vnde Ariſt. 10. Ethi. c. vlt. poſt doctrinam de vitijs & virtutibus, ſtatim introducit legem poſitiuam tanquam vltricem vitiorum, & præmiatricem virtutum. Si enim legislator recta ratione vindicat, miniſter recta ratione exequitur: Cum vniuerſaliter rectitudo ſubminiſtrationis ſit ex cōformitate eius ad agẽs, cui ſubminiſtrat. Modo vnicuique commiſſum eſt eſſe miniſtrum Dei ad vindicandum in ſeipſo peccata a ſe commiſſa. Pœnitere autem primo modo eſt ſic vindicare in ſeipſo: & ex conſequenti pœnitere hoc modo, ſemper erit actus virtutis elicitus, vel aptus natus elici a virtute, vel generare virtutem, cum ſit conformis rectæ rationi. Pœnitere etiam ſic, requirit præcognitionem diſtinctam eius, de quo pœnitet. Vnde ſequentia ſe habent per ordinem: Videlicet imperare cauſarum proximarum partialium triſtitiæ coniũctionem: Ipſæ cauſæ partiales coniunctæ, quæ ſunt effectus immediatus dicti imperij: Effectus remotus præfati imperij, ipſa ſcilicet triſtitia, vel complacentia dictæ triſtitiæ, quæ eſt actus voluntatis, habens triſtitiam pro obiecto: Et poſtremo gaudium de triſtitia: quæ omnia hoc modo inter ſe diſtinguuntur. Primum quidem, vi-

delicet actus imperatiuus a cauſis proximis triſtitiæ, ſicut cauſæ principalis, & remotæ a cauſa ſecundaria & propinqua: Secundum a tertio, ſicut cauſæ ab effectu, & actionis a paſſione: Tertiũ a quarto, ſicut obiecti ab actione: Et quartum a quinto, ſicut obiecti a paſſione appetitiua de illo obiecto. Iſtorum quinque nihil eſt vindicare per ſe, niſi primum, videlicet ipſum velle imperatiuum. Ex ſupradictis elicitur, quòd pœnitere primo modo eſt actus ſpecialis virtutis, cum poſſit habere ſpeciale obiectum, ſcilicet peccatũ vindicabile, & circunſtantias ordinatas, videlicet finem, modum, & huiuſmodi. Non tamen eſt actus virtutis intellectualis, ſed appetitiuę. Imperare enim intellectui, vt conſideret: & voluntati, vt deteſtetur, non conuenit niſi voluntati: cum voluntas ſecundum Auguſtinum lib. ij. de Tri. c. 3. imperet ſibi & intellectui. Erit igitur appetitiuæ non ordinantis ad ſeipſum, vt ſunt temperantia & fortitudo: ſed ad alterum, vt iuſtitia. Poteſt enim actum iſtum vindicãdi quilibet eodem modo ſecundum rectam rationem in alterum, ſicut in ſeipſum, exercere: ſi etiam exercet illum in ſeipſum, non facit niſi vt in alterum, cum id non faciat in ſe, niſi vt committitur ſibi a legiſlatore in iſtum reum vindicare. Vnde accidit, quòd iſte, cui committitur, ſit ipſe reus. Vindicare etiam hoc modo non eſt principaliter propter correctionem rei, licet quandoque correctio ſequatur: Sed eſt per ſe, vt ordinetur culpa per pœnam, eo modo quo dictum eſt ſupra: & vt obſeruetur lex punitiua, in quem tranſgreſſum eſt, quod non eſt crudelitas: cum vlterior finis ſit bonum commune: eſſet tamen, ſi ſtaretur in alio fine, quàm in bono communi. Eſt ergo actus iuſtitiæ punitiuæ, quæ diſtinguitur contra cõmutatiuam, & amicitiam: & nobilior inter actus iuſtitiæ in cõmuni, dempto actu præmiationis, cum ſit proprius legiſlatori: etſi alij conuenit, hoc eſt ex eius commiſſione: Actus tamen præmiandi eſt excellentior: quia & ſoli principi conuenit, ſicut præcedens: & vltra hoc, præmium habet vtrumque extremum nobilius, videlicet meritum pro quo fit, & præmium quod confertur, & perſonã meritam cui confertur, quæ excellunt pœnam, culpam, & perſonam rei, cui pœna infligitur. Iſte actus, cuius eſt imperare intellectui & voluntati, imperio pertinente ad iraſcibilem, & ad potentiã aliquam habẽtem ſe ad aliquid ſimile iraſcibili virtuti, eſt voluntatis: ſicut enim iraſcibilis ſenſitiua in virtute ſuo modo vindicat: ita & illa potẽtia, quæ imperat vindictã in parte intellectiua, habet quoddam ſimile iraſcibili: nec conuenit hoc imperare niſi voluntati. Quantum ad ſecundam ſignificationẽ huius termini pœnitere, quæ eſt deteſtari peccatum commiſſum, dicit idem doctor, quòd po-

teſt

teſt eſſe actus virtutis, cum poſſit eſſe actus electiuus conformis rationi rectæ, quæ ſuadet: quòd ſicut eſt complacendum in bono honeſto, ita & quòd ſit diſplicendum in malo inhoneſto: Quæcumque enim virtus inclinat ad deteſtandum malum inhoneſtum, vtpote charitas de aliquo inordinato contra eam, inclinat ad talem diſplicentiam. Pari modo dicendum eſt de humilitate, & ſimilibus: & talis eſt virtus appetitiua. De tertio, quod eſt gratanter acceptare pœnam inflictam pro peccato commiſſo, eodem modo concludit: quod poteſt eſſe virtutis, quia conformis rectæ rationi: & multarum virtutum, quarum quælibet ſit appetitiua: per illas enim diuerſas virtutes poteſt acceptari aliud & aliud obiectum in ordine, ad quod poſſit pœna inflicta pro peccato acceptari. Nam ſi ex charitate amatur Deus, ex charitate poteſt acceptari pœna, inquantũ reductiua eſt ad Dei amorem. Si etiam ex virtute ſpei deſideratur Deus, vt bonum mihi, ex eadem virtute acceptatur pœna, vt ordinat ad hoc attingibile præmium. De quarto, videlicet patienter ferre pœnam inflictam, patet etiam, quòd poteſt eſſe virtutis actus, & ſpecialis virtutis, ſcilicet patientiæ.

De contritione, quæ eſt prima pœnitentiæ pars. Cap. XXXV.

CONTRITIONEM intelligimus vehementẽ diſplicentiam & dolorem de commiſsis a nobis peccatis, ex corde ſyncero & intimo procedentem: atque eo reſpectu, quòd diuinam illis offendimus maieſtatem: eiuſmodi inquam, vt Deum propter rem nullam vellemus offendere amplius, cum humili ſupplicíq; imploratione veniæ ab eodem, & certo decreto ſiue propoſito eiuſdem voluntati & præceptis deinceps obſequendi: tale enim propoſitum ſaltem virtute includitur in tali dolore. Amplius non omnem cordis pœnitudinem, & de peccatis diſplicentiam, ac dolorem, etſi magnum & vehementem, contritionem intelligimus, qualis in ſalutari pœnitentia requiritur. Nam & Saulem & Iudam peccatorum ſuorum vehementer pœnituiſſe, vt etiam ex eo hic recurrerit ad laqueum, & ille extremæ deſperationis ſigna oſtenderit, plane indubitatum eſt: non tamen dolor ille cordis contriti, ad quod reſpicit Dominus, fuerat: ſi enim ex ſui tantum amore, ſui commodi reſpectu, nempe ob ſolum gehennæ metum de peccatis dolor procedit, quantumuis immenſus ſit, non eſt qui cor contritum facit, aut veniam impetrat. Vnde ſi ſeruus Domino, quem offendit, diceret, doleo equidem vehementer, quòd te offenderim,

non

non tamen propter te,ſed propter me doleo: quia ob tuam offenſā merito cædor, vinculis conſtringor, bonis, quibus tibi obſequentes ſuauiter perfruuntur, ego miſer careo: nunquid pœnitentia huiusmodi impetraret veniā? Deo ſic dicit quisquis, ita dolet, quòd ipſum offenderit: Si propter ſe doleat,quia ob offenſam cæditur,nō fallitur, neque irridetur Deus. Et vt melius dicenda intelligantur, eſt prænotandum, quòd iſta contritio, ſiue diſplicentia,quæ requiritur ad deletionem peccati, poteſt multipliciter a perfecto declinare. Primum enim genus imperfectę diſplicentiæ, ſiue attritionis eſt, cum quis dolet de peccato propter humana naturaliaq; incitamenta ſiue motiua, vt quia turpe eſt, aut contra rationem & honeſtatem, vel quia inducit infamiam, aut quia contrarium eſt Deo, quatenus finis eſt atque principiū naturæ. Hoc genus,quia ſoli naturali rationi innititur, ideo imperfectum eſt.Vera autem pœnitentia ex fide proficiſci debet, quę vt habetur in libro de vera & falſa pœnitentia, eſt fundamentum pœnitentiæ. Secundū genus diſplicentiæ imperfectę eſt, quod oritur ex timore pœnarum ſpiritualiū, vel æternarum, quæ lumine fidei cognoſcuntur: & hæc proprie a ſcholaſticis attritio vocatur: Pœnitentia vero,quæ impetrat vitam, non a ſolo timore, ſed a charitate proficiſcitur, vt inquit Magiſter ſententiarum diſt. 15. & 20. quarti. Nam illā, quæ ex timore ſupplicij eſt, tanquam inſufficientem reijcit beatus Ambroſius lib. 2. de pœnitentia c. 9. Tertium genus eſt,cum quis dolet de peccato: quia contra Deum eſt, eiusq; offenſa,ſed ex voluntate imperfecta, & optatiua tantum, non abſoluta & efficaci:ſed præualent & dominantur affectus peccatorum retrahentes: quos nōdum vincere, aut abijcere conatur, ſicut & dilectio Dei imperfecta appellari poteſt: qua Deo vellem bonum & gloriam, eiuſq; nomen in me, & in omnibus ſanctificari. Perfecta vero diſplicentia ex Dei dilectione ſuper omnia abſoluta & efficaci naſcitur. & ad hoc genus reduci poteſt diſplicentia peccati ob Dei offenſam, ſed non ſupra omnia dilecti: ſimiliter & quando offenſa ipſa non eſt ſumme odibilis: ſed quando ex conſideratione, quòd ſit pater noſter, Dominus, ac benefactor,diſplicet, quòd eum offendimus, ſicut bono filio diſplicet quòd patrem, & ſeruo quòd Dominum offenderit. Contritio tamen, vt eſt pars pœnitentiæ,complectitur omnem peccati diſplicētiam perfectam & imperfectam iuxta ſententiam concilij Florentini, quod dicit: Primam partem pœnitentiæ eſſe dolorem de peccato,qui requiritur vt aliquo modo voluntaria ſit confeſſio & ſubmiſſio in arbitrium ſacerdotis, & non ficta. Propter quod contritio pertinet ad exteriorem pœnitentiam, & includit propoſitum confitendi

tendi

tendi & ſatisfaciendi: Eſt enim pars huius ſacramenti, quatenus refertur ad claues Eccleſiæ, ex quibus conſtat interiores actus dicto modo ad exterius iudiciũ pertinere. Aliter enim iudicatur offendens ex odio, aliter ex ira. Et compenſatio pœnitentiæ niſi ſponte fiat a reo, non eſt reconciliatiua. Quare velle compenſare delictũ, quod in contritione continetur, eſt prima huius iudicij pars: quod non ſolum vindicatiuum eſt, ſed & reconciliatiuum. Hinc ſequitur, quòd non oportet quamlibet partem huius ſacramẽti eſſe ſenſibilem: ſed poteſt eſſe vna pars ratio, quare aliæ partes ſenſibiles ad hoc ſacramentum atque iudicium pertineant: eo magis quòd hoc forum interius eſt, ad quod actus etiam interiores referri poſſunt. Ponitur etiam cõtritio, quæ eſt dolor de peccatis ob Dei offenſam, pars pœnitentiæ: quia certa eſt & indubitata eius materia. Ad hæc addimus, quòd attritio & contritio ex vſu patrum a corporalibus ad animum transferuntur, ſicut durum & molle, carneum & lapideum: Et ſecundum analogiam frangi cor dicitur, ſcindi, atteri, & conteri. De corde duro inquit beatus Bernardus libro de cõſider. ad Eugenium: quòd nec compũctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus &c. hoc eſt, quòd nulli inſpirationi, nulli motioni ipſum tãgenti acquieſcit, immo & reſiſtit in affectu peccati perſiſtendo. Frangitur autem & atteritur, quando ſibi diſplicere incipit, & odio eſſe peccatum, nondum tamen plene ab ipſo recedens ad Deum conuertitur: Conteritur vero, quando peccatorum affectus deſerit, & omnino ea abominans Deo ſe ſubijcit in omnem obedientiam. Dictam differentiam inter atteri & conteri doctores exprimunt per uerti & conuerti a peccatis ad Deum. Verti enim dicitur eum, qui de crimine dolet, & ipſum vult dimittere. Conuerti autem, qui totus & omnino vertitur, qui iam pœnas non timet, ſed ad verum Dominum redire feſtinat. Duplici enim intentione ſecundum Gulielmum pariſien. c. 41. Rethoricę diuinæ, conuertitur quis: Vno modo ſecundum ſe, quãdo ſubtiliter examinatur, & per ſingula quęque occultisſima diſcutitur, eo modo quo verbum Dei, ſiue ſacra eloquia, frangi, ſcindi, conteri, ſiue confringi dicuntur: quando ſcilicet diligenter per ſingula explicantur, & latentia myſteria eruuntur. Altero modo ſecundum morbos & vitia, quæ in ipſo ſunt conterenda: vt quando videlicet voluntas peccandi & cogitatio penitus in eo deſtruũtur: Atque hęc cordis contritio vulnera vitiorum in ipſo deſtruit, & cor morbis fractum plene ſanat, integrat, & ſolidat. Sicut igitur in corporalibus attritum eſt, cuius ſoluta eſt integritas, vel aliquo modo læſa eſt: Et contritum, quod in minimas partes fractione eſt reſolutum: Ita in ſpiritualibus

tualibus attritio dicitur imperfecta pœnitentia, vel diſplicentia de peccato admiſſo: Et contritio pœnitentia perfecta, per quam affectus peccati omnino deſtruitur, qui per pœnitentiam imperfectam ſolum impeditur, minuitur, ac retardatur. Pœnitētia enim ad peccati deſtructionem ordinatur: Cōtritio autem peccatum commiſſum delet, & Deum nobis conciliat, eiusq; iniuriam emendat: de qua pſal. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Subiicit enim ſe cor contritum in omnem voluntatem Dei: & Eſai. 66. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? cui ſoli venit ſaluator noſter mederi. Debet ſane dolor offenſæ impetratiuus veniæ, eſſe de offenſa: quia offenſa illius eſt, quem offendimus: & non tantum quia nobis damnoſa, & incommoda. Contritio ergo, quam Deus in nobis reſpicit, eſt dolor diuinæ offenſæ, non noſtri tantum, ſed illius præcipue cauſa, quem offendimus: eiuſmodi vt ſit, Dei amorē, ex quo procedat, prærequirit. Nihil enim primo & per ſe odiſſe, aut deteſtari poſſumus: ſed operępretium eſt, vt omne odium ex alicuius amore procedat. Odium enim eſt aut deteſtatio voluntatis, velut fuga quædam ab eo, quod apprehenditur vt diſconueniens, & inimicum: aut contrarium alicui, cuius amore afficimur. Ex amore ergo aliquo vt procedat in nobis odium, ac deteſtatio peccatorum, neceſſe eſt. Is igitur aut noſtri tantum amor eſt, aut Dei ſolius, aut noſtri & Dei. Si ex noſtri tantum amore procedit in nobis peccatorum odium, vt quia hic nos flagellari ob illa ſentimus, & maiora expectamus, vt puta damnationem æternam: nondum eſt ea deteſtatio peccatorum noſtrorum vera contritio, nec veniam offenſæ impetrat, de qua noſtri tantum cauſa dolemus. Cum enim vt beati Gregorij verbis vtamur, ex peccato pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor, ſcilicet peccandi, ex timore, non ex humilitate naſcitur: humilitatem appellantis eam ſubiectionem, qua peccator ad Deum reuertens eius volūtati prorſus ſe ſubijcit: Sed vt dictum eſt, infructuoſa eſt eiuſmodi pœnitentia, quæ non ex Dei, ſed ſui amore procedit. Si vero ex Dei ſolius amore procedat dicta peccatorum deteſtatio, ea vera eſt, quæ facit cor contritum, & humile, quod Deus non deſpicit, ſed benigne reſpicit. Quòd ſi & ex noſtri & ex Dei ſimul amore procedat ipſamet peccatorum diſplicentia, ita tamen vt Dei amor, amori noſtro præponderet, ea quoque contritio ſalutaris eſt: quoniam eadem ſic deteſtamur diuinā offenſam, vt ob nullam rem velimus Deum offendiſſe. Sed ſi Dei amor nondum in regno animæ vicerit, ſed amor ſui, quem diuino præferimus amori, ex tali amore ſalutaris pœnitentia, ſiue peccato-

rum

rum deteſtatio non proficiſcitur: quæ vera eſſe non poteſt, niſi ex vincenti amore procedat: Nam ſi eſt, quod illi præferimus, conſequens eſt, vt non dubitemus in illius plus amati gratiã minus amatum Deum offendere: quo affectu, quandiu ſumus, cor vere cõtritum humiliatumq; non habemus. De hac prima pœnitentiæ parte, quæ non poteſt eſſe ſine diuino amore, apertisſime beatus Ioannes, dicit in tertio cap. ſuæ primæ epiſtolæ: Qui non diligunt manẽt in morte: & ex conſequenti ante dilectionẽ vita animæ non eſt. Quare ſi dilectionem neceſſario præcedat iuſtificatio, neceſſe eſt, vt poſſit eius eſſe cum morte ſocietas. Recte perinde pro maximo incõuenienti habet Auguſtinus, vt ſine Dei amore quis conſequatur remisſionem peccatorum, ſine quo, inquit, nemo inuenit gratiam. Dicunt enim doctores, quòd optima pœnitentia eſt noua vita. Vnde idem Auguſt. libro de vtilitate pœnitentiæ inquit: Neminem nouam vitam inchoare, quem veteris non pœnituerit. Et Effrẽ de extremo iudicio capite v. inquit: Beatus homo, qui habet cõpunctionem iugiter ſecundum Deum: compunctio ſanitas animæ eſt, illuminatio mentis eſt: compunctio remisſionem delictorum nobis conquirit: compunctio Ieſum vnigenitum facit in nobis habitare, cum eum deſideramus, & quærimus. Et Cyprianus ſermone de cœna Domini ait: Sed & in eodem articulo temporis, cum iam anima feſtinat ad exitum, & egrediens ad labia expirãtis emerſerit, pœnitentiam clementisſima Dei benignitas non aſpernatur: nec ſerum eſt, quod verum: nec irremisſibile, quod voluntarium: & quæcumque necesſitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit a venia: Sed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertẽtes: et velit nolit Nouatus hæreticus omni tempore Dei gratia pœnitentes recipit. At latronis mentionem faciens: Latrociniũ, inquit, damnationem meruerat & ſupplicium: ſed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmũ. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtatim conſumatus ciuis Sanctorum, & domeſticus Dei permiſſus eſt in regnum. Requiritur ergo pœnitere, vt eſt actus virtutis perfectus ſecundum omnes circunſtantias ad deletionem peccati: & hoc velut diſpoſitio præuia, vel concomitans. Primo modo ſufficit actus informis, cum ſit ſine charitate, a cuius ſolius inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus. Secundo modo requiritur actus formatus: nam in illo inſtanti, in quo deletur peccatum, charitas ineſt: & per conſequens, ſi actus requiratur vt concomitãs,

eſt

eſt formatus. Actus vero informis dicitur attritio, quæ eſt diſpoſitio ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis, in quo iſta attritio durauit. Vnde ſi attritio ſit perfecte circunſtantionata in genere moris, videtur diſpoſitio ſufficiens ad iuſtitiam in termino illius attritionis acquirendam, quem Deus præfixit eſſe terminum illius motus attritionis, quam vſque tunc vult continuari: & tunc in vltimo inſtāti illius attritionis probabiliter infunditur gratia, & deletur peccatum. Et ſi manet idem motus contra peccatum in eſſe naturæ & moris, qui prius, idē motus, qui fuit attritio, poſt infuſionē gratiæ dicitur contritio. Oportet tamen ibi diſtinguere ſigna naturæ: quia in primo eſt actus talis, in ſecundo charitas, in tertio actus formatus a charitate inhærente, & inclinante: & ſic attritio fit contritio ſine mutatione reali ipſius actus: & debet concedi in ſenſu diuiſionis tantum, quòd per actum, qui eſt contritio, deletur peccatum, vt per diſpoſitionem omnino proximam. Pro quo ſciendum, quòd contritio, quæ eſt pars pœnitentiæ, includit contritionem, quæ eſt actus pœnitentiæ virtutis, & multa ſuper eam addit: quia actus pœnitentiæ virtutis eſt dolor voluntarie aſſumptus de peccatis, inquantum ſunt contra rationem & bonum honeſtum: nec requiritur, quòd ſit maximus: ſed ſufficit, quòd ſit dolor moderatus, cum ſolo propoſito recompenſandi, ſiue ſatisfaciendi, & cauendi. Sed contritio, quæ eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, (pœnitentiæ enim, vt eſt ſacramentum, tres aſſignantur partes a ſancto Thoma 3. parte ſummæ q. 90. art 1. 3. videlicet: contritio, confesſio, & ſatisfactio, quæ ſunt partes integrales pœnitētiæ: ſimiliter & ab Eugenio Papa in decreto pro doctrina Armenorum) eſt dolor de peccatis proprijs, voluntarie aſſumptus propter Deum ſumme dilectū: & ideo oportet, quòd ſit maximus, qui posſit eſſe in natura, appretiatiue ſaltem: Ita quòd ſicut Deus debet diligi ſuper omne diligibile, ita peccatum diſpliceat & odiatur ſuper omne odibile: et cum hoc, quòd habeat propoſitum confitendi, & abſolutionem obtinendi, & ſatisfaciendi: ſic quòd peccator ſit ſaltem in præparatione animi taliter diſpoſitus, quòd potius vellet priuari omnibus bonis mūdi temporalibus & corporalibus, quàm Deo: & mallet ſuſtinere omnia tormēta etiā inferni & mortem ipſam, quàm offendere Deum. In præparatione animi debet durare ſemper peccatorum contritio. Sed quoad actum, qui eſt de neceſſitate contritionis, videndum eſt, quando videlicet peccator in mortali exiſtēs, teneatur ſub pœna mortalis peccati cōteri: & dicimus, quòd in quatuor caſibus. Primo, quandocunque imminet periculum mortis, præcipue debet conteri, vel atteri. Secūdo, quā-

do

do imminet ſuſceptio vel adminiſtratio ſacramẽti Matthæi 7. Nolite ſanctum dare canibus: & regulariter, quando quis exercet actũ neceſſario requirentem hominem eſſe in gratia. Tertio omni die dominico: cum præceptum ſit de ſanctificatione ſabbati, in quo includitur dilectio Dei ſuper omnia, & ſanctificatio ſui ipſius, ſiue animæ iuxta illud: Sanctificabunt animas ſuas. quod regulariter fit per contritionem. Vnde gregorius in regiſtro inquit. Dominico die a labore terreno ceſſandum eſt, atque orationibus omnino inſiſtendum: vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, die reſurrectionis dominicæ expietur. Et ideo Eccleſia ad implendum hoc præceptũ ꝑcepit omnibus chriſtianis diebus dominicis audire miſſam, vt habetur in c. Miſſas de conſecr. diſt. 1. Similiter ordinauit fieri confesſionem generalem, & corporis Chriſti eleuationem, vt populus haberet occaſionem petendi veniam, & præcepta fidei, ſpei, & charitatis implendi. Quarto tenetur quis cõteri quandocũque peccatũ mortale ꝑteritum occurrit memoriæ practice, hoc eſt cũ iudicio practico, ſiue cũ inclinatione ad cõplacendum: quia niſi tunc deteſtetur, exponit ſe periculo recidiui: Si vero redeant ad memoriam ſpeculatiue, ſiue per modum tranſeuntis, abſque iudicio practico, non tenetur quis ad contritionem: licet valde vtile eſſet, & ſecurũ omni mane & ſero conteri. Et de hoc ſatis.

De confeſſione, quæ eſt altera pars pœnitentiæ. Cap. XXXVI.

PRAESVPPONIMVS, vt melius intelligatur hæc ſecunda huius ſacramenti pars: quòd confeſſio eſt triplex. Prima propriæ culpæ, quæ eſt pars pœnitentiæ: de qua infra diffuſe. Secunda laudis diuinæ, de qua Chriſtus in euangelio: Confiteor, inquit, tibi pater domine cæli & terræ: quia abſcondiſti hæc &c. Lucæ 10. quæ eſt actus latriæ. Tertia eſt credendorum, de qua ad Ro. 10. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: & iſta eſt actus fidei, & meritorius inquantũ cadit ſub præcepto. Pro maiori autem declaratione confeſſionis ſacramentalis eſt ſciendũ, quòd adhuc multiplex eſt confeſſio. Prima eſt facienda fratri, quem læſimus ad eum placandum & reconciliandum, de qua Chriſtus Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo: confitendo ſcilicet totã culpam & iniuriam, qua eum affeciſti: & tunc veniens offeres munus tuum. Secunda, eſt qua confitemur & exponimus peccatum

noſtrum

noſtrum alteri, vt eius conſilio & conſolatione iuuemur: Ad quod pertinere poteſt illud beati Iacobi cap. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini. Tertia frequens eſt & præcipua in ſcripturis confeſſio, qua Deo exponūt Sancti peccata ſua, vt veniam obtineant: Ipſe enim eſt, qui offenditur noſtris peccatis, ipſe eſt & iudex, & inſpector cordium, atque noſtrarum cogitationum conſcius, qui peccata remittit, obliuiſcitur, & delet. Propter quæ coram eo effundenda ſunt corda noſtra, vt ignoſcat: de qua pſal. 31. Peccatum meum, inquit Dauid, cognitum tibi feci. Quarta eſt iudicialis, de qua Ioſue ad Achan. Confitere, inquit, peccatum tuum. Vltima eſt, quæ eſt omnium peccatorum cum deteſtatione enumeratio apud ſacerdotem, tanquam iudicem in hac cauſa a Chriſto cōſtitutum, vt ille eius vice, & ex parte eius, atque ex ipſius commiſſione remittat, quæ eſt quaſi determinatio, quo ad vicarium ſcilicet, & ſigna ſenſibilia cōfeſſionis, quæ fit Deo, qui primarius iudex eſt. De hac vltima controuertitur apud hæreticos: nam in alijs confeſſionum generibus, quæ ſunt iuris naturæ, ac naturalis rationis lumine cognoſcuntur, nobiſcum conueniunt: Compenſare enim iniuriam, & læſam amicitiam reſarcire, atque alterius requirere conſilium, quando priuatim angimur peccatorū mole, ac conſcientiæ anguſtijs, nec explicare nos poſſumus niſi alieno conſilio, docet ipſa natura: quemadmodū vulnus medico oſtēdere, quando ſine eius auxilio curari non poſſumus. Quæ autem iudicialis eſt, ex humano procedit mandato: Iudice enim legitime mandante, reus ſuam culpam confiteri obligatur. Illam enim confeſſionem peccatorum, quam in corde diſtincte Deo facere debemus, illam eandem Innocentius tertius in concilio Lateranenſi mandat Deo apud ſacerdotes ore fieri, quem peccatorum iudicem & arbitrum ſuo loco conſtituit: quæ æque poſſibilis eſt, ſicut ea quæ fieri debet Deo. De hac beatus Leo in epiſtola *69*. Multiplex, inqt, miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ. Mediator enim, inquit, dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem: vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatiſfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per reconciliationis ianuam admitterent. Pœnitentia autem ſacramentalis ſic ab aliq̄bus ſcholaſticis deſcribitur, videlicet: Quod pœnitentia eſt abſolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis a ſacerdote iuriſdictionem habente, ex inſtitutione diuina, efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ a peccato: Dicitur abſolutio, cum pœnitentia

tia ſit ſententia abſolutiua, & non condemnatiua, qua reus denuntiatur abſolutus. Dicitur hominis: quia ſi malus Angelus in corpore aſſumpto confiteretur, ibi non eſſet hoc ſacramentum. Dicitur pœnitentis propter ficte accedentem, qui non eſt materia debita, ſed irridens, & non pœnitens. Dicitur facta certis verbis propter mutum ſacerdotem, qui licet debitam habeat intentionem, nõ tamen eſt ibi ſacramentum. Dicitur vlterius cum debita intentione propter ſacerdotem carentem vſu rationis. Dicitur a ſacerdote propter laicos, & alios in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos, nõ tamen ſacerdotio initiatos. Dicitur quoque iuriſdictionem habẽte, cum nullus ſacerdos pœnitentem non ſubditum abſoluere poſſit: Sententia enim lata a non ſuo iudice nulla eſt, de regu. iuris in 6. Dicitur vltra ex inſtitutione diuina, cum nulla creatura inſtituere poſſit ſacramentum. Dicitur præterea efficaciter ſignificans: qa abſolutio non eſt ſignum æquiuocum, ſed certum &c. Additur poſtremo abſolutionem animæ a peccato: ex quo ſequitur, quòd cõfeſſio non eſt ſacramentum pœnitentiæ, ſed quædam præuia diſpoſitio ad illud ſacramentum. Congruit enim, quòd iſta exterior abſolutio fiat a ſacerdote, vt extrema reducantur per medium in extremum. Et ita in hierarchia eccleſiaſtica extremos peccatores reduci in Deum per hierarcham, ideſt ſacerdotem, expedit: ſicut fit in Eccleſia triumphante. Hinc elicitur, quòd doctrina de ſacramẽto pœnitentiæ ſubalternatur doctrinæ de iudicijs: cum ſua principia recipiat ab ipſis: ſimiliter & doctrinæ de ſententijs: et hac de cauſa ſacramentum pœnitentiæ dici poteſt iudicium ſacramentale. Ex quibus liquet, quòd non ita eſt neceſſe habere præciſa verba in hoc ſacramento, ſicut in Euchariſtia, & baptiſmo: cum ſufficiat, quòd exprimatur actus ſententiæ abſoluentis, eo modo quo fit in forenſi iudicio, vbi non oportet eſſe determinata verba. Inquit. n. vnus de Theodoro martyre, iubeo ignibus tradi: Alter vero de ſancto Cypriano, gladio animaduerti placet. Regulariter tamen iſta verba ſunt apta: Ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis: licet nõnulla alia præmittantur uel concomitentur ſecundum diuerſam Eccleſiarum conſuetudinem: quæ tamen non ſunt prætermittenda in illis. Opinio etiam Magiſtri in 4. diſt. 18. c. 6. communiter non tenetur, nec pro vera habetur, dicentis: quòd in ſoluendis culpis, & retinendis, ita operatur euangelicus ſacerdos, & iudicat, ſicut olim legalis in illis, qui erant contaminati lepra, quæ eſt peccati typus: oſtendebat enim tantum eos ſanatos. Probat quippe ſuam ſententiam per illud beati Hieronymi ſuper 16. Matth. Tibi dabo &c. Hunc, inquit, locum non intelligentes quidam, aliquid ſumunt

de ſuperbia phariſæorum, vt damnare innoxios, vel ſoluere putent noxios: cum apud Dominum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Et probationem innuens ſubdit: In leuitico ſe oſtendere ſacerdoti iubentur leproſi,quos illi nõ faciunt leproſos, vel mundos, ſed diſcernunt qui mundi vel immundi ſunt: Ita hic, contra quem inquit Scotus,quòd licet verum ſit,quòd ſicut ſacerdos legalis oſtendebat leproſos mundatos,ſic euãgelicus oſtendit peccatores iuſtificatos:falſum tamen eſt, quòd non aliter euangelicus ſe habeat ad leproſos ſpiritualiter, quàm legalis ad leproſos corporales. Et ratio eſt: quia Deus non dedit in veteri lege aliquã cæremoniam, ſiue purificationem, cui miniſtratæ ab idoneo miniſtro regulariter aſsiſteret ad mundandum leprã corporalem: ſicut in lege noua dedit ſacramentum conferens, quod ſignificat: & cui regulariter ipſemet aſsiſtit ad mundandum a lepra ſpirituali, hoceſt a peccato,niſi impediat obex ex parte voluntatis.Opinionẽ autẽ ſupradictam Magiſtri ſequitur Gabriel Biel diſtin. 18.4.q.1. quæ profecto nimis ſacramento derogat pœnitentiæ. Nam ſecundum hãc opinionem, per ſacramentum pœnitentiæ numquam deleretur peccatum: ſed neceſſe eſſet, vt prius deleretur per contritionẽ ad hoc, quòd digne ſuſciperetur pœnitentia ſacramentalis: Cum nullus digne oſtendatur mũdus a peccato,niſi ſit prius immunis ab eo: & ex cõſequenti nũquã poſſet eſſe ſecũda tabula:cũ numquã liberaret naufragũ a periculo ſubmerſionis. Subdit ergo Scotus vbi ſupra de mente dñi Alexandri Alenſis,quòd Deus requirit diſpoſitionem de congruo ad hoc, quòd peccatori conferat per ſacramentũ gratiam,(non quòd alliget potentiam ſuam ſacramentis) qui tamẽ ſine diſpoſitione illa præuia & congrua non conferret per ſacramentum gratiam: quod eſt maioris miſericordiæ, duplicem ſcilicet viã inſtituere, per quam iuſtificemur,quàm nos ad vnam tantum viam arctare. Attritus igitur attritione, quæ non habet rationem meriti ad remiſsionem peccati,recipiens tamen ſacramentum pœnitentiæ, ſicut in Eccleſia diſpenſatur, in vltimo inſtanti illius prolationis verborum, in quo eſt vis huius ſacramenti, recipit gratiam pœnitentialem. Pœnitentia vero ſumpta quatuor præfatis modis non eſt ſacramentum pœnitentiæ, ſed tantum ad idem pertinens. Dictum Caſsiodori ſuper illud pſal. 31. videlicet: Dixi confitebor &c. Magna, inquit, eſt Dei pietas,quæ ad ſolam promiſsionem peccatũ dimittit: Verum eſt,quia votum pro operatione iudicatur: cui arridet Auguſtinus, ibidem dicens: Nondum pronuntiat, ſed promittit ſe pronuntiaturum: Deus dimittit. Quod ſic intelligitur: quia frequẽter dimittitur peccatum per aliquem motum attritionis, tã-

quam

quam per diſpoſitionem de congruo ante ſuſceptionem ſacramẽti pœnitentiæ: ſicut in adulto frequenter dimittitur peccatum originale ante baptiſmum per bonum motum diſponentem ad illum de congruo. Nec tamen ſequitur, quòd per ſacramentum non dimittatur: quia ſi illa via non adſit, iſta, quæ minus requirit, & quæ facilior eſt, non deficit. Dicimus vltra, quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet ſuſcitari, vel ſimpliciter: & tunc per ſacramentum non deletur peccatum, ſed gratia quæ infuit, augetur: vel ſecundum quid, videlicet vt habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cauendi de cetero, velitq; ſuſcipere ſacramentum pœnitentiæ, per quod attritio fit contritio: & tunc ſuſcitatur ſimpliciter per ſacramentũ: ſed ſecundũ quid ꝑ attritionẽ ꝓcedentem: Verum ſicut iuſtificato baptiſmo flaminis neceſſarius eſt baptiſmus fluminis, ſi adſit facultas illum ſuſcipiendi: ita habenti diſpoſitionẽ illã præuiam, per quam de congruo iuſtificatur, & ſecundũ quid, neceſſariũ eſt ſacramentũ pœnitẽtiæ, per quod iuſtificatur ſimpliciter. Vnde Lazarus viuificatus a Chriſto, ideſt peccator a morte culpæ per gratiam reſuſcitatus, & ſolutus a carcere ſepulchri, ideſt a reatu ſiue debito pœnæ inferni, relinquitur diſcipulis ſoluendus ab inſtitis, ſcilicet pœnis temporalibus, in quas commutatur pœna æterna: quas temporales pœnas poteſt euangelicus ſacerdos aliquo modo intendere vel relaxare, claue tamen non errante.

Confeſſio de iure diuino eſt, & fuit in vſu apud patres antiquos. Cap. XXXVII.

CONFESSIONEM ſacramentalem a Chriſto inſtitutam, ei qui eſt in peccato mortali, ad ſalutem animæ eſſe neceſſariam, conſtat ex determinatione Eccleſiæ in concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 29. vbi dicitur: Siquis dixerit eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine ſacramento pœnitẽtiæ, prout ſancta romana & vniuerſalis Eccleſia ſeruauit & docuit, anathema ſit. Ad hoc accedit ſententia Tertulliani libro primo de Trinitate, qui vna cum Eccleſiæ conſenſu confeſſionem a Domino inſtitutam fuiſſe credit (vt communiter tenetur) verbis, quibus Petro ceteriſq; Apoſtolis ligandi ſoluendiq;, remittendi ac retinendi peccata poteſtas a Chriſto cõceſſa eſt: quod Apoſtoli & ſucceſſores facere non poterant, niſi prius cognouiſſent, cuius generis ea peccata eſſent: & quæ medicina eſſet eis adhibenda: Cum dica-

tur a ſapiente prouer. 12. Qui iudicat, quod nouit, iuſtitiæ iudex eſt: et a beato Hieronymo in 10. eccleſiaſtes: Quod ignorat medicina non curat. Confeſſionem enim ſacramentalem dicere eſſe ſolum de humano iure, & lapſis non eſſe neceſſariam ad conſequendam mortalium peccatorum veniam, hæreſis eſt damnata a Sixto quarto: quam veriſſimam orthodoxorum ſanctorumq; patrum ſententiam diuerſis ab initio ſeculis diuerſis orbis terræ cardinibus ſcripta magno conſenſu comprobant. Quod vt certo intelligas, ex illo ipſo ſeculo incipiam, quo ſyncera adhuc vigebat Chriſti religio. Ille ter ſanctus Leo Papa orthodoxæ & ſyncerę fidei aſſertor, quem claris elogijs Chalcedonēſis ſynodus exornauerat, ad Theodorum foroiulienſem epiſcopum ſcribens, vt dictum eſt in præcedenti capite, multiplicem miſericordiam Dei ita lapſibus ſubueniſſe humanis affirmat, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinā ſpes vitæ reparetur æternæ: ſic diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt qui regenerationis dona violaſſent, indulgentiam Dei niſi ſacerdotū miniſterio nequeant obtinere. Mediator enim, inquit, Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & cōfitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per reconciliationis ianuam admitterent. Beatus quoque Auguſtinus c. 4. lib. 2. de viſitatione infirmorum: Sunt, inquit, quidam, qui ſufficere ſibi autumant, ſi ſoli Deo, cui nihil eſt occultum, quem nullius latet cōſcientia, ſua crimina confiteantur: nolunt enim, aut erubeſcunt, ſeu dedignantur oſtendere ſe ſacerdotibus: quos tamen inter lepram & lepram diſcernere per legiſlatorem conſtituit Dominus. Sed nolo, vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris cōfiteri Chriſti vicario, tabeſcens præ rubore, vel ceruicoſus præ indignatione: nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur habere vicarium: Ergo ad te venire roges ſacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem. Concludit enim, quòd ſacerdotis egeamus, qui inter Deum & nos mediator ſit, ſalubri iudicio: alioqui vt alio loco inquit, ſine cauſa dictum eſſet: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo: & fruſtra datæ eſſent claues Eccleſiæ Dei: Cōfitemini etiam peccata veſtra, quomodo impleretur? Fruſtramus ſine ea euangeliū Dei: fruſtramus verba Chriſti: promittimus nobis, quod ille negat: nonne nos decipimus? Vnde & alibi nos docet, ſicut ſibi tribuit Pigius controuerſia nona de pœnitentia, vt non per nuntium, non per ſcripturam, ſed ore proprio peccata noſtra cōfiteri debeamus ſacerdotibus: vt qui,

inquit,

inquit,per vos peccaſtis,per vos erubeſcatis: erubeſcẽtia.n.ipſa partẽ habet remiſsionis. Chryſoſtomus de eadem catholica aſſertione homil.3.in Matth.habet hæc verba:Cõfeſsio,inquiẽs,peccatorũ teſtimoniũ eſt cõſcientiæ timentis Deũ. Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri: qui autẽ erubeſcit, non timet: perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confeſsionis aſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nũquid neſcimus, quia confeſsio peccatorum habet pudorẽ? & quod hoc ipſum erubeſcere pœna grauis eſt? ſed ideo magis iubet Deus confiteri peccata,vt verecundiam patiamur pro pœna: Et patet expreſſe, quòd non loquitur de publica ſiue generali confeſsione,ſed de illa, quæ pudorem & verecũdiam comites,vt neceſſarios,ita homini graues habet: quales illa generalis non habet. Magnus quoque ille Baſilius in regula monachorum, inquit: Confeſsio peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis vel paſsio,quæ medico demõſtrãda eſt.Sicut ergo nõ omnibus quis vitia vel vulnera corporis ſui reuelat,nec quibuslibet: ſed iis tantũmodo, qui ſummæ peritiæ teſtimonium habent, & curæ ac medelæ diſciplinam: ita confeſsio peccatorum debet apud eos ſolum fieri,qui curare hæc præualent, & emendare, ſecundum quod ſcriptum eſt ad Rom.15. Vos qui fortiores eſtis, infirmitate infirmorum portate: hoc eſt auferte, & exportate per curationem. Et Paulo ante: Neceſſario, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei credita eſt: ſic enim & qui antiquitus pœnitebant,inueniuntur apud ſanctos peccata ſua fuiſſe confeſſos. Beatus etiam Ambroſius libro primo de pœnitentia c.2. dicit, quòd ius ligandi & ſoluendi permiſſum eſt ſolis ſacerdotibus. Diuus quoque Hieronymus c.18. in eccleſiaſten habet hęc verba: Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit,& nullo conſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit,qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri ſuo & magiſtro voluerit confiteri, magiſter ei prodeſſe non poterit: ſi enim erubeſcit ægrotus vulnus medico confiteri,quod ignorat medicina nõ curat. Cyprianus ille Pontifex ſanctiſſimus & martyr ſermone 5. de lapſis, loquens de his,qui corde tãtum lapſi ſunt: Ii, inquit, quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti ſint, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteantur, exomologeſin, id eſt confeſsionem, conſcientiæ ſuæ faciant, animi ſui pondus exponant, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirant: Et paulo poſt, Confiteantur ſinguli quæſo fratres delictum ſuum, dum adhuc qui

deliquit in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſsio poteſt: dum ſatisfactio & remiſsio per ſacerdotem apud Deum grata eſt. Origenes homil. 2. in pſal. 37. Vide, inquit, quid uos edocet ſcriptura diuina: quia oportet peccatum non celare intrinſecus: fortaſsis enim ſicuti ij, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut flegmatis humorem ſtomacho grauiter & moleſte innitentem, ſi vomuerint, releuantur: Ita etiam ij, qui peccauerunt, ſi quidem occultāt & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocantur a flegmate vel humore peccatorum. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Et ſubdit: Tantūmodo circunſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuū. Proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente: Et ita demū ſiquid ille dixerit, qui ſe prius & eruditū medicū oſtenderit & miſericordē, ſiquid cōſilij dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & ꝓuiderit talē eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, vt publicum homicidium, & crimen aliud notorium, ex quo fortaſsis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt. Eiuſdem fidei & doctrinæ teſtis eſt beatus Dionyſius in epiſtola ad Demophilum monachum: ita enim inter cetera ſcribit. Tu vero ut tuæ literæ indicant, procidentem ſacerdoti impium, vt ais, atque peccatorem neſcio quo pacto contra ordinē diſciplinæ aſtans calce abieciſti: cum ille quidem verecunde, quod oportuit, fateretur ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe: Neque exhorruiſti inſuper ſacerdotem optimum lacerare conuitiis, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iuſtificaſſet: Cui ſententiæ apertiſsime ſubſcribunt verba Zozomeni, quæ recitantur in tripartita hiſtoria. Quoniam, inquit, omnino nō peccare diuinum, & vltra humanam naturam eſſe cognoſcitur, peccātibus autem & pœnitentiam agentibus veniam dari Deus præcipit: qui vero confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt. Propterea viſum eſt antiquis pontificibus, vt velut in theatro, ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi delicta pandantur: & ad hanc rem presbyterum bonæ conuerſationis, ſeruantemq; ſecretum, ac ſapiētem virum ſtatuerunt: ad quem accedentes ij, qui deliquerant, delicta propria fatebantur: & ille ſecundum vniuſcuiuſque culpā indicebat & mulctam: quod etiam hactenus in occidentalibus ſeruatur Eccleſijs. Nihil autem aduerſus hanc noſtram ſententiam facit, quod eodem loco ex eiuſdem Zozomeni verbis notāt hæretici, mo-

rem illum publicum ſeruatum fuiſſe etiam Conſtantinopoli uſque ad Nectarij tempora, a quo antiquitatis ea cõſuetudo illic antiquata ſit, eo quòd nobiliſſima quædam mulier confeſſa presbytero, & accepta ab eo pœnitẽtia, vt ieiunaret, Deoq; ſanctis operibus ſupplicaret, dum ea occaſione præter morem ſæpe diuq; moraretur in eccleſia, a diacono ſolicitata cum eodem concubuit, & factum uenit in publicum: qua cauſa tumultuante & in ſacerdotes ſęuiente populo, Nectarius amoto ſcelerato diacono, ex quorundam conſilio etiam populum, quod ad confeſſionem attinet, ſuæ libertati & conſcientiæ dimiſit. Et ratio eſt, videlicet quòd non aduerſetur ſententia Zozomeni huic noſtræ catholicæ aſſertioni: quoniã non quod per catholicam Eccleſiam, ſed quod in vna Cõſtãtinopolitana quorundam conſilio, an ſatis ſano ipſi viderint, ab vno Nectario vt occurreret furori tumultuantis populi, factum fuerit, illic explicatur. Sed nec durauit diu eã libertas aut licentia ſub epiſcopis ſequentibus Nectarium, a quibus antiqua catholicæ Eccleſiæ conſuetudo & obſeruatio continuo reuocata & inſtaurata eſt: quod ex beati Ioãnis Chryſoſtomi, qui Nectarium cõtinuo ſubſecutus eſt, ſcriptis luce clarius eſt cernere. Alij & forte verius excuſant Nectarium dicẽtes, quòd nullo modo ſacramentalem confeſſionem abrogauit, ſed graue iugum fidelium obliterauit. Quod vt melius intelligatur eſt ſciendum: quòd vetus Eccleſiarum canon hoc habebat, vt relapſis ſubueniretur per pœnitentiam & remiſſionem alteram, baptiſmali non quidem parem, ſed tamen ſimilẽ: cuius diſpenſatio penes eos eſſet, quibus data eſt poteſtas peccata in terra remittendi: & ex his cum multi numero eſſent, liberum erat per eũdem canonem eligere, quẽ pro ſuo quiſque iudicio affectus & conſcientia vellet: Huic canoni additus eſt pœnitentialis presbyter, hoceſt epiſcopali conſtitutione factum eſt, vt eſſet iam modus quidẽ certus & nouus huius pœnitẽtiæ, & (ſicut in titulo vocat Zozomenus) operoſus & grauis confitẽtibus: Graue etiam eſt, vt peccata, quæ vni presbytero in aurem confeſſus ſis, ea deferantur ad epiſcopum, & ab epiſcopo recitentur ad populum. Cauſa quæ mouit epiſcopos ad huiuſmodi graue iugum imponendũ, ponitur in primo tomo Domini Ruardi Tapper explicationis articulorum facultatis theologicæ louanienſis titulo de cõfeſſione. Vtrumque tamen, videlicet & confiteri vni ſoli, & publicationẽ peccatorũ ſubſtulit ab Eccleſia Conſtantinopolitana Nectarius, quem multi alij Epiſcopi ſunt ſecuti, vt teſtatur Zozomenus & Socrates: & priſtinæ libertati, quæ erat ante Nouatum, reſtituit. Et non abrogauit confeſſionem, vt oſtẽdit beatus Chryſoſtomus in multis locis, præcipue homil. 4. de Lazaro.

Additamentum & graue onus ſupradictum nõ erat Dei verbo præſcriptum ſeu neceſſarium,ſed tantum pro tempore ob natam hæreſim Nouati ſaluti Eccleſiæ expedire videbatur : Clemens Papa epiſtola prima hanc legẽ de cõfitendo peccata proprio ſacerdoti Petri doctrinam fuiſſe refert: quam illum a magiſtro ſuo Chriſto accepiſſe,dubium non eſt : vt ſi forte alicuius cor,vel liuor,aut infidelitas, ſiue aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit,confiteri ei, qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Dei & conſilium ſalubre curetur. Abijcienda prorſus e corde eſt omnis intrinſecus latens amaritudo peccati, ſiqua forte ex deſiderijs iniquis, velut ex cibis noxijs, congregata eſt. Hugo etiam de Sancto victore lib. 2. de ſacramentis parte 14. c. pri. cum adduxiſſet hũc Iacobi locum: Confitemini alterutrum peccata veſtra : quid eſt, inquit, alterutrum ? mox reſpondet. Non ſolum homo Deo, ſed inter vos alter alteri, homines hominibus, oues paſtoribus, ſubiecti prælatis: ij,qui peccata habent, ijs qui peccata dimittendi poteſtatẽ habent. Beda quoque in Iacobum verba præfata de ſacramẽtali cõfeſsione interpretatur,quam eſſe neceſſariam lib. 50. homiliarum homil. 49. teſtatur : & adeo neceſſariam, vt iuxta beati Bernardi ſententiam ſermone pri. in die Petri & Pauli, præcedat ſentẽtia Petri ſententiam cæli. Ex quibus verbis patet, quanta ſit abſolutionis vis : & quòd abſoluere non eſt, vt nonnulli ſomniant, abſolutum oſtendere : cũ ipſa ligandi ſoluendiq; poteſtas ſacerdotibus a Chriſto data ſit. Concluditur ex præmiſsis conſtare eundem, qui nunc eſt, ritum confeſsionis ſacramentalis ex Chriſti inſtitutione & conſtitutione ab initio fuiſſe in Eccleſia.

Præſuppoſito tanquam veriſsimo, quòd confeſsio ſit de iure diuino,& neceſſaria in effectu vel in voto,quæritur de eius conditionibus. Cap. XXXVIII.

CONFESSIONIS neceſsitas ex multis prouenit, videlicet,vel ex mortis periculo,vel ex præcepto Eccleſiæ, vel quia ex proprio munere conueniunt ſibi quidam actus, qui ſine deletione peccati exerceri non poſſunt, vt ſumptio ſacramentorum. Tũc enim quilibet debet ſe probare per contritionem, confeſſionem,& ſatisfactionem : & ſe exhibere ſanctum, iuxta illud Leuit. 19. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Nec obſtat, quòd per contritionem deleatur peccatum a Deo : quia nemo certus eſt ſe ſufficientem habere contritionem ad deletionem peccati, ideo non debet de ſeipſo præſumere, & periculo ſe exponere : ſed remedia ſtatuta adhibere.

adhibere. Deus etiam contrito condonat & remittit peccata prŏpter deſiderium petendi abſolutionem : quod ſiquis nō habet, non eſt contritus. Licet enim per contritionem deleatur peccati macula, manet tamen obligatio confitendi & ſatisfaciendi: quæ quidem obligationes, cum ex peccato oriantur, peccata nominantur, iuxta illud ad Rom. 8. De peccato damnauit peccatum in carne. Illi enim, qui gratiam a rege obtinent, quanquam eiſdem culpa in exteriori foro remittitur, tamen neceſſe eſt, vt ad cancellariũ pro litera & ſigillo accedant: alias ſi præueniantur in iudicio, & fidem non faciant de literis, occiduntur : Sic peccator licet gratiam obtinuerit per contritionem, remittitur ad ſacerdotem. Exemplũ habemus de Lazaro ſuſcitato, qui ex Chriſti mandato per Apoſtolos ab inſtitis fuit ſolutus. Conditiones concomitantes confeſſionem ſunt XVI. quæ infraſcriptis verſibus continentur, videlicet. Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis, Atq; frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda, Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata, Fortis, & accuſans, & ſit parere parata. Ex quibus duæ ſunt de bene eſſe, ſiue de congruitate, videlicet, quòd ſit frequens, & accelerata: ſufficit enim, quòd fiat tempore determinato ab Eccleſia in cap. Vtriuſque ſexus de pœniten. & remiſs. ſemel in anno, videlicet in paſchate reſurrectionis, niſi (prout dictum eſt ſupra) immineret aliquod mortis periculum, aut ſuſceptio, vel collatio ſacramenti &c. Aliæ autem ſunt de neceſſitate confeſſionis, vel inquantum eſt actus virtutis in communi, vel in determinata ſpecie eiuſdem, vel inquantum eſt pars ſacramenti. Prima virtutis conditio eſt, quòd ſit ſciens : & quantum ad hoc dicitur, quòd ſit diſcreta, vt maiora & grauiora cum maiori pondere confiteatur, & honeſtis verbis explicet peccata ſua, vt non niſi neceſſarias explicet circunſtantias. Et prudens, quantum ad modum narrandi, vt quæ ſimul & in certo numero exprimi poſſunt, non diuidat. Secunda eiuſdem virtutis conditio eſt, quòd ſit eligens, cum actus virtutis debeant eſſe voluntarij: propter hoc dicitur, quòd confeſſio ſit libens, hoceſt voluntaria, & non coacta. Tertia virtutis conditio eſt, vt ſit propter aliquid, hoceſt propter debitum finem: & quoad hoc dicitur, quòd confeſſio debet eſſe pura, hoceſt recta ratione facta. Quarta virtutis conditio eſt, vt immobiliter operetur : & quoad hoc dicitur, quòd confeſſio ſit fortis, vt videlicet propter verecundiam non dimittatur. Sed quia pœnitentia ſumit initium in horrore turpitudinis peccati, ideo quoad hoc, confeſſio debet eſſe verecunda de malis perpetratis. Non enim debet vereri confiteri illa, quantuncunque enormia ſint, cum verecundia illa partem remittat

tat pœnæ. Ex quibus patet, quòd eſt duplex verecundia: quædam eſt de turpi, & hæc operatur bonum: alia eſt de bono, ſiue actu virtutis exercendo, & hęc eſt mala, & diabolica. Diabolus enim cum inducit hominem ad peccandum, aufert verecundiam bonam: ſed cum homo nititur conuerti, conatur illi reddere verecundiam malam: de quibus eccleſiaſtici 4. Eſt confuſio adducens peccatum, & confuſio adducens gloriam. Sexta conditio eſt, quòd ſit lachrymabilis, lachrymis ſaltem interioribus, quæ ſunt triſtitia ſequens nolitionem & deteſtationem peccati, cum exteriores non ſint ſemper in poteſtate noſtra. Septima conditio eſt, quòd ſit humilis, cũ pœnitentia terminetur in abiectione ſui, vt videlicet ſe miſerum eſſe, & peccatorem confiteatur. Ex propria vero ratione actus virtutis pœnitentiæ eſt, quòd confeſſio ſit manifeſtatiua: quæ manifeſtatio ex quatuor impediri poteſt. Primo per falſitatem: & quantum ad hoc dicitur, quòd ſit fidelis, hoceſt vera, vt videlicet non confiteatur peccata, quæ non fecit: nec abſcondat quæ fecit. Et licet beatus Gregorius dicat, quòd bonarum mẽtium eſt, ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt: hoc intelligendum eſt quantum ad conditiones actus: quia iuſtus in actu, qui de ſe bonus videtur, formidat, ne in aliquo ex parte ſua defecerit. Secundo impediri poteſt manifeſtatio propter obſcuritatem verborum: & propter hoc ſubditur, quòd ſit nuda, hoceſt clara, aperta, & manifeſta, vt bene peccata, & circunſtantiæ intelligantur a confeſſore. Tertio impeditur manifeſtatio propter multiplicationem verborum: & per hoc ponitur decima conditio, videlicet quòd ſit ſimplex: ita quòd non recitet niſi ea, quæ pertinent ad quantitatem ſui peccati. Vnde cauẽdum eſt a peccato vaniloquij, cum immiſcendo non neceſſaria, faciat irreuerentiam ſacramento: & præcipue confitens debet cauere a narratione alienorum peccatorum, ſi propria ſine alienis poſſint ſufficienter exprimi. Quarto impediri poteſt manifeſtatio per ſubtractionem, maxime quando ſubtrahitur aliquid de his, quæ neceſſario manifeſtanda ſunt: & pro hoc ponitur vndecima conditio, videlicet quòd ſit integra, vt nullum peccatum quod ſcitur, vel dubitatur quòd ſit mortale, dimittatur. Ex quo ſequitur, quòd non licet confitenti diuidere cõfeſſionem, ſed integraliter omnia mortalia tenetur vni ſacerdoti confiteri, vt dicitur in c. Omnis vtriuſque ſexus, vbi ſupra. Si autem pœnitens habet caſus reſeruatos Epiſcopo, & prius vadat ad eum, cõfiteatur omnia, & abſoluatur ab omnibus: ſi vero prælatus vel epiſcopus auditis reſeruatis, non vult audire alia, ſed abſoluit a reſeruatis, & quoad alia remittit ad curatum, tunc pœnitens eſt excuſatus, nec dimidiat confeſſionem, cum

ſit paratus integre confiteri. Abſolutio etiam epiſcopi non eſt ſacramentalis, nec abſoluit eum a peccatis, ſed ſolum ab obligatione confitendi ſibi, cum peccata quoad remisſionem ſint connexa: licet posſit aliquis abſolui ab vna excommunicatione, manēte alia, vt dicit Viguerius de ſacramento pœnitentiæ in ſuis inſtitutionibus: abſolutio tamen ſacramentalis dimidiari non poteſt, ſicut nec contritio. Si vero pœnitens habens caſus reſeruatos prius vadit ad curatum, debet ei omnia confiteri etiam reſeruata: & ſacerdos abſoluit eum ſacramentaliter ab omnibus peccatis, etiam reſeruatis: ſed nō ab obligatione confitendi peccata reſeruata ſuperiori, cui confitendo dicta reſeruata nō dimidiat confesſionem, cum iam omnia peccata ſint ei remiſſa: Sed quia remanebat obligatus peccata reſeruata confiteri ſuperiori, & acceptare pro illis iniunctam ſibi pœnitentiam, ideo illa dumtaxat cōfitetur. Si autem contingat caſus, in quo aliquis confiteri volens de aliquo crimine, non poteſt illud confiteri, niſi reuelet alienam confesſionem, vel aliam perſonam, & ex tali reuelatione probabiliter timeat periculum ruinæ confeſſoris, vel ſuiipſius, aut alterius, dicit dictus Viguerius vbi ſupra, quòd debet petere licētiam alteri confitendi, vel ad ſuperiorem recurrere, & de eius licentia alium ſacerdotem incognitum adire, & illi confiteri. Sed dubium eſt, an teneatur cōfiteri circūſtantias: Reſpōdet de mēte beati Thomæ, quòd alleuiantes circunſtantias confiteri non videtur laudabile, niſi ex taciturnitate earum iudicaretur mortale, quod eſt veniale: Circūſtantias vero aggrauantes confiteri vtile eſt, non autem ſemper neceſſe, niſi mutarent ſpeciem peccati, & haberent ſpecialem prohibitionem. De circunſtantia numeri dicit idem beatus, quòd tenetur numerū peccatorū ſuorū, eomodo quo habet in memoria, exprimere, certū ſi ſciat: ſi vero ignoret, dicat circūcirca. cōfesſio tamē, ſecundū quod eſt pars ſacramēti pœnitentiæ, cōcernit iudicium ſacerdotis. Vnde ponitur duodecima cōditio, quæ ſe tenet ex parte cōfitentis, ſcilicet quòd ſit accuſans, ſiue quòd dicat ſe male feciſſe. Et in comparatione ad miniſtrū ponitur tertiadecima, videlicet quòd ſit parere parata, quoad pœnitentiam iniungēdam per ſacerdotem: acceptans enim eam tenetur ſub pœna peccati mortalis adimplere. Quartadecima & vltima cōditio eſt, quòd ſit ſecreta: & hoc ex parte confeſſoris: Reuelanti enim grauis a iure iniungitur pœnitētia. Sigillum enim (theologice loquendo) duplex eſt, ſcilicet confesſionis, & ſecreti. Primum nihil aliud eſt ſecūdum beatum Thomam in 3. parte q. ij. art. pri. q. 3. quàm debitum celandi peccata in confesſione audita, & omnia alia, per quæ poteſt peccator vel peccatum deprehendi, ſiue ſacerdos abſoluat,

ſiue non: & hoc debitum conſurgit non modo iure humano, ſed & diuino ex ipſo ſacramento confeſsionis, in quo ea, quæ interius fiunt, debent exterius ſignificari. Et ſic confeſsio eſt ſignum cõtritionis: & cum peccator confitetur peccatum ſuum, de illo verificatur illud pſal. 31. Beati quorum tecta ſunt peccata: & ideo ſicut Deus celat & tegit, ita & ſacerdos, cum miniſter ſe conformare debeat ei, cuius eſt miniſter. De ſecundo dicetur in capite ſequẽti.

De ſigillo ſecreti confeſsionis, & an confitens poſsit dare licentiam confeſſori, vt reuelet confeſsionem ſibi factam. Cap. XXXVIIII.

RESPONDET dominus Gabriel Biel 21. diſtinct. quar. poſt Scotum ad dubium poſitum in titulo huius capitis negatiue, quòd confitens non poteſt dare talem licentiam: cum celare peccatum non ſit tantũ ius confitentis, ſed communitatis: ſequeretur enim ex tali reuelatione perturbatio in republica, cũ paſſim quilibet reputaret alium abominabilem. Tenetur enim confeſſor triplici iure ad celandum ſibi in confeſsione detecta peccata, videlicet diuino, naturali, & poſitiuo. Primo iure diuino. Et ratio eſt: quia quilibet Chriſtianus lege diuina tenetur alteri nõ præbere occaſionem, qua reuocetur ab obſeruantia dictæ legis: præceptum autem de confeſſione facienda eſt de iure diuino: reuelans vero eandem dat occaſionem, quantum in ſe eſt, proximo non cònfitendi. Secundo de iure naturali; lex enim naturæ de fraterna charitate exprimit, vt quis faciat alijs quæcumque ſecundum rectam rationẽ vult ſibi fieri Mat th. 7. & Luc. 6. alioqui quomodo diligeret proximum? Quilibet vero ſecundum rectam rationem debet propriam diligere famam: & ex conſequenti occultationem ſui ſecreti: Ergo confeſſor debet diligere famam confitentis, & ſic celare peccatum ſibi in confeſsione detectum, per quod confitens diffamaretur. Quòd autem quilibet debeat diligere famam propriam, conſtat per illud quod dictum eſt eccleſiaſtici 41. Curam habe de bono nomine. Per hanc etiam naturæ legem quilibet tenetur ſeruare fidelitatem proximo, quam vellet, aut velle deberet ſibi ſeruari: & per conſequens confitenti peccata. De hac fidelitate habetur prouer. 10. Qui fidelis eſt, ſeruat amici commiſſum. Nullus profecto cõfiteretur peccatum alteri, niſi certo certius crederet, quòd ſua confeſsio eſſet ſecretisſima. Forum enim iſtud eſt cauſarum, quæ vertuntur inter Deum & confitentẽ: vbi nullus alius admittitur: Dei enim ſolius eſt cognoſce-

re ſecreta cordium: ergo ſacerdos, cui tanquam vicario Dei peccata reuelantur, tenetur illi tanquam ſecreta celare. Poſtremo eſt de iure poſitiuo, ſiue Eccleſiæ. Vnde ſecundum iura antiqua, vt habetur in c. Sacerdos de pœnitētia diſt. 6. Pœna reuelantis cōfeſſionem eſt depoſitio, & per totam vitam ignominioſa peregrinatio. Sed ſecūdum decretalem, omnis vtriuſque ſexus. §. caueat, de pœnitentijs & remiſſ. eſt depoſitio, & detruſio in monaſteriū ad perpetuā agendam pœnitentiam. Ex quibus infert Biel, quòd reuocare dicta iura non eſt in poteſtate confitentis, etiam quòd introducta eſſent in fauorem eius. Sunt tamen qui dicunt, quòd non ex Chriſti inſtitutione, neque ex ſubſtantia ſacramenti ſecretam fieri confeſſionem, ſed ab ipſo hoc relictum prudentiæ naturali, & vnctioni ſancti ſpiritus, quando publice fieri debeat vel poſſit, & quando ſecrete. Regulà tamē eſt ſecundum eos, & multum cōformis naturæ ſacramēti, vt occulta peccata occulte confiteantur, & ſic iudicentur ſine publicatione, licet ex cauſa legitima publicari poſſint: Et morem aliquādo fuiſſe in Eccleſia, quo peccata occulta, quando hoc videbatur ſacerdoti conuenire, publicarentur, teſtatur Origenes homil. prima in pſ. 37. Quem morem abrogauit Leo pontifex epiſtola 57. quod & poſtea ſemper in Eccleſia ſeruatum eſt, vt peccata potiſſimum ſecreta non publicarentur. Non tamen, vt dicunt, neceſſarium eſt neceſſitate ſacramenti, vt occulta peccata in vnius ſacerdotis aures ſecreto dicantur: cum ſecundum beatum Auguſtinum libro, qui ſibi aſcribitur ab aliquibus de vera & falſa pœnitētia, quāto quis pluribus cōfeſſus fuerit in ſpe veniæ, tāto facilius remiſſionē aſſequatur: quia erubeſcentia magnā habet pœnam. Dicunt vltra, quòd cōſentiens eſt doctorum ſententia, quòd ſacramentalis eſt confeſſio, quæ fit per interpretē, aut ſcripturam, quæ non patiūtur eam eſſe omnino ſecretam: & quando dicitur, quòd forum pœnitētiæ eſt ſecretiſſimum, intelligitur ſecretiſſimum eſſe in fauorem cōfitentis, cui renuntiando ex ſacerdotis conſilio pluribus cōfiteri poteſt. Dominus etiam Adrianus q. prima de confeſſione dicit, quòd in c. Omnis vtriuſque ſexus particula ſolus, eſt modificatio, extra quam præceptum Eccleſiæ non obligat: quamuis tamen ex præcepto euangelico per literas & per interpretem confiteri teneamur, quando aliter nō poſſumus, vt dicit beatus Thomas diſt. 17. 41. q. 3. ad ſecundum argumentum, & Petrus palud. eadem diſt. q. 2. ar. 1. Opinio tamen præcedēs multis videtur ſecurior, & nobis magis placet: præcipue cum habeamus pro ſecreto confeſſionis canonem ſextū ſeſſ. 14. concilij Tridentini dicentem: ſi quis negauerit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure

diuino,

diuino, aut dixerit modum ſecrete confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia catholica ab initio ſemper obſeruauit,& obſeruat,alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, anathema ſit. Si dicatur,quid faciet confeſſor,ſi confitens petat peccatum ſuum ob vtilitatem aliquam per confeſſorem reuelari : Reſpondet Scotus, quòd ſi confitens dicat peccatum ſuum extra confeſsionem reuelandum certis perſonis, poteſt,dummodo non dixerit ei illud in ſecreto: quia prodere ſecretum eſt contra ius naturæ : confitens vero non poteſt tollere ius illud. Dubitatur etiam, an ea, quæ extra cõfeſsionem cõmittuntur ſub ſigillo confeſsionis claudantur ſub illo. Reſpondet idem Scotus diſt. 21. 4. quòd hoc modo commendatum alicui cadit ſub ſigillo ſecreti,& non confeſsionis ſacramentalis : cum ſic commendans non confiteatur ſacramẽtaliter: nec pacta priuatorum poſſunt ius diuinum ſtatuere. Sigillũ autem ſecreti ſecũdum Paludanum diſt. 21. 4. eſt ſuperius ad ſigillum confeſsionis : Sigillum autem ſecreti eſt debitum ſeruandum, ſiue commiſſum ſit peccatum, ſiue temporale negotium. Hoc debitum ex promisſione conſurgit, quando ſcilicet reuelás exigit ante reuelationem,vt teneatur ſecretum,& is cui fit reuelatio,promittit celare : tunc iure naturali,quo tenetur ſeruare promiſſum,tenetur ſeruare ſecretum. Eſt tamen dicta promisſio quaſi iuramẽtum : quia per aliquod ſacramentum aliquo modo promittitur:Ideo qui promiſit aliqua celare ſub ſigillo confeſsionis, reuelando videtur magis peccare, quàm ſi ſimpliciter promiſiſſet ſeruare ſecretum. Et adhuc magis peccat, ſi promisſionem confirmauit iuramento. Viguerius tamen in ſuis inſtitutionibus de ſacramento pœnitentiæ in fine ſecundæ partis eiuſdem, videlicet de confeſsione, addit ad præfata, Quòd eſt maior obligatio iuris naturæ, qua quis tenetur communitati,vel Deo,quàm qua tenetur particulari perſonæ: ideo vbi illud ſecretum vergeret in perniciẽ Reipublicæ temporalis vel ſpiritualis, vt cum aliquis alicui ſecrete reuelat, quòd vult prodere regnum, vel ciuitatem comburere, aut hæreſim ſeminare, non debet celare: immo tenetur reuelare his, qui prodeſſe poſſunt, maxime ſtante monitione prælati ſub ſententia excõmunicationis : Nec tenetur poſt priuatam monitionem expectare correctionem vel recidiuum, cum mora eſſet in magnum præiudicium, ſi ſe non emendaret. Reuertendo ad principale propoſitum, an videlicet ſacramẽtalis confeſsio in caſu aliquo reuelari posſit: Reſpondet Biel vbi ſupra de mente infraſcriptorum doctorum, videlicet Alexãdri,Thom. Bonauen. Ricardi, & Petri de Palude, quòd ſacerdos ſecure iurare poteſt,ſe neſcire quæ nouit per confeſsionem : quoniam illa non

nouit vt homo, ſed vt Deus: Reſpondendo autem iudici, reſpondet vt homo: nam eadem perſona vere affirmare poteſt aliquid in perſona alterius loquens, quod vere negat in propria perſona. Angelus enim loquens Moyſi in perſona Dei, vere dixit: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham &c. Exo. 3. Quod certe & vere negaſſet in perſona propria loquens. Contra quos tamen de mente Scoti idem Gabriel Biel arguit, quòd confeſſor nouit non vt Deus, ſed vt homo, & miniſter Dei: ſicut nec abſoluit ex perſona Dei, ſed miniſterialiter, & Deus principaliter. Vnde ſi diceret auctoritate mea te abſoluo principaliter, mentiretur: verum tamen diceret, ſi loqueretur in perſona Dei: ſicut verum diceret dicendo, Ego ſum Deus tuus &c. loqui autem auctoritate alterius, eſt loqui in perſona ſua propria ex commiſſione illius. Vnde confeſſor ſæpe dicit abſoluendo: Ego auctoritate beatorum Petri & Pauli mihi commiſſa &c. quæ falſa eſſet in perſona Dei. Ideo concludit Biel: quæ audit, & abſoluit, facit in perſona ſua, ſed vt miniſter Dei. Et ideo in caſu quo confeſſor producitur in teſtem, & iurat reſpondere veritatem de interrogatis, ſi quæratur de aliquo, quod non nouit niſi ex confeſſione, nõ debet reſpondere, nec ſcio, nec ignoro: Nec ſic eſt trãſgreſſor iuramenti, cum iuramentum intelligi debeat de interrogatis, ad quæ licite reſpõdere poteſt: Si enim generaliter intelligeretur, eſſet temerarium: nec iudex poteſt aut debet vltra interrogare. Et ſi dicatur, quòd tacendo generat ſuſpicionem in animo audientium, quòd talia commiſſa ſint: Reſpondetur, quòd tacere eſt ſignum de ſe indifferens ad confeſſum, & non confeſſum, ideo eſt ſignum de ſe clauſiuum: nec per confeſſionis taciturnitatem probari poteſt aliquid contra eum, contra quem producitur in teſtem. Vnde ſi tyrannus minaretur mortem confeſſori, niſi reuelaret ſibi confeſſa, debet plus timere Deum, quàm minas: ſimiliter & prius exponere ſe martyrio, quàm Dei legem, naturæ, & Eccleſiæ tranſgredi, cõfesſionẽ reuelando. Vnde ſi nõ poteſt cõfiteri niſi reuelãdo confeſſionẽ ſibi factã, debet differre confeſſionem, quouſque habeat perſonã idoneam. Sed dubiũ eſt, an perſona tertia, cũ qua cõfitens peccauit, ſit a cõfitente neceſſario celãda: Reſpondet Ricard. de media villa diſt. 21. 4. ſub diſtinctione, videlicet: quòd aut eſt neceſſaria expreſſio talis perſonæ, cũ qua peccauit, ad cognoſcendũ genus peccati: vt ſi frater concubuiſſet cũ ſorore, quæ eſſet ſibi vnica, quærendus eſſet confeſſor, cui dicta ſoror non eſſet nota: Aut ſi expreſſio perſonæ nõ eſt neceſſaria ad exprimendum peccati quantitatẽ, eſt tamen vtilis ad correctionẽ tertii, vel præſeruationem a recidiua: tunc pœnitens benefacit extra confeſſio-

nem detegendo, vt poſsit corrigere : ſi etiam eſt vtilis ad præſeruã-dum pœnitentem, ſic vtile eſt in confeſsione exprimere . Si autem neutro modo eſt vtilis , non debet reuelare . Dubitatur vltimo , an audita in cõfeſsione , & alias ſcita extra confeſsionem cadant ſub ſigillo confeſsionis : Reſpondent ſancti Thom . & Bonauen . quòd ſcitum in confeſsione nullo modo vt tale reuelandum eſt : ſed poteſt ſimpliciter dicere, illud vidi,ſeu audiui , aut ita eſſe noui, quod extra confeſsionem vidit,aut nouit : confitens enim cũ non ſit eius prælatus,non poteſt ſibi in talibus imponere ſilentium.

De ſatisfactione , quæ eſt tertia & vltima pœnitentiæ pars . Cap. XL.

SATISFACTIO , quæ eſt pœnitentiæ pars,regulariter fit per ieiunium, eleemoſynas, & orationes,ſiue alia pia opera,non quidem pro pœna æterna,quæ per ſacramentum ſiue ſacramenti votum vna cum culpa remittitur : ſed pro temporali , quæ non tota ſemper vt in baptiſmo dimittitur illis, qui gratiæ Dei , quam acceperunt, ingrati Spiritum ſanctum contriſtauerunt, & templum Dei violarunt . Commutatur autem pœna futuri ſeculi temporalis in eam, quæ eſt p̃ſentis vitæ arbitrio ſacerdotis virtute clauiũ, quãdo pro peccatis confeſsis imponitur in pœnitentiam oratio, ieiunium vel eleemoſyna, quæ tunc ſuccedunt in locum prioris pœnæ per ſe peccato debitæ: cuius reatus & obligatio per illam commutationẽ arbitralem videtur extingui , ſi iuſta eſt & pœnæ æquiualeat : Sicut quando votum peregrinationis in eleemoſynam commutatur:quæ ſi non impletur per impotentiã ſine culpa confitentis, vt quia morte præuenitur : an redeat pœnæ futuri ſeculi reatus , vt intelligatur arbitrium ſub conditione tantum impletionis? certum nõ eſt:quẽadmodum nec in huiuſmodi votorum commutatione . Satisfactio autem ſic impoſita virtute clauium eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, & proprie ſatisfactio : Quandiu vero commutatio facta non eſt arbitrio ſacerdotis,eſt compenſatio,redemptio, vel æquiualẽtis redditio iuſto Dei iudicio , non proprie ſolutio eius , quod debetur . Ideo frequenter doctores veteres redemptionis, compenſationis, liberationis nominibus, & ſimilibus vtuntur . Vnde beatus Ambr . ſermon. 30 . inquit : Multa habemus ſubſidia,quibus peccata redimimus . Damaſcenus lib . 4 . c . x . ſuæ theologiæ : Iure laborioſum baptiſmum vocat pœnitentiam . Iuſtum itaque eſt, vt ipſe a ſe peccati pœnas exigat, vt illud Deut. 25 . impleatur : Pro menſura deli-

ẛti erit & plagarum modus: ſimiliter & illud Apoc. 18. Quantum ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tantũ date illi de tormentis. Chryſo. etiam homil. 22. ad populum Antiochenum: Si magnus eſt lapſus tuus, maior ſit lachrymarum tuarum torrens. Et Theodoretus in libello, quem inſcripſit diuinorum decretorum c. De pœnitẽtia, inquit: Sunt ergo medicabilia quæ poſt baptiſmum fiunt vulnera: medicabilia non vt olim per ſolam fidem data remiſſione, ſed per multas lachrymas, fletus, luctus, ieiunium, orationem, & laborem facti peccati quantitati accommodatum. Fit autem eiuſdem ſatisfactio, non ad culpam, vel pœnam æternam expiandam, (hæc enim ſatisfactio ſoli Chriſto tribuenda eſt: ſolus enim ille factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi: ſolus ille mortẽ moriendo deſtruxit, per eam pro peccatis noſtris abunde ſatisfecit, per eam patri ſuo cæleſti nos reconciliauit) ſed de ea loquitur ſatisfactione, quæ in his maxime pœnitentiæ fructibus conſiſtit, quos iuſtitiæ nomine Chriſtus dignatur in ieiunio, oratione, & eleemoſyna, ſiue a nobis ea ſuſcepta, ſiue per parochos noſtros, ſacramẽtorumq; diſpenſatores nobis iniuncta ſit: quæ cum ex fide & charitate peragitur, peccatorum cauſas exſcindit, ſiue diruit, peccati reliquijs medetur, ac temporalem pœnam vel tollit, vel mitigat, denique & in exemplum adhibetur. De eiuſmodi ſatisfactione loquitur canon 13. ſeſs. 14. concilij Triden. dicens: Si quis dixerit ꝓ peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a ſacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, vel alijs etiam pietatis operibus: atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum nouam vitam, anathema ſit. Satiſfactio noſtra quid prodeſt nobis? Non aliter principaliter niſi virtute, merito, & efficacia Chriſti paſſionis: quæ fons & fundamentũ omnium bonorum operum noſtrorum eſt, quæ non noſtra magis ſunt, quàm eius, qui viuit in nobis Chriſti, qui operatur in nobis. De quo Eſa. 26. Dñe omnia opera operatus es in nobis. Hunc itaque paſſionis, crucis, & ſanguinis Chriſti fructum habemus, quòd quæque opera noſtra quamlibet in ſpeciem bona, nihil antea nobis fuerunt profutura ad vitam æternam capeſſendam: ea poſtquam Chriſti ſanguine tincta ſunt, prodeſſe nobis incipiunt ad placandam iram Dei, & ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris. Noluit enim Chriſtus paſſionem & mortem ſuam operculum eſſe turpitudinis, & aſylum iniquitatis noſtræ: vt quoniam ille ſatisfecit pro nobis, licere nobis exiſtimemus, vt deinceps ventri iam libere ſeruiamus, atque omnia quæ libido noſtra fert, faciamus. Antiquiſsimum Ni-

cænum concilium pœnitentialium meminit canonum, qui conſtituti erant non tantum in diſciplinam quaſi politicam, ſed etiam ad placandum Deum, & ſatisfaciendum pro peccatis. Concilium etiã Tridentinum ſeſſione 6. c. 14. idem probat: dicit enim, quòd pœnitentia hominis chriſtiani poſt baptiſmum multo alia eſt, quàm baptiſmalis, quodq; contineat ſatisfactionem per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia ſpiritualia vitæ pia exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento vel ſacramenti voto vna cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ non tota ſemper, ſicut fit in baptiſmo, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum ſanctum contriſtauerunt: & templum Dei violare non ſunt veriti: idem habetur ſeſſ. 14. cap. 13. Satisfactionẽ vocamus exhibere membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, ſicut antea exhibuimus ea ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem. Talis fuit ſatisfactio Zachæi, qui vere & ex animo pœnitens dixit Luc. 19. Ecce dimidium bonorum meorum &c. Ad hanc ſatisfactionem nos inuitat Ambroſius ſermone 15. dicens: Nos quoque, ſi tam graue fuerit peccatum, vt minime ſolis fletibus abluatur, addamus miſericordiæ oleum, acrimoniamq; ieiunij: Nullum enim tam graue delictum eſt, quod non purgetur abſtinẽtia, eleemoſynis extinguatur. Eccleſiaſtici etiã dicitur 3. Sicut aqua extinguit ignem, ita & eleemoſyna peccatũ. Baſilius quoq; in prima oratione de laudibus ieiunij: Per ieiuniũ, inquit, ſatisfacite: quod eſſe de iure diuino minime dubitamus, licet tẽpus ſit ab Eccleſia determinatum. Et Cyprianus epiſtola 4. ad clerum inquit: ꝙ ad placãdum Deum nõ voce ſola, ſed & ieiunijs, & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Fructus etiam pœnitẽtiæ, ad quos nos hortatur Ioan. Matth. 3. nõ aliud ſignificãt, quàm ſatisfactionẽ. Dignos fructus pœnitentiæ facimus, ait Chryſo. cũ cõmiſſis peccatis aduerſa facimus. Aliena rapuiſti, incipias donare propria: lõgo tẽpore fornicatus es, a legitimo quoque cõiugij vſu ſuſpendere: iniuria vel opere quẽquam, vel ſermone affeciſti, refer benedictionis verba. Idẽ Cyprianus lapſos (tracta. de lapſis) ad ſatisfactionẽ inuitat his verbis: Confiteantur ſinguli quæſo delicta ſua, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotem apud Dominum grata eſt: conuertamur ad dominum tota mente, & pœnitẽtiam criminis veris doloribus exprimentes Dei miſericordiam deprecemur.

Exempla multa habemus in ſcripturis, quòd remiſſis peccatis non ſunt remiſſæ pœnæ temporales. Cap. XLI.

PECCATO

PECCATO remiſſo, hoceſt peccatore in gratiam & filium Dei recepto, plerumque manere reatũ pœnæ non ſolum huius, ſed & futuri ſeculi: nec eius dũtaxat, quæ in boni priuatione conſiſtit, ſed & pœnæ, quæ eſt in afflictione torméti, probatur & ſcripturæ & patrum teſtimonijs. Peccatũ enim diffidentiæ remiſſum eſt Moyſi & Aaron, non tamen pœna temporalis, neque ingreſsi ſunt terrã promisſionis. Hoc de reliquo populo Iſrael, hoc de Maria ſorore Moyſi, hoc de Dauid factũ legimus: quibus omnia remiſſa peccata, nõ tamẽ ſunt remiſſæ pœnæ temporales: quas effugere nobis licet, quando ieiunio, oratione, eleemoſyna Deum nobis placatum reddere conamur: Sicut Niniuitas, ſicut Ezechiam, ſicut Achab feciſſe legimus. Vnde Dauid poſt conuerſionem audire meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum 2. regum 12. & tamen multis poſt cruciatibus afflictus, reatum quem perpetrauerat, excluſit. Vnde beatus Ambroſius ad virginem lapſam c. 8. ſuper illud, Quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: Ita demum fore inquit, vt nobis parcat Deus, ſi nobis ipſis nõ pepercerimus. Et Tertullianus libro de pœnitentia inquit: Inquantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus, crede, parcet. Et Auguſtinus c. 2. de pœnitentiæ medicina: In hac, inquit, pœnitentia maiorem in ſe ſeueritatem vnusquiſque debet exercere, vt a ſeipſo iudicatus, non iudicetur a Deo. Et Chryſo. de Lazaro concione tertia inquit: Vides quomodo hic inflicta pœna liberat a pœna, quæ illic eſt. Et diffuſius homilia ſequenti dicit. Vt igitur neque puniamur, neque pœnas demus, in ſuam quisque conſcientiam ingrediatur, vitamq; explicet, cunctisq; commisſis diligenter excusſis cõdemnet animam, quæ hæc patrauit, puniat, atque cogitationem affligat, crucietq; ſuã ipſius mentem, ſuppliciumq; a ſeipſo exigat pro peccatis per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confesſionem, per ieiuniũ, per eleemoſynam, per continentiam per charitatem, vt posſimus omnes omni modo hic depoſitis peccatis multa cum fiducia illuc proficiſci. Idem Bernardus in ſerm. 55. ſuper cantica. Iudicabo, inquit, mala mea, iudicabo & bona: mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire ieiunijs, ceterisq; ſanctæ laboribus diſciplinæ: in bonis de me humiliter ſentiam, & iuxta præceptum Domini ſeruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci. Dabo operam, nec lolia pro granis, nec paleas cũ granis offerre. Ex his omnibus colligere licet, remiſſa culpa ſupereſſe adhuc reatum ad pœnam temporalem. Athanaſius in libro de blaſphemia in ſpiritum ſanctum

dicit. Hoc intereſſe inter baptiſmum & pœnitentiam, quòd cum pœnitet homo, ceſſat quidem a peccando, ſed habet vulnerum cicatrices. Ceterum qui baptizatur, veterem quidem hominem exuit: renouatur autem, vt denuo renatus ſit per ſpiritus gratiam. Et Baſilius in homil. de pœnitentia: Eſt ſpes poſt peccatum, eſt ſanatio etiam poſt vlcus, ſed manet cicatrix. Idem Origenes homil. 8. in leuiticum, et Cyprianus ſermone primo de eleemoſyna: Quàm neceſſaria, quàm benigna eſt diuina clementia, quæ cum ſciat non deeſſe quædam poſtmodum vulnera, dedit ſanandis curandisq; denuo remedia ſalutaria. Gregorius Nazianzenus idem dicit in oratione, qua ad baptiſmum cohortatur, præſertim cum alia non detur regeneratio, neque in priſtinum ſtatũ reſtitutio: licet eã maximis gemitibus & lachrymis (ex quibus vt ego ſentio atque ſtatuo vix cicatricis obductio ſequitur) inquiramus. Et beatus Auguſtinus in enchirid. cap. 71. inquit: Delet oratio quotidiana fidelium & minima peccata, & pro eis ſatisfacit: delet & illa, a quibus vita fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitentibus in melius mutata, diſcedit: In melius quippe eſt vita mutãda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis propitiandus Deus: Miſerando delet iam facta peccata, ſi nõ ſatisfactio congrua negligatur, qua neglecta poſt hanc vitam vſque ad vltimum quadrantem exigetur, vt interpretatur beatus Cyprianus in epiſtola ad Pomponium. Neque vero tantum in viuentibus, verum etiam in vita functis manent, & cicatrices quædam ac maculæ peccatorum per ignem purgandæ: & pœnæ, per quas peccatis ſatisfit venialibus tantum, pro quibus debita pœnitentia in hoc ſeculo peracta non eſt. Conſtat enim, quòd Eccleſia triumphantium cum Chriſto, ſicut Apoſtolus ad Epheſ. 5. teſtatur: ſine macula eſt & ruga. De qua Apoc. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatũ. Quamobrem neceſſe eſt cicatrices purgare & maculas peccatorũ, priuſquam ad patriam ire liceat. Vnde Auguſtinus libro. 20. de ciuit. Dei. c. 25. ex ſententia Eſaię 4. dicentis: Abluet Dominus ſordes filiarum Sion &c. et ex verbis Malachiæ 3. Ecce venit, dicit Dominus omnipotens, & quis ſuſtinebit diem introitus eius? et ſimul ex illis verbis Matth. 12. Peccatum in Spiritum ſanctum non dimitti, neque in hoc, neque in futuro ſeculo, docet eſſe quædam peccata, quæ ſi nõ in iſto, tamen remittantur in futuro ſeculo: quod nõ tam de pœna peccati, quàm de ipſo peccato recte intelligi poteſt. Cuius etiam ſentẽtiæ ſimul cum Auguſtino eſt Gregorius 4. libro dialog. c. 39. Beda in c. 3. Marci, Bernardus homil 66. ſuper cantica, atque alij quamplures. Remittit itaque Deus pœnã æternam pro ſua miſericordia, ſed exigit temporalem pro ſua iuſtitia,

ne

ne ſit malum prorſus impunitum. Adduci etiam poſſunt ſcripturæ auctoritates, quòd hanc pœnam reſtantem & peccatis debitam ſoluere poſſimus, mitigare, & auertere. Nam omnipotens Deus etſi numquam conſilium, ſententiam tamẽ frequenter mutat, vt inquit beatus Gregorius libro 16. moral. circa locum Iob 22. ſublati ſunt ante tempus: ſententia quippe, ait, in ore, & conſilium in corde eſt. Vnde Dauid cum videret Angelum cædentem populum, & dixiſſet ad dominum: Ego ſum qui peccaui, ego inique egi, vertatur obſecro ira tua contra me: mox ceſſauit plaga, quæ alioqui triduana fuerat conſtituta: Et Propheta Hieremias clariſsime idem teſtatur cap. 18. cum dñs per eundem dicit: Repente loquar aduerſus gentem & aduerſus regnum, vt eradicem, deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa de malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei: & ſubito loquar, vt ædificem & plantem illud. Quomodo autem hoc fiat ſine Dei mutatione, docet beatus Gregorius vbi ſupra. Vſus etiam ac conſuetudo fidelium ſemper fuit ad Deum in tribulationibus recurrere, certaq; fiducia precari, vt iram ſuam a populo auertat, vt elicitur ex verbis Dauid, qui poſtquam per Nathan prophetam pœna a Deo conſtituta fuit, quòd moriturus eſſet filius natus, ieiunauit & fleuit, & dicebat: Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Quod tametſi ibi non obtinuerit, obtinuit tamen in alio, vt dictum eſt ſupra. Hic prætereundum non eſt, quòd magnum eſt diſcrimen inter pœnam futuri ſeculi peccatis debitam, quæ per ſe debetur ex condigno: & inter pœnam vitæ præſentis, quæ de congruo & extraordinarie ex ſpeciali cauſa pro peccatis a Deo redditur: illã deprecari poſſumus, auertere, compenſare: hanc nõ ſemper, quando ſcilicet Deus eam certo & immutabili conſilio pro peccato remiſſo inferre diſponit. Hinc enim eſt, quòd Moyſes, qui reatum totius plebis apud Deum ſuis fletibus terſit: dumq; ſe obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit: ad petrã Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, promiſsionis terrã ingredi domino iraſcente non potuit Deut. vlt. Reſtat tamen poſt hanc vitã pœna ignis purgatorii, qua expiantur leuiora peccata eorum, qui dum viuerent ipſas pœnas de illis ſumere conati nõ ſunt, de qua in ſequẽti capite diffuſe diſſeremus. Si volumus igitur pœnas effugere tẽporales vel in hoc, vel in futuro ſeculo pro peccatis noſtris nobis infligendas, opus eſt vt ipſi nos iudicemus, vt ipſi ſuppliciũ de nobis ſumamus, & p ieiuniũ, orationẽ, & eleemoſynã peccata noſtra expiantes, Deũ nobis placatũ reddamus: Et hęc eſt ſatisfactionis ratio, quę ĩter partes pœnitentiæ numeratur, quę tollitur nonnũquã per indulgẽtias.

Purgatorium eſſe multis probatur ſcripturæ diuinæ auctoritatibus. Cap. XLII.

BEATVS Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 32. inquit: Quòd orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio altaris, & eleemoſynis, quæ defunctorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur a domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia: Nec omnino ambigendum eſt omnia ſupradicta prodeſſe defunctis, præcipue talibus qui ita vixerunt ante mortẽ, vt poſsint eſſe hæc eis vtilia poſt mortem. Nam qui ſine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusq; ſacramentis de hoc corpore exierunt, fruſtra illis a ſuis huiuſmodi pietatis impendũtur officia. Antequam vero videamus quomodo eisdem ſuffragia & indulgentiæ opitulentur, de quibus in ſequentibus diſſeremus, vbi videbimus vnde ortum habeant dictæ indulgentiæ, & quid in nobis & defunctis operẽtur, videndũ eſt de loco defunctorum, qui erit multiplex, ſicut decedentium ex hac vita nondum expiatorum multiplex eſt differentia. Quærendum eſt primo de loco ſoluendi pœnas peccatis actualibus debitas. Et dicendum, quòd eſt mundus iſte, in quo viatores plene poſſunt recipere ſacramentum pœnitentiæ: Verum quia contingit aliquando, quòd exiſtens in gratia obnoxius reatibus pœnarum temporalium pro peccatis præteritis moritur ante expiationem, & non poteſt ingredi ciuitatem Hieruſalem ſupernam, in quam nihil coinquinatum ingreditur Apoc. 21. ideo neceſſario ponendus eſt locus, vbi poſt mortem expientur, aliter fieret iniuria diuinæ iuſtitiæ: quia ſi non expiarentur, ſequeretur quòd aliquis in gratia exiſtens, priuaretur vita æterna abſque nouo peccato, quod eſt erroneum. Hunc locum Eccleſia & doctores vocant purgatorium: quod firmiſsime eſſe Eccleſia in pluribus concilijs œcumenicis determinauit, & præcipue in Florentino, Agathenſi & Tridentino ſeſſ. 25. in decreto de purgatorio: quæ concilia plurima in ſacris literis habent ſuper huiuſmodi fundamenta. Primum ex Malachia c. 3. vbi dicitur: Ecce venit, dicit dominus exercituũ, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgauit filios leui. Per diem domini intellexit Malachias mortem, in qua venit Dominus ad iudicandum iuxta illud, ſtatutum eſt homini ſemel mori. Et poſt hoc iudicium, ſcilicet mortis, ſiqui ſint, qui nõ fuerint plene purgati, purgabuntur igne. Ad hunc modum

dum beatus Paulus dicit: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, ſiue fides eiuſdem charitate formata ſecundum glo. ſiquis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, & ſtipulam, vniuſcuiusque opus manifeſtum erit, dies autem Domini (ſcilicet ad iudicium) declarabit: quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiusque opus quale ſit, ignis probabit: ſi cuius opus manſerit quod ſuperædificauit, veluti aurum, argentum, quibus ignis non nocet: ſic illi, qui in hora mortis non habebunt niſi bona operâ, mercedem ſtatim accipient. Si cuius vero opus arſerit, puta quia ex lignis, fœno, & ſtipula, quibus ignis nocet, (quæ tria repræſentant peccata venialia & reatus peccatorum) detrimentum patietur: ipſe tamen ſaluus erit, ſcilicet propter fundamentum, ſic tamen quaſi per ignem videlicet purgatus. Et præfati loquuntur de igne reali, in quo cruciantur poſt mortem animæ, quæ habent aliquid ligni, fœni, & ſtipulæ, vt inquit beatus Auguſtinus in ſermone 4. de animarum commemoratione: & beatus Gregorius in 4. dialo. c. 39. cum glo. ordinaria. Cuius ſententiæ, videlicet quòd animæ poſt mortẽ luunt pœnas ignis, ſunt omnes ãtiqui doctores: a quibus tamẽ poſſunt liberari, vt declarat Iudas Machabæus, qui collatione facta miſit Hieroſolymã offerri 12. millia drachmas argẽti pro peccatis mortuorum, iuſte & religioſe de reſurrectione cogitans. Et in fine concludit: Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur 2. Macha. 12. Liber enim Machabæorum, etſi non ſit de canone hebræorum, eſt tamen de canone Eccleſiæ catholicæ (quamuis ſit incerti auctoris) & inter canonicos diuus Auguſtinus & Hieronymus numerarunt: Idem facit concilium Tridentinum ſeſs. 4. in decreto de libris canonicis. Ceterum Dominus dixit Matth. 12. Siquis dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei nec in hoc ſeculo, nec in futuro. Ex quo loco omnes expoſitores eliciunt, quòd in futuro ſeculo aliqua remittantur peccata, & a fortiori pœna temporalis: aliter Chriſtus dominus noſter fruſtra dixiſſet, nec in futuro ſeculo: quod eſt blaſphemum. Peccata autem mortalia non ibi remittuntur, vt dicitur pri. Io. 5. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Reſtat vt peccata dũtaxat venialia, vel reatus pœnarum temporalium, qui ſunt reliquiæ peccatorum, quæ ſecum compatiuntur gratiam, remittantur ibidem. Apocalypſis etiam 5. dicitur: Quòd beatus Ioannes poſt Chriſti aſcenſionem vidit ſubtus terrã animas benedicẽtes Deum: Hoc autem non poteſt verificari de damnatis, de quibus dicit Da-

uid in pſal 73. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper: nec de antiquis patribus, qui iam cum Chriſto in die aſcenſionis aſcenderant, & ex conſequenti non erant ſubtus terram: nec hoc poteſt intelligi de pueris decedentibus ſine baptiſmo,& ante vſum rationis, cum ignorent Chriſtum ſedentem ſuper thronum, quem vidit Ioannes laudari & benedici. Reſtat ergo, quòd intelligatur de exiſtentibus in gratia, habentibus aliquid purgandum. Sollemnitas etiam ſepulturarum,& cultus exequiarum ab Apoſtolis & ſãctis patribus obſeruatus, non fruſtra fiebat. Vnde beatus Dionyſius dicit cultum exequiarum ritum fuiſſe Apoſtolorum in ſepultura chriſtianorum, & quòd Apoſtoli orabant pro defunctis, ſimiliter & quòd ab eis ordinatum fuit, vt in qualibet miſſa fieret commemoratio defunctorum. Vnde Damaſcenus in ſermone de ſuffragiis eorundem inquit: Miniſterium conſcij diſcipuli ſaluatoris in tremendis viuificis myſterijs memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierant, ſanxerunt.

De animarum nondum purgatarum poſt mortem receptaculis. Cap. XLIII.

AD euidentiam tituli huius capitis ſupponendum eſt ſecũdum omnes catholicos, & præcipue diuum Bernardum in lib. de imagine mundi, quòd infernus dicitur quaſi inferius,& quòd ſit ſubtus terrã poſitus. De quo beatus Auguſtinus in lib. retractationum, inquit: quòd infernus ſub terris eſt: vnde Eſai. 7. dicitur locus profundus per ſequentia verba: Pete tibi a domino ſignum in profundum inferni. Sanctus vero Hieronymus ſuper illud Matth. 12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic filius hominis erit in corde terræ, ait: Sicut cor eſt in medio animalis, ſic infernus in medio terræ. Et de Dño noſtro dicitur in Symbolo: Deſcendit ad inferos. Ex quibus formali conſequentia ſequitur, terram circa centrum eſſe concauam, vbi eſſe dicuntur quatuor ordinata receptacula, vnum ſuper aliud ad modum ſphærarũ. Anima enim exuta a corpore in ſtatu eſt recipiendi finalem retributionem: & hoc vel quantum ad bonum. Et ſic poſt Chriſti aſcẽſionem eſt Paradiſus, & ante ſuam reſurrectionem erat ſinus Abrahæ, ſiue limbus patrum: cum tunc reatus peccati originalis aditum ad cælum impediret. In deſcenſu vero Chriſti ad inferos impedimentum hoc ſublatum eſt, iuxta illud pſal. 23. Tollite portas principes veſtras, hoc eſt poteſtatem detinendi animas. Si vero quoad

malum,

malum, aut hoc ratione culpæ mortalis: & ſic eſt infernus, qui eſt locus profundiſsimus, de quo beatus Iob in perſona reprobi: In profundiſsimum infernum deſcendet anima mea: Hic locus a loco beatorum eſt remotiſsimus, iuxta illud pſal. 118. Longe a peccatoribus ſalus: & eſt in centro terræ, vel in circuitu eius. Aut ratione culpæ originalis: & ſic eſt limbus puerorum abſque baptiſmo decedentium. Si autem anima ſit in ſtatu, in quo impeditur a finali retributione conſequenda, & hoc propter defectum perſonæ: ſic eſt purgatorium, in quo detinetur donec ſatisfecerit pro venialibus, & pro pœna temporali. Superior vero pars inferni circulariter comprehendens alias partes dicitur limbus, ſiue locus puerorum, eo quòd circulariter comprehendat infernum. Locus vero ſatisfactionis ſiue expiationis, licet purgatorium dicatur, propter dictam tamē rationem poteſt etiam dici limbus. Vnde proprie limbus dicitur faſciola, qua extremitas veſtis ornatur: Sed extenſo vocabulo, omnis extremitas circularis rei limbus dicitur &c. Infernus vero locus damnatorum non ſic limbus dici poteſt, cum ſit immediate circa centrum terræ: in quo vſque ad diē iudicij cruciabuntur animæ in mortali peccato decedētium: & poſt iudicium animæ & corpora ſimul cum dæmonibus. Hic locus a nonnullis dicitur Acheron, quaſi ſine gaudio: damnati in eo loco regulariter deputati triplici puniuntur ante vniuerſale iudicium pœna. Prima damni, qua priuantur bono infinito, & clara viſione Dei, in qua ſaltem initiatiue cōſiſtit nr̄a beatitudo: ad quam ſequitur triſtitia, quæ ineffabiliter cruciat animas. Secunda ſenſus, non quòd animæ habeant ibi potentias ſenſitiuas: ſed quia ab extrinſeco videlicet igne, qui eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, imprimitur in eis non calor, cuius non ſunt capaces, ſed quædam qualitas afflictiua, ſecundum quantitatem peccati ex parte cōuerſionis, vt inquit Viguerius vbi ſupra. Tertia dicitur vermis, ſcilicet ſpiritualis, vel remorſus cōſcientiæ, & rationabiliter: quia ſicut vermis corporalis pungit & corrodit, ſic remorſus conſcientiæ pungit, lacerat, & affligit. Hic autem remorſus eſt de quolibet peccato, tam ex parte auerſionis ab incommutabili bono, quàm ex parte conuerſionis ad commutabile: & etiam ex parte negligentiæ, cum potuerint ſibi facillime per pœnitentiam recuperare ſummum bonum amiſſum, quod per negligentiam cōtempſerunt. De via, qua animæ ad infernum perferantur, loquitur Caſſiodorus ſuper pſal. 88. dicens: Quòd quoad ingreſſum animarum non requiritur porta, quia corporalia non impediunt ſpiritū: ſed ſunt eidem ſubiecta, eo quòd abſque medij pertrāſitione poteſt localiter moueri: & ſic in inſtanti mortis per dæmones pertrahuntur

tur mali in infernũ. Dęmones aũt poſt iudiciũ, etſi maiori eſſentiali pœna nõ puniẽtur,accidẽtali tamẽ grauiori plectẽtur:eo quòd oẽs qui modo ſunt in aere caliginoſo ad exercitiũ iuſtorũ,detrudẽtur in infernũ,vbi perpetuo manebunt: quod cedet in illorũ grauẽ pœnã, ex quo priuati erunt poteſtate nocẽdi hominibus,quod valde deſiderãt.Vnde dicitur Matth. 8.ꝙ dæmones clamabãt,quid tibi & nobis fili Dauid ? veniſti huc ãte tẽpus(ſcilicet iudicij)torquere nos ? Et ſic tunc magis torquebunt̃:qa priuabunt̃ executione iniquæ volũtatis ſuæ ĩ homines:Vnde Luc.8.Rogauerũt illũ,ne imperaret eis, vt in Abyſſum irent,ſed(vt apud Matthęũ legimus)in gregẽ porcorũ.Quãdo etiã animæ corporibus erunt reunitæ tẽpore iudicij vniuerſalis,maiores patiẽtur pœnas,quàm nunc ſecundũ B. Auguſtinũ in ſermone plurimorũ martyrũ,dicẽtẽ:Maiores pœnas paſſuri ſunt cum reſurrexerint: in quarũ cõparatione tales ſunt iſtæ, quas patiuntur, qui mortui ſunt mali homines, quales ſunt pœnæ eorũ, qui torquẽtur in ſomnis.Et ratio eſt: qa licet ſola volũtate peccauerint, corpus tamẽ eorũ inſtrumẽtaliter cooperatũ eſt,cũ actiões ſint ſuppoſitorũ:& ideo conſequens eſt,vt corpora malorũ puniantur,ſicut & corpora bonorũ præmiabũtur. Et licet damnati reſurgent incorruptibiles,nõ tamẽ immutabiles pri.Cor.15.Punientur. n. in ſingulis ſenſibus,ſicut ex diuerſis ſcripturæ locis ꝓbari poſſet,quod breuitatis cauſa omitto.Beatus tamẽ Gregorius in moralibus ſub breui cõpendio oẽs damnatorũ cruciatus tãgit dicẽs:In inferno eſt frigus inſuperabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis,tenebræ palpabiles,flagella cædẽtiũ, horrida dæmonũ viſio,cõfuſio peccatorũ,deſperatio omniũ bonorũ.Iob quoque 24. de eiſdẽ ita loquitur:Tranſibunt ab aquis niuiũ ad calorẽ nimiũ:vbi nulla eſt redẽptio.Et ſi adducatur hiſtoria Traiani,quam narrat Damaſcenus in quodã ſermone,dicẽs:ꝙ beatus Gregorius vidẽs iuſtitiã Traiani de filio ſuo,qui equitãdo occiderat filiũ viduæ orationẽ ꝓ eo fudit,& audiuit vocẽ ſibi diuinitus dicẽtẽ: Vocẽ tuã audiui, & Traiano veniã do:cuius rei geſtæ(vt inquit Damaſcenus vbi ſupra) teſtis eſt omnis oriẽs & occidẽs: qui tamẽ erat de numero damnatorũ,cũ eſſet idololatra,& multorũ martyrũ interfector: Viguerius vbi ſupra de mẽte beati Thomæ ꝓ hoc facto duas dat reſpõſiones. Primã,quòd ꝓbabiliter credi poteſt, quòd orationibus beati Gregorij ad vitã fuerit reuocatus : & ita per pœnitẽtiã & baptiſmũ gratiã cõſecutus.Secundã,quòd nõ erat in inferno finaliter deputatus ſicut nec multi a Xpo & Sãctis reſuſcitati.Ad p̄dicta addimus,quòd nõ incõuenit,quòd peccata mortalia pœna puniãtur æterna,cũ dicat beatus Gregorius 24.moraliũ: Quòd iniqui voluiſſent ſine fi-

ne

ne viuere,vt potuiſſent ſine fine peccare. De loco vero vbi pueri nõ circunciſi octauo die,tẽpore quo erat neceſſaria circunciſio, & qui ſine vſu rationis ante baptiſmũ decedebant, cũ damnẽtur, primi ꝑ illud Gen.17.Maſculus,cuius præputij caro circunciſa nõ fuerit,delebitur anima illius de populo ſuo: ſimiliter & ſecũdi ꝑ illud quod dicitur Io.3.Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei:dicẽdũ ſecũdũ doctores,ꝙ eſt ſub purgatorio: cũ illi q. ſunt in purgatorio magis affligãtur: Ideo Eccleſia dicit,animas expiãdas eſſe in porta inferni:nõ ꝙ ſint in inferno,ſed qa pœna ignis cruciãtur:ſicut damnati,q. ſunt in inferno,licet differẽter:qa iſti perpetuo,illi vero ſolũ ad tẽpus. Dictũ autẽ beati Tho. in 4.diſt.21.q.pri.ar. pri. quòd purgatoriũ eſt cõiunctũ inferno, intelligitur mediãte limbo puerorũ. Ignis tamẽ nõ affligit eoſdẽ,nec eſt inſtrumentũ in eos diuinæ iuſtitiæ, cũ caruerint actu ꝓprio, nec delectati ſint: Ideo nõ patiuntur pœnã ſenſus, ſed damni ſolũ, quæ multũ diſtat a pœna damni in damnatis:qa illi ex culpa actuali & ꝓpria Dei viſione priuãtur,quæ eſt maxime afflictiua: iſti vero ex originali,ex qua nõ triſtãtur.Quid igitur faciẽt dicti paruuli in limbo? Doctores nõnulli tenent,quòd ſpeculabũtur naturalia.Licet.n.anima ſecundũ philoſo.2.de anima, a principio ſui ſit tãquã tabula nuda,in qua nihil depictũ eſt: qa tamẽ Deus non deficit in neceſſarijs, influet tot ſpecies rerũ in eorũ intellectũ,quot acquirere potuiſſẽt corporibus vniti, ne fruſtretur intellectus eorũ,cui dedit Deus poteſtatẽ cõtinere quodãmodo(ſcilicet per ſimilitudinẽ)omnia, vt habetur ſapiẽtiæ 10. Et taliter quòd nullus philoſophus vnquã tanta nouit de naturalibus,ſicut animæ paruulorũ ſeparatæ.Eæ animæ nõ poſſunt iuuari,neque liberari ſuffragijs viuorũ,cũ nõ ſint in gratia, ſed ꝑpetuo damnatæ.Alij tamẽ dicũt,quòd poſt diẽ vniuerſalis iudicij & reſurrectionis dictorũ puerorũ deambulabunt ipſi ꝑ hũc mũdũ:quod ſolus Deus nouit. Nec auderemus illud affirmare,niſi Eccleſiæ auctoritas, aut ſanctorũ patrũ cõſenſus ad id nos cõpelleret &c.De limbo patrũ ſatis ꝓ nunc dictũ cenſeo,de quo multæ auctoritates habẽtur in ſacris literis,ad quem anima Xp̃i diuinitati vnita poſt mortẽ deſcendit quantũ ad eſſentiã:ex quo reiecit principũ tenebrarũ poteſtatem,iuxta illud pſal.23. ſuperius annotatũ:Attollite portas principes veſtras, vbi glo. Principes auferte poteſtatẽ veſtrã, qua hucuſque homines in inferno detinuiſtis: cum in nomine Ieſu omne genu flectatur. Fuit etiã in alijs inferni partibus, & illos qui erant proprie in inferno, de ſua increpauit malitia,præcipue Iudam:& eis qui erant in purgatorio ſpem dedit: paruulos etiam qui erant in limbo (vt pie creditur) ad gratiarum actiones inuitauit.

Et

Et ſecundum hoc intelligitur, quòd dicit Apoſtolus ad Eph. 4. Deſcendit in inferiores partes terræ: Et quod dicitur in Symbolo, deſcendit ad inferos, ſic intelligitur, ideſt in omnes partes ſecundum animam, ita tamen quòd ſolos iuſtos illuminauit: Vnde de ſeipſo inquit Eccleſiaſt. 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciã dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in domino. In hoc Abrahæ ſinu manſit anima Chriſti per quadraginta horas, ſiue tribus diebus & tribus noctibus, per ſynecdochen, accipiendo partẽ pro toto, quo etiam tempore manſit Ionas in ventre ceti: de quo Matth. 12. In hoc eodem limbo fuit anima boni latronis. Tandem in die reſurrectionis ſuæ, prima ſabbati, diluculo, orto iam ſole ſecundum prophetiam Oſeæ 13. dicentis: Ero mors tua o mors, & morſus tuus infernæ: eduxit omnes patres de lacu, ad Col. 2. Spolians principatus & poteſtates infernales: & tandem in cælũ in die aſcenſionis captiuam duxit captiuitatem. Et ab eo tempore nullus in dicto fuit limbo: quia poſtquam porta paradiſi aperta fuit, animæ quæ aliquid purgandum habent, facta purgatione euolant ad cælũ cum Chriſto in æternum victuræ & regnaturæ, poteſtate detinendi ipſis dæmonibus ablata. Ad purgatorium autem ante iudiciũ vniuerſale deducuntur tria genera animarum. Primo animæ illorum, qui moriuntur ſine quacumque culpa veniali aut mortali, habẽt tamen reatum pœnæ alicuius peccati mortalis remiſſi. Secundo illorum, qui moriuntur cum ſolo peccato veniali, & nullum alium pœnæ reatum habent. Tertio illorum, qui habent vtrumque, ſcilicet culpam venialem, & reatum peccatorum mortalium remiſſorum, ad quem locum nulla alia punienda deſcendit anima.

De medijs, quibus liberantur animæ a purgatorio. Cap. XLIIII.

ANIMAE in purgatorio exiſtentes liberari poſſunt ab eodem, aut per ſatisfactionem, quando pœnam eiſdem a diuina iuſtitia ſtatutam temporalem ſuſtinuerint: tunc eadem peracta, cum nullum impedimentum ſubſit, ſtatim cælum petunt beatificandæ: aut liberantur ab eodem loco per ſuffragia viuorum: & hoc quadrifariam ſecundum beatum Gregorium in 4. dialogorum, dicentem: Animæ defunctorũ quatuor ſoluuntur modis, videlicet oblationibus ſacerdotum, precibus ſanctorum, charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum: qui modi ad duos reduci poſſunt, ſcilicet ad modum meriti, & ad modum ſuffragij: qui ſunt diuerſi: eo quòd

meritum innititur iuſtitiæ,ſuffragium vero liberalitati. Per modum meriti ſuffragia viuorũ proſunt animabus defunctorum: vel ad præmium accidentale iuxta illud pſal.118. Particeps ego ſum omnium timentiũ te: quo etiam modo proſunt ſanctis in cælo exiſtentibus, qui gaudent de bonis viuorum iuxta illud Luc.15. Gaudium eſt angelis in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: Vel quantum ad ſatisfactionẽ ſeu expiationem pœnæ: & hoc cõtingit quando per intentionem opera pœnalia viuorum exiſtentium in gratia applicantur illis: cum per applicationem illam viuorum opera efficiantur defunctorum. Fundamentum cuius habetur a beato Paulo pri.Cor.12. Vbi Eccleſiam dicit eſſe vnum corpus in Chriſto myſticum. Quia ſicut corpus naturale habet multa membra, quorum vnum ſuffragatur alteri: ita omnes fideles per gratiã & charitatem vniũtur Chriſto capiti,& alijs fidelibus Chriſto vnitis,hoceſt,in gratia exiſtentibus. Ideo ſicut membrum corporale ſuffragatur & ſubuenit alijs membris per applicationem: ſic vnus fidelis alij. Applicatio autẽ ſpiritualis fit per intentionẽ: & quia animæ, quæ ſunt in purgatorio, cum ſint membra vnita, egent: ex conſequenti etiam participant. Iuſtitia enim diuina, ad cuius imitationem iuſtitia humana eſt exemplata,non eſt rigoroſior humana: ſed videmus,quòd ſi aliquis ſit captus pro debito, alio pro eo ſatisfaciente liberatur. Ita ſi exiſtens in gratia ieiunat, dat eleemoſynam, aut aliquod opus facit pro eo ſatisfactorium,qui agit in purgatorio, ſatisfacit, & expiat pœnam ab eo: ſicut faceret pro ſe, ſi opus illud alteri nõ applicaret. Nec refert, an viuentes ſint, aut mortui illi, quibus applicatur, dummodo ſint vniti in charitate,quæ numquã excidit, vt habetur pri.Cor.13. Applicatio autem ſpiritualis nõ requirit propinquitatem locorum: ex conſequenti coniunctio charitatis maiorem facit propinquitatem,quàm localis. Sciendum etiàm,quòd non modo ſuffragia facta ab his, qui ſunt in charitate, proſunt defũctis, verum & ſuffragia Eccleſiæ fieri ſolita ab his, qui ſunt in gratia, etiam ſi exequantur per exiſtentes in mortali: quæ non vt ſunt peccatorum applicantur, ſed vt ſunt miniſtrorum Eccleſiæ,cuius perſonam gerunt: cuiuſmodi ſunt ſacerdotes in celebrãdo,vel vigilias, & exequias defunctorum, ac alia ſpiritualia chariſmata perſoluẽdo: cum ille intelligatur facere, in cuius nomine faciunt, vt inquit beatus Dionyſius in libro de eccleſiaſtica Hierarchia. Peccatum enim ſerui ex Domini præcepto eleemoſynam facientis, non impedit meritum domini in charitate præcipiẽtis. Suffragia etiam fidelium prodeſſe poſſunt alijs ſcilicet viuis & defunctis per modũ ſuffragij, per quem hunc modum animæ purgatorij poſſunt liberari, tam per indulgentias,

dulgentias,quàm per orationes Sanctorū,qui ſunt in patria:& etiam viuorum. Et licet Sancti in patria non ſint in ſtatu merendi nec ſibi, nec alijs: nec ſatisfaciendi pro illis, cum non poſſint pati: ſunt tamen in ſtatu impetrandi pro alijs ex merito præcedente. Nam dum erant viatores, meruerunt vt eorum orationes exaudirentur, cùm eſſent comprehenſores. Ex quibus tamen non ſequitur, quòd animæ expiandæ parum in purgatorio maneāt, licet habeant tot angelos, ſanctos martyres,confeſſores, ac virgines, qui eorum indigentias cognoſcentes pro ipſis orent, eorumq; orationes exaudiantur, cum ſint in charitate. Et ratio eſt: quia dicti comprehenſores clare vident ordinem diuinæ iuſtitiæ, & ſe illi conformāt: ideo non omnes nec ſemper orant pro qualibet anima, quia nolunt, neque petunt,niſi quæ Deus vult impleri: & ſic eorū orationes ſemper exaudiuntur. Sed quæritur, an cultus exequiarum proſit defunctis,cum nonnulli hæretici præſentis temporis irrideāt huiuſmodi noſtrum cultum: Reſpondetur, quòd cultus & ſollemnitas ſepulturæ tam in antiquo, quàm nouo teſtamento commendātur. In antiquo,patet de Sara Gen. 23. quam ſepeliuit Abraham in magnifico ſepulchro: & Gen. 25. de ſepultura Abrahæ: & 49. de ſepulchro Iacob: & Deut. 34. de ſepultura Moyſi: 2. etiam Regum 2. laudauit Dauid viros Iabes de ſepultura Saul:Tobiæ quoque 12.laudatur a Raphaele ſepultura defunctorū.In nouo vero Matth.27.Marci 15.Luc. 23.& Io.19.explicat ſollemnitas ſepulturæ Xp̄i facta a Nicodemo & Ioſeph ab Arimathia:qui in ſindone munda & centū libris aromatū in ſepulchro nouo de petra exciſo ipſum ſepelierunt: Et Matth. 26. Chriſtus laudauit Magdalenam, eo quòd vnguentū pretioſum ſeruaſſet ad ſepeliendum eum. Beatus etiam Dionyſius in c. vltimo eccleſiaſt. Hierar. recitat ſollemnem cultum ſepulturæ, quem ſeruabant Apoſtoli. Nos itaque ritū antiqui & noui teſtamēti ſequentes,laudamus cultum ſepulturæ non abſque cauſis & rationibus a ſanctis patribus obſeruatum. Vnde diuus Auguſtinus in libro de cura agēda pro mortuis dicit: Quòd ſollemnitas ſepulturæ obſeruata eſt propter viuos & mortuos. Propter viuos quadruplici ratione. Prima naturali, ne oculi eorum ex turpitudine cadauerum offendantur,& corpora fœtoribus inficiantur.Secunda ad inſtruendam & proteſtandam fidem reſurrectionis: Antiqui enim & ſancti patres, vt fidem & ſpem reſurrectionis, quam habebant, oſtenderent & proteſtarentur,curabant diligenter, vt debito honore ſepelirentur fideles,ſicut quis curat & notat locum rei,quam ſe reacceptur ū putat: Vnde idē Auguſtinus pri. de ciui. Dei inquit, quòd Iacob,& Ioſeph,alijq; patres voluerunt ſepeliri in terra promiſſio-

nis,

nis, vbi credebant Chriſtum naſciturum, cuius reſurrectio reſurrectionis noſtræ eſt cauſa. Tertia ad honoranda inſtrumenta diuinæ miſericordiæ & Spiritus ſancti, ex quo corpora Sanctorum fuerunt vaſa & inſtrumenta eiuſdem Spiritus in bonum. Quarta propter ſpiritualem vtilitatem viuentium, qui habent occaſionem accedendi ad monumẽtum, quod interpretatur monens mentem, vt inquit beatus Auguſtinus. Videns enim viator quempiam mortuum, inde ſumit occaſionem cogitandi, quòd & ipſe mortalis ſit: cum ſtatutum ſit homini ſemel mori. Vnde eccleſiaſtici 38. Mihi heri, & tibi hodie. Ex fructibus etiam ſepulturæ pauperes fructum capiunt, & eccleſiæ decorantur: ſic enim ſepultura inter ceteras eleemoſynas & opera pietatis computatur. Vnde Damaſc. in ſermone de Innocentibus inducit verba Athanaſij dicentis: Licet in arca, qui in pietate conſummatus eſt, poſitus fuerit, ne renuas oleũ & ceras Deum in ſepulchro inuocantes. Accepta enim ſunt iſta Deo, & multam ab eo recipientia retributionem. Propter mortuos etiam ſollemnitas ſupradicta obſeruatur: eo quòd vt inquit idem Auguſtinus, quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent iſta defunctos, ac per hoc ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt, eis quæ poſt corpus religioſe illis facta fuerint, adiuuantur. Secundum tamen Viguerium vbi ſupra circa ſepulturas notanda ſunt aliqua. Primum, quòd ſepulturæ locus eſt eccleſia vel cœmeterium c. Nullus, & c. Non æſtimemus 13. q. 2. Secundum, quòd non debet vendi, vel aliquid exigi pro ea, ſiue pro actu & officio clericorum, qui ſepeliunt, propter vitandam ſimoniam: gratis tamen oblata recipi poſſunt: Licet locus ſepulchri, ſicut & calix conſecratus materialiter poſſint vendi: nihil tamẽ pro benedictione, aut conſecratione recipi fas eſt. Vnde Abrahã emit agrum ſpeluncæ duplicis in poſſeſſionem ſepulchri Gen. 23. Tertiũ eſt, quòd ius ſepeliendi vel ſepulturæ conuenit eccleſijs parochialibus: licet ex priuilegijs conueniat eccleſijs ſiue cœmeterijs religioſorũ mendicantium, vt habetur in clem. Dudum de ſepulturis. Quartum, quòd quilibet tam maſculus quàm fœmina non profeſſus religionem, habens liberum arbitrium & debitam ætatem, quæ in maſculo eſt 14. & in fœmina. 12. annus, poteſt ſibi eligere ſepulturã: etiam Vxor ſine conſenſu viri, & filius & filia pubes ſine conſenſu patris aut matris, vt habetur in c. Licet, de ſepulturis in ſexto. Religioſus tamen, ſimiliter & ſeruus, filij & filiæ impuberes non poſſunt ſibi eligere ſepulturam, ſed dominus & pater eligunt eis, etiã ſi poſt annos pubertatis moriãtur, ſi ipſi nõ elegerint. Maritus quoque eligit vxori, ſi ipſa non ſibi elegerit: non tamen e conuerſo. Et ſi ma-

ritus præmortuus fuerit,& vxor non elegerit,ſepelitur in ſepulchro viri vltimi, ſi plures habuerit: & filij in ſepulchro patris. Probatio autem electionis fieri ſolet non ſolum per teſtes, ſed & per ſigna: vt ſi pater de ſua ſepultura non fecit mentionem eligendo ſepulturam pro filio ſuo, cenſetur etiã elegiſſe pro ſe. Idem de marito, qui elegit ſepulturam vxori, aut ſi ædificauit ſepulchrum, vel poſuit lapidem pro ſigno ſepulchri. Quintum eſt, quòd ſiquis in teſtamento eligit ſepulturam, & ratione eius aliqua legauit eccleſiæ, in qua vult ſepeliri, ornamẽta:aut alia quæ ſequuntur ad exequiarum cultum, vt ſunt oblationes panis, & vini, atque alia ſuffragia facienda, ſi poſtmodum mutet ſepulturam non mutato teſtamento, & eligit in alia eccleſia ſepeliri, cenſetur etiam mutaſſe legata. Vltimũ eſt, quòd hæretici, ac ceteri infideles, ſimiliter & filij chriſtianorũ non baptizati non debent ſepeliri in loco ſacro: nec mortui in torneamentis aut deſperati,vel raptores:ſuſpenſi vero aut aliter iuſtitiati, ſi non moriantur impœnitentes,de licentia iudicis poſſunt ſepeliri: leproſi chriſtiani de conſuetudine ſepeliuntur in cœmeterio ſeparato,benedicto tamẽ. Excõmunicati vero donec obtinuerint abſolutionem,in terra profana ſunt ſepeliendi: poſt adeptã vero abſolutionem ſunt trãſferendi,& in loco ſacro aut benedicto ſepeliendi.

Poſtremo quoad hoc ſacramentum, dicendum eſt de indulgentijs, quibus ſatisfit pœnis in purgatorio debitis:vnde ſumantur, ac robur habeant. Cap. XLV.

DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, ſicut ab Auguſt. in ps. 61. & 86. traditum legimus, vnus eſt homo cum capite & corpore ſuo: ſaluator corporis & membrorum eius: duo in carne vna, voce vna, & in paſſione vna:& cum tranſierit iniquitas,in requie vna. Paſſiones itaque Chriſti non in ſolo Chriſto: immo paſſiones Chriſti non niſi in Chriſto.Si autem Chriſtum intelligas caput & corpus,paſſiones Chriſti non niſi in Chriſto.Si autem Chriſtũ intelligas caput tãtum,paſſiones Chriſti nõ in ſolo Chriſto. Si enim paſſiones Chriſti in ſolo Chriſto,ſiue in ſolo capite,quare dicit Paulus ad Coloſſ.primo: Vt ſuppleam quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea? Nunquid aliquid paſſionũ deerat in Chriſto capite? An non paſſus eſt quicquid pati debuit? Nonne dixit Ioannis 19. Conſũmatum eſt? quibus verbis ſignificauit iam de menſura paſſionum ſuarum nihil deeſſe: quia omnia quæ dicta de ſe fuerant, completa erant. Nihil ergo deerat paſſionibus Chriſti, quatenus caput eſt: ſed reſtabant

adhuc

adhuc paſsiones Chriſti in eo corpore, de quo beatus Paulus pri. Cor. 12. Vos eſtis corpus Chriſti membra de membro. In huius ergo corporis membris, hoceſt in piis hominibus, qui tanquam caput ſemel paſſus eſt, paſſus eſt ſæpe, & patitur Chriſtus. Sic patiebatur a Paulo, quando dixit ei Act. 9. Saule Saule quid me perſequeris? membra perſequebatur, & tamen ſe in membris ſuis pati Chriſtus interpretabatur. Quomodo ſolet dicere lingua calcato pede, calcas me: linguam nullus tetigit, compaſsione clamat, nō attritione: Ita Chriſtus ſi quis mēbro ſuo faciat iniuriā, ſibi fieri quicquid illi fit, imputat. Nam ſicut viuit Chriſtus in membris ſuis, ita patitur in eiſdem. Hoc eſt quod dicit Paulus: Adimplere ſe quæ deſunt Chriſti paſsionum in carne ſua: non quòd congeries Chriſti paſsionum, quas tanquam caput pertulit, non fuerit ſufficiens ad exolutionem pœnarum, quæ totius Eccleſiæ peccatis debebantur: ſed quòd multa pars paſsionū eius adhuc corpori eius, quod eſt Eccleſia, deeſt, priuſquam perſecutionum Chriſti ſit finis: quia vſque in finem ſeculi patietur Chriſtus in ſuis membris. Hinc colligere licet, quòd meritum paſsionis & mortis Chriſti, & Sāctorum eius, in quibus patitur & patietur Chriſtus vſque ad conſumationē ſeculi, multo fuerit & ſit abundantius, quàm fuerint, ſint, & eſſe poſsint omnia totius orbis flagitia ad illa abluēda, pro quibus vna gutta ſanguinis ſui ſufficere poterat. Ex hac igitur ſuperabundantia meritorum & ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum eius, hoceſt capitis & corporis, pendet & conſtat indulgentiarum theſaurus, cuius diſpenſatio ad ſummum Pont. præcipue pertinet, qui totius Eccleſiæ ſub Chriſto capite caput eſt: cui Chriſtus ipſe peculiariter claues regni cælorum commiſit Matth. 16. Hoc eſt quod dicit Apoſtolus pri. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei: & pri. Cor. 9. Diſpenſatio mihi credita eſt: & ſecundæ Cor. 2. Nam & ego quod donaui, ſiquid donaui, propter vos in perſona Chriſti. Fructus ergo indulgentiarum hic eſt, quòd per eas illius ſatisfactionis, quæ fit per opera pœnitentiæ, & per ſacerdotem alicui iniungitur & præcipitur, fit remiſsio, ſiue condonatio. Quoniam vero per iniunctam ſatisfactionem, quam vere pœnitens exequitur, ſoluitur & aufertur pœna temporalis, quæ peccato patrato ex diuina iuſtitia debetur: conſequens eſt per indulgentias, veluti per ſatisfactorias pœnas (tantum enim valent, modo digne ac recte adminiſtrentur) tantum remitti pœnæ temporalis apud iuſtitiam diuinam, quantum apud eam ipſæ, quas aliquis accipit, valent indulgentiæ. Vnde Origenes homil. 10. in lib. numerorum inquit: Quòd dominus noſter Ieſus Chri-

ſtus venerit, vt tolleret peccatum mundi, & morte ſua peccata noſtra deleret, nullus qui Chriſto credit, ignorat. Quomodo autem & filij eius auferant peccata, ideſt Apoſtoli & martyres, ex ſcripturis probare intendimus. Audi primo Paulum dicentem: Libenter enim impendam & ſuperimpendar pro animabus veſtris 2. Cor 12. & alibi. Ego enim iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat 2. ad Tim. 4. Hoſtia autem cum immolatur ad hoc fit, vt eorũ, pro quibus iugulatur, peccata purgentur. De martyribus beatus Ioannes in Apocal. c. 6. ait: Quòd animæ eorum, qui iugulati ſunt propter nomen domini Ieſu, aſsiſtunt altari: oſtẽditur eas fungi ſacerdotis officio, hoceſt pro populi ſupplicare peccatis. Et in eodem lib. homil. 24. idem Origenes: Sed in his omnibus, inquit, eſt vnus agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum: & ideo ceſſauerunt ceteræ hoſtiæ: quia talis fuit hæc hoſtia, vt vna ſola ſufficeret pro totius mundi ſalute: ceteri enim precibus peccata, hic ſolus poteſtate dimiſit. Detrahere itaque meritis ſanctorum, eſt detrahere Chriſti meritis. Chriſtus enim viuit in illis, patitur in illis, meretur in illis: cuius fuſo pretioſo ſanguine fit, vt illorum quoque fuſus pro Chriſto ſanguis valeat nobis ad remiſsionẽ & ſatisfactionem peccatorum: quamuis hæc remiſsio per aliũ non detur, quàm per Chriſtum. Vide plura ad hoc in libro confeſsionis catholicæ fidei Reueren. Domini Cardinalis Vuarmienſis: & hæc ſufficiant pro ſacramento pœnitentiæ.

De Extrema vnctione Cap. XLVI.

PRAESVPPONO tanquam veriſsimum, extremam vnctionem eſſe ſacramentum nouæ legis, vt conſtat ex determinatione Eccleſiæ in concilio Tridẽtino ſeſsione 14. titulo de inſtitutione ſacramenti extremæ vnctionis capite primo, vbi dicitur: Inſtituta eſt autem ſacra hæc vnctio infirmorum, tanquam vere & proprie ſacramentũ noui teſtamẽti a Chriſto domino noſtro apud Marcum cap. 6. inſinuatum: per Iacobum autem Apoſtolum ac domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatũ. Infirmatur, inquit cap. 5. quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eũ oleo in nomine domini: Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis, vt ex apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrũ, & effectum huius ſalutaris ſacramenti. Canone etiã pri-

mo ſuper dicto ſacramēto dicitur: Si quis dixerit extremā vnctionē non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto domino noſtro inſtitutum, & a beato Iacobo promulgatum, anathema ſit: Et canone 2. Siquis dixerit ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit: Et canone 4. Si quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos beatus Iacobus adducēdos eſſe ad infirmos inungendū hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis cōmunitate, ob idq; proprium extremæ vnctionis miniſtrū non eſſe ſolum ſacerdotem, anathema ſit. Si dicatur, quòd Magiſter 23. diſt. 4. videtur male ordinare hoc ſacramentum: quia cum inter omnia ſacramenta vltimo detur (propter quod & extrema vnctio nuncupatur) deberet vltimo loco poni: Reſpondet ſanctus Bonauentura diſt. prædicta in dubijs circa literam: Quòd ſacramentorū quædā reſpiciūt perſonā, quędā cōmuniter ipſam Eccleſiam. Vnde ſicut in naturalibus quædā ſunt vires ordinatæ ad conſeruationē indiuidui, & quædā ad conſeruationē ſpeciei: ita in ſpiritualibus ſacramenta quinque ſunt ad conſeruandā & promouendā gratiā, vel conſummandam circa eandem perſonam: ſed ordo & coniugium ad conſummandā ipſam Eccleſiam: Et ideo quia multitudinē reſpiciunt, ſicut multitudo ſequitur vnitatem, ſic duo prædicta ſacramēta conſequuntur alia quinque: inter quæ extrema vnctio vltimum locum tenet. Hoc ſacramentum non eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed inſtitutum fuit, vt conuenientius ſalutē aſſequamur: Nullo tamen tempore contemni debet, cum vt dictum eſt in ſacramento confirmationis, ſiquis cōtemneret illud habita omni opportunitate & commoditate, non excuſaretur a peccato. Verba etiam beati Iacobi ſuperius notata de hac vnctione, vt dicunt multi doctores, non ſunt præcipientis, ſed inuitantis & conſulentis: Quod ex hoc patet, quia tam iſtud, quàm confirmationis ſacramentum tempore interdicti prohibentur miniſtrari, vt patet ex c. In te, de pœnit. & remiſſ. ex. c. Permittimus de ſententia excom. Itē ex. c. Nō eſt. de ſpons. & matrim. rurſus ex c. Alma mater, de ſententia excom. libro 6. quod fieri non poſſet, ſi eſſent ſacramenta neceſsitatis. Nec dictus beatus Iacobus per præfata verba hoc inſtituit ſacramentum, ſed tantum promulgauit, & ad illud a Chriſto inſtitutum adhortatur. In lege veteri ſecundum Franciſcum de Mayro. 23. diſt. quar. q. pri. quatuor inungebātur, videlicet vaſa ſanctuarij exo. 30. Pontifices & ſacerdotes Exo. 29. Reges & Principes pri. reg. 10. de Saule & Samuele: poſtremo prophetæ, ſicut Elias vnxit Eliſeum, tertij reg.

19. In nouo vero teſtamento inunguntur vniuerſaliter fideles, qui gerunt typum omnium iſtorum: ſunt enim vaſa contentiua ſpiritualium gratiarum cum ſint vaſa in honorem, de quibus Apoſtolus ad Rom. 9. vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ: Merentur etiã eſſe pontifices Apoc. pri. Fecit nos Deo noſtro reges & ſacerdotes. Sunt & reges: quia omnes regnabunt, de quibus & præcedentibus dicitur pri. Petri 2. Vos eſtis genus electum, & regale ſacerdotium: ſimiliter & prophetæ, cum fides noſtra non modo ſit de p̃teritis, ſed & de futuris, ſicut eſt articulus de iudicio vniuerſali &c. Vnctio præfata dicitur extrema: quia quatuor vicibus inũgũtur fideles. Primo in baptiſmo ratione catechiſmi. Vnde pueri puro tunc iunguntur oleo. Secundo in confirmatione. Tertio in ſacramento ordinis. Quarto in hoc ſacramento, quod ideo extrema dicitur vnctio, quia in fine datur. Et quamuis inter iſtas vnctiones non ſit ordo eſſentialis, niſi reſpectu eius quæ fit in baptiſmo, cum aliquis poſſet ſumere hoc ſacramentum, antequam confirmaretur: nec eſt neceſſe, quòd omnes fideles habeant vnctionem, quæ in ſuſceptione ordinum eſt: Magiſter tamen in litera dicit, vnctionem quæ fit chriſmate, eſſe principalẽ: & hoc quadruplici ratione, vt inquit diuus Bonauen. vbi ſupra. Primo a loco: quia in fronte, quæ eſt pars nobilior in corpore. Secũdo a miniſtro, cum fiat ab epiſcopo. Tertio ab elemẽto ſiue materia: quia de oleo miſto cum balſamo. Poſtremo ab effectu propter abundantiã gratiæ, cùm ibi Spiritus ſanctus in magna tradatur abundãtia, vt patuit in Apoſtolis in die pentecoſtes. Mediator enim Dei & hominum non ſolum Ieſus, (eo quòd ipſe ſaluum facturus eſſet populũ a peccatis eorum Matth. pri. & non ſit aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo nos fieri ſaluos oporteat Act. 4.) verũ & Chriſtus vocari voluit: & hoc, quia regia ſimul & ſacerdotali dignitate fungeretur. Vnctus enim erat nõ ab hominibus, ſed ab ipſo Deo: non oleo vſuali, ſed Spiritu ſancto: de quo Propheta Eſa. 61. c. Spiritus Domini ſuper me, eoquòd vnxerit me. Neque ſolum Chriſtus nominari voluit, quia vnctus ipſe, ſed etiam quòd vnctionis gratiam in alios diffuſurus eſſet. Legimus Dauid regem tribus vicibus vnctum eſſe. Primo in domo patris ſui pri. reg. 16. quæ vnctio typus erat illius, quæ fit in baptiſmo, quæ & ipſa ſignum eſt futuros nos regni illius participes, quod expectamus: regni ſempiterni, regni cuius non erit finis, regni quod parauit nobis a cõſtitutione mundi. Secundo vnctus eſt in Hebron, vt regnaret ſuper domum Iuda 2. reg. 2. quæ vnctio figurabat vnctionem in ſacramẽto confirmationis, per quam nobis confertur diuinus ſpiritus ad reſiſtendum

diaboli tētationibus, qui nos per omne vitæ noſtræ tempus grauiter oppugnare numquam deſiſtit: adeo vt nihil aliud ſit vita hominis ſuper terram, quàm militia Iob 7. Tertio iterum unctus eſt in regem ſuper totum Iſraël 2. Reg. 5. poſt quam vnctionem in pace regnauit: & hæc ſignificabat vnctionem iſtam extremam, quæ ſuperatis hoſtibus diuino beneficio nobis datur, vt in regno illo pace fruamur ſempiterna. Vnde cum calcaneo noſtro ſerpens callidiſſimus maxime inſidietur, neque ullo alio tēpore nos oppugnet grauius, quàm cum ex hac vita migrandum eſt: unde eam ob cauſam Agon vocatur, quòd tum pugna validiſſima, tum certamen inſtat grauiſſimū: noluit Chriſtus in extremo periculo noſtro ſua nos ope deſtitutos eſſe: verum ſacramentum hoc extremæ vnctionis inſtituit, quod ſecundum Scotum 23. diſt. quar. eſt vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo cōſecrato ab epiſcopo, miniſtrata a ſacerdote, ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium. Hæc ratio non eſt in ſe falſa, & ex conſequenti bona 5. metaph. c. 17. nullà enim pars eius repugnat alteri. Vnde dicitur primo, quòd eſt vnctio: hoc enim ſignum ſenſibile congruit effectui ſcilicet interiori vnctioni. Dicitur 2. hominis infirmi: non enim conferri debet ſano, nec qualitercūque expoſito periculo mortis: quia nō ei, cui imminet mors ex periculo extrinſecæ violentiæ, vt armorū, ſubmerſionis, vel huiuſmodi: nec qualitercūque infirmo, ſed cui probabiliter immineat exitus de ſtatu viatoris ad terminū. Dicitur 3. pœnitentis, cum nullus ſit digne capax ſacramenti huius, niſi exiſtat in gratia: hoc enim ſacramentum non eſt regulariter acquirendi gratiam remedium, ſed baptiſmus & pœnitentia, a quo excluduntur paruuli, & qui non habent vnde de venialibus pœniteāt, vt perfecte innocentes: ſimiliter & furioſi ac amētes, niſi per voluntatem expreſſam præcedētem præſumantur illud velle. Additur in determinatis partibus. Eæ partes ſunt organa ſenſuū per quarum operationem peccatur frequenter venialiter: & hoc aliquando reſpectu eiuſdem ſenſus & potentiæ geminatæ: vt organa potentiæ viſiuæ, vt ſunt duo oculi: auditiuæ, vt duæ aures: olfactiuæ, vt duæ nares: & potētiæ tactiuæ, vt manus: & ſic in iſtis prædictis, ſicut geminantur organa, ita & vnctiones. Organum guſtus eſt lingua, in qua non fit propter abominationem tollendam vnctio: ſed exterius ſuper os. Propter etiam organum potentiæ generatiuæ fit vnctio ad lumbos iuxta illud beati Gregorij, ſuper illud Luc. 12. Sint lumbi veſtri præcincti &c. Viris, inquit, luxuria in lumbis eſt. Pro-

pter organum motiuæ, quantum ad progreſſiuam fit duplex inunctio, videlicet, in duobus pedibus tanquam organis ad illum motum ordinatis: alia motio, qua frequenter peccatur, eſt linguæ iuxta illud Iacobi 3. Qui non offendit verbo, hic perfectus eſt: & cõtra illud, eſt peccatum oris, ita quòd ipſa eſt remedium contra duplex peccatum veniale, ſicut lingua cõgruit in duobus naturæ operibus 2. de anima.t.c.88. In guſtu ſcilicet, & loquela: Erunt ergo ſeptem vnctiones principales, licet ſint plures partiales: quinque in organis quinque ſenſuum. Sexta in organo principali potẽtiæ motiuæ progreſſiuæ. Septima in organo principali generatiuæ. Sequitur cum oleo. Pro quo notandum, quòd non oportet ibi eſſe aliquid confectum ex oleo & balſamo, vt in confirmatione: quia confirmatio eſt ad confeſſionem, & confirmationem fidei: ideo in cõfirmato nõ modo requiritur puritas cõſcientiæ ſignificata per oleum, ſed odor bonæ famæ ſignificatus per balſamum: Hic vero quia æger habet exire in breui de vita ad terminum, ſufficit conſcientia pura. Conſecratio autem epiſcopalis in hoc requirit materiã aptã: quia communiter in ſacramentis cõſiſtentibus in vſu, ſolus baptiſmus non requirit materiam ſpecialiter conſecratam: quia Chriſtus tactu mundiſſimæ carnis ſuæ quando voluit a Ioanne baptizari, totam aquam conſecrauit, hoc eſt in vſum iſtum dedicauit. Sequitur, miniſtrata a ſacerdote: per quod exprimitur miniſter idoneus, qui non modo licite exerceat, ſed qui ſolus hoc ſacramẽtum miniſtrare poteſt: ſi enim non ſacerdos attentaret, nihil faceret. Determinatio huius miniſtri habetur per illud Iacobi 5. Inducant presbyteros &c. Et ne quiſpiam decipiatur, aduertendum eſt, quòd beatus Iacobus intelligit presbyteros, vt nomen presbyteri ſit nomen ordinis ſiue officij, & non ætatis. Vnde beatus Chryſoſtomus pertinere dicit ad ſacerdotum dignitatem, quod hic presbyteris tribuit beatus Iacobus, prout dictũ eſt in principio huius capitis. Nec Innocentius 3. epiſtola ad Decentium ediſco Eugubinum, vt habetur de ſacra vnctione c. Vnico, docet quòd laicis liceat hoc ipſum ſacramentum miniſtrare, quando ait, quòd non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus chriſtianis hoc ſacramento vti liceat in ſua & ſuorum neceſſitate inungendo, cum paſſiuam (ſecundum dominũ Ruardũ Tapper in explicatione articulorum vniuerſitatis Louanienſis ſuper hoc ſacramento) habeat ſignificationẽ non actiuã (vox) inungendo. Quod manifeſtũ fit ex particula p̃cedente, quæ habet, quòd non eſt dubiũ hanc beati Iacobi ſententiã de fidelibus ægrotantibus debere intelligi. Et beatus Auguſt. lib. 2. de viſitatione infirmorũ inquit: Nec prætermittendum eſt illud beati Iacobi præceptum, infirmatur

tur

tur quis in vobis &c. Sic ergo roges de te, & pro te fieri,ſicut dixit apoſtolus Iacobus, immo per Apoſtolum ſuum Dominus. Illa vero quæ ſequuntur,videlicet,verba debita ſimul cum intentione ꝓferente,pertinent ad formam huius ſacramenti,& ſimultatem eius cum materia,& intentione miniſtri. Forma autem hæc ſeptupla ad ſeptē vnctiones principales eſt, videlicet: Per iſtā ſanctā vnctionē, & ſuam pijſſimam miſericordiā parcat tibi Dominus quicquid narium, linguæ, tactus, vel huiuſmodi vitio deliquiſti. Ratio autem præfata completa eſt: quia continet ſuſceptiuum, hominem ſcilicet pœnitentem infirmum, & hoc in partibus determinatis prius expreſſis: materiam remotam, videlicet oleum conſecratum ab epiſcopo: vel proximam, ipſam ſcilicet vnctionem factam cū oleo ſeptenariam principalem. Continet etiam formam: quia certa verba, videlicet, ſeptem orationes a ſacerdote cū ſeptem vnctionibus principalibus proferendas. Continet & miniſtrum: quia ſacerdotem &c. Materia propria huius ſacramēti vnctionis teſte beato Iacobo, eſt oleum, & non niſi oliuarum, quod eſt lenitiuum, penetratiuū,& diffuſiuum. Voluit enim Saluator noſter eligere pro materia oleum, magis quàm vinum, quo etiam vulnera ſanātur: quia vinum ſanat mordendo, oleum vero liniendo. Et cum omnis efficacia ſacramentorum deſcendat a Chriſto, illa ſacramenta, quibus ipſe vſus eſt, habent efficaciam ex ipſo vſu ſuo: ſicut tactu ſuæ carnis vim regeneratiuam modo ſupradicto cōtulit aquis:propter hoc benedictio aquæ non eſt de eſſentia baptiſmi.Chriſtus vero quia nō eſt vſus hoc ſacramento, nec corporali vnctione ad hoc ordinata: ideo in omnibus vnctionibus de neceſſitate ſacramenti requiritur ſanctificatio, ſeu conſecratio materiæ: quia effectus non cauſatur ex naturali proprietate materiæ, ſed a Chriſto, a quo effectus deſcendit mediantibus miniſtris,ſcilicet ſacerdotibus:& in miniſtros inferiores mediantibus miniſtris ſuperioribus, qui materiam ſanctificant per benedictionem & conſecrationem. Vnde in omnibus ſacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, ſanctificatio materiæ fit per epiſcopum, & vſus quandoque per ſacerdotem. Nec obſtat, quòd in euchariſtia non requiratur neceſſario, quòd materia ſit benedicta: quia euchariſtiæ ſacramentum conſiſtit in ipſius materiæ conſecratione &c. Forma autem huius ſacramenti extremæ vnctionis,qua ex traditione apoſtolorum vtitur ſancta Eccleſia romana eſt oratio deprecatiua, de qua ſuperius diffuſe diſſeruimus, videlicet: Per iſtā ſanctā vnctionē, & ſuā pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dñs quicquid &c. Hæc autem oratio ſumitur pro forma duplici cauſa. Prima, quia inungendus eſt proprijs viribus de-

ſtitutus : ideo indiget ſubleuamine orationis. Secunda, quia datur exeuntibus, qui iam deſinunt eſſe de foro Eccleſiæ, & in ſolius Dei manu requieſcunt : vnde ei per orationem committuntur. In dicta forma exprimitur effectus principalis, non autem corporalis ſanitas, licet quandoque ſequatur. De uſu dicti ſacramenti fit mentio Mar. 6. vbi dicitur : quòd Apoſtoli vngebant infirmos : quod non feciſſent, niſi Chriſtus ordinaſſet. Nec dicendum eſt, quòd Chriſtus reliquerit hoc ſacramentum inſtituendum Apoſtolis, cum eis non contulerit poteſtatem excellentiæ, ad quam pertinet inſtituere ſacramenta : ſed ſolam publicationem huius, & confirmationis cōmiſit : ipſe vero per ſeipſum ea, quæ erant maioris difficultatis, ꝓmulgauit. Sacramenta enim ad fundamenta legis pertinent : ideo ad legiſlatorem ſpectat inſtitutio : Hoc ſacramentum non datur cōtra defectus, quibus vita ſpiritualis tollitur, ſcilicet contra peccatum originale vel mortale : ſed principaliter eſt contra peccatum veniale, & morbos illos, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem vitæ, gratiæ, vel gloriæ. Qui quidē defectus eſt quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex actuali vel originali peccato : & qui defectus dicuntur reliquiæ peccati : & ita contra hanc debilitatem ex peccatis proueniētem homo roboratur per hoc ſacramentum. Sanctus Thomas in 4. diſt. 23. q. 2. ſubdit : Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum nō compatitur peccatum, ideo ex conſequenti, ſi inuenit peccatū aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit illud, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Miniſter huius ſacramenti, vt dictum eſt ſupra, eſt ſacerdos. Nec obſtat, quòd oratio laicorū ſit nonnumquam magis Deo accepta, quàm ea quæ fit a presbytero : quia hoc eſt verum ſecundum ſe, inquantum laicus eſt in maiori gratia, & ſit in perſona propria : ſed presbyter in hoc ſacramēto orat, vt perſona publica, & in perſona Eccleſiæ, quæ eſt ſponſa Chriſti dilectiſsima : quod laicus, qui eſt perſona priuata, facere nō poteſt. Et licet legatur de aliquibus laicis & mulieribus, quòd ungebant infirmos & ſanabant, illæ orationes non erant ſacramentales : ſed ex quadam deuotione recipientium, vel mittentiū oleū, conſequebantur effectum ſanitatis corporalis per gratiam gratis datam ſanitatum, & non per gratiam ſacramentalem. Ceterum ſecundum Franciſcum de May. in 23. diſt. 4. quatuor ſunt actus, qui ordinate fieri debent in periculo mortis ab infirmo vel circa infirmum. Primus eſt confeſſionis. Secundus ſacræ communionis. Tertius extremæ vnctionis. Quartus finalis recommendationis. Vnde ſicut in via periculoſa peregrino neceſſarium eſt, quòd ab oneribus

ribus

ribus ſit alleuiatus, quòd habeat ſolamen & viaticum, vnde poſſit recreari, quòd propter timorem inimicorum ſit munitus & armatus, & quòd ſit bene aſſociatus: ſic in periculoſo exitu animæ ex corpore oportet, quòd alleuietur peccatorum deprimentium onere per confeſſionem: quòd ſumat viaticum communionis, ſicut Elias, qui ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montē Dei Oreb 3. regum 19. quòd contra hoſtes armentur ſingula membra per ſacram vnctionem, qua anima recipit diſpoſitionem, vt ſit magis tuta contra hoſtes. Hanc vnctionem quanti fecerit beatus Malachias, oſtendit diuus Bernardus in vita illius cap. 4. dicens: Venit ſanctus Malachias veſperi infirmam vncturus oleo, & cum pararet vngere, viſum eſt omnibus differendum potius vſque mane: Acquieuit Malachias, & data benedictione ſuper ægram exiuit cū his, qui ſecum erant. Poſt modicum mortua eſt mulier, & mortis tumultu audito accurrit ad lectum, & inueniens eam expiraſſe, ſibi imputans quòd fraudata gratia ſacramenti obierat, eleuatis in cælum manibus: Obſecro domine, inquit, inſipienter egi, ego peccaui qui diſtuli, non iſta quæ voluit: & coram omnibus conteſtatus eſt, nullam ſe recepturum conſolationem, niſi quam tulerat gratiā ei reſtitueret: & tota nocte cum lachrymis orans exauditus eſt, & reuixit mulier. Malachias vero gratias Deo agens vnxit eam: ſciēs, inquit, in hoc ſacramento remitti peccata: & quòd oratio fidei ſaluat infirmum. Idem hic ſanctus Epiſcopus moriturus iubet ſe ſacro oleo vngi: vngitur, & ſumpto uiatico mortuus eſt. Poſtremo contra inſidias commendatur Chriſto, & angelis, ac animabus ſanctis. Sed quæritur, an Chriſtus in propria perſona adueniat in mortē fidelium, videtur quòd ſic: quia Ioan. 14. dicitur: Iterum venio, & accipiam vos ad meipſum: & Lucæ 12. Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Vnde beatus Auguſtinus ſuper Ioannem videtur dicere, quòd ſic. Si iterum quæratur, an mox in egreſſu anima habeat ſuum iudicium: Reſpondet beatus Auguſtinus lib. 20. de ciui. Dei, quòd particulare iudicium tunc habet: vniuerſale erit in ultimo iudicio. In libello, quem fecit de die iudicij: In quo quemcūque inuenerit ſuus nouiſſimus dies, ait, in hoc eū cōprehēdet mundi nouiſſimus dies: quoniam qualis in die illo quis moritur, talis in die illo iudicabitur. Signa, quibus homo poteſt confidere de ſalute morientis, dictus dominus Franciſcus de mente ſancti Anſelmi vbi ſupra inquit, quòd ſunt ſex. Primum, ſi credit ea omnia, quæ ſunt fidei chriſtianæ, & determinata ab Eccleſia. Secundum, ſi gaudet & lætatur, quia moritur in fide Chriſti. Tertium, ſi cognoſcit ſe Deum grauiter offendiſſe. Quartum, ſi dolet eum læſiſſe.

Quintum

Quintum,ſi proponat,ſi ſuperuixerit, abſtinere a peccatis,maxime mortalibus. Sextum, ſi credat & ſperet, ſe ſaluari meritis Chriſti. Poſtmodum dicatur ſibi, ſi obijciat aliquis tibi peccata tua, opponas merita Chriſti inter te & ipſum: His peractis dicit Anſelmus, q̃ ſaluabitur: & ſanctus Thomas vbi ſupra q.2.ad 2.quòd ad effectum huius ſacramenti percipiendum plurimum valet deuotio ſuſcipiētis, & perſonale meritum conferentium, & generale totius Eccleſiæ. Quod patet ex hoc: quia per modum deprecationis forma huius ſacramenti confertur: & ideo illis, qui nō poſſunt recognoſcere, & cum deuotione ſuſcipere hoc ſacramentum,dari ſecundū eum non debet,& præcipue furioſis & amentibus, qui poſſunt irreuerentiam per aliquam immunditiam ſacramento facere, niſi haberent lucida interualla, in quibus ſacramenta recognoſcerent. Dicit etiam idem Thomas ad quartum, quòd nullum ſacramentū, quod habet effectum perpetuum debet iterari: quia oſtenderetur ſacramentum non fuiſſe efficax ad cauſandum illū effectum: & ſic fieret iniuria illi ſacramento. Quod autem habet effectum nō perpetuū, iterari poteſt ſine iniuria, vt effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia ſanitas corporalis & mentis, quæ ſunt effectus huius ſacramenti,poſſunt amitti,poſtquam fuerint per ſacramentū collati: ideo hoc ſacramentū ſine ſui iniuria iterari poteſt. Vbi etiā eſt oratio fidei,modo ne quid ea res ægrotantis animæ ſaluti officiat, nihil dubitandum eſt, quin corporis quoque ſanitatem per vnctionem hanc adepturus ſit. Vnde ſcribit Sulpitius ſeuerus c.21.in vita ſancti Martini, quòd oleo ſanctificato puellam quandam adeo dira paralyſis ægritudine correptam,vt iam nullo ad humanos vſus corporis officio fungeretur,ſanitati reſtituit. Commemorat etiam Rufinus lib. 2. c. 4. Eccleſiaſt.hiſt. non diſſimilia de diſcipulis beati Antonij,quòd multos infirmos oleo perunctos curabant. Meminit huius ſacramenti Chryſo. de ſacerdotio lib. 3. ſimiliter Hieronymus ad Ruſticum ſcribens, Auguſtinus de viſitatione infirmorum lib. 2. c. 4. & Innocentius epiſtola prima, quam ſcripſit ad Decentium c. 8. vbi inter cetera ſcribit,non pœnitētibus iſtud fundi non poteſt: quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo genus vnum putatur poſſe cōcedi? De hoc ſacramento multa inuenies in ſupplemento 4. Bielis diſt. 23. quæ hic breuitatis cauſa prætermiſſa ſunt:quære ibi, vbi de hoc ſacramento vnctionis multa vtilia diſſeruntur.

De Sexto ſacramento, videlicet, ordinis, quod ad communem ſtatum Eccleſiæ,& ſpiritualem generationē ſpectat. C. XLVII.

QVINQVE ſacramenta, videlicet baptiſmus, confirmatio, pœnitentia, euchariſtia, & extrema vnctio pertinét ad ſtatum perſonæ: duo vero ſequẽtia pertinent ad communem ſtatum Eccleſiæ, ſcilicet ordo & matrimonium, quorum primum ad ſpiritualem, ſecundum ad carnalem ſpectat generationem. De ordine hic erit ſermo, in ſequentibus vero de matrimonio. Sed quia nomẽ ordinis eſt æquiuocũ, ideo prius eſt diſtinguendũ, quàm definiendum: ſumitur enim multis modis. Vno modo ſecundum beatum Auguſtinum 19. de ciuit. Dei cap. 13. ſecundum quod eſt parium diſpariumq; rerum ſua cuique loca diſtribuens, congrua diſpoſitio. Hoc modo multitudo, in qua cõtingit inuenire diſpoſitionẽ congruam parium & imparium in loco ſuo, habet ordinem: & illa diſpoſitio eſt rei pulchritudo, ſine enim hoc ordine nihil dicitur pulchrum. De quo Apoſtolus ad Rom. 13. Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt: Philoſo. quoque 12. Meta. omnium entium, quæ ſunt in vniuerſo, oſtendit eſſe ordinem. Secundum hanc ordinis deſcriptionem tota Eccleſia, immo totum vniuerſum poteſt dici ordinatũ: vbi non modo in naturalibus, verum & in eccleſiaſticis: & ne dum in politia ciuili, verum & in hierarchia eccleſiaſtica eſt inuenire multitudinem recte ordinatã, & multimoda diſpoſitione munerũ & membrorum ornatam. Altero modo ſumitur ordo, vt importat gradum præeminentem in aliqua politia recte ordinata, ſiue ciuili, ſiue eccleſiaſtica: quo modo perſona in tali eminenti gradu conſtituta dicitur habere ordinem, ſicut & dicitur habere quendam præeminentiæ gradum antonomaſice: quem non habent qui ſunt in gradu inferiori. Hoc modo dicimus eſſe ordinem militum, & miniſtrorum pro cultu Dei exequendo. Perſona igitur habens gradum præeminentem vltra omnes homines, dicitur habere ordinem, & poteſt dici ordinata. Vnde 89. diſt. c. Ad hoc, legitur: Ad hoc diſpenſationis prouiſio gradus diuerſos & ordines cõſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diuerſitate contextio, & recte officiorum generetur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Sumitur etiã ordo prout eſt gradus in Eccleſia, diſponens ad aliquẽ actum eminentem eccleſiaſticum, vel ad habendum ius aliquod, ſeu priuilegium ſpirituale: vt (exempli gratia) beneficium, ſiue iuriſdictionem eccleſiaſticam, vel vt gaudere poſſit immunitate clericali: & ſic latius accipitur pro ordine clericali. c. Cum contingat de æta.

& qualit.

& qualit. ordinan. Clericus etiam dicitur, qui eſt ſecundum formam Eccleſiæ priuilegiatus,& cœtui clericorum adiunctus diſt. 69. c. Quoniam. Hoc etiā modo prima tonſura, licet non ſit ordo proprie, prout ordo eſt ſacramentū a Chriſto inſtitutum, poteſt tamen dici ordo inquantum eſt diſpoſitio quædam ad ſuſcipiendos ordines: in qua quòd capillorum in modum coronæ quædam fit reſectio, illud ſignificat, eum cui capilli reſecantur, in illius miniſterium aſſumi, cui ſeruire regnare eſt, atque in regnum quoddam ſpirituale transferri: quæ ſecundum Paludanum eſt ex inſtitutione & ordinatione Eccleſiæ. Nec prima tonſura eſt nuda crinium amputatio, ſed quædam benedictio data alicui ab eo, ad quem pertinet, ratione cuius diſponitur ad ordines: & Eccleſia priuilegium clericorum ad ipſam extendit, ut habetur in dicto c. Cum contingat de æta. & quali. ordi. Nec eſt proprie ſacramentū, ſed ſacramentale, ſecundum Altiſſiodor. & ſignum materiale ad præparādum & ſuſcipiendum ordines. Idem tenet Rabanus lib. pri. de inſtitutione clericorum. Et licet ſit ſignum alicuius rei ſacræ, non tamen eſt ſignum certū & efficax gratiæ, quæ formaliter ſanctificat ſe habentem: ſed eſt ſignum rei ſacræ hoc modo, quia per tonſuram deputatur quis ad actum ſpiritualem, ſcilicet ad militiam clericalem. Sicut enim baptiſmus aſcribit ſuſcipientem generali collegio Chriſtianorum, ita prima tonſura aſcribit collegio clericorum, illorum videlicet, qui ſpecialiter ſunt de ſorte domini: Nec obſtat, quod dicitur de æta. & quali. ordi. c. Cum contingat: quòd clericalis ordo confertur per primam tonſurā, quia ibi ordo ſumitur pro priuilegio clericali, quod extenditur ad habentem tonſuram primam. Qui enim percutit habentem coronam, ſiue primam tonſuram, incidit in excommunicationem, cum percutiat clericum, ideſt priuilegiatum. Vſus tonſuræ ſecundum Hugon. lib. 2. parte 3. c. 2. & Magiſtrum a Nazaræis exortus creditur: qui ob vitæ continentiam caput radebant, & capillos in igne ſacrificij ponebāt: Hinc vſus ille ab apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipātur ac Deo conſecrantur, quaſi Nazaræi ſancti poſito crine inueniantur. Verum dicti Nazaræi totam comam non radebant, cum non eſſet tempus regalis & perfecti ſacerdotij: nec in modum coronæ, ſicut clerici. Et vt hoc melius intelligatur ſecundum dictum Hugonem & Lyranum ſuper 6. caput libri numerorum, & glo. beati Auguſtini ſuper 13. c. libri iudicum, eſt notandum, quòd dicti Nazaræi erant in duplici gradu. Aliqui enim erant Nazaræi per totum tempus vitæ eorum, ſicut legitur de Samuele primi Regum pri. & de Sampſone iudicum 13. & iſti quantum ad obligationis perpetuitatem poſſunt

dici

dici fuiſſe figura religioſorum noui teſtamenti, quorum votum & obſeruantia per totum tempus vitæ durare & obligare debet, ſicut & votum clericorum ſacris initiatorum: & iſti nũquam radebantur, nec vinum aut ſiceram bibebant, vt habetur de Sampſone vbi ſupra: Hinc ſecundum Hugon. num. 6. quidam pingũt Chriſtum & Apoſtolos crinitos in ſignum ſanctitatis. Alij fuerunt Nazaræi ad determinatum tempus, vt beatus Paulus ſecundum Hugon. Act. 21. Vnde ſicut hodie aliquis vouet ad certos dies ſe ieiunare aut peregrinari propter Deum, quo expleto iam non tenetur deinceps ad id, quod pro certo tempore ſe facturum promiſerat: ita & in lege veteri huiuſmodi Nazaræi redibant ad vitam communem aliorum peracto ſuo voto num. 6. Et tales fuerunt figura eorũ, qui ad opera ſupererogationis pro certo tẽpore vel loco ſeſe Deo deuouerunt: quo tempore ſcilicet ſuæ ſeparationis & conſecrationis non radebant caput ad deteſtandum cultum idololatriæ. Cuius ſacerdotes capita radebant Baruch. 6. Hinc prohibiti erant ſacerdotes veteris legis, ne raderent caput aut barbam Leui. 21. Eadem ratione Nazaræus non radebat caput tempore ſuæ conſecrationis, quia illo tempore erat deputatus diuino cultui: Hinc ait Auguſtinus q. 52. ſuper lib. Iudic. Vouentes votumq; reddentes non radebantur, ſed expletis diebus completionis ſui voti radebantur, & vinum bibebant, ac ad communem viuendi modum redibant. Sed quid eſt, quòd deuotione cõpleta Nazaræus caput radere, & capillos in igne ſacrificij ponere iubetur? niſi quod tunc ad perfectionis ſummam pertingimus, cum ſic exteriora vitia vincimus, vt etiam cogitationes ſuperfluas a mente reſecemus? Caput enim tondere eſt cogitationes ſuperfluas a mẽte reſecare. Itaque ſicut Nazaræi expleto ſuo voto caput tondebãt, & capillos in igne ſacrificij ponebãt ad oſtendendum ſe totos pro tunc diuini amoris igne inflammatos, noxias quoque cogitationes & ſuperfluas prorſus extinctas eſſe in eis: ſic & clerici in ſortem Domini non horarie, ſed perpetuo electi prohibentur comam nutrire, ideſt defluentes animi cogitationes habere, ne remiſſæ defluant, aut defluentes ſe per illicita ſpargant, & ne ſparſæ oculos cordis deprimant. Semper igitur clerici nouæ legis caput tondere iubentur, & capillos in igne ſacrificij ponere: quia ſemper ſtudere debent perfectioni, & actus hierarchicos in Eccleſia ſuo ordine exercere. Significare etiam poteſt illa crinium raſio in clericis ſolicitudinis temporalium & eorundem curæ ſuperfluæ proiectionem, ſimiliter & ſequeſtrationem a ſecularium perſonarum ſtatu. Et licet tonſura ſit ad ſuſceptionem ordinis diſpoſitio congruitatis, reſpectu tamen beneficij & iuriſdictionis eccleſiaſticæ eſt

cæ eſt neceſſitatis. Ius enim ſpirituale non cadit in laicum, nec tenet beneficij collatio aut iuriſdictionis commiſſio facta laico non tonſato. Nam qui non eſt clericus, non eſt capax, de tranſactionibus c. Ex literis.

De ordine, vt eſt Eccleſiæ ſacramentum Cap. XLVIII.

SCOTVS 24. diſt. 4. q. vnica, inquit: Quòd loquendo proprie de ſacramentis, ordo non eſt ſacramentum: quia omne tale eſt ſignum ſenſibile, ordo vero eſt quidam gradus ſpiritualis fundatus in charactere infuſo in collatione dicti ordinis. Sacramentũ igitur ordinis eſt ordinatio, cuius talem dictus doctor aſſignat deſcriptionem. Ordinatio eſt inſtitutio alicuius in gradu Eccleſiæ præeminẽti, cui conuenit aliquod miniſterium circa euchariſtiam exhibendum, facta a miniſtro idoneo, certa verba ſimul cum intentione debita proferente, miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentans, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignans gratiã præeminentem, quà ordinatus digne aliquod miniſterium exequatur. Et ſecundum hanc ordinationis generalem rationem, poſſunt proportionabiliter ſumi ſpeciales ordinum rationes, vt ordinationis in ſacerdotem: quod eſt inſtitutio in gradu Eccleſiæ præeminenti, diſponens habentem ad conficiendum Euchariſtiæ ſacramentum, facta ab epiſcopo certa verba cum debita intẽtione proferente. Dictæ ordinationis ſiue ſacramẽti ordinis ſolus epiſcopus eſt idoneus miniſter, loquendo de maioribus, ſiue ſacris ordinibus: cum alij non ſacri, vt quatuor minores, ex priuilegio ab abbatibus conferri poſſint. Secundum vero Altiſſiodorenſem lib. 4. de ordine: Ordinatio eſt ſignaculum ſacrum, quo ſpiritualis poteſtas confertur ordinato & officium: intelligentẽ per ſignaculum ſignum aliquod ſenſibile. Ad hanc poteſtatem exercendam non licet cuiquã ſeipſum ingerere, ſed vocationẽ expectare, quæ nihil aliud videtur eſſe, quàm ordinatio. Hoc eſt quod beatus Paulus admonet, ad Hebr. 5. Ne quis ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Recte itaque inter ſacramenta ordo numeratur, cum ſit ſacræ rei ſignum efficax, & viſibilis forma inuiſibilis gratiæ, quæ multiplex in hoc ſacramento confertur, cum ſit ipſe ordo vel ordinatio multiplex: de qua infra. Hoc nomen ſibi beatus Auguſtinus lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani c. 13. tribuit, cum dicit: Nam illud quod quidam eorum veritate conuicti dicere cœperant, baptiſmum quidem non amittit qui recedit ab Eccleſia, ſed ius tãtum dandi amit-

tit, multis modis apparet fruſtra & inaniter dici. Primo quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille qui ipſum baptiſmum amittere nõ poteſt, ius dandi amittere valeat. Vtrũque enim ſacramentũ eſt, & quadam conſecratione vtrũque homini datur, illud cũ baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideoq; in catholica Eccleſia nullum eorum licet iterari. Nam ſiquãdo ex ipſa parte veniẽtes, etiã præpoſiti pro bono pacis (correcto ſchiſmatis errore) ſuſcepti ſunt, & ſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, nõ ſunt rurſus ordinandi: ſed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio mãſit integra: quia in præciſione fuerat vitium, (quod vnitatis pace correctum eſt) non in ſacramentis, quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt: hæc ille. Et ratio eſt: quia non minus in ordinatione, quàm in baptiſmo character imprimitur. Quòd etiam ſit ſacramentum nouæ legis, patet ex determinatione Eccleſiæ, vt habetur in 4. concilio Carthaginenſi, & in Tridentino, ſeſſione 7. titulo de ſacramentis in generali, canone primo. Quoad materiam huius ſacramenti eſt notandum, quòd non ſolum porrectio eſt de eſſentia ſacramẽti ordinis, ſed etiam tactus illius, quod porrigitur ab eo, qui ordinem ſuſcipit: quod verba formæ oſtendunt, cum dicitur: Accipite hoc, vel illud. Materia ordinis ianitorum ſunt claues: lectoratus liber qui dicitur lectionarius: exorcizatus liber exorciſmorum: acolytatus candelabrum cũ cereo extincto & urceolis uacuis. Materia ſubdiaconatus liber eſt epiſtolarum: Diaconatus euangeliorum: Sacerdotalis vero ordinis eſt calix cum vino & aqua, & patena cũ hoſtia ſuperpoſita. Sed vt clarius ſupradicta intelligantur, eſt intelligendum: quòd ordines diuiduntur in minores, qui ſunt quatuor, videlicet: Oſtiarij, lectores, exorciſtæ, acolyti: & maiores qui ſunt tres, ſcilicet: Sub diaconi, diaconi, ſacerdotes. Oſtiariorum officiũ eſt ſtare ad oſtia templorum dignos admittendo, & indignos repellẽdo: quos Ignatius epiſtola 8. cuſtodes vocat ſacrarum portarum. Cenſebãtur indigni pagani ſiue ethnici, catechumeni, hæretici, excommunicati, energumeni, flagitioſi, pœnitentes, qui excludebantur ab adytis tẽplorum: ſicut apud Chryſoſtomum Homil. 41. & 60. ad populum Antiochenum, & Ambroſium epiſt. 33. videre licet: de quo etiam Dionyſius c.3. Eccl. Hierar. Ignatius epiſt.8. & Tertullianus aduerſus hæreticos meminerunt. Dantur oſtiario cum ordinatur claues eccleſiæ: admoneturq; ab epiſcopo, vt ſic agat quaſi rationẽ Deo redditurus de rebus, quæ clauibus his recluduntur. Hoc officium exhibuiſſe videtur Saluator noſter, quando flagello de funiculis facto ementes & vendentes de templo eiecit: qui etiam oſtium ſeipſum appellare dignatus eſt, Ioan.10. Ego ſum oſtium: per me, inqt,

ſiquis

ſiquis introierit ſaluabitur. Ex hoc ordine prouehitur ordinādus ad officium lectoris, vt ex Eccleſiæ traditione legat in ea prophetias & lectiones apoſtolicas : in cuius rei ſignum traditur ei liber ſacrarū ſcripturarū, & ab epiſcopo admonetur, vt accipiat, & ſit verbi Dei relator: habiturus (ſi officium ſuum digne expleuerit) partem cum ijs, qui bene miniſtrauerint. Quod officium exhibuit Dominus, quando in medio ſeniorum librum Eſaiæ aperuit, atque in eo legit Spiritus Domini ſuper me &c. Fūctos officio lectorū legimus apud Cyprianum lib. 2. epiſtola 5. Aurelium, Celerinum, & Satyrū: apud Gregorium Nazianzenum lib. 6. c. 3. Baſilium : apud Socratem in eccleſiaſtica hiſtoria Ioannē Chryſoſtomū. Tertius ordo eſt exorciſtarum, cuius officium eſt eijcere dæmones, & dicere populo, vt qui non communicat, det locum : ac aquam in miniſterio fundere: Datur iſti per epiſcopum liber, in quo ſcripti ſunt exorciſmi : cui dicitur, vt accipiat & commendet memoriæ, & habeat poteſtatē imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos. Hoc officio ſæpe Chriſtus functus eſt, quando dæmonia ex obſeſſis corporibus eiecit. Quartus ordo eſt acolytorum, qui latine vocantur ceroferarij, quòd accenſos cereos ferunt, cum legitur euangelium, vel cum offertur ſacrificium, vt luceat lux illorū coram hominibus, & videant opera eorum bona, & glorificent patrem noſtrum, qui in cælis eſt. Hi cum ordinantur, accipiunt ab epiſcopo candelabrum cum cereo, illis dicente, vt accipiant ceroferarium cum cereo, ſciantq; ſe ad accendenda eccleſiæ luminaria mancipatos in nomine Domini. Accipiunt ſimul vrceum ad ſuggerendum vinum, & aquam in euchariſtiam ſanguinis Chriſti. Hoc officium teſtatur ſe habere Dominus, cum dicit: Ego ſum lux mūdi, (Ioan. 8.) qui ſequitur me non ambulat in tenebris. In argumēto vtriuſque epiſtolæ ad Theſſalonicenſes fit Oneſimi acolyti mentio. Vnde extat epiſtola Caij Papæ & martyris, qui fuit temporibus Diocletiani, in qua monet, ne aliter ordinandi ad ordines eccleſiaſticos accedant, quàm vt ſit aliquis primo oſtiarius, deinde lector, poſtea exorciſta, inde ſacretur acolytus, demum ſubdiaconus, deinde diaconus, & poſtea presbyter, & exinde ſi meretur, epiſcopus ordinetur : quæ etiam ratio eſt, quòd ſacramentum hoc ordo vocatur. Aequum enim eſt, vt quod in gubernatore nauis obſeruatur, id multo diligentius obſeruetur in Eccleſiæ naui gubernanda. In illa enim non ſtatim alicui gubernacula creduntur, ſed vbi multam rerum maritimarum experientiam conſecutus eſt quiſpiam, is ad gubernacula prouehatur. De hoc latius vide Nazianzenum in oratione funebri in laudē Baſilij magni dicentē. In rebus etiā bellicis

militis

militis primum officio fungitur quis,poſtea decurio fit,deinde cẽturio, tandem ſi ſit repertus idoneus,dux & imperator militũ conſtituitur. Eodem modo fit in Eccleſia, vt ne quis ad ſupremũ gradum ſubito proſiliat, ſed in minoribus aliquandiu ſe exerceat, & pedetentim ad maiora progrediatur. Quod ita fieri oportere, in monodia Baſilij docet Gregorius Nazianzenus. Euſebius etiã lib. 6. c. 20. Eccl. hiſto.recenſet epiſcopum futurum vnum in vna ſcilicet Eccleſia, presbyteros 46. diaconos 7. ſubdiaconos 7. acolytos 42. exorciſtas & lectores cum oſtiarijs 52. Epiphanius in fine ſui libri de hæreſibus, vbi ordines enumerat, meminit epiſcopi primo loco, deinde presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, lectorum, laboratorum, & ianitorum. Ignatius epiſt.8. ſalutari iubet primum presbyterum, deinde diaconos, mox ſubdiaconos,lectores,cãtores,oſtiarios, laborantes, exorciſtas, atque confeſſores. Ceterum quatuor ordines minores inter ſacros non numerabantur: ſed hi tres tantum ad ſacros ordines pertinere creduntur, ſubdiaconatus, diaconatus, & ſacerdotium.

De primis duobus præfatis ſacris ordinibus.

Cap. XLIX.

INTER dictos maiores ordines, primum locum tenet ſubdiaconatus: cuius officium eſt aquã ad miniſterium altaris præparare; ac tantum de oblationibus in altari ponere, quantum ſufficere poſſet populo Dei, & epiſtolam cantare: in cuius rei ſignum accipit patenam & calicem vacuum de manu epiſcopi, & admonetur vt videat, quod miniſterium ſibi tradatur: atque ideo ita ſe exhibeat, vt Deo placere poſſit. Hoc officio functus eſt Dominus noſter Ioan. 13. Quando facta cœna linteo ſe præcinxit, & mittens aquam in peluim pedes diſcipulorum lauit, & linteo exterſit. Qui ſuſcipit hunc ordinem, ei continentiæ lex a iure indicitur, vt verificetur dictũ Eſaiæ 52. Mundamini qui fertis vaſa Domini: Equum enim eſt, vt ſeipſos exhibeant vaſa in honorem,non in contumeliã, atque ab omni carnis inquinamento ſe contineãt, qui altari appropinquantes vaſa illa ferunt, in quibus corpus & ſanguis Domini conficitur. Legimus enim Cyprianum lib. 3. epiſt. 22. Ordinaſſe Optatum ſubdiaconum. Hunc ordinem ſequitur ordo diaconorũ, qui latine miniſtri dici poſſunt: Ordo iſte in veteri lege appellabatur leuitarum: num. 3. & cap. 8. præcepit Dominus Moyſi, vt poſt ordinationem Aaron, & filiorum eius,tribus Leui ad diuini cultus miniſterium ordinaretur & conſecraretur Domino,& ſeruiret pro

Iſrael in tabernaculo Dei corã Aaron & filijs eius. In Act. apoſtolorum ſeptem viros boni teſtimonij, plenos ſpiritu ſancto ad hoc officium electos, & oratione præmiſſa manus eis impoſitas eſſe legimus. Temporibus apoſtolorum menſis miniſtrabant, hoc eſt pecuniam diſpenſabant, quæ dabatur Apoſtolis, & in pauperum uſus conuertebatur, ſicut ex Chryſoſtomo homil. contra cõcubinarios, & Cypriano lib. 2. epiſt. 8. diſcimus. Ordinantur autem per manuum impoſitionem, daturq; eis euangeliorum codex, & poteſtas legendi illum eiſdem conceditur, ſimiliter & prædicandi: quamuis tempore ſuo beatus Ambroſius ſcribat in 4. c. ad Eph. poteſtatem prædicandi diaconis ademptam eſſe. Hos diuus Paulus pri. Tim. 3. vult eſſe pudicos, habentes myſteriũ fidei in conſcientia pura, quos primum etiam probare iubet, & ſic miniſtrare nullũ crimen habentes. Quo officio exiſtimatur Chriſtus functus, quando poſt cœnam proprio ore & proprijs manibus ſacramenta confecta miniſtrauit. Forma ſubdiaconatus eſt, (poſtquam amictus capiti eius impoſitus fuerit ab epiſcopo, & manipulus in brachio ſiniſtro, & dalmatica indutus, porrigendo librum epiſtolarũ) Accipe librum epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro viuis quàm defunctis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Forma ordinis diaconatus eſt (poſtquã epiſcopus dixit: Accipe ſpiritũ ſanctum ad reſiſtendum diabolo & tentationibus eius in nomine Domini: & poſtquam dedit ſtolam ſuper humerũ ſiniſtrũ porrigendo librum euangeliorum): Accipe poteſtatem legendi euangelium in Eccleſia Dei, tã pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini.

De nouæ legis ſacerdotio Cap. L.

NOVAE legis ſacerdotium omnium ordinum excellentiſſimum verſatur circa corpus Chriſti, quod eſt duplex: ſcilicet verum, quod a ſacerdote conſecratum offertur in altari: & myſticum, quod eſt Eccleſia: de quo pri. Cor. 10. Vnus panis, vnum corpus multi ſumus qui de vno pane participamus. Circa vtrumque verſatur ſacerdotis officium, cui multiplex poteſtas conceditur. In corpus Chriſti verum datur ei poteſtas conſecrandi, offerendi, & illud alijs diſtribuendi: idq; ex Chriſti inſtitutione, qui poteſtatem talem in cœna nouiſſima inſtituit, quando dixit: Hoc facite in meam commemorationem. In corpus uero Chriſti myſticum datur eiſdem poteſtas baptizandi: dixit enim Apoſtolis Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris & filij &

ſpiritus

ſpiritus ſancti: ſimiliter & poteſtas abſoluēdi Ioan. 20. per illa verba: Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Confertur etiam eis poteſtas prædicandi, de qua Marci 18. Euntes in mundum uniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. Sacerdotis miniſterium eſt miniſterium reconciliationis: pro Chriſto enim legatione fungimur. Quod legationis munus tunc Saluator noſter mandauit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, cum poſt iteratā ſalutationem Pax vobis (Ioan. 20.) dixit: Sicut me miſit pater, & ego mitto uos. Ad quid enim miſit filium pater, niſi vt iuter Deum & hominē pacem faceret? Ad hoc igitur ipſum ſuos in vniuerſum orbem filius miſit ſacerdotes, ut eorum miniſterio reconciliarentur Deo hi, qui ſe ab illo peccatis ſuis diſiunxiſſent: quod idem eſt cum illo, quod dixit Apoſtolus 2. Cor. 5. Poſuit in nobis verbum reconciliationis, & pro Chriſto legatione fungimur: & obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Ex quibus conſtat ſacerdotem nihil aliud eſſe, quàm Chriſti legatum, & hoc pro capite & corpore. Pro Chriſto capite legatione fungitur ſacerdos, quando ex ſuggeſto verba facit ad populum, & voluntatem eius explicat, ſimulq; nomine Chriſti obſecrat, ut culpas ſuas deteſtati, & ab illis auerſi Deo reconcilientur. Pro Chriſti uero corpore, hoceſt Eccleſia legatione fungitur, quando ſtans ad altare, eam, quæ per Chriſti ſanguinē in cruce facta eſt, reconciliationem Deo patri offerēs ſupplex rogat in totius Eccleſiæ perſona, ut illius reconciliationis virtute populo ſuo propitius eſſe, ac illius fructū ad ipſum redundare uelit. Hoc eſt quod Chryſoſtomus de verbis Eſaiæ homilia quinta, medium dicit ſtare ſacerdotem inter Deum & humanam naturam, illinc venientia beneficia ad nos deferentem, & noſtras petitiones illuc perferentem, Dominum iratum reconciliantem, & nos qui offendimus, ex illius manibus eripientem. Idem libro ſexto de ſacerdotio inquit, ſacerdotem pro vniuerſo terrarum orbe legatum intercedere, deprecatoremq; apud Deum eſſe, ut hominum omnium non viuentiū modo, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat. Beatus quoque Ambroſius in oratione priore præparatoria ad miſſam, ita Saluatorem alloquitur, dicēs: Quoniam me peccatorem inter te & populum tuum medium eſſe voluiſti, licet in me boni operis aliquid non agnoſcas, officium ſaltē creditæ diſpenſationis non recuſes, ne per me indignum eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus victima factus ſalutaris, dignatus es eſſe redemptio. Dominus etiam Gregorius Nazianzenus in apologetico ſcribit, ſpeciale eſſe ſacerdotis officium, populi mediatorem apud Deum effici: qui etiam Baſilium vocat mediatorē inter Deū & hominem. Beatus quoque Papa Gre-

gorius libro primo epiſtolarum epiſt. 24. Quid Antiſtes, inquit, ad dominũ, niſi pro delictis populi interceſſor eligitur? Sacerdos igitur nihil aliud eſſe videtur, quàm (ſicut Paulus dicit) recõciliationis miniſter. Quamobrem non ſolum cum prædicat euangelium ſacerdos, miniſter eſt reconciliationis, uerum etiam cùm baptizat, cum pœnitentem abſoluit, cum euchariſtiæ ſacramẽtũ porrigit, cum orat pro peccatis populi, cum altaris ſacrificium offert, in omnibus his nihil aliud eſt, quàm reconciliationis miniſter. Nam verus ſiue per excellentiam ſacerdos, verus mediator, & reconciliator nõ eſt niſi ille, de quo ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui etiam factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, qui baptizat, qui peccata remittit, qui reconciliat, qui interpellat pro nobis: ille eſt, qui docet, qui cõſecrat, ipſe eſt ſacerdos & ſacrificiũ, unum cum eo cui offertur, & vnum cũ ijs pro quibus offertur. Sicut ergo in prædicando non eſt ſacerdotis niſi miniſterium, cum ſpiritus patris ſit qui loquitur in illo, vt inquit beatus Paulus 2. Cor. 13. An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Chriſtus? Sic in oblatione nõ eſt ſacerdotis niſi miniſterium. Vnde Chryſoſtomus homil. 60. ad populum Antiochenum: Verum & tu laice, inquit, cum ſacerdotem videris offerentem, ne vt ſacerdotem eſſe putes hoc facientẽ, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam: et homil. 83. in Matth. Qui tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui uero hæc ſanctificat & transmutat, ipſe eſt. Et rurſus in poſteriorem ad Timotheum epiſtolã homil. 2. Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis: quamq; ſacerdotes modo quoque conficiunt, nihil habet iſta, quàm illa minus: cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam antea ſacrauerat. Forma presbyteratus eſt (poſtquam epiſcopus reflexit ſtolã ab humero ſiniſtro in dextrum in modum crucis dicendo, Accipe iugum Domini, iugũ enim eius ſuaue eſt, & onus eius leue: et poſtquam dedit veſtẽ ſacerdotalem, & conſecrauit manus dicendo: conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam vnctionem, & noſtram benedictionem, porrigendo calicem cum vino & aqua, ſuperpoſita patena cum hoſtia) Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſasq; celebrandi in nomine Domini. Deinde imponendo ambas manus ſuper caput cuiuslibet dicit: Accipe ſpiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta ſunt. Supradicti ordines propter tria ſunt inſtituti. Primo propter

Dei ſapientiam commendādam, quæ in ordinata rerum diſtinctione maxime refulget: Sapientis enim, ut inquit Philoſophus in procœmio metaphiſicæ, eſt ordinare. Regina Saba videns ordinem miniſtrorum Salomonis & c. non habebat ultra ſpiritum præ admiratione ſapientiæ illius 3. reg. 10. Secundo ad ſubueniendum humanæ infirmitati, quæ per vnū non poterat omnia, quæ ad diuina myſteria pertinebant, explere ſine magno grauamine: & ideo diſtinguūtur ordines per diuerſa officia: Vnde Dominus numeri 11. dedit Moyſi ſeptuaginta ſenes populi in adiutorium, & Aaron, ac filios eius per diuerſos gradus: ſic cōueniens fuit, quod in ſacerdotio Chriſti, aut nouæ legis, figurato per leuiticum, eſſent plures gradus ſiue ordines. Tertio ut in via amplior omnibus detur occaſio proficiendi, dum plures in diuerſis officijs diſtribuuntur. Sed quia omnes ordines ordinantur, vt patet ex ſupradictis, ad vnum ſcilicet ſacerdotium, & ad vnum finem proprium & immediatum, qui eſt vnire fideles Chriſto per euchariſtiam: ideo ordo non eſt niſi vnum ſacramentum, unum ſcilicet vnitate generis propinqui, vt inquit Scotus 24. diſt. quarti: ſicut virtutes morales dicuntur eſſe tres ſecundum genus, videlicet: iuſtitia, fortitudo, temperantia, quæ in prima diuiſione virtutis moralis hæc primo occurrunt: in ſpeciali tamen quælibet iſtarū vlterius diuiditur. Alia vnitas inter ordines, vt videlicet prius recipiatur ordo inferior, quàm ſuperior, non eſt neceſſitatis, ſed cōgruitatis. Si .n. prætermitteretur ordo inferior, ſimpliciter aliquid fieret, vt apparet extra de clerico per ſaltū promoto: cum ibi dicatur, quòd nō eſt iterandum, quod eſt factum, ſed quod fuit prætermiſſum caute ſupplendum. Nota tamē, quòd licet poſſit ſaltari ab vno ordine, omiſſo alio, prætermiſſo tamē ſacerdotio non poteſt quis epiſcopus fieri, extra de exceſſibus prælatorum c. Ex literis, in fine. Si vero omiſit diaconatum, epiſcopus eſt: ſed illum ordinem, quem omiſit, dare non poteſt, prima q. pri. Ita tamen nō eſt in baptiſmo, qui præneceſſarius eſt omnibus ſacramentis: Illo enim prætermiſſo, nullum aliud ſacramentum conferri poteſt, & ſi attentetur conferri ſacramentum aliud, nihil fit &c. Hæc diuus Bonauentura diſtinct. 25. quarti. circa literam. Pro maiori adhuc intelligentia ſupradicti ſacerdotij eſt notandum, quòd eſt ritus, vt ab epiſcopo conſecrato ſuam poteſtatem accipiat, ſeruata materia & forma, quibus Eccleſia vti conſueuit: Epiſcopū enim eſſe eius miniſtrū teſtantur ſcripturæ, quæ de Paulo & Barnaba narrant, (Act. 13.) ꝙ ordinati ſunt per impoſitionē manuū eorū, qui maiores erāt i Eccleſia antiochena, qui et ipſi ꝑ ſingulas Eccleſias epiſcopos cōſtituebāt Act. 14. Et Tito mādauit Apoſtolus, vt per ſingulas ciui-

tates cóſtituat presbyteros ad Titū primo,& pri.ad Timo.4. inquit: Noli negligere gratiā,quæ in te eſt,quæ data eſt tibi cū impoſitione manūū presbyteri:& 2.ad Tim.pri.Admoneo te vt reſuſcites gratiā, quæ in te eſt per impoſitionē manuū mearū: & loquitur de gratia gratūfaciente. Nā ad præpoſitū domus pertinet ordinare familiā, & vnumquēque in ſuo gradu & officio conſtituere, ſicut & ſeculares dignitates in ciuitatibus diſtribuuntur ab eo, qui poteſtate ꝑcellit. Epiſcopus vero Eccleſiæ Dei præeſt ſecundum Apoſtolum, ſicut domui ſuæ: Eſt enim primus hierarcha ſuæ ciuitatis, in qua facere poteſt quicquid eſt rectoris & gubernatoris primarij. Vnde beatus Cyprianus epiſtola ad magnum: Nemini,ſcilicet epiſcoporum præſcribentes quo minus vnuſquiſque ꝑpoſitus ſtatuat, quod putat & arbitratur. De his eſt definitio generalis concilij ſub Innocentio 3. de ſum. Tri. & fide catho. cap. Firmiter,dicentis: Hoc vtique ſacramentum corporis & ſanguinis nemo conficere poteſt niſi ſacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundū claues Eccleſiæ,quas ipſe conceſſit apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus. Cōcilium quoque Florentinū definiuit, quòd ordinarius miniſter ſacramenti ordinis eſt epiſcopus. Cum enim hæc poteſtas non ſit nec humana,nec ciuilis, ſed omnem naturæ virtutem excellens, nemini confertur, niſi eorum miniſterio quos familiæ ſuæ Chriſtus præpoſuit. Et ideo beatus Paulus act. 20. ad maiores natu Eccleſiæ Epheſinæ inquit: Attendite vobis & vniuerſo gregi,in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei: Chriſtus etiā ipſe eſt,qui quoſdam dedit paſtores, quoſdam doctores, & ſacerdotes. Poteſtas namque conſecrandi corpus & ſanguinem domini omnem ſuperat facultatem creatam. Hi enim ſoli habent hāc poteſtatem, quæ ſecundum beatum Thomam tantæ eſt dignitatis, vt non conficiatur niſi in perſona Chriſti: & ſecundum eundem 3. parte q. 68. art. pri. Quicunque aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ſibi ab illo conceſſam. Vnde beatus Chryſo. lib. 3. de ſacerdotio capite 5. ait. Qui non manducat carnem Domini, nec bibit eius ſanguinem,non habebit vitā æternam, quæ nullius alterius quàm ſolis efficiuntur manibus ſacerdotum. Vnde in concilio Nicæno actione 18. dicitur: Diaconi non habent poteſtatem offerendi, ſed ſacerdotes ſoli. Sed ne in æquiuoco laboremus eſt ſciendum, quòd duplex eſt ſacerdotium. Primū eſt omnibus cōmune, de quo beatus Petrus in ſua pri.& ſecun. canon. c. 2. quòd eſt ad offerēdas hoſtias ſpirituales acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtū,quales ſunt eleemoſynæ,orationes,ieiunia, cor purū & cōtritū:Huiuſmodi hoſtias quotidie vniuerſos chriſtia-

nos

nos Deo offerre oportet, & corpora ſua exhibere hoſtiam viuam, Deo placentem: non autem ad conficiendum corpus & ſanguinē Chriſti, & ad miniſtrandum ſacramenta. Reges enim Chriſtus nos fecit in ſacro baptiſmate, ſicut ſacerdotes. Sed quemadmodum nō reges, qui temporali ſunt præditi poteſtate, ſed vt ſecundum Deum viuendo in iuſtitia, nos ipſos regamus: eo modo quo Apoſtolus ad Rom. 14. inquit: Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, pax, & gaudium in ſpiritu ſancto: ita nec proprie ſacerdotes, ſed vt Deum colamus fide, ſpe, & charitate, in quibus functio huius ſacerdotij conſiſtit, atque in virtutum aliarum exercitio, quando ad Dei cultum referuntur. Opera enim virtutum communia ſunt omnibus baptizatis ſicut regnum Dei. Alterum vero ſacerdotium cōſiſtit in miniſterio ad aliorum ſalutem & ædificationem. Sicut igitur in corpore diuerſa membra diuerſa habent officia, non autem idem omnia: ita fieri non poteſt vt omnibus baptizatis commune ſit hoc ſacerdotium. Nunquid omnes Apoſtoli, vt inquit beatus Paulus ad Rom. 12? nunquid omnes doctores? nunquid omnes interpretantur? Ita nunquid omnes paſtores & doctores? nunquid omnes ſacerdotes? Hoc duplex ſacerdotium diſtinguit beatus Hieronymus aduerſus Luciferianos: vide ibi. Sacerdotium etiā, quod ſacramenta conſecrat & diſpenſat, conſiſtere in miniſterio, palam docet idem beatus Hieronymus lib. pri. contra Iouinianum, dum dicit: Epiſcopus, presbyter, & diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Et beatus Auguſtinus contra Creſcentium grammaticum lib. 2. cap. 11. Neque nos epiſcopi, inquit, propter nos ſumus, ſed propter vos, quibus verbum & ſacramentum dominicum miniſtramus. Cum igitur miniſteria nō ſint omnibus Eccleſiæ membris communia, ſed vnicuique ſecundum menſuram fidei diuidantur, fieri non poteſt omnes fideles ſacerdotio hoc miniſteriali eſſe ſacerdotes. Nam diuina eſt hæc poteſtas, quæ nullo modo pendet a magiſtratu politico, ſicut pendebat ſacerdotium Ethnicorum, de quo Ariſt. 7. polit. cap. 8. Qui inter partes ciuitatis politicæ ponit ſacerdotes, qui occupentur in ſacrificijs & cultu circa rem diuinam. Plurima namque diuina hæretici, & præcipue de ſacerdotio tractant ethnice & gentiliter. Tanti regis miniſtros, inquit beatus Auguſtinus in quæſt. noui & vet. teſta. q. 93. ſanctos eſſe oportet: per hoc namque ſacramentum idoneos nos facit miniſtros noui teſtamenti. Vnde ſuper illa verba Domini: Accipite Spiritum ſanctum &c. dicit: Inſpiratio hæc gratia quædā eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commēdatiores habeantur. De hoc gradu inquit Nazianzenus in carmini-

bus : O ſacrificia mittentes incruenta ſacerdotes, o animarum cuſtodes glorioſi, magni figmentum Dei veſtris in manibus ferentes. Intelligenda eſt (vt dictum eſt ſupra) gratia gratumfaciens. Oportet igitur in hoc ſacramento non quamlibet conferri gratiam, ſed excellentem, & gratiæ augmentum : vt ſicut is, qui ordinatur, gradu ſuper plebem conſtituitur, ita ſit & ſuperior merito ſanctitatis : Symmachus enim Papa pri. q. pri. c. Viliſsimus, inquit : Viliſſimus computandus eſt, niſi præcellat ſcientia & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior. Nam mirum non eſt, quòd nunc gratia conferatur in conſecratione ſacerdotum, quando tempore legis per vnctionẽ & manuum impoſitionem datus eſt ſpiritus regibus ad gubernationem populi, atque ad perficienda munera officij ſui: nam de Saule legimus, quòd poſtquam vnctus eſt a Samuele, prophetauit pri. regum 10. et de Dauid, quẽ idem Samuel etiam vnxit in medio fratrum : Et directus eſt ſpiritus Domini a die illo in Dauid. pri. regũ 16. Item ad Moyſem ait Deus numeri 27. Pone manum tuam ſuper Ioſue, & dabis ei partem gloriæ tuæ, de qua Deut. vlt. repletus namque eſt Ioſue ſpiritu ſapientiæ &c.

An imprimatur character in omnibus præfatis ordinibus. C. LI.

DIVVS Bonauentura in diſt. 24. parte 2. ar. pri. q. 2. inquit, quòd in diuerſis ordinibus diuerſi imprimũtur characteres. Et ratio eſt : quia non modo diſtinguntur ab alijs, eo quòd ad Dei cultum aſſumuntur: ſed & quia inter miniſtrantes ordo eſt & diſtinctio ; & quia gradus illi & poteſtates miniſtrandi ſi ſemel dantur, numquam auferuntur: etiam ſi ad altius miniſterium eleuetur, qui in minori miniſtrauerat. Et ideo in diuerſis ordinibus diuerſa ſignacula imprimi debent, ſecundum quæ nobis diuerſitas poteſtatum miniſtrandi, & perpetuitas innoteſcat. Tale autem ſignaculum eſt character : & ideo in diuerſis ordinibus diuerſi imprimuntur characteres. Nec eſt inter dictos ordines, vt dicit præfatus doctor vbi ſupra q. 3. ordo neceſſitatis, ſed congruitatis : eo quòd ad bene eſſe miniſterij ſequentis præexigitur ordo, ſiue poteſtas præcedentis: quemadmodum ſi quis velit ordinate procedere prius debet exordium præmittere, poſt narrationem, deinde ratiocinationẽ, & poſtremo concluſionem. Si tamen incipere vellet a poſteriori, poſſet quidem, ſed non ſic ordinate : ita in ordinibus oportet intelligi. Cum enim ordines inferiores miniſtrent ſacris, & ſacri ſacerdotio, & inferior gradus prior ſit in aſcendendo, & poteſtas miniſterialis

ſit

ſit inferior, patet quòd ibi eſt ordo non neceſſitatis: quoniam poteſtates diuerſæ ſunt,& per ſeipſas haberi poſſunt,licet non ita perfecte ſine alijs. Eſt igitur ordo in his gradibus ſecundum maiorẽ acceſſum ad vltimum,ſcilicet ſacerdotium. Vnde primo homo introducitur in Eccleſiam per oſtiarium: manuducitur ſecundo per prophetiarum lectorem: adiuuatur deinde per exorciſtam,vt liberetur a malo: quarto excitatur per acolytum, vt proficiat in bono. Alii vero duo ordines ſubdiaconatus & diaconatus miniſtrant ſacerdoti in oblatione ſacrificij.

Pœna canonica quid ſit: & an impediat a collatione & ſuſceptione ordinis. Cap. L I I.

SCOTVS 25. diſt. quat. q. pri. inquit, quòd pœna canonica (vt de ea loquimur in propoſito) eſt pœna inflicta per canones, prohibens vel arcens punitũ ab aliquo gradu eccleſiaſtico,qui alias ſibi liceret:quod dicitur, quia ſi ſibi non liceret, non eſſet pœna. Nõ enim eſt pœna laico, quòd non poſſit conficere, cum hoc ſibi non competat. Sacerdoti vero cum ſibi conueniat ex ordinatione,bene eſſet ſibi pœna. Sed notandum, quòd ſiue a canone infligatur, ſiue a iudice,ad hoc vt ſit iuſta,debet ſecundum canones infligi. In ſpeciali ſeptem ſunt pœnæ canonicæ, videlicet: Depoſitio, degradatio, infamia, irregularitas, excommunicatio, interdictum,& ſuſpẽſio. Quarum prima, videlicet depoſitio eſt maxima: quia totalis amotio a ſtatu clericali, & a priuilegiis ſibi cõpetentibus. Et ſi degradatio ſit amotio ab omni gradu clericali, tunc idem erit depoſitio & degradatio. Si vero degradatio ſit depoſitio dumtaxat a determinato gradu, videlicet ſacerdotio, reſeruato alio gradu clericali, tunc degradatio erit quædam partialis pœna reſpectu depoſitionis. Ordines enim eccleſiaſtici dicuntur gradus: quia volens ordinari debet per gradus, & non per ſaltum ordinari. Et vt clarius innoteſcant prædicta, eſt ſciendum, prout habetur in c. Degradatio de pœnis lib. 6. quòd duplex eſt degradatio, verbalis ſcilicet, & actualis. Iure enim cautum eſt, quòd clericus etiam ſacerdos poteſt non ſolũ deponi verbaliter ab ordinibus pro certis criminibus & delictis, ſed etiam degradari actualiter, vt in crimine hæreſis, in homicidio per inſidias penſatas, ſicut habetur in c. De cetero, de homicidio in anti. ſecundum veriorem intellectum illius capituli. Degradatio actualis, vt dicit Papa in c. Degradatio, vbi ſupra, ſit eo modo, quo princeps ſecularis conſueuit exauctorare.

rare ſuos milites exigentibus eorum delictis. Nam de more, quando exauctorantur milites, traduntur eis inſignia militaria,& poſtea deponuntur gradatim,ſecundum quod eis tradita fuerunt. Eodem modo dicendum eſt in clerico degradando, cui debent tradi ornamenta ſibi data in promotione:& poſtea debent ab illo gradatim amoueri, dicendo in amotione cuiuslibet veſtimenti verba contraria verbis prolatis in promotione. Et in ablatione vltimi, quod in collatione ordinum fuit primum, infraſcripto vel alio ſimili modo pronuntiet: Auctoritate Dei omnipotentis patris & filij & Spiritus ſancti, ac noſtra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus,& exuimus te omni ordine, beneficio,& priuilegio clericali. Degradatus tamen ſiue verbaliter per ſolam ſententiam proprij epiſcopi cum aſſiſtentia epiſcóporum, ſiue actualiter modo præexpoſito, licet priuetur poteſtate iuriſdictionis,& priuilegio clericali, ſimiliter & legitima executione gradus ſui: non tamen poteſtate ordinis,vt inferius diffuſe diſſeremus. Vnde Scotus vbi ſupra, inquit: quòd in depoſito character qui eſt indelebilis, non tollitur: nec per conſequens ordines ſuſcepti tolluntur: ſed licentia licite exercendi actum cuiuſcumque ordinis,& priuilegiũ illud,quod competit ordinatis: Vnde talis traditur curiæ ſeculari, ita quòd quantum ad actus eccleſiaſticos, & tutelam perſonarum eccleſiaſticarum,& quantum ad ſuum forum,totaliter excluditur de numero perſonarum eccleſiaſticarũ. Hæc pœna degradationis infligitur præciſe a iudice. Forma autẽ ſecundũ quam eſt infligẽda, habetur extra de pœnis c. Degradatio in 6. Cauſæ autem propter quas infligitur, ſunt peccata enormia, vtpote hæreſis, de qua extra de hæreticis c. Ad abolendã, Schiſma, de qua extra de ſchiſmatibus c. Ad ſcindẽdos lib. 6. Vel reuelatio cõfeſſionis,extra de pœnitentijs & remiſſionibus c. Omnis vtriuſque ſexus. Nec iſta pœna remittitur niſi per reſtitutionem in integrũ ab eo, qui poteſt reſtituere, qui eſt ſolus Papa. Tertia pœna (præſuppoſito quòd depoſitio & degradatio ſint duæ pœnæ aliquo modo diſtinctæ) eſt infamia, quæ eſt ſtatus læſæ dignitatis quantum ad vitã & mores: ſicut fama eſt ſtatus illæſæ dignitatis quoad eoſdem. Pro quo ſciendum, quòd non eſt idem eſſe infamem, & infamatũ. Infamatus eſt qui de crimine aliquo publice accuſatur: Infamis autẽ non eſt propter talem impoſitionem criminis, ſed vel per crimẽ publice commiſſum, propter quod ius determinat aliquem fore infamem, vt ſi publice periurauit: vel quia a iudice, coram quo probatur crimen eius, iudicatur infamis: ita quòd omnis infamis eſt publice notatus de crimine, quod ius punit pœna infamiæ, licet quandoque de

hoc non ſit in iudicio conuictus: & tunc eſt infamis tantum a iure. Sed quando eſt conuictus, & a iudice tali pœna punitus, tunc eſt infamis a iure & a iudice. Ex quibus patet, qualiter infamia contrahatur: quia prima cõtrahitur ex impoſitione criminis infamatorij. ſecunda incurritur vel a iure* vel a iudice & iure ſimul punientibus dicta pœna tale crimen. *uel a iudice Cauſa autem quare infamia ſecundo modo incurratur, habetur 6. q. pri. c. Infames. Omnes infames eſſe dicimus, quos leges ſeculi infames appellant: quæ leges puniẽtes crimen infamiæ canonicæ ſunt cenſendæ: Eæ habentur ff. de his qui notantur infamia per totum. Cõtra infamiã primo modo (vt quando quis eſt infamatus) remediũ eſt purgatio canonica, vt habetur extra de purgatione canonica c. Ex tuarum: quæ tollit totaliter illam infamiam, ſiue infamationem. Contra infamiam ſecũdo & tertio modis, quæ ſunt fere idem, licet a diuerſis, videlicet iure vel iudice, non eſt aliud remedium, quàm reſtitutio in integrum ab eo, qui poteſt ſic reſtituere, extra de teſtibus c. Teſtimonium. Iſta pœna eſt ſimpliciter grauior quantum ad vitam ciuilem, quàm præcedentes, niſi illæ includãt iſtam, cum hæc priuet omni actu legitimo etiam poſt peractam pœnitentiam: talis enim accuſare, procurare, teſtimonium ferre non poteſt &c. ex quo talis perſona effecta eſt vilis. Vnde extra de regulis iuris dicitur: Infamibus portæ dignitatis patere non debent. Quarta pœna eſt irregularitas, quæ eſt inhabilitas ad ſuſceptionem & executionem actuũ ordinũ: hæc frequenter a iure infligitur, licet quandoque a iudice ſecundum iura infligi poſſit: A iure incurrit̃ ex quatuor criminibus ad ordines ſpectantibus, vel ad actus eorum. Primũ eſt Simonia, quæ poteſt eſſe in ordine vel beneficio: Si in ordine & ſciẽter, ita quòd ordinatus ſciat ſe ſimoniace ordinari, ſolus Papa diſpẽſat, extra de ſimonia c. Nobis. Ex quo enim legiſlator conſecrationem eorum omnino irritat, ſibi ſoli conuenit relaxare. Si vero ignoranter & ignorantia inuincibili, quia alius de quo penitus neſciebat pretium dedit, vt ordinaretur, non efficitur irregularis, niſi ſi poſtquam ſibi conſtat de ſimonia, exequatur actũ ordinis ſic ſuſcepti. Statim enim quòd cõſtat ſibi de ordine ſic ſuſcepto, eſt ſuſpẽſus ab executione illius ordinis, quouſque a tali ſuſpenſione liberetur. Simoniacus autem in beneficio non ſic grauiter punitur: quando tamẽ ſibi cõſtat, quòd ſimoniace illud obtinuit, reſignare tenetur: & toto tempore quo tenet, iniuſte tenet: & tenetur ad reſtitutionem omnium quæ percepit, extra de ſimonia in diuerſis capitibus. Secundum eſt furtum in ordine, de quo diſtinguimus: quia aut prohibetur per excõmunicationem, ne quis accedat, niſi de illo epiſcopatu, & prius legitime

examinatus & receptus : aut non prohibetur. In vtroque caſu furtiue ſe ingerens, eſt irregularis: licet in primo indiſpẽſabiliter præterquam a Papa, in ſecundo diſpẽſabiliter per epiſcopum, vt habetur extra de eo qui furtiue ordines ſuſcepit c. pri.& 2. Tertium eſt miniſterium in ordine nõ ſuſcepto, ad quod etiam accedit irregularitas, vt patet extra de clerico non ordinato miniſtrante, per totum. Vltimum eſt contumacia in non obſeruando pœnas eccleſiaſticas : vt exempli gratia, Sacerdos percutit ſacerdotem : cũ eo ipſo ſit excommunicatus, ſi cõtemnit, efficitur irregularis, præcipue poſtquam ſciuit ſe eſſe excommunicatũ, de quo habetur extra de clerico excommunicato vel depoſito miniſtrãte, per totum (quod intelligitur de maiori excommunicatione : quia licet in minori excommunicatione celebrans grauiter peccet,nullam tamen irregularitatis notam incurrit) Si enim habet ignorantiam inuincibilem non tenetur ſe abſtinere ab executione ordinum : & ita nec ſic incurrit irregularitatem, vt habetur ibidem in c. Apoſtolicæ in glo. Si autem non ſit ignorantia inuincibilis, nec omnimoda incertitudo, ex quo per famam vel rumorem publicum deuenit ad eum dicta pœna de excommunicatione, irregularis eſt : licet cum eo mitius agatur, vt habetur extra de trãslatione epiſcoporũ c. Inter corporalia. Incurritur etiã, ſi non ſeruentur pœna interdicti (de qua extra de exceſſibus prælatorum c. Tanta) & pœna ſuſpenſionis, vt habetur extra de ſententia & re iudicata cap. Cum æterni. Incurritur quoque irregularitas ex tribus nõ criminibus. Primo ex ſeruitute diſt. 54. & extra de ſeruis non ordinandis,per totum. Et ratio eſt, quia ſeruus eſt poſſeſſio domini : ideo non debet ab eo auferri ipſo inuito. Quando autẽ ordinatur, fit inhabilis ad quoſdã actus ſeruiles : ideo debet ſibi reddi, licet dominus nõ debeat eũ in actibus dedecentibus ordinem ſuum applicare. Secundo ex illegitimatione, extra de filijs presbyterorum non ordinandis c. primo & ſecundo. Et ratio eſt : quia præſumitur quòd ſint imitatores paternæ incontinentiæ,& male morigerati,ſeu male educati : cum eis tamen ſatis facile diſpenſatur. Vnde Benedictus 11. cum quodam tali ſinè diſpenſatione ordinato, & in ordinibus miniſtrante, facile diſpenſauit : et Scotus vbi ſupra dicit, ſe vidiſſe bullã diſpenſationis. Tertio ex turpi & enormi mutilatione, vel infirmitate, vt habetur extra de corpore vitiatis non ordinandis c. Expoſuiſti: & extra de clerico debilitato. Sed ſi mutilatio non ſit deformis, nec ipſe fuerit in culpa dictæ mutilationis, non excluditur, vt habetur diſt. 55. c. Siquis a medicis. Si autem mutilauit ſeipſum, vt ibidem habetur, vix cum tali diſpenſatur, c. Si quis abſciderit. Vnde Nicolaus quartus cum

magna

magna difficultate diſpenſauit cum tali, quamuis religioſo: conſimiliter dicendum eſt de infirmitate enormi. Incurritur etiam aliquando irregularitas ex duobus, quæ quandoque ſunt cum culpa, & quandoque ſine culpa: vt ex homicidio, & bigamia. Sub homicidio continetur mutilatio actiua enormis alterius hominis, vt habetur de homicidio voluntario & inuoluntario, & 55. diſt. c. vltimo: & hoc propter horrorẽ ſanguinis effuſi. Vnde dicit Holchot, quòd occiſor ſi appropinquat occiſo, occiſus emittit ſanguinem. Et hac ratione Deus non permiſit Dauid ædificare Domum nomini ſuo 2. reg. 7. Voluntarium non deletur niſi per baptiſmum, per quem factus eſt nouus homo. Si autem ſimpliciter ſit inuoluntarium, vtpote quia alius irruit in gladiũ iſtius, in nullo nocet, diſt. 28. Si vero ſit inuoluntarium ſecundum quid, verbi gratia quia non potuit euadere mortẽ niſi occideret, irregularis eſt, diſt. 58. c. De his: ſed facile diſpenſatur. Si autem eſt caſuale, & dedit operam rei licitæ, & adhibuit debitam diligẽtiam, nullam pœnam incurrit. Altera verò illarum conditionum prætermiſſa, incurrit pœnam. Bigamia autem ſimpliciter inducit irregularitatẽ, de qua extra de bigamis. Vide de hac irregularitate latiſſime in ſumma angelica titulo eodẽ, ſimiliter et de alijs canonicis pœnis. Reſtat videre de tribus ſequentibus, de quibus in ſequenti capite.

De tribus alijs pœnis, videlicet: excommunicatione, interdicto, & ſuſpenſione. Cap. LIII.

EXCOMMVNICATIO dicitur quaſi extra communionẽ ſeparatio: Communio vero ſecũdum dominum Alexandrum parte 4. q. 81. mem. 2. & sanctum Bona. triplex eſt, quædã mere ſpiritualis quantum ad dilectionem, quæ eſſe debet omnium viatorum ad ſe inuicem, ſecundum quam præceptum eſt vnicuique diligere proximum, ad Rom. 13. a qua nullus viator excludẽdus eſt: & ſuper qua non habet locum excommunicatio. Secunda communio eſt mere corporalis in actibus legitimis, qui ſunt oſculũ, colloquiũ, conuiuium, oratio ſalutaris, & ſimilia. Tertia eſt quaſi media inter vtraſque, & eſt communio in participatione ſacramẽtorum, præcipue euchariſtiæ: & hanc excludit excommunicatio minor, quæ comitatur quodlibet mortale. Secundam tollit excõmunicatio maior, quæ includit minorem: nullus enim excluditur a communione exteriorum actuum, quin ſimul excludatur a communione ſacramentorum: & hoc per inhibitionem ne communicet alijs, nec alij

cum

cum eo. Maior eſt proprie excommunicatio, & in communi collocutione ſolum accipitur pro maiore, quæ ſic deſcribitur: Quòd eſt cenſura, ideſt pœna a canone vel iudice eccleſiaſtico prolata, priuans a communione hominum & ſacramentorum. In definitione minoris remouetur illa dictio hominum, cum tantum ſeparet a cõmunione ſacramentorũ. Vt vero eſt communis vtriſque, maiori videlicet & minori, ſic deſcribitur: Quòd eſt ſeparatio hominum a communione legitima ſacramentorum. Legitima participatio & communio eſt, qua quis participat in ſacramentis ſine nouo peccato mortali: Minor autem non priuat a communibus Eccleſiæ ſuffragijs, nec a legitimis actibus humanis, ſiue in Eccleſia, ſiue extra: ſiue in publicis, ſiue in priuatis. Sed pro adhuc eiuſdem pœnæ maiori declaratione dicit Scotus diſt. 19.4. q. 2. Quòd duplex eſt forus, vnus ſecretiſſimus, in quo idem eſt accuſator & reus, qui dicitur forus animæ, poli vel pœnitentiæ: & ad iſtum forum pertinent claues ſcientiæ ad diſcernendum dignum ab indigno, & poteſtatis ſententiandi, ad quam prior ordinatur, vt iuſte exeat in actum. Et notandum, quòd licet auctoritas diſcernendi requirat ſcientiam ſeu diſcretionem cõcomitantem ad rectũ vſum eius: tamen ſicut poteſtas recte iudicandi poteſt eſſe ſine iuſtitia, ita & auctoritas cognoſcendi poteſt eſſe in aliquo ſine diſcretione & ſcientia. Et ſic oportet intelligere Magiſtrum, quòd clauis ſcientiæ ſit ſcientia diſcernendi: ita quòd ſcientia requiritur ad rectum vſum eius, & non ſimpliciter, vt clauis inſit. Clauis igitur ſpiritualis eſt poteſtas iudicandi, ideſt ſoluendi & ligandi, qua dignos recipere, & indignos excludere debet a regno Dei eccleſiaſticus Iudex. Et licet poteſtas ſententiandi ſeu iudicandi ſit clauis principalis, quia tamen hæc poteſtas, vt rectum habeat vſum, exigit auctoritatẽ cõgnoſcendi in cauſa peccatoris, (quia ſine cognitione cauſæ ſentẽtia non poteſt eſſe recta) ideo auctoritas cognoſcẽdi dicitur clauis: quia eſt inſtrumentum quoddam aperiendi, licet non proximum: & tale, ſine quo prior clauis non poteſt habere rectum vſum. Et ſecundum hoc ponuntur duæ claues, ſcilicet ſcientiæ ad diſcernendũ (vt dictum eſt) dignum ab indigno, & poteſtatis ſententiandi. Hæc poteſtas eſt triplex, videlicet principalis, qua iudex per propriam immutabilem & inimpedibilem virtutem aperit ſententiando, & impedimenta remouendo; & hæc ſoli Deo conuenit, qui per propriam eſſentiam, quæ ſemper iuſta eſt, immo ipſa iuſtitia, qua præſidet omnibus, aperit & claudit, ac peccata & reatum dimittendo remouet: quæ non poteſt alteri communicari, ſicut nec eſſentia. Secunda eſt excellens, licet nõ principalis: & hæc eſt poteſtas a ſu-

periore accepta cum vniuerſitate cauſarum iudicandarum,& firmitate iudicij, ideſt ſententiæ proferendæ. Vniuerſitas hæc conuenit ei, qui nouit omnia merita & demerita, quæ ſunt cauſæ aperiendi & claudendi cælum. Firmitas conuenit ei, qui habet voluntatem inſeparabiliter conformem diuinæ iuſtitiæ. Et hæc clauis eſt proprie Chriſti ſecundum naturam humanam,de qua Ioan.5.Pater dedit ei iudicium facere,quia filius hominis eſt. Tertia eſt miniſterij, quæ eſt poteſtas particularis quantum ad cauſas cognoſcendas, & infirma quantum ad ſententiam proferendam, cum poſſit aliquãdo deuiare a iuſtitia & reuocari: & hæc eſt miniſtrorum Eccleſiæ, quibus datum eſt, vt cognoſcant in cauſis,& ſecundum legem Dei iudicent regnum cælorum eſſe aperiendũ: cui cum ſe conformant, a Deo approbantur, & firma manet ſententia. Si vero diſſentiunt, infirma eſt,& a Deo reuocatur.Obſtaculum impediens introitũ regni eſt peccatum, & debitum mortis æternæ: & cauſa, propter quã aperitur, ſunt merita & opera iuſtitiæ. Chriſtus autem ſua morte ſoluit debitum æternæ mortis: & merito ſuæ paſsionis, ac ſua voluntate immobiliter iuſta nobis meruit apertionẽ cæli. Noſtra autem merita niſi fuerint coniuncta ſatisfactioni & merito Chriſti vana ſunt,& effectu carentia,quo ſcilicet ad vitam æternam capeſſendam: licet valere poſsint ad multa, de quibus doctores ſancti diffuſe loquuntur, vtpote ad diſponẽdum homines, & præparandum ꝓ venia conſequenda, & ad bona temporalia capeſſenda, cum nullũ bonum apud Deum irremuneratum remaneat. Sacerdos igitur per clauem poteſtatis ſecundum Scotum 19.4. miniſtrando ſacramentum pœnitentiæ delet peccati maculam, & mortis æternæ pœnam inſtrumentaliter. Deus vero principaliter attingẽdo illum effectũ: ſacerdos autem abſoluendo, & pœnam temporalem taxando, remittit aliquid pœnæ claue non errante. Errat autem,quando aliqd determinat extra totam latitudinem iuſtitię punitiuæ.Iuſtitia enim punitiua, quæ eſt quædam commutatio pœnæ pro culpa,non reſpicit neceſſario indiuiſibilem gradum pœnæ correſpondentem culpæ huic: ſed eſt ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor nõ ſufficit, & vltra quam pœna maior non eſt imponenda. Manens ergo infra illam latitudinem non errat, ſed eius iudicium a Deo approbatur. Ex quibus elicitur,quòd vſus clauium extendit ſe ad peccatum & pœnæ remiſsionem, inquantum eius vſus in voto requiritur ad contritionis perfectionem:Non enim eſt contritio perfecta, niſi adſit votum, ideſt voluntas & propoſitum confitendi & ſuſcipiendi ſacramentalem abſolutionem. Alius eſt forus publicus, in quo Eccleſia habet poteſtatem corrigendi peccata publica: & ad

hunc

hunc forum requiritur etiam auctoritas cognoſcendi & iudicandi: & hæc poteſtas ſecundum dominum Alexandrum Alenſem quarta parte ſuæ ſummæ, q. 81. & ſanctum Bonauenturam, dicitur gladius ſpiritualis. Excommunicatio vero nominatur mucro epiſcopalis 16. q. 2. c. Viſis, quæ etiam poteſt dici clauis Eccleſiæ. Eæ claues non ſunt eædem cum prioribus, cum poſſint ab eiſdem ſeparari, vt patet in habentibus iuriſdictionem ſine ſacerdotio, vt in Archidiaconis, & quibuſdam aliis habentibus iuriſdictionem ſecundum ordinationem Eccleſiæ ſine ordine ſacerdotali. Hi enim habent claues illas, videlicet poteſtatem excommunicandi & abſoluendi, ſiue ligandi in foro præfato ſiue contentioſo. In ſacerdotibus vero communibus, quibus non eſt data illa poteſtas, non valet excommunicatio: habent tamen primas claues cum ordine ſacerdotali. Excommunicatio licet ſit grauiſſima pœna ſecundum ſe, nō eſt tamen nociua excommunicato, vt habetur 24. q. 3. c. Corripiantur. Eſt enim medicinalis, vt habetur in c. Medicinalis de ſent. excom. lib. 6. vbi dicitur: Quòd cum medicinalis ſit, non mortalis: diſciplinans, non eradicans: dum tamen is, in quem lata fuerit, non cōtemnat, caute prouideat iudex eccleſiaſticus, vt in ea ferenda oſtēdat ſe proſequi, quod corrigentis fuerit & medentis: hæc Innocētius tertius. Vnde qui excommunicatur (vt ait Apoſtolus) ad hoc excommunicatur vt ſpiritus eius ſaluus fiat in die Domini. Vnde diuus Bonauentura, poſt Alexandrum vbi ſupra: In medicinalibus duplex eſt modus curandi, videlicet per pharmaca lenientia, & per exaſperantia. In ſpiritualibus etiam eſt vnus modus curādi per dulces monitiones, & alius per aſperas increpationes. Primus eſt pro tractabilibus hominibus, ſecundus pro rebellibus. Vnde ſicut his, qui non curantur per emplaſtrum, apponitur cauterium: ſic & inuitis ac incorrigibilibus fit correctio per flagellum. Et ideo Dominus fundator Eccleſiæ eidem non modo dedit medicamenta ſacramentorum ad curandum accedentes, ſed etiam gladium ſpiritus, & poteſtatem amputandi, & reſecandi contemptores & rebelles. Excommunicationum quædam eſt a iure, quædam a iudice: prima eſt præſeruatiua: ſecūda curatiua. Prima fertur principaliter ad cauēdam culpam: eſt enim quædam comminatio, ne culpa committatur. Altera fertur ad frangendum contumaciam, vt ſaltem metu pœnæ compellatur, ſecundum illud Saluatoris: Compelle intrare. Excommunicatio dumtaxat pro mortali: & pro eo quòd aliter corrigi non poteſt, vtpote cui eſt annexa contumacia, infligenda eſt, 11. q. 3. c. Nemo epiſcoporum. Ad medendum vero leuiora ſufficiunt ſacramenta. Contumax eſt, qui Eccleſiam contemnit audire.

Vnde ponuntur triplices modi contumaciæ in c. Certum eſt, eadẽ q. Primus, cum quis vocatus venire contemnit: Secundus, ſi veniens renuit obedire: Tertius, ſi ante cauſæ definitionem recedit: quæ omnia vera ſunt, niſi adſit legitima excuſatio. Peccata venialia charitatem nõ tollunt, per quam Chriſto incorporamur. Deus autem non præſcindit quempiam a communione, niſi propter mortale peccatum: & quando ex alia cauſa ſine mortali vel contumacia quis excommunicatur, excommunicatio præfata vera, vel præſumpta iniuſta eſt: Quia ſecundum Paludanum in 18. 4. q. pri. art. 2. cum ſententia iuris non ſit iniuſta, poteſt ita homo formare conſcientiam ſuam, quòd vbi non peccat mortaliter, numquam incurrit ſententiam illam. Iniuria quippe eſſe dicitur omne quod non iure fit. Sanctus quoque Bonauentura in dicta diſt. inqt: Quòd Eccleſia non damnificat, ſed qui peccat & contumax eſt ſeipſum damnificat: bene Eccleſia oſtendit eum damnificatum, vt ſic ſuum erubeſcat peccatum & deſerat. Vnde Chryſoſtomus in epiſtolam ad hebræos: Nemo, ait, contemnat eccleſiaſtica vincula: non enim homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit. Nec obſtat, quòd excommunicatio ſit æternæ mortis damnatio, neque quòd excommunicatus tradatur ſatanæ, vt dicit Auguſtinus in de verbis Apoſtoli: Omnis Chriſtianus dilectiſsimi, qui a ſacerdotibus excommunicatur, ſatanæ traditur: quoniã extra Eccleſiam ſatanas eſt, ſicut Chriſtus in Eccleſia: & per hoc quaſi diabolo traditur, qui ab eccleſiaſtica communione remouetur: cum ſecundũ Bielem vbi ſupra nõ ſit hoc intelligendũ effectiue, ſed oſtẽſiue, ideſt oſtenditur damnatus, & traditus ſatanæ, cũ iam per mortale excluſus ſit: adeo ꝙ ſacramentis aut Eccleſiæ ſuffragijs vtiliter & licite vti non poteſt, ſi per Eccleſiam prohibetur, ne agat, quod agere vtiliter non debet, aut poteſt. Nam diabolus, vt inquit diuus Bonauentura, ſatan eſt tortor non tantum animarum, ſed & corporum. Tradere autem tortori contingit, aut exponendo torquẽdum, vel ceſſando a protectione, aut iubendo tortori, vt affligat. Excommunicare eſt ſatanæ tradere ad torquendum corpus non iubendo, ſed exponendo, & protectionem excommunicato ſubtrahendo: ſubtrahit enim ſuffragia & ſacramenta, quibus munitur homo contra hoſtis inſidias. In primitiua Eccleſia, quia dæmones Apoſtolis ſubijciebantur, & manifeſtanda erat fides per miracula, excommunicati non tantum exponebantur, ſed & ad mandatum apoſtolicum corporaliter vexabantur ad terrorẽ aliorum, & exaltationem Apoſtolorum: & hoc, vt ſalui fierent. Vnde pri. Cor. 5. Iudicaui eum, qui ſic operatus eſt (vxorem patris ſui polluendo)

tradere ſatanæ in interitũ carnis,vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini,iudicij ſcilicet,vel mortis . Idẽ pri. ad Tim. pri.vbi dicitur : Quidam circa fidem naufragauerũt,ex quibus Hymenæus & Alexãder, quos tradidi ſatanæ, vt diſcant non blaſphemare . Et ad Gal. pri. Si quis euangelizauerit præter illud, quod accepiſtis,anathema ſit: In omnibus enim epiſtolis Pauli non inuenies, quòd excõmunicauerit niſi tribus dictis vicibus . Et primus excommunicatus correctus eſt, vt patet per ſecundam epiſtolã ad Cor . 2 .vbi monet eos , eum conſolari,ne abſorbeatur profũdiori triſtitia. Et ſi in aliquibus alijs locis præcipiat vitare malos vel ſimpliciter,vel quantum ad aliquot actus,non videtur eſſe ita plene ſententia lata excommunicationis, cum non ſint per hoc traditi ſatanæ. Vnde habetur in concilio Tridentino ſeſſ . 25. de reform. cap. 3.Quòd quamuis excommunicationis gladius neruus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ,& ad continendos in officio populos valde ſalutaris : ſobrie tamen magnaq; circũſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temere aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari: Et pernitiem potius parere, quàm ſalutem . Quapropter excommunicationes illæ, quas monitionibus præmiſſis ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent , a nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo decernãtur: et tunc nõ alias, quàm ex re non vulgari : cauſaq; diligẽter ac magna maturitate per Epiſcopum examinata , quæ eius animũ moueat : nec ad eas concedendas cuiuſuis ſecularis etiam magiſtratus auctoritate adducatur: ſed hoc totum in eius arbitrio & conſcientia ſit poſitum &c. Recitat Scotus 19. 4. q. pri. Quòd quorundam opinio fuit, vt illi quos Apoſtolus tradidit ſatanæ, ſtatim fuerint a diabolo corporaliter vexati.Non ſic probabiliter videtur factum de omnibus malis, quos ſcribit eſſe vitandos. Ex quibus etiam patet, ad quid Apoſtolus excommunicando tradidit ſatanæ : quia vt uexati corpore redirent ad pœnitentiam, ceſſando a blaſphemia & peccatis, & vt ſecundũ ſpiritum ſalui fierent.Nullus etiam excõmunicatur a iudice, niſi prius peremptorie citatus & monitus : alioquin excõmunicatio eſſet nulla : Rediens vero a contumacia ad obedientiam ſtatim abſoluitur . Nullus etiam eſt excommunicãdus maiori excommunicatione, niſi ſeipſum prius excõmunicauerit minori, cũ propter mortale dumtaxat debeat excommunicari: & talis mortaliter peccans ſemper eſt excommunicatus minori excommunicatione . Ex quibus elicio, quòd Eccleſia habet poteſtatem per hominẽ excommunicandi hominẽ . Vnde Matth. 18. habetur : Si peccauerit in te frater tuus &c. et in fine ; Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tãquam

ethnicus

ethnicus & publicanus : Ethnici enim extra communionem fidelium reputantur. Beatus quoque Ioannes in ſua ſecũda canonica inquit : Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eũ in domũ,nec aue ei dixeritis : qui enim dixerit ei aue, communicat eius operibus malignis. Sanctus Bona. 18. diſt. quarti, ait: Quòd quicumque in Eccleſia poteſtatem habet ſoluendi & ligãdi, eam habet a Chriſto mediate vel immediate,qui poteſtatem contulit Apoſtolis,& p̃cipue beato Petro,cui vtramque contulit poteſtatem in vtroque foro,pœnitentiali ſcilicet,& exteriori iudiciali. Prima poteſtas reſpicit ordinem,altera prælationẽ: prima aditum cæli aperit,ideo dicitur clauis: altera per cenſurã ſubditos coercet:ideo dicitur gladius. Prima eſt poteſtas arbitrandi inter Deum & hominem : altera inter hominem & hominem. Prima quia collata eſt Petro vt ſacerdoti, deſcendit in omnes ſacerdotes,quamuis non omnes habeãt executionem,ex quo illam exercere nõ valẽt niſi in ſubditos. Secunda quia collata eſt ſibi vt prælato, deſcendit in omnes perſonas eccleſiaſticas, quæ habẽt iurisdictionem coercitiuam,ſiue iudicij exterioris cõtentioſi. Vnde qui habet iuriſdictionẽ ordinariã in iudicãdo aliquos,habet poteſtatem coercẽdi eos per cenſurã eccleſiaſticam, vt iudicium eorũ inuiolabiliter obſeruetur. Qui vero non habent talem iurisdictionem coercitiuam, licet habeãt claues ordinis ſicut ſacerdotes ſimplices, non poſſunt excõmunicare niſi per commiſſionem, vel niſi in certis caſibus ex conſuetudine, vt in furto & rapina, ſicut ſacerdotes parochiales. Cõſuetudo enim dat iuriſdictionem, quæ etiam exercetur in inuitos. Ad excõmunicandum requiritur poteſtas libera, & non ligata : ideo excommunicatus, & a iuriſdictione ſuſpenſus non poſſunt excommunicare. Pro quo notandum,quòd eſt quædam ſuſpenſio ab officio,& nõ ab executione iuriſdictionis : & talis licite non poteſt celebrare,licet poſſit excommunicare. Alia eſt ſuſpenſio ab executione iuriſdictionis, & non ab officio : & talis licite celebrare poteſt,non tamen ſimpliciter excommunicare : eſt & ſuſpẽſio ab vtroque : et talis neutrum poteſt. Excommunicationis cenſura non ſolum incurritur per ſententiam iudicis,ſed quandoque eo ipſo ex diſpoſitione ſcripti iuris. Et ratio eſt, quoniã in iure ſcripto lata eſt ſententia contra multos certa crimina committentes : ita quòd eo ipſo quo talia cõmittunt excommunicati ſunt : nec requiritur ſentẽtia iudicis ipſos excommunicantis:ſed vt euitẽtur ab omnibus,ſufficit denũtiatio eiuſdem eoſdẽ crimen cõmiſiſſe declarantis. Ad præfata addimus,quòd nullus poteſt excommunicari ab homine iuriſdictionem in eo non habente. Quod vt melius intelligatur eſt notandum, quòd quis con-

ſequitur iuriſdictionem in alium, quandoque ex cõmuni iuris diſpoſitione, ſicut ordinarij in ſuos ſubditos: Quandoque ex ſpeciali commiſſione, ſicut legati & commiſſarij: Quãdoque ex conſuetudine, ſicut parochi in certis caſibus: Quandoque ex delicto, vt ordinarius in alienum peccantem in diœceſi ſua. Et qualitercunque quis habeat iuriſdictionem in aliũ, eſt ſuperior eo, in quo habet iuriſdictionem. Communitas etiam vt talis excommunicari non poteſt, licet ſinguli de communitate poſſint excommunicari. Vnde ſi dicat iudex excommunico vniuerſitatem .N. vel totum collegium, excommunicatio eſt nulla. Si vero dicat excommunico omnes de vniuerſitate .N. qui auctores fuerunt talis criminis, vel cõſentientes, tenet excommunicatio ſecundum Bielem 18. diſt. 4. Hoc enim modo non contingit innocentem excommunicari: quod probatur per c. Romana de ſent. excom. lib. 6. Et ratio eſt ſecundum Paludanum: quia ſententia, quæ continet intolerabilem errorem, eo ipſo eſt nulla, ſicut eſt ſententia lata in vniuerſitatem: nam per eam contingit innoxium excommunicari: quod eſt error intolerabilis. Vlterius dicimus, quòd excõmunicatus vna excõmunicatione poteſt alijs irretiri: & hoc ab eodem iudice propter diuerſas cauſas, vel a diuerſis iudicibus aut iuribus. Et ratio eſt, quia excõmunicatio eſt prohibitio communionis. Aliquis modo poteſt prohiberi a communione propter eandem cauſam diuerſis prohibitionibus, vna iuris, altera iudicis. Et quamuis ſit vna ſeparatio quantũ ad obiectum, videlicet a communione ſacramentorum & hominũ, eſt tamen alia & alia prohibitio, quæ etiã poſſunt ſeparatim tolli per diuerſas abſolutiones: numquam tamen talis reſtituitur communioni niſi ſublatis omnibus prohibitionibus. Mortuus quoque excõmunicari poteſt, non quidem quantũ ad ſacramenta: quia iam ille per mortem ab Eccleſia militante ſeparatus eſt: ſed quantum ad id, quo communicat cum Eccleſia, hoc eſt quantũ ad ſuffragia generalia Eccleſiæ, & quantum ad eccleſiaſticam ſepulturam, vt patet de hæretico, cuius hæreſis poſt mortem ſuã eſt deprehẽſa, vtpote in ſcriptis ſuis hic relictis, vel alia via, c. Sane 24. q. 2. Ceterum nullus poteſt pro alterius crimine excommunicari, nec vxor pro crimine mariti, nec filius pro patris crimine, nec ſubditus pro crimine domini. Et ratio eſt: quia poteſtas excommunicandi tantũ extendit ſe, vt dictum eſt ſupra, ad mortale peccatum, tanquã ad obiectũ pro quo fertur. Sed nullus propter alterius crimẽ incidit in mortale: poteſt tamen aliquis excommunicari propter participationem cum excõmunicato in crimine vel actibus prohibitis, qui ſic participando peccat, ſed tunc ex proprio peccato excommunicatur. Nullus etiam poteſt

ſubditum

ſubditum in loco non ſubdito excommunicare. Et vt excommunicatio iuſte feratur in certam perſonam ab homine, debent monitio præuia, cauſa iuſta, forma debita in ſcriptis pronuntiata concurrere. Dicitur notanter in certam perſonam: quia ſi feratur a iure vel iudice per modum ſtatuti, (vt ſi ſuperior dicat: Quicumque fecerit hoc crimen, eo ipſo ſit excommunicatus: aut ſi præcipit ne fiat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ) cum illa excommunicatio non feratur in certam perſonam, non requiritur certa monitio, vt contrafaciens ſit excommunicatus ipſo facto, cum cõtumacia ſit annexa huic transgreſſioni. Cum vero fertur in certam perſonam, requiritur triplex monitio, vel vna pro tribus coram perſonis idoneis, facta cum interuallo dierum, niſi neceſſitas aliud ſuadeat. De hoc in c. Sacramento, eodem textu. Sed nota, quòd non eſt forma aliqua præciſe tradita verborum: ſed ſufficit, quòd forma exprimat conſenſum iudicis de præſenti excommunicantis, non autẽ de præterito vel futuro. Vnde ſi dicat, denuntiamus illum excõmunicatum, quem tamen prius non excommunicauit, non erit excommunicatus: ſimiliter ſi dicat, volo ſit excõmunicatus vnus de iſtis duobus, neuter eſt excommunicatus. Nec ſufficit ſola intentio Iudicis, ſed requiritur expreſſio verborum: hoc tenẽt Hoſtien. & Inno. Notandum etiam, quòd eſt differentia inter ſententiam excõmunicationis iniuſtam, & nullam. Iniuſta eſt quando aliquid deficit, quod iuxta canonicas ſanctiones ad iuſtam excommunicationẽ requiritur. Vnde vltra mortale, contumaciam, iuriſdictionem, trinã monitionem (vt dictũ eſt) requiritur, quòd feratur in ſcriptis ante appellationem legitime interpoſitam: et ſi aliquod horũ deficit, ſententia eſt iniuſta. Nulla vero ſententia dicitur, quando aliqua iuris conſtitutione eſt irretita. Ex quibus patet, quòd omnis ſentẽtia excõmunicationis nulla, eſt iniuſta, ſed nõ e cõuerſo: Vnde ſi prolata eſt pro iuſta cauſa, ſed animo diſtorto, ſententia talis iniuſta eſſet, ſed nõ nulla. Iniuſta excõmunicatio ex cauſa, vel ex parte excõmunicati, & tamẽ non nulla, nõ ligat apud Deũ, ligat tamẽ apud Eccleſiã. Vnde Auguſtinus ſuper psal. 102. Qui iuſtus eſt, & iniuſte maledicitur, præmiũ illi redditur. Quæ verba tractans Gratianus 11. q. 3. c. Qui iuſtus, Inquit, hic etſi nõ teneatur ligatus apud Deũ, ſententiæ tamẽ parere debet, eo ꝙ ligat quantũ ad Eccleſiã, ideſt quantũ ad ea, quæ prohibita ſunt excõmunicato, vt ad vitandũ eccleſiã tẽpore diuinorũ, communionem ſacramentorũ, & actus legitimos hominũ: quod ſi non fecerit, tanquã contẽptor eccleſiaſticæ diſciplinæ indicabitur: et per inobedientiam mortaliter peccabit. Si vero ſentẽtia excõmunicationis fuerit nulla ob defectũ iuriſdictionis ſup excõ-

 municatum

municatũ ſimpliciter, vel in illo caſu quo fertur excommunicatio poſt appellationem legitime interpoſitam, vel contra communitatem, vel quia nulla præceſsit monitio, aut quia habet alium defectũ propter quem ipſo iure eſt irrita: tunc non oportet eam timere, nec ſe pro excommunicato gerere. Et ratio eſt: quia dum ſententia eſt nulla, non eſt excommunicatio, neque quo ad Deum, neque quoad Eccleſiam. Vide quoad hoc Paludanum vbi ſupra q. pri. ar. 3. Sententia lata a iure numquam eſt iniuſta, (licet latã ab homine poſsit eſſe talis) ſed ſemper timẽda & cauenda: quoniã ligat tranſgreſſores quoad Deum, & quoad homines. Effectus excommunicationis maioris in genere ſunt duo: Primus & maximus eſt ſeparatio a diuinis ſiue ſpiritualibus: Secundus eſt ſeparatio a communione, ſiue conſortio fidelium in humanis, ſiue legitimis actibus: vnde excludit a ſacramentis & a participatione diuinorum officiorum, ſiue ab ingreſſu eccleſiæ, maxime ſub diuinis officijs, ſed non a prædicatione, qua tamen finita debet ſtatim exire. Item excludit a generalibus Eccleſiæ ſuffragijs: in priuato enim orare poteſt quis pro excommunicato, vt cõuertatur & reuertatur ad Eccleſiam per humilem pœnitentiam. Suſpendit quoque ab officio & beneficio, ita quòd officium ſuum non poteſt agere, nec fructus beneficij recipere, nec officium ſuum alteri delegare. Non poteſt eligere nec eligi, aut beneficium conferre, aut recipere collatum: et ſi de facto recipit, non facit fructus ſuos. Nec ſufficit diſpenſatio poſt obtentã abſolutionẽ, ſed neceſſaria eſt noua collatio, niſi diſpenſaret ille, qui beneficiũ cõferre poteſt: quia talis diſpẽſando videtur de nouo cõferre. Itẽ nec poteſt ordinare aut ordinari: ſi tamen id fiat de facto, rata eſt ordinatio, ſed ordinis executio nõ cõfertur: & ſi ea, quæ ſunt ordinis, publice & ſollemniter facit, incurrit irregularitatem. Sunt tamen multa perſonarũ genera, quæ ſine peccato cõmunicare poſſunt cũ excõmunicato etiã maiori excõmunicatione, de quibus D. Gabriel Biel diſt. 18. 4. q. 3. In decretis etiam concilij Cõſtantien. habentur infraſcripta verba: Ad euitandum ſcandala & multa pericula, quæ conſcientijs timoratis cõtingere poſſunt, omnibus Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps a communione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut alijs quibuſcumque diuinis intus & extra prætextu cuiuſcumque cenſuræ, aut ſententiæ eccleſiaſticæ a iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum eccleſiaſticum obſeruare, niſi cenſura vel ſentẽtia huiuſmodi fuerit in vel contra perſonam, collegium, vniuerſitatem, Eccleſiam, communitatem, vel locum certum a

iudice promulgata vel denuntiata ſpecialiter & expreſſe, conſtitutionibus apoſtolicis & alijs in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcũque: Saluo ſiquem pro ſacrilega manuum iniectione in clericum, ſententia lata a canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quòd factum non poſſet aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari, (licet denuntiatus non fuerit) volumus abſtinere iuxta canonicas ſanctiones. Et circa hoc dicit Gerſon in de vita ſpirituali lect. 4. In omni non denuntiato poteſt homo rationabiliter præſumere proximum ſuum non eſſe excommunicatum: & oppoſitum faciens ſe frequenter diſcrimini peccati mortalis exponit, alienum ſeruum temere iudicando. Alia quæ tangit diffuſe idem Biel ſuper perſonis vitandis & non vitandis, breuitatis cauſa dimitto. Sexta pœna eſt interdictum, quæ eſt arctatio a quibuſdam actibus eccleſiaſticis exequendis, vel quibuſdam talibus aſſiſtẽdo. Et licet hæc pœna aliquando poſſit infligi loco & nõ perſonæ, quandoque perſonæ & non loco, quandoque vtrique: tamen vt eſt diſtincta pœna ab alijs, frequentius infligitur loco & non perſonis, niſi dum in loco ſunt, vt ſcilicet in tali loco non liceat celebrare ſollemniter diuina, nec alios intereſſe. Et hæc pœna interdicti quandoque contrahitur a iure, quãdoque a iudice. A iure, occurrit exẽplum de receptantibus vſurarios extraneos, de vſuris cap. Vſurarũ voraginem lib. 6. A iudice, propter cauſas innumeras, communius propter inobedientiam communem populi terræ. Quandoque relaxatur in certis caſibus a iure, vt patet de ſententia excom. c. Alma mater Eccleſia lib. 6. Vltima pœna eſt ſuſpenſio, quæ eſt prohibitio ab aliquo alias conueniente, & hoc ad tempus: in quo diſtinguitur ſpecialiter hæc pœna ab alijs, quæ eſt multiplex: quia quædã eſt ſuſpenſio ab officio, quædam a beneficio, quædam ab ingreſſu eccleſiæ: quæ pœna quandoque incurritur eo ipſo, vt habetur de ſententia & re iudic. c. Cum æterni in ſexto. Quãdoque etiã in ſuſcipiendo ordines ab Epiſcopo, qui renuntiat loco & dignitati tali: q̃a enim executionem non habet, illam conferre non poteſt: Et ita ſi ordinem confert, ſuſcipiens tamen executionem non habet: ideo eſt ſuſpenſus, de hoc pri. q. 7. c. Daibertum: ſimiliter de ordinato ſcienter ſimoniace, vt dictum eſt ſupra. Quandoque vero infligitur a iudice nunc illa, nunc iſta. Tollitur autem per relaxationem factã ab eo, qui eam tulit, vel a ſuperiori eius. An iſtæ pœnæ impediant a ſuſceptione vel collatione ordinis, Doctores communiter tenẽt, quòd de iure prohibent: adeo quòd illicite attentatur oppoſitum: ſi tamen de facto attentatur, fit quod intenditur. Et ratio eſt: quia Eccleſiæ data eſt poteſtas ordinandi ſibi miniſtros, vt poteſt colligi

ex illo verbo Pauli pri. Tim. 3: vbi deſcribitur; quales debent diaconi ordinari. De hoc latius inferius diſſeremus, vbi tractabimus de gradu Epiſcopatus.

Sexus muliebris & ætas puerilis, an impediant ſuſceptionem ordinum. Cap. LIIII.

SCOTVS 25. diſt. quar. q. 2. dicit reſpondendo ad titulũ huius capitis, quòd excludi ab ordine vel ordinum ſuſceptione, vel non poſſe eoſdem ſuſcipere, poteſt intelligi: vel de non poſſe debite & honeſte: vel de non poſſe licite, cum ſit contra præceptum: vel de nullo modo poſſe, etiam de facto, ita quòd ſi attentetur fieri, nihil fiat. Primo modo, videlicet de non poſſe debite & honeſte, puer cũ non habeat diſcretionem, non poteſt recipere ordines, eo quòd nõ poteſt cum debita reuerentia recipere talem gradum, qui confertur in ordine. Secundo modo puer recipere non poteſt ordinẽ ſacrum, licet poſſit illo modo recipere quatuor minores, cum non inueniatur prohibitio arcens puerum a ſuſceptione ordinum non ſacrorum. Quod ſic probatur: Quia ſuſceptioni ordinis ſacri annexum eſt votum continentiæ, vt habetur extra de æta. et qualit. et ordi. ꝓficien. c. A multis: & 28. diſt. c. pri. Puer vero cũ non habeat diſcretionẽ, nõ poteſt in iſtud votũ tacite vel expreſſe. De tertio, videlicet de nõ poſſe etiam de facto, dicit, quòd hoc nõ inuenitur in puero, & hoc reſpectu cuiuſcũque ordinis etiã ſacri. Quia poteſtas exequendi aliquem actum vel gradum, quo quis poteſt iſtũ actũ exercere, poteſt duratione præcedere actum illum, vel potentiam propinquam ad eundem. Ordo vero non eſt niſi gradus diſponens ad miniſtrandum in determinato gradu eccleſiaſtico. ex conſequẽti poterit competere alicui, antequam ſolutis impedimentis ſit ille in potentia propinqua ad exercendum actum illum: nec ibi requiritur conſenſus ad impreſſionem characteris, ſicut nec in minoribus ordinibus. Iſtud tamen non poſſe tertio modo ſiue ſimpliciter, eſt in ſexu muliebri, qui ſtante prohibitione diuina ordinari nõ poteſt. Eſt ergo de neceſſitate ſacramenti, & non modo de neceſſitate præcepti, quòd ordinandus ſit in ſexu virili, non obſtante quòd reperiantur diaconiſſæ, & presbyteræ: quia illæ ſic dicebãtur, quia ſeniores, & viduæ: aut quia ad legendum euangelium & homiliam erant ſpeciali benedictione in religione ordinatæ. Secundum ergo beatum Thomam, Ricar. & Palud. Honeſtatis eſt & congruitatis, quòd ſuſcepturus minores ordines habeat vſum rationis, & quòd

habeat

habeat voluntatem ſuſcipiendi hunc,vel illum ordinem minorem, ſaltem interpretatiuam. Quo vero ad maiores, præcepti eſt. Et licet in clemen. de æta. & qualita. & ordi. præficien. c. Generalem, decernatur,vt alio non obſtante canonico impedimẽto poſſit quis in 18.ad ſubdiaconatus,in 20.ad Diaconatus,in 25.vero ætatis ſuæ anno ad presbyteratus ordines promoueri: In concilio tamen Triden.ſeſ.23.cap.12.de reformatione habetur,ꝙ nullus tã regularis, quã ſecularis clericus in poſterũ ad ſubdiaconatus ordinẽ ante 22. ad diaconatus ante 23.ad presbyteratus ante 25. ætatis ſuæ annum promoueatur. Lib. vero 6. de tẽporibus ordinan. c. Nullus, prohibetur infans minor ſeptem annorum tonſurari, ſecundum glo. niſi velit religionem intrare, vbi annectitur pœna, priuatio videlicet collationis tonſuræ clericalis, ſi quis contrauenerit. Contra etiam ſexum muliebrem ſic habetur 23. diſt. Sacratas Deo fœminas vel monachas ſacra vaſa,vel ſacratas pallas penes vos contingere,incẽſum circa altaria deferre, perlatum eſt ad apoſtolicam ſedem: quæ omni reprehenſione & vituperatione plena eſſe, nulli recte ſapienti dubium eſt. De quibus Apoſtolus pri. ad Tim. 2. Docere mulierem non permitto: intelligens de doctrina publica in Eccleſia. Nec eſt dictum Apoſtoli tanquam ſtatuentis: ſed (inquit)non permitto, quia Chriſtus non permiſit. Cuius argumentum euidẽs accipitur: quia nec matrem ſuam, cui nulla alia potuit,nec poterit in ſanctitate æquiparari, poſuit in aliquo gradu ordinis in Eccleſia. Et licet beatus Paulus ad Gal. 3. dicat: In Chriſto Ieſu non eſt ſeruus, nec liber, non eſt fœmina, neque maſculus; intelligit quoad gloriam conſequendam, & gratiam habendam, eo quòd in talibus nõ eſt diſtinctio in lege Chriſti inter fœminam & maſculum: quia tantam gratiam habere, & ad tantam gloriam attingere poteſt illa, ſicut iſte: non autem quantum ad gradum excellentem conſequendum in Eccleſia. Naturalis enim ratio, quam Apoſtolus innuit pri. Cor. 11. huic dicto conſonat. Nam natura non permittit mulierẽ, ſaltem poſt lapſum, tenere gradum eminentem in ſpecie humana: ſiquidem dictum eſt ei in pœnam peccati ſui geneſis 3. Sub viri poteſtate eris. Si etiam ſacerdos aliquis veteris legis ſuperuixiſſet vſque ad inſtitutionem nouæ legis, non habuiſſet ordines a Chriſto inſtitutos, nec ordinum eccleſiaſticorum officium: ideo fuiſſet ordinandus. Secundum enim Apoſtolum ad hebræos 7. Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt,vt fiat legis tranſlatio & legalium ſacrificiorũ. Quòd autem ſacerdotium aaronicum & leuiticum ſit tranſlatum, probat ibi idem Apoſtolus: nam Chriſtus noui ſacerdotij princeps non fuit de tribu Leui, ſed Iuda: in qua tribu nihil de ſacerdotio

locutus eſt Moyſes: Ideo arguit, translato ſacerdotio neceſſe eſt,vt & legis translatio fiat. Vnde deſinente ſacerdotio leuitico, in quo plures facti ſũt ſacerdotes,& alter alteri ſucceſſit,ſicut Aaroni Eleazar,Eleazaro Phinees,ꝓpterea quòd morte ꝓhiberẽtur permanere : ſuperuenit ſacerdotium perpetuum Ieſu Chriſti, eo quòd ipſe maneat in æternum. Sed pro ritu temporis illius ante ſacerdotij inſtitutionem, primogeniti habebant officium ſacerdotum : Deinde Aaron & filij eius conſecrati fuere in ſacerdotes, exo. 29.

De Epiſcopatu, an ſit ordo a ſacerdotio diſtinctus : & an ab epiſcopo poſſit tolli eius poteſtas. Cap. L V.

VT ſciatur,an Epiſcopatus ſit ordo,notandũ, quòd ordo ſiue ordinatio ſumitur dupliciter. Vno modo vt eſt ſacramentum ab alijs diſtinctum, & ſic cum omnes ordines ad euchariſtiæ ſacramentũ ordinentur, epiſcopatus non erit ordo diſtinctus a ſacerdotio : quia non habet poteſtatem aliquã ſupra corpus Chriſti verũ, quam non habet ſacerdos. Alio modo poteſt conſiderari ordo,ſecũdum quod eſt officium quoddam reſpectu quarundam actionum ſacrarum : et ſic cum Epiſcopus habeat poteſtatẽ in multis actibus hierarchicis reſpectu corporis Chriſti myſtici, quam non habet ſacerdos, hoc modo erit ordo : cum ordo ſit diſparitas gradus in ſpiritualibus diſpenſandis. Vnde beatus Dionyſius in libro eccleſiaſticæ hierarchiæ aſſignat tres ordines,videlicet : Epiſcopum, ſacerdotem, & miniſtrum,intelligendo per miniſtrum (vt dicit Viguerius ſuper ſacramento ordinis) diaconum, & inferiores ordines, qui eminenter ſunt in diacono.Si quæratur, an per cõſecrationem imprimatur aliquid in anima epiſcopi conſecrati: Reſpondet ſanctus Tho. in 27. diſt. 4. q. 2. Quòd in promotione epiſcopi datur ſibi poteſtas, quæ perpetuo manet in eo, quamuis dici non poſsit character : quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum,ſed ad corpus Chriſti myſticum : & tamen indelebiliter manet ſicut character, quia per conſecrationem datur. Et pro maiori prædictorũ declaratione dicit idem ſanctus Tho. 22. q. 39. ad 3. principale, quòd duplex eſt ſpiritualis poteſtas, vna quidem ſacramẽtalis, alia iuriſdictionalis. Prima eſt, quæ per aliquam conſecrationem confertur. Omnes autem cõſecrationes eccleſiæ ſunt immobiles, manente re, quæ conſecratur : quod etiam patet in rebus inanimatis : quia calix vel altare ſemel conſecratum, non conſecratur iterum, niſi fuerit diſſipatum : Et ideo talis poteſtas ſecundum ſuam eſſentiam

tiam

tiam remanet in homine, qui eam per conſecrationem eſt adeptus quandiu viuit, ſiue in ſchiſma, ſiue in hæreſim labatur: quod patet ex hoc, quia rediens ad Eccleſiam, non iterum conſecratur. Sed quia poteſtas inferior non debet exire in actum, niſi ſecundũ quòd mouetur a poteſtate ſuperiori, (vt etiam in rebus naturalibus patet) inde eſt, quòd tales vſum poteſtatis amittunt: ita videlicet, quòd non liceat eis ſua poteſtate vti. Si tamen vſi fuerint, eorum poteſtas effectum habet in ſacramentis: quia in his homo non operatur niſi ſicut inſtrumentum Dei: Vnde effectus ſacramentales nõ excluduntur propter culpam quamcumque conferentis ſacramẽtum. Poteſtas autem iuriſdictionis eſt, quæ ex ſimplici iniunctione hominis confertur: & talis poteſtas non immobiliter adhæret. Vnde in ſchiſmaticis & hæreticis non manet: nõ enim poſſunt abſoluere, excommunicare, aut aliquid huiuſmodi facere: quod ſi fecerint, nihil fit. Hæretici vero (vt inferius dicetur) non habent poteſtatem ſpiritualem ſecundo modo: bene autem primo modo, loquendo de ipſa eſſentia poteſtatis: licet non habeāt legitimum vſũ illius. Et vt melius adhuc hoc intelligatur: Monetur dubiũ, an Papa poſſit ab epiſcopo auferre eam ordinis poteſtatem, quæ illi per conſecrationem data eſt. Dominus Innocen. in c. Quanto, de cõſuetud. diſtinguit: Quòd aut Papa facit legem, per quam tollit epiſcopis hanc poteſtatem: & tunc dicit, epiſcopũ nihil prorſus agere conferendo tale ſacramentum contra prohibitionẽ: Aut Papa ſimpliciter prohibet epiſcopis, ne faciant: & talis ſimplex prohibitio non impediret impreſſionem characteris: Panormitan. etiā ibidem venit in eādem ſententiā. Dominus tamen Alexander Alenſis cum tota fere ſchola Theologorum dānant hanc opinionem: et pro ſua aſſertione adducunt beatum Auguſtinum lib. 2. contra Parmenianum dicentem: quòd aliud eſt aliquid omnino non habere, & aliud non recte habere: ſicut aliud eſt non dare, aliud nõ recte dare. Conſiderare enim oportet varias eſſe in epiſcopo ſui ordinis poteſtates: quæ omnes non æqua lance penſandæ ſunt. Habet enim epiſcopus poteſtatem circa aliquorum ſacramentorum collationem, vt ſunt ordo, & confirmatio, quæ a ſolis epiſcopis conferri poſſunt: & habet poteſtatem ex ſuo ordine benedicendi & conſecrandi, quæ ſacramentalia dicuntur, vt ſunt eccleſiæ, calices, veſtimenta &c. quæ dicuntur ſacramentalia: quia omnia ordinantur ad alicuius ſacramenti conſecrationem, aut illius adminiſtrationem. Quibus iactis fundamentis dicimus Quòd Papa non poteſt tollere ab epiſcopo poteſtatem conferendi illa ſacramenta quæ ſunt eidem reſeruata, vt ſunt confirmatio & ordo: ita vt illorum collationem irritam &

inanem Papa facere poſſit. Cuius ratio eſt: quia epiſcopus hanc habet poteſtatem ſibi iure diuino & a Deo conceſſam: & per conſequens eam ab eo auferre non valet. Si enim poteſtas conſecrandi ſacerdotem poſſet ab homine iure diuino ſecluſo, alicui dari, inde ſequeretur, vt poteſtas conficiendi euchariſtiã, quæ per illam priorem poteſtatem ſacerdoti confertur, poſſet etiã ſecluſo iure diuino alicui dari. Quia ſi ego virtute humana poſſum Petrũ in aliquo ordine & dignitate conſtituere, quicquid per illum ordinẽ Petrus fecerit, erit humana virtute factibile. Si vero Petrus per talem ordinem aliquid fecerit, quod humana virtute effici non poteſt, euidẽtiſſime inde ſequitur, vt nullus humana virtute poſſit Petrum in tali dignitate conſtituere. Cum ergo poteſtas ſacerdotis ſuperet omnem humanam virtutẽ, neceſſario conſequens eſt, vt poteſtas efficiẽdi ſacerdotes, quam habet epiſcopus, ſuperet etiam omnem humanam virtutem. Si ergo hæc poteſtas ſolo iure humano competit epiſcopis, ſequitur inde, nil competere iure diuino epiſcopis, quod alijs ſacerdotibus non conueniat: Hoc autẽ fateri eſt hæreſis Aerij, quam Auguſtinus in libro de hæreſibus c. 53. nomine hæreſis condemnat. Si etiam poteſtas in epiſcopo ordinãdi &c. non eſt ex iure diuino, ſequitur, quòd Papa poterit talem poteſtatẽ ſimplicibus ſacerdotibus conferre. Et licet Panormitan. non habeat hoc pro inconuenienti, ſequeretur tamen inde, Eccleſiam poſſe ſacerdotes omnes pares facere epiſcopis. Vnde beatus Hieronymus ad Euagrium inquit: Quid facit excepta ordinatione epiſcopus, quod presbyter non faciat? Tamen ex catholica fide docemur, vt inferius patebit: Epiſcopos ex iure diuino eſſe reliquis ſacerdotibus ſuperiores: & ita ex catholica fide credere tenemur, Papam non poſſe ſacerdotibus delegare poteſtatem, ſacerdotium præſertim conferendi. Vnde decretum Eugenij pro Armenis inquit, verum ordinis miniſtrum eſſe epiſcopũ. Et ſic reſpondẽdo ad dubiũ dicimus, quòd epiſcopus quãuis hæreticus effectus & degradatus nũquam amittit poteſtatem ordinandi & confirmandi: quoniam eadem eidem datur a Deo in ſua conſecratione. Omnis enim poteſtas ordinis (vt dictum eſt ſupra) ſiue ſacramentalis, eſt indelebilis. Eccleſia etiam non conſueuit epiſcopos hæreticos reſipiſcentes iterũ conſecrare: ſed eos miſericorditer in ſua dignitate recipere, vt patet in ſecunda ſynodo Nicæna: & vt etiam habetur in c. Conuenientibus, prima. q. 7. Rurſus ordinatos ab epiſcopis hæreticis, qui verã Eccleſiæ formam in ordinatione ſeruauerant, Eccleſia præcipit iterum non ordinari. c. Ordinationes 9. q. pri. Licet enim ritus ille conſecrationis, quo epiſcopus conſecratur, ſit iure humano inſtitutus,

tutus,

turus, tamen poteſtas, quæ Epiſcopo in illa conſecratione datur, a ſolo Deo illi donatur. Quòd autem non ſint de nouo ordinandi redeuntes ab hæreticis, expreſſe docet beatus Auguſtinus lib. 2. contra epiſtolã Parmeniani: & citantur a Gratiano eius verba. c. Quòd quidam, pri. q. pri. Forte quis contra hoc obijciet c. Daibertũ pri. q. 7. In quo Vrbanus Papa Daibertum a Nezelone hæretico epiſcopo ordinatum nil recepiſſe, ait: ſed eſſe iterum ordinandũ: Reſpõdemus, Nezelonem ipſum nunquam fuiſſe Epiſcopũ: quia ab alio epiſcopo hæretico extra formã Eccleſiæ fuerat cõſecratus: & quòd Papa poteſt prohibere epiſcopis executionem ordinis epiſcopalis circa ſacramenta: ſiue hoc faciat particulari prohibitione, ſiue generali lege, omnibus epiſcopis prohibens: Et ſic illi contra iſtam prohibitionem ordinantes peccant: quamuis ea, quæ faciunt, ſint pro ratis habenda, nec oporteat illa reiterari. Exercere enim iſtam poteſtatem ſemper, non eſt diuino iure mandatũ: et ideo quicquid voluerit Papa, efficere poterit. Ex quo elicitur, quòd Epiſcopus hæreticus non poteſt recte exequi epiſcopalis ordinis poteſtatem circa adminiſtrationem ordinis & confirmationis. Verũ Papa poteſt tollere ab epiſcopis eam poteſtatem ordinis, quam habent circa ſacramẽtalia, vt puta circa conſecrationes altariũ, eccleſiarum, calicum. Hæc enim licet epiſcopis ſolis facere ſit conceſſum, non tamen hoc iure diuino illis conuenit, ſed humano. Nihil enim horum Chriſtus inſtituit: ſed ſucceſſu temporis ſunt ab Eccleſia inſtituta: et ſic poterunt tolli a ſucceſſoribus, qui non minorem auctoritatẽ habent, quàm inſtituentes: et ex conſequenti omnibus alijs ſacerdotibus concedere: ita vt ex conceſſione Papæ poſſint ſacerdotes cõſecrare eccleſias, altaria, aras, calices, patenas &c. Quam auctoritatem Eccleſia poteſt ab hæreticis auferre: et iuxta poteſtatem quã habet, hoc feciſſe conſtat ex c. Eccleſijs, & duobus ſequentibus de conſecra. diſt. pri. Vbi præcipitur ab Arrianis conſecratas eccleſias iterum conſecrari. Et licet glo. dicat, quòd hoc intelligitur, ſi Eccleſiæ formam non ſeruauerint: contra tamen eſt textus, qui dicit expreſſe eſſe iterum cõſecrandam eccleſiã, quæ conſecrata eſſet ab eo, qui non haberet fidem Trinitatis. Eſt enim lata differentia inter ſacramenta, & ſacramentalia: quia conſecrationes ſacramentorum pendent ex iure diuino: poteſtas autem ſuper ſacramentalia ex ſolo iure humano: et ideo Eccleſia, quæ hoc ius ſtatuit, poterit illam poteſtatem ab epiſcopis auferre. Siquis petat, qualis dicenda eſt iſta poteſtas epiſcoporum ſuper ſacramentalia: non iuriſdictionis: quia per illam, nec aliquẽ punire, nec ſententiã aliquã dicere poſſunt: Si ordinis, erit neceſſario fatendũ eſſe aliquam

ordinis

ordinis poteſtatem, quæ auferri poterit per Eccleſiã: quod eſt contra dicta ſuperius a diuo Thoma 22. q. 39. ar. 3. Præterea poſſet dici, quòd beatus Thomas quando ait poteſtatem ordinis eſſe indelebilem, loquitur de illa quæ eſt dumtaxat ſuper ſacramenta, & non ſuper ſacramentalia: de qua ſolum in illa q. tractabat. Pro excludendis tamen quibuſdam aduerſariorũ obiectionibus, ſupradictis addimus: quòd electio epiſcoporum & paſtorum atque diaconorum aliquando in Eccleſia facta eſt ſuffragio plebis. Vnde beatus Cyprianus epiſtola quarta libri primi, diuina traditione & apoſtolica obſeruatione ſic eſſe ſeruandum docet. Ex diuina ait auctoritate deſcendit, quòd ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur, aliquando a clero ſolo, item ab vtriſque aliquando. In ordinatione autẽ Pauli & Barnabæ, & quãdo iſti per ciuitates conſtituebant presbyteros, nulla fit plebis vel cleri mentio: In Act. vero Apoſtolorum cap. 6. propter murmur Græcorũ multitudini delata fuit electio. 7. diaconorum: ſed quos conſtituamus (inquiunt apoſtoli) ſuper hoc opus: et. c. 10. electos ſtatuerũt ante conſpectum apoſtolorum, & orantes eis impoſuerunt manus. Hoc modo permiſſa eſt aliquando tempore Adriani pontificis Carolo imperatori electio romani Pontificis, & diſpoſitio ſedis Apoſtolicæ, & permiſſa inueſtitio epiſcoporum diſt. 63. c. Adrianus. Conſtitutio tamen, ordinatio, & cõſecratio ſemper fuit apud epiſcopũ, de quibus multa citat Gratianus vbi ſupra. Ait enim beatus Leo: Vota ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus ſacerdotum conſtituatur. Et idem Leo Papa: Is inter duos electos præferatur, qui maioribus iuuatur ſtudijs & meritis: ita tamen vt nullis detur inuitis & non petentibus, ne plebs inuita Epiſcopum non optatum cõtemnat, aut odiat diſt. 63. c. vltimo. Varie namque obſeruata eſt hæc paſtorũ electio & aſſumptio, & hoc pro ſchiſmaticorũ & hæreticorũ diſſenſionibus, quibus nonnumquam Eccleſia Dei concuſſa periclitabatur: contra quos fideliſſimorũ Imperatorũ auxilio frequẽter Eccleſia munita legitur: vt habetur a Leone primo c. Vota e: dẽ diſt. Tẽporibus vero beati Auguſt. epiſcopus moriturus apud clerum & populũ ſucceſſorem ſibi deſignabat, & ipſe in ſucceſſorem & coadiutorẽ populo acclamante aſſumpſit Eradium. Et Valerius epiſcopus Auguſtinum ſumpſit coepiſcopum ignoranter contra canones Nicæni cõcilij, quemadmodum citat idem Beat. Aug. actus publicos, qui habentur loco epiſtolæ 110. Nec huius rei cauſam tacet: ſciebat enim, inquit, per ambitioſos & contẽtioſos Eccleſias ſolere perturbari. Et ſcribitur

factam

factam eſſe perturbationem poſt obitum Seueri Epiſcopi Mileuitani: eo quòd apud ſolum clerum ſucceſſorem ſibi deſignauerat. Cũ ergo in lege euangelica nullum præſcripſerit Chriſtus certum modum aſſumendi prælatos Eccleſiæ, liberum hoc reliquit prudẽti diſpenſationi præpoſitorum: & variæ, vt diximus, fuerunt ſuper hoc conſuetudines pro diuerſitate & qualitate temporum, negotiorum & perſonarum. Nec tamen a ſeculari magiſtratu vlla iuriſdictio vel adminiſtratio in Eccleſiæ paſtores transfundi poteſt, cum hæc mere ſint ſpiritualia, ordinata ad ſalutem animarum tanquam finẽ, ad quem referenda eſt tranquillitas & pax reipublicæ ciuilis: & ad quam tanquam ſcopum ſpectat gubernatio poteſtatis ſecularis: ſed ſequitur ipſum epiſcopatum, vel potius a capite romano Pontifice in ipſum promanat, vt docent ſacri canones, Nicolaus Papa, & Leo pontifex ad Michaelem imperatorem epiſtola 67. De hac autem diuerſitate conſtitutionis epiſcoporum & paſtorum Eccleſiæ ait Gerſon de poteſtate eccleſiaſtica conſiderat. 12. in fine: Prælati eccleſiaſtici maiores & minores quandoque ſunt inſtituti a toto populo & clero, quandoque a clero ſolum, quandoque a ſolis canonicis cathedralis Eccleſiæ. Nouiſſime crebrius per romanum pontificẽ: ideo namque ita variatum eſt, quia nihil de hoc Chriſtus conſtituit de hac materia. Vide Dominum Ruardum Tapper in explicatione articulorum theologicæ facultatis Iouanienſis.

Quomodo opinio Aerij, videlicet, quòd Epiſcopus non ſit ſimplici ſacerdote ſuperior, erronea ſit. Caput. L V I.

BEATVS Auguſtinus in lib. de hæreſibus c. 53. loquens de Aerio inquit: quòd dolens, quia epiſcopus ordinari non potuit, in Arrianorum hæreſim lapſus eſt: & dogmati eorum inter alia addidit: preſbyterũ ab epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. Hunc errorem poſt multos annos ſuſcitarunt Valdenſes, dicentes: Nullum eſſe inter ſacerdotes diſcrimen: quibus ſubſcripſerũt Marſilius paduanus, & Ioannes vuitcleff. Pro huius erroris confutatione probandum a nobis eſt, quòd epiſcopus ex diuina inſtitutione ſit quocũque alio ſimplici ſacerdote dignitate ſuperior: quod ſic conuincitur. Oportet enim vmbram ſimilem eſſe corpori, & figurã veritati: omnia enim in figura cõtingebant illis, vt inquit beatus Paulus pri. Cor. 10. At in lege veteri diſtinctio fuit ſacerdotum. Nam Aaron ſummus fuit ſacerdos: filij autem eius minores ſacerdotes

dotes Exo. 29. Summus enim ſacerdos diſtincta habebat ornamenta a minoribus: intrabat in ſancta ſanctorum, quod alijs ſacerdotibus nõ licebat Leuit. 16. Ad eundem ſummum pertinebat celebrare feſtum expiationis ad Hebræ. 9. Cum ergo tam latum fuerit in lege antiqua inter ſacerdotes diſcrimen, conſequens eſt, vt etiam in lege noua diuerſum fuerit a Chriſto inſtitutũ ſacerdotiũ. Quod confirmatur per beatum Leonem epiſtola 66. ad vniuerſos Germaniæ & Galliæ Eccleſiarum epiſcopos, dicentem: In diuinis enim literis præcipiente Domino, ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare: ſolus ipſe vnxit, qui vtique ſummus Dei ſacerdos erat, ſicut ſcriptum eſt de eo, pſal. 98. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius. Ideoq; id (quod tantum facere principibus ſacerdotum iuſſum eſt, quorum typum Moyſes & Aaron tenuerũt) omnino decretum eſt, vt epiſcopi, vel presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Paulus etiã ad Titum ſcribens ait cap. pri. Huius rei cauſa reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & cõſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut diſpoſui tibi. Vbi nomine presbyterorũ intelligit epiſcopos: quoniam vt Theophylactus admonet, & ante illum Chryſoſtomus, nolebat Paulus vniuerſam inſulam vni epiſcopo demandari: potiſſimum cum adeo magna fuiſſe dicatur, vt centum oppida munita haberet: Ideo Tito ſcribit, vt vnicuique vrbi proprium presbyterum præficiat, ideſt epiſcopum. Epiſcopus etiam presbyteros ordinat: ſimplex autem ſacerdos hoc non poteſt. Rurſum ſi ex diuina ordinatione idem eſt omnino epiſcopus, & presbyter: ſequitur inde, vt quemadmodum epiſcopus presbyteros ordinat, ita presbyter poſſit ordinare epiſcopos: quod numquam factum legimus: quoniam etſi Paulus pri. Tim. 4. dicat, Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyteri: Chryſoſtomus tamen, & Theophylactus, & reliqui exponunt de epiſcopo. Sed veniamus ad teſtimonium antiquorum doctorum. Beda lib. 3. ſuper Lucam cap. 15. inquit: Sicut 12. Apoſtolos formam epiſcoporum exhibere, ſimul & demonſtrare, nemo eſt qui dubitet: ſic & 72. figuram presbyterorum, ideſt ſecundi ordinis ſacerdotum geſſiſſe certum eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus (vt apoſtolica ſcriptura teſtis eſt) vtrique presbyteri, vtrique vocabantur Epiſcopi, quorum vni ſcientiæ maturitatem: alij induſtriam curæ paſtoralis ſignificãt. Eandem ſententiam profert Iſidorus in quodam ſermone in ſynodo habito, ita dicens: presbyteri non modo ſucceſſores & vicarij ſunt 70. diſcipulorum, qui præcedebant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in omnem ciuitatem & locum, quo erat venturus: ſed vt

coadiutores epiſcoporum rudes populos initiant, baptizādos vnitati Eccleſiæ incorporant,in omnibus ſacramentis vſque ad manus impoſitionem(excluſiue ſcilicet)populo Dei miniſtrant. Epiſcopi vero ſucceſſores ſunt Apoſtolorum. Beatus quoque Damaſus in epiſtola de coepiſcopis,quos ſacerdotes ſolum eſſe decernit,poſtquam dixerat eos non poſſe confirmationis ſacramētum miniſtrare,inquit: Quòd autē ſolis Apoſtolis,eorumq; ſucceſſoribus proprij ſit officij tradere Spiritum ſanctum,habetur Act. 8. præſertim cum nullus ex 70. quorum iſti in Eccleſia ſpeciem gerunt legatur donum Sancti ſpiritus per manuum impoſitionem tradidiſſe. Vrbanus quoque Papa & Martyr in epiſtola de communi vita & oblatione fideliū, loquens de rebus Eccleſiæ aſſignatis,a quibus diſpēſari debeant,ait: Ipſæ vero res in ditione ſingulorum parochiarum epiſcoporum,qui locum tenent Apoſtolorum,erant: et ſunt vſque adhuc,& futuris eſſe debent temporibus. Anacletus Papa & martyr in epiſtola de patriarchis, & primatibus, ac reliquis epiſcop is, inquit: Sacerdotum fratres ordo bipartitus eſt: et ſicut Dominus illum conſtituit,a nullo debet perturbari. Scitis autem a Domino apoſtolos fuiſſe electos & cōſtitutos,& poſtea per diuerſas prouincias ad prædicandum diſperſos. Cum vero meſſis cœpiſſet creſcere, videns paucos eſſe operarios, ad eorum adiumentum 70. eligi præcepit diſcipulos. Epiſcopi vero apoſtolorū, presbyteri quoque 70. diſcipulorum locum tenent. Hic beatos Apoſtolos vidit: et vt ipſe in principio epiſtolæ(quam modo citauimus)teſtatur, a beato Petro Apoſtolo fuit presbyter ordinatus: ideo maxima adhibenda eſt ei fides. Beatus etiam Auguſtinus vbi ſupra,Aerij errores enumerans,hunc inter illos recēſet, quòd videlicet presbyteros pares epiſcopis fecerit. Et licet beatus Hieronymus ſuper primum caput epiſtolæ ad Titum, exponens illum locū: Huius rei gratia reliqui te Cretæ,dicat: Idem eſt ergo presbyter, qui epiſcopus: vnde antequam diaboli inſtinctu,ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, ego autem Pauli, ego Apollo,ego autē Cephæ: communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur: Poſtquam vero vnuſquiſque eos,quos baptizauerat, ſuos putabat eſſe, nō Chriſti: in toto orbe decretum eſt,vt vnus de presbyteris electus præponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret: et ſchiſmatū ſemina tollerentur: Pontificibus tamem aliter ſentientibus & veritati magis deferendū eſt, vt patebit infra. Idē.n. Hieronymus in dialogo Orthodoxi,& Luciferiani ſub perſona Orthodoxi de cōfirmationis ſacramento diſſerēs, ita loquitur: Quòd ſi in hoc loco quæras, quare in Eccleſia baptizatus niſi per manus epiſcopi non

accipiat ſpiritum ſanctum,quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui : diſce hanc obſeruationẽ ex ea auctoritate deſcẽdere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit : & multis in locis factitatum reperimus ad honorẽ potius ſacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem . Alioqui ſi ad epiſcoporum tantũ imprecationem Spiritus ſanctus defluit : lugẽdi ſunt, qui in vinculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros, & diaconos baptizati ante dormierint, quàm ab epiſcopis inuiſerentur. Ex quibus verbis clare patet: Hieronymũ ſentire nõ eſſe ex neceſſitate legis, quòd epiſcopus ſolus per manuum impoſitionem Spiritum ſanctum conferat : ſed hoc eſſe ex Eccleſiæ inſtitutione ad honorem ſacerdotij. Concilium Iſpalenſe ſecundũ definit,a ſolis epiſcopis confirmationem cõferri poſſe, & a presbytero nullo modo poſſe alium in presbyterum, aut diaconum ordinari : decernitq; ſi ipſe ordinare attentauerit, eius ordinationem eſſe nullam, & eſſe neceſſario iterandam ab epiſcopo, vt ſic ordinatus poſſit aliquid exercere . Nec mirum debet eſſe alicui, quòd præponam diui Hieronymi ſententiæ aſſertionem Pontificum : quorum aliqui martyrio clari, & omnes doctrina inſignes fuerunt . In ipſo enim chriſtianæ religionis prædicationis initio omnes, qui credebant Saluatori noſtro, diſcipuli tantummodo nominabãtur . Et quia multi nouorum dogmatũ auctores extiterant, doctrinæ obuiantes apoſtolicæ, omnes ſectatores ſuos etiam diſcipulos nominabãt : et ſic non erat alia nominis diſcretio inter veros falſosq; diſcipulos . Tunc Apoſtoli conuenientes Antiochiam,ſicut eorũ teſtantur Acta.c. 11.omnes diſcipulos nouo nomine, ideſt Chriſtianos,appellabãt : hæc Athanaſius contra Arrium . Et Rabanus etiam ſuper Acta apoſtolorum eodẽ capite, ait : omnes ſectæ nomen trahebant de ſuo auctore : ideo fundata fide,& firmitatem obtinẽte, primũ in Antiochia, vbi præ ceteris locis fides florebat, ſumptũ eſt a Chriſto nomẽ chriſtianũ . Et vt adhuc melius præfata intelligantur, ſciendum : Quòd nomina illa, videlicet presbyter & epiſcopus ex ſua primæua inſtitutione latiorem habuerũt ſignificationem, quàm modo habeant . Epiſcopus enim dictio græca eſt, ab ἐπὶ præpoſitione græca : quæ idem ſignificat, quod latine ſuper : σκοπὸς vero idẽ eſt quod intentio : et ita epiſcopus tantum valet, ſicut ſuperintendens . Epiſcopi ergo nomen inde ſumptum eſt, quòd is qui præficitur alijs, eorum curæ ſuperintẽdere debet : iuxta quam interpretationem nulli dubium, quin presbyteri parochi epiſcopi dici poſſint . Nam ipſi etiã ſuperintendunt curæ animarũ ſibi commiſſarũ. Presbyter etiã eſt vox græca : vnde πρεσβύτερος latine interpretatur ſenior : eſt .n. ætatis

tis

tis nomen, quæ non iuxta numerum annorum computanda venit, ſed iuxta ſenſus maturitatem ſap. 4. de qua Anacletus in epiſtola de ordinatione epiſcoporum: Hæc canicies ſapientiam deſignat: Cumq; nongentos & amplius annos ab Adam vſque ad Abraham vixiſſe homines legimus, nullus alius primus appellatus eſt presbyter, ideſt ſenior, niſi Abraham, qui multo paucioribus vixiſſe annis conuincitur. Non ergo propter decrepitam ſenectutem, ſed propter ſapientiam presbyteri nominantur: hæc Anacletus. Nomẽ ergo presbyteri ex quacumque deriuatione ſumatur, commune eſt epiſcopis & ceteris ſacerdotibus. Epiſcopi nomen cõmune eſt ex ſua prima inſtitutione omnibus ſacerdotibus: præcipue illis, quibus animarũ cura cõmiſſa eſt. Eccleſia vero timẽs, ne propter vocabulorũ indiſtinctã ſignificationẽ quis opinaretur res etiã eſſe penitus indiſcretas, vocabulorũ ſignificationes cõtraxit hoc modo: vt ille ſolus nominaretur Epiſcopus, qui aliis ſacerdotibus ſuperior exiſtens, totius ciuitatis curã haberet. Ille vero diceretur presbyter, qui corpus Domini cõficere, aut cõſecrare poſſet. Eccleſia autem hoc ſtatuẽs, non cõſtituit nouũ ordinẽ, nec eiuſdem ordinis nouũ gradum decreuit: ſed gradus ſacerdotij antiquos, & a Deo inſtitutos, cenſuit proprijs nominibus nuncupari: ne ex communione vocabulorum occaſio oriretur exiſtimandi res etiã ipſas per ipſa nomina deſignatas eſſe prorſus eaſdem. Hoc enim Eccleſiam poſſe, nullus merito dubitare debet: quoniam ſi Eccleſia propter nouas cauſas emergentes potuit rebus antiquis noua imponere nomina, quis prohibet, vt nouis etiam inſurgentibus cauſis, non poſſit antiqua vocabula ad contractiorem ſignificationem reſtringere?

De Papatu, ac eius qualitatibus: ſimiliter & an Papa factus hæreticus, ſit eo ipſo priuatus dignitate ſua. Cap. LVII.

PRO dignitate gradus pontificalis eſt notandũ, quòd quædam ſunt neceſſaria ad ſimpliciter eſſe Papã, quædam ad bene eſſe ſolum, quæ talia ſunt, vt illis ſecluſis, Papa eſſe poſſit, ſed non bonus Papa: & hæc ſunt ſcientia rerum diuinarum, prudentia rerum gerendarum, charitas feruentiſſima, & id genus. Ad vero eſſe Papã ſimpliciter neceſſaria ſunt duo: quorum primum eſt ſolum neceſſariũ ad fieri: & hoc eſt voluntas ipſius electi, per quam conſentit electioni de ſe factæ: ipſo enim inuito non poteſt fieri Papa. Poſtquam tamen ſemel conſenſit electioni: iam eius voluntas non eſt neceſſa-

ria ad eſſe Papam : quia etſi eum pœniteat voluntatis præteritæ,& nolit eſſe Papa , & renuntiet papatui , nihilominus adhuc eſt Papa , quouſque ab his, quibus competit, ſit eius renuntia acceptata c. 1. de renuntiatione lib. 6. Et ratio eſt: quia quilibet etſi poſſit renuntiare iuri ſuo, non tamen alterius . Eccleſia autem eligens . N . nullum adhuc ius habet in eo, quouſque conſentiat. Poſtquam autem cõſenſit electioni de ſe factæ: ſicut ipſe acquiſiuit ius ſuper Eccleſiã ad regẽdũ eã:ita illa acquiſiuit ius ſuper ipſũ,vt ab illo petere poſſit doctrinã & alia,quæ ex officio papali tenetur tribuere Eccleſiæ . Eſt .n. mutuus cõtractus inter electores & electũ initus,quo mutuo ſe inuicẽ obligarunt : electus ad reddendũ Eccleſiæ debitũ paſtoralis officij:Eccleſia vero ad debitã obedientiã illi exhibẽdã.Et hinc euenit,vt cũ primo electus eſt quis in Papã, poſſit renuntiare electioni de ſe factæ:quia tunc ſoli renuntiaret iuri ſuo . Cũ autem ſemel iam cõſenſit electioni & factus eſt Papa:tunc iam nõ poteſt ſine cõſenſu Eccleſiæ renũtiare Papatui. Quatuor enim legũtur eidẽ renũtiaſſe: Clemens,propter cauſam iuſtam,ne videlicet in Eccleſia pontifices eligerent ſibi ſucceſſorem: Cyriacus,qui ſe aſſociauit martyrio.11. millium virginum : Marcellinus, qui renuntiauit in concilio propter idololatram operationem : et Cæleſtimus, qui ceſſit eidem ex humilitate,eo quòd ſe huiuſmodi munere indignum reputauit . Et credendum eſt, quòd in manibus Cardinaliũ: qui in omnibus, quæ ad Papam ſpectant, repræſentant vices Eccleſiæ, ſaltem poſtquam electi conſenſerunt electioni de ſe factæ propter cauſas ſupradictas. Ex quibus patet,quòd voluntas electi in Papam licet ſit neceſſaria ad fieri Papam, non tamen eſt neceſſaria ad conſeruationem Papatus : quia inuitus poteſt eſſe Papa . Alterum eſt neceſſarium ad eſſe Papã in fieri,& in facto eſſe:et hoc eſt fides.Nec loquor de fide formata, quæ per dilectionem operatur ad Gal. 5. cum in mortali exiſtens eligi poſſit in Papam: alioquin incideretur in errorẽ Valdenſium,& Ioannis Huſſ. dicentium, omnem eccleſiaſticã dignitatem amitti per quodcumque mortalẽ : qui error damnatus fuit in concilio Conſtãtienſi, ſeſſione quĩtadecima:ſed de fide habituali a ſpe, & charitate diſtincta,quæ datur in baptiſmo : & hæc eſt ita neceſſaria ad eſſe Papam,quòd ſine illa,nec poteſt fieri Papa,nec conſeruari in Papatu . Hãc poteſtatem promiſit primo Petro,quãdo ſibi dixit Chriſtus Matth . 16. Tibi dabo claues regni cælorum: quo in loco dicit Origenes Chriſtum his verbis maiorem Petro ꝓmiſiſſe ligandi & ſoluendi poteſtatem,quàm poſtea reliquis apoſtolis dederit, aut promiſerit . Vnde antequam Chriſtus Petro promitteret, interrogauit omnes Apoſtolos, quid de illo ſentirent: cui interrogationi

gationi

gationi ſolus Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui: cui remuneratione Dominus ſubiunxit, dicens: Beatus es Simon Bariona &c. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quòd ſuper eum ædificaret Eccleſiã ſuam promiſit. Vbi Theophylactus nos docet, fidem eſſe fundamentũ totius eccleſiaſticæ ſtructuræ. Et ſiquid ſuper illud ædificatum fuerit, neceſſe eſt, vt illo fundamento ablato ruat. Deficiente ergo in aliquo fide catholica, quæ eſt fundamentũ p̃fatum, nõ poteſt in eo papalis dignitas fundari, quæ primus eſt in illa ſtructura lapis poſt fidẽ. Immo nulla alia eccleſiaſtica dignitas a Chriſto inſtituta, ſiue epiſcopalis, ſiue quæuis alia, poterit in illo, qui fidem non habet, fundari: nec character baptiſmalis poteſt eſſe meritum tale, vt propter illud tanta mercede Chriſtus Petrum donaret. In confeſſione vero fidei, quam Petrus fecit, multum adfuit meriti: atque ideo illa digna eſt habita a Chriſto, cui tantã promitteret mercedem: Et licet dicatur baptiſmus eſſe fundamentum: hoc intelligitur reſpectu aliorum ſacramentorum, cum nullus poſſit ordinari, niſi ſit baptizatus. Chriſtus tamen dicit expreſſe, ſe ſuper fidei confeſſionem fundaturum Eccleſiam, & propter talem fidei confeſſionem promiſit ſe daturum Petro in præmiũ claues regni cælorum: quia vt dicit Theophylactus, alijs Apoſtolis tacentibus, ſolus Petrus confeſſus eſt: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Nec Petrus in vice omnium reſpondit, cum adhuc ſuper ceteros nõ haberet poteſtatem: quod ex hoc patet, cum dixerit in ſingulari: Ego dico, quia tu es Chriſtus &c. Vnde poſtquam receperunt Spiritum ſanctum, & Petrus conſtitutus eſt caput aliorum dixit Act. 2. Non enim, ſicut vos æſtimatis hi ebrij ſunt. Poſtquam iam Papa creatus eſt, primũ eius officiũ eſt confirmare reliquos omnes in fide. Vnde Saluator noſter paſſioni proximus, prævidens Apoſtolorũ animos poſt ſuum diſceſſum fore turbãdos, Petro iniunxit, (Luc. 22.) Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, in fide ſcilicet firmando. Secundum officium eſt paſcendi oues Chriſti, catholica videlicet doctrina. Vnde quãdo Saluator dignitatem papalẽ promiſſam Petro dedit, dixit illi. Paſce oues meas Ioan. vltimo: quibus verbis concordi omnium catholicorũ doctorũ ſententia, omnes Chriſtianos oues, & Petrum illarum dixit eſſe paſtorem. Vnde beatus Auguſtinus ad Vincentiũ donatiſtã inquit: Eum, qui paſtor eſt ouium Chriſti, ſi fiat hæreticus, iam non eſſe paſtorem ouium, ſed ſuorum hædorũ: qui etiã a fide Eccleſiæ ſeparatur, conſequẽs eſt, vt & a corpore ipſius ſeparetur: Quia ſicut iuxta dictũ Pauli ad Eph. 4. vna eſt fides, ita vna eſt Eccleſia: et vnitas Eccleſiæ ex vnitate fidei pẽdet, vt inquit Hugo de Sãcto victore. Per fidẽ accipimus vnionẽ, & per cha-

ritatem viuificationẽ. Plurima etiã ſunt ſanctorum doctorum teſtimonia, quæ aſſerunt hominem hæreticum nullam prorſus habere in Eccleſia iuriſdictionem. Vnde ſanctus Thomas 22. q. 39. art. 3. dicit, Poteſtatem iuriſdictionis non eſſe in hæreticis: & inde deducit, quòd non poſſunt a peccatis abſoluere, nec alios excommunicare, aut indulgentias dare. Idem Beda ſuper Matthæum, infraſcriptis verbis, videlicet: Quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietate Petri quomodolibet ſeipſos ſegregant, tales nec a vinculis peccatorum abſoluunt, nec ianuã regni cæleſtis ingredi poſſunt. Et Auguſtinus ſuper Ioannem dicit: Qui extra Eccleſiam eſt, nullam habet ligandi & ſoluendi poteſtatẽ. Ioannes de Turre cremata ad hæc addit: quòd Papa hæreticus effectus, iure diuino eo ipſo eſt papatu priuatus. Caietanus etiam idem ſub his aſſerit verbis, videlicet: eũ qui hæreſim mentalem concepit, & illi pertinaciter adhæſit, quam etiam nullo exteriori actu manifeſtauit, eſſe verum hæreticum. Eccleſia tamen haud dubie illum tandiu tolerabit, quouſque cõſtet ſibi illum iure diuino eſſe depoſitum, aut meritò deponendũ: quod non poteſt eſſe per ſolam hæreſim mentalem, niſi illa per aliquem actum exteriorem innoteſcat: Cum ſit regula iuris: quòd quilibet præſumendus eſt bonus, donec probetur contrarium. Epiſcopi tamen per ſolam hæreſim mentalem in foro fori nõ priuantur iuriſdictionis poteſtate: eo quòd per illam nõ ſubduntur iuri humano, ſed per manifeſtam, per quam ſubduntur iuri poſitiuo. Papa tamẽ, vt perſona publica, & communis in dandis toto populo Chriſtiano fidei decretis, licet (vt pie creditur) errare non poſſit: vt tamen ſingularis & priuata perſona & errare poteſt, & hæreticum fieri nonnulli opinantur. De Papa catholico loquitur concilium Florentinum ſeſſione vltima dicens: ſancta apoſtolica ſedes, & romanus Pontifex in vniuerſum orbem tenet principatum: ipſeq; Pontifex romanus ſucceſſor eſt beati Petri principis Apoſtolorum, & verus Chriſti vicarius, totiuſq; Eccleſiæ caput, & omnium chriſtianorũ pater, ac doctor: & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Ieſu Chriſto plena poteſtas tradita eſt. In concilio quoque Conſtantinopolitano dicitur: Veneramur ſecundum ſcripturas, & ſecundum canonum ſtatuta ſanctiſſimum antiquæ Romæ epiſcopum primum, & maximũ epiſcoporum: & poſt illum, Conſtantinopolitanum epiſcopum. Et dominus Cyrillus alexandrinus epiſcopus inquit: Vt membra maneamus in capite noſtro apoſtolico romano Pontifice: a quo noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus: ipſum veneramur, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt

reprehendere,

reprehendere,ſtatuere,ſoluere,& ligare loco illius, qui ipſum ædificauit : & nulli alij, quod ſuum eſt plene, ſed ipſi dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant : & primates mundi tanquam ipſi Dño Ieſu Chriſto obediunt. Vnde Deus comparans Petrum alijs, dixit: Simon Ioannis diligis me plus his? Reſpondit ei : Etiam Domine, tu ſcis,quia amo te. Paſce agnos meos,ideſt imperfectos, ſiue perficiendos. Dixit ei iterum, & tertio : Simon Ioãnis diligis me?Reſpondit Petrus : Domine tu ſcis, quia amo te. Dixit ei : Paſce oues meas, per quas intelligit perfectos, prout erant inter ceteros apoſtoli : ſoli tamen Petro & ſucceſſoribus dedit illas, committendo eidem paſturam & gubernationem non ſolum agnorum,ſed etiam ouium : ideo qui non eſt ſubiectus Petro, non eſt de ouili Chriſti. Nec obſtat, quòd beatus Petrus, eſſet ouis Chriſti, cum vltra hoc fuerit conſtitutus paſtor omnium aliarum ouium, nec ei fuerit deputatus alius particularis paſtor. Quod ipſe beatus Petrus exẽplo declarauit in primo cõcilio Act. 15. vbi dicitur : Cõuenerunt Apoſtoli & ſeniores ad Petrum videre de obſeruatione circũciſionis, & aliorum legalium : cumq; magna conquiſitio fieret,ſurgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres vos ſcitis, quòd ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum, gentes audire verbũ euangelij,& credere &c. Vbi clare explicauit & affirmauit,ad ſe reſolutionem & fidei deciſionem pertinere : & nihilominus cum Petrus dixiſſet,Deũ elegiſſe gentes audire verbum euangelij per os ſuum & credere,nõ eſt auſus Paulus ſe illi æquare, nec eum reprehendere, prout fecit in illa ſimulatione Antiochiæ: quod vtique feciſſet, ſi Petrus verum non dixiſſet: ſed ipſe cum tota multitudine recognouit Petrum paſtorem, & ſuperiorẽ omnium. Vnde dicitur in textu : Tacuit multitudo audita reſolutione Petri dicentis. Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec nos,nec patres noſtri portare potuimus? quam reſolutionem beatus Iacobus de licentia, & auctoritate beati Petri publicauit,eo quòd eſſet Hieroſolymitanus epiſcopus. Vnde eidem Deus Lucæ 22. dixit : Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, hoceſt Apoſtolos, quoad poteſtatem & ſoliditatem fidei. Petrus igitur pro ſe & ſucceſſoribus ſumpſit auctoritatem. Vnde beatus Ambroſius ſuper illud, Paſce oues meas, inquit. Quas oues? & quem gregem? Non ſolum tunc ſuſcepit Petrus claues, ſed & nobiſcum ſuſcepit, & nos cum illo eas ſuſcepimus. Debet enim intelligi, quòd Chriſtus non dedit claues ſoli Petro pro perſona ſua, ſed etiam pro ſucceſſoribus ſuis, & pro illis quos ille, vel alij epiſcopi ordinarent, aut conſecrarent : alias politia Chriſti fuiſſet humana imperfectior,

tum euidenter conſtet politiam regalem, in qua præſidet vnus, eſſe cunctis alijs perfectiorem, vt optime probat philoſophus 12. metaphyſicæ. Et ideo illi, qui primatum Petri negant ſunt ſchiſmatici, negantes vnitatem, quam Chriſtus tantum commendauit, & pro qua orauit. Papa etiam ſecundum Tho. in tract. contra errores græcorum c. 67. In totam Eccleſiam vniuerſalem habet prælationem. Vnde legitur in Calcedonen. concilio: Quòd tota ſynodus acclamauit Leoni Papæ. Leo ſanctiſſimus, & œcumenicus, ideſt vniuerſalis Patriarcha per multos annos viuat. Et Chryſoſtomus ſuper Matth. Filius, qui patris eſt, homini mortali omnium, quæ in cælo ſunt, & vbique terrarum dedit auctoritatem, dando ei claues &c. Et licet Gregorius prohibeat ſe vocari vniuerſalem epiſcopum, hoc facit, ſecundum Tho. vbi ſupra, quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ, vt proprius & ſpecialis illius Eccleſiæ rector. Eſt igitur Papa caput totius Eccleſiæ, & paranymphus, ac amicus, vt inquit Bernardus ad Eugenium, ſecundum determinatũ ſtatum, vt videlicet eſt viator. Omnes quoque reges, & principes ſunt ſummo ſubiecti Pontifici, vt inquit idem ſanctus in tract. de rege lib. pri. c. 14. Vnde loquens de regno Eccleſiæ & regali ſacerdotio ait: Huius regni miniſterium, vt a terrenis ſpiritualia eſſent diſtincta, non terrenis regibus, ſed ſacerdotibus, & præcipue ſummo Chriſti vicario Romano Pontifici eſt commiſſum, cui omnes chriſtianos reges oportet eſſe ſubiectos, ſicut ipſi Domino Ieſu Chriſto. Vnde mirabiliter ex diuina ſapientia factum eſt, vt in Romana vrbe, quam Deus præuiderat chriſtiani ſacerdotij principalẽ ſedem futuram, hic mos paulatim inoleſceret, vt ciuitatis rectores ſacerdotibus ſubderẽtur. Sic enim Valerius maximus refert: Omnia poſt religionem ponenda ſemper noſtra ciuitas duxit, etiam in quibus ſummæ maieſtatis decus conſpici voluit: quapropter non dubitarunt ſacris imperia ſeruire. Dicit vltra idem Tho. contra impugnantes religionem: Dicere, quòd papalibus ſtatutis non ſit obediendum, hæreticum eſt: maxime cum cogere poſſit ſecundum eundem 28. diſt. 4. quempiam ad ſuſcipiendum epiſcopatum, aliter periret totus ordo eccleſiaſticus: cum quandoque illi, qui ſunt idonei, onus hoc nolunt ſuſcipere niſi coacti. Romanus Pontifex ſuccedit etiam beato Petro in ea poteſtatis perfectione, & dignitate vicariatus Chriſti, qua ipſe beatus Petrus a Chriſto in Eccleſia eſt ſublimatus, vt dicit ſanctus Tho. in tract. contra errores græcorum c. 69. Vnde canon concilij Calcedonen. concludit: Siquis epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad beatiſſimum epiſcopum antiquæ Romæ: quoniam habemus Petrũ

petram refugij, & in ipſo ſolo libera eſt poteſtas loco Dei,& ius diſcernendi epiſcopi infamiam ſecundum claues a Domino ſibi datas: & ideo omnia definita ab eo teneantur tanquam a vicario apoſtolici throni tradita. Papa etiam canonice electus,cum habeat indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, poteſt vti clauibus in quemlibet. Illi vero, qui ſub illo diſtinctas acceperunt poteſtates, in eos dumtaxat vti poſſunt clauibus,qui eorũ poteſtati ſubditi ſunt,excepto neceſſitatis articulo, in quo nemini ſecundum Tho. 19. 4. deneganda ſunt ſacramenta. Vſus enim clauium requirit aliquam p̃lationis poteſtatem, per quam ille ad quem vſus clauium communicatur,efficitur materia propria illius actus. Papa etiam eſt immediatus prælatus omnium fidelium, non obſtante quòd epiſcopus & ſacerdos parochialis ſint etiam immediati: quia bene inconuenit ſecundum Tho. 17. diſt. 4. quòd duo æqualiter ſuper eandem plebem conſtituantur: ſed non quòd vnus ſit principalior, & alius minus principalis. Dicimus vltra,quòd ſolus Papa habet plenitudinẽ poteſtatis,ſecundum eundem 38. diſt.4. diſpenſandi in votis diſpẽſabilibus. Alij vero tantũ participant de hac poteſtate, quãtum eis conceſſum eſt. Vnde 22. q. 88. art. vlt. inquit: Quòd ſummus Põtifex gerit plenarie vicem Chriſti in tota Eccleſia, cum ipſe habeat plenitudinem poteſtatis diſpẽſandi in omnibus diſpenſabilibus votis. Prælatis autem inferioribus committitur diſpenſatio in votis, quæ communiter fiunt, vt habeãt de facili homines ad quos recurrant. Vota autem maiora, vt continentiæ, terræ ſanctæ, reſeruantur ſummo Pontifici. Subdit tamen idem doctor 22. q. 88. art. 11. Quòd licet poſſit Papa diſpenſare in voto continentiæ annexo ordini ſacro, cum hoc ſit ex ſtatuto Eccleſiæ, non tamen in voto continentiæ annexo eſſentialiter ſtatui religionis: per quam homo totaliter Dei ſeruitio mancipatur: vt habetur in c. Cum ad monaſterium, de ſtatu monach. vbi dicitur. Nec æſtimet Abbas, quòd ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare: Quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Idem dicit vbi ſupra q. 86. ar. 8. de voto obedientiæ in his, quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Non. n. poteſt Papa quempiam eximere a ſua obedientia. Ricar. tamen in 4. diſt. 38. ar. 9. q. pri. & nonnulli alij tenent: quòd ex vrgentiſſima & neceſſaria cauſa, ac euidenti & publica vtilitate, per Papam omnia vota quæ nõ ſunt præcepti diuini,ſed ſupererogationis,ſint diſpenſabilia. Petrus etiam de Palude vbi ſupra q. 4. ar. 4. venit in eãdem ſententiam: vbi refert papam diſpenſaſſe cum rege Aragonũ, quem

quem propter defectum prolis cōpulit exire monaſteriū ad matrimonium contrahendum. Durandus quoque eadem diſt. q.2. inquit: Quòd poſſunt eſſe rationabiles cauſæ diſpēſandi in quocumque voto ſupererogationis, alias quod pro charitate factū eſt, contra charitatem militaret. Vnde concludit, quòd omnia vota præfata, cauſa rationabili ſubſiſtente, ſunt diſpenſabilia: cum in quolibet eorū poſſit maioris boni eſſe ꝓfectus, vel mali euitatio, ſiue per cōparationē ad rempublicā, ſiue per cōparationē ad perſonā vouentē. Dictat.n. ratio recta aliquē eſſe in loco Dei cōſtitutū in eius Eccleſia, qui periculis perſonarū & cōmunitatū, penſatis infirmitatibus, vtilitatibus, & damnis, poſſit rationabiliter obuiare. Papa etiā licet iuramenta promiſſoria, quæ ſunt manifeſte licita & vtilia, diſpēſare nō poſſit: poteſt tamē illa cōmutare in aliquod melius pro cōmuni vtilitate: hoc enim maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui curā vniuerſalis gerit Eccleſiæ: ad quē etiā pertinet in omnibus generaliter prouidere, quæ ad diſpenſationem pertinent rerum Eccleſiarū, ſuper quas habet plenitudinē poteſtatis: ſicut & ad vnumquemque pertinet irritare iuramentū, quod ſibi a ſubditis factum eſt circa ea, quæ eius poteſtati ſubduntur: ſicut pater poteſt irritare iuramentum puellæ, & vir uxoris, vt habetur num. 30. De hoc latius vide ſanctum Tho. 22. q. 89. ar. 9. Ad ſolius etiam Papæ auctoritatem ſicut ſpectat epiſcopo curā regiminis conferre: ita ad ſolius eiusdem auctoritatem ſpectat amouere eundē ab eadē cura: Vide pro hac opinione Innocentium extra de renuntiatione: Soli enim Papæ licet in voto perpetuo diſpēſare, quo quis ad curā ſubditorum ſe aſtringit, epiſcopatum ſuſcipiens. Idem inquit beatus Tho. 22. q. 88. ar. 12. Sicut & ſolus ipſe diſpenſare poteſt in votis perpetuis ad uacandum diuinis obſequijs. Et hac ratione præſulatum epiſcopi non poſſunt deſerere quacūque occaſione ſine Papæ auctoritate, vt habetur extra de regularibus & trās. ad relig. c. Licet. Archidiaconi autē & curati poſſunt libere renūtiare epiſcopo curā eis cōmiſſā abſque Papæ licētia, & ingredi religionē: nō enim perpetuo voto ſolléni obligātur ad curā animarum retinēdam. Papa quoque etſi poſſit dare facultatē ſacerdoti ex poteſtatis plenitudine, vt cōferat minores ordines, & ſacramentū cōfirmationis ſecundum Tho. in 4. diſt. 7. q. 13. non poteſt tamen Diacono auctoritatem dare abſoluendi quempiā in foro pœnitentiali: & ſimplici preſbytero conferendi ſacerdotium. Ad eundem etiam ſolum ſpectat dare plenarias indulgentias ſecundum Tho. 12. diſt. 4. Et ratio eſt: quia cum theſaurus Eccleſiæ ſit communis toti Eccleſiæ, per illum ſolum diſpenſari poteſt, qui habet poteſtatis plenitudinem in Ec-

cleſia : Non tamen poteſt nouos condere fidei articulos, aut iam factos amouere ſecundum eundem 17. diſt. 4. Cuius cauſa eſt, quia miniſtri Eccleſiæ inſtituuntur in Eccleſia diuinitus fundata: Fundatur enim in fide & ſacramentis per Chriſtum : cum hoc ſit poteſtatis excellentiæ, quæ eidem ſoli conuenit, qui eſt Eccleſiæ primum & firmiſſimum fundamentum. Summus tamen Pontifex Symbolũ ordinare poteſt, vt dicit idem ſanctus 22. q. pri. art. vltimo. Et ratio eſt : quia editio ſymboli facta eſt in concilio generali, quod ſolius Papæ auctoritate congregari poteſt, vt habetur diſt. 17. decretorũ per totã. Eſt.n. dicta editio neceſſaria ad euitandũ inſurgentes errores: modo ad papam maiores & difficiliores cauſæ deuoluuntur. Et licet in ſynodis Nicæna & Calcedonẽſi præcipiatur ſub anathematis pœna, vt nulli liceat aliam fidem proferre, ſcribere, vel componere præter definitam a ſanctis patribus, qui erant ibi cõgregati : dicit tamen beatus Thom. quòd prohibitio, & ſententia ſynodi ſe extendit ad perſonas priuatas, quarum non eſt determinare de fide. Non enim per illam ſententiam aufertur ſequenti ſynodo auctoritas, non aliam fidem continentem, ſed eandem magis exponentem. Hoc idem pertinet ad ſummum Pontificem, qui habet concilia confirmare. Vnde ſicut poſtquam aliqua eſſent auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ determinata, ſiquis dictæ determinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur : ita ſiquis refragaretur iam determinatis per Papam, cũ auctoritas Eccleſiæ principaliter in illo reſideat, pro hæretico eſſet habendus. Vide quæ ad hoc habentur 24. q. pri. c. Quotiens. Vnde beatus Hieronymus ad Damaſum ait : Hæc eſt fides Papa beatiſſime, quam in catholica didicimus Eccleſia, in qua ſi minus perite, aut parũ caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri fidem & ſedem tenes. Vnde Sanctus Thom. quoli. 8. ar. vltimo inquit : Quòd ſi conſideretur diuina prouidentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu ſancto dirigit, vt non erret, neceſſe eſt, ſicut habetur Ioan. 14. ꝙ Spiritus ſanctus doceat omnem veritatem de pertinentibus ad ſalutem. Iudicium enim ipſius errare non poteſt in his, quæ ad fidem pertinent : immo magis ſtandum eſt ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio proferret, quàm quorũlibet hominum in ſcripturis expertorũ. Solus enim Papa congregare poteſt vniuerſale concilium, vt dicit idem Sanctus in lib. de potentia Dei art. 4. Et ſicut poſterior Synodus poteſtatẽ habet interpretandi ſymbolum a priori conditum, & ponendi aliqua ad eius explanationem : ita etiã romanus Pontifex hoc ſua auctoritate poteſt, cuius ſola auctoritate ſynodus poteſt, & a quo ſententia ſynodi confirmatur,

firmatur,& ad ipſum a ſynodo appellatur. Quæ omnia patet ex geſtis Calcedonen. cōcilij ſic dicētis: Non eſt neceſſe,ꝙ ad huiuſmodi expoſitionē faciendā vniuerſale conciliū cōgregetur. Et in tract. cōtra impugnātes religionē,inquit: Quòd ſancti patres in cōcilio cōgregati nihil ſtatuere potuiſſent, niſi auctoritate ſummi Pontificis interueniente, ſine qua concilium congregari nō poteſt. Princeps etiam etſi ſolutus ſit a lege quantum ad uim coercitiuam,cū nullus poſſit in ipſum iudicium condemnationis inferre, ſi contra legem agat,(non enim habet homines,qui eius facta diiudicent) quātum tamen ad uim directiuam legis, ſubditur legi propria volūtate: ſecundū quod habetur extra de cōſtitu. c. Cum omnes. Quod quiſque iuris in alium conſtituerit,ipſe eo debet vti. Et ſapiens dicit: Patere legem, quā ipſe tuleris. Dicimus vltra,quòd licet Papa non poſſit diſpenſare in ſtatutis,quæ Sancti patres decreuerunt eſſe de iure diuino, ſicut ſunt articuli, qui determinati ſunt per cōcilia,de quibus dumtaxat intelligitur illud Zoſimi papæ,quod habetur in.c. Contra 25.q.pri. Contra ſtatuta patrum condere aliquid,vel mutare,auctoritas huius ſedis non poteſt: Secundū tamen beatū Thom. in trac. contra impugnantes religionē,omnia quæ ſunt de iure poſitiuo relicta ſunt diſpoſitioni papæ, vt ea ſecundum opportunitatem temporum aut negotiorū mutare poſſit, aut diſpēſare. Quando enim papa facit aliud, quàm a ſanctis patribus ſtatutum ſit, non facit contra ſtatuta, cum ſeruetur intentio ſtatuentium. Etſi non ſeruentur verba ſtatutorum,quæ non poſſunt in omnibus caſibus, & in omnibus temporibus obſeruari: ſeruatur tamen prædicta ſtatuentium intentio, quæ eſt vtilitas Eccleſiæ. Nullo tamen modo,vt dictum eſt, poteſt diſpēſare in his,quæ ſunt iuris diuini, vel naturalis: licet poſſit illa declarare, ſeu interpretari. Dicit vltra præfatus doctor in quoli. 4. art. 14. Quòd papa habet poteſtatem in Eccleſia: ita quòd quæcumque per Eccleſiam inſtituta ſunt, vel per Eccleſiæ prælatos, ſunt diſpenſabilia a Papa: & hæc dicuntur eſſe iuris humani, vel poſitiui. In præceptis vero moralibus, articulis fidei, & ſacramentis gratiæ non poteſt diſpenſare. Quòd autē bigamus promoueri poſſit,non eſt contra prædicta: licet Papa diſpēſare non debeat niſi ex magna & euidēti cauſa: faceret enim tūc cōtra Apoſtolum. Pro quo ſciendum ſecundum Thom. vbi ſupra,quòd Apoſtolus in ſua doctrina poſuit quædam, vt promulgans ius diuinum: Sicut illud ad Gal.5.Si circūcidimini,Chriſtus nihil vobis proderit: in quo genere Papa diſpenſare non poteſt. Quædam vero propria ſtatuit auctoritate, de quibus pri. Cor. 11. Cetera, cum venero, diſponam: et. c. 16. Vt collectæ, quæ fiunt in ſanctos, per vnam ſabbati

bati fiant. Hoc modo ſtatuit bigamum non ordinandum : et in his Papa diſpenſare poteſt. Vnde idem Thom. in 28. diſt.4. inquit : Ea quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorum (cum Eccleſia habeat nunc eandē poteſtatē ſtatuēdi,& diſcernendi,quam habuit tunc)poſſunt per Papā,qui primatū tenet in Eccleſia, diſpenſari : Similiter & pœna,quam canones Apoſtolorū eorū auctoritate editi , ſtatuerūt pſbytero fornicanti . Præfatis addimus ſecundum eundem ſanctum 22. q. 87. art. 4. Quòd Papæ exigenti clerici tenentur ſoluere decimas : quam veritatem hoc modo deducit, videlicet : quòd in veteri lege primitiæ debebantur ſacerdotibus, decimæ autem Leuitis : & quia ſub ſacerdotibus Leuitæ erant, dominus mandauit, vt ipſi loco primitiarum ſoluerent Sacerdoti ſummo decimā decimæ. Vnde nunc eadem ratione tenentur clerici ſummo pontifici decimam dare, ſi exigeret. Naturalis etiam ratio dictat,vt illi,qui habet curam vniuerſalem, de communi multitudinis ſtatu prouideatur, vt poſſit exequi ea,quæ pertinent ad cōmunē ſalutem . Et licet non omnes pontifices , etiam rita ordinatione ſedētes in Apoſtolorum cathedra,habeant ſpiritum,quo ſanctificati ſunt & iuſti : omnes tamen quandiu ab Eccleſia intus tolerantur,habent Spiritū ſanctum, per eorum miniſteria in Eccleſia remittentē peccata . Omnia enim ſacramenta (vt inquit Auguſtinus libro 7. contra donatiſtas c. vltimo, & in lib. de vnico baptiſmo contra Petilianum) cum obſint indigne tractātibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus . Papa ante coronationem,& conſecrationem,vocat ſe epiſcopū electum, (maior enim dignitas in Eccleſia eſt epiſcopalis vt dicit glo.in procœmio ſexti) qui ſcribit ſe ſic . N. electus epiſcopus &c. pro Papa enim habetur, qui canonice & legitime a duabus partibus fuerit electus : de quo Alex. 3. in c. Licet,de elect. & elec. poteſta. inquit. Statuimus vt ſi forte inimico homine ſuperſeminante zizania, inter Cardinales de ſubſtituēdo ſummo Pont. nō poterit eſſe plena concordia : & duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut ſibi aliū nominare præſumpſerit: abſque vlla exceptione:ille ab vniuerſali Eccleſia Romanus Pont. habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit & receptus . Gregorius etiam 10. in concilio Lugdunenſi confirmat conſtitutionem præfatam, vt habetur in c. Vbi periculum de elect. in 6. Et licet ab hominum electione quis habeat,quòd ſit Papa : poſtquā tamen electus eſt , non ab hominibus,ſed a Deo,habet plenam ſuper totam Eccleſiam poteſtatem : & ideo non poteſt per quodcumque crimen deponi, niſi conſtet ex eodem iure diuino Eccleſiæ propter tale crimen Papam deponendum eſſe.

Romana

Romana Eccleſia quomodo Petri pontificatui addicta eſt. Cap. LVIII.

PRO plena notitia habenda, quomodo Eccleſia Romana pontificatui Petri addicta ſit, eſt ſciendũ,quòd aliud eſt ſuccedere Petro,& aliud eſt hũc ſcilicet Romanum Pontificem ſuccedere illi. Cuius ratio eſt: quia quòd Petrus habeat ſucceſſorem, inſtitutio eſt euangelica,qua Dominus in Petro paſtorale totius mundi inſtituit officium. Quòd autẽ Petro ſuccedat hic, videlicet Romanus Pontifex,non eſt ex inſtitutione euangelica: cum euangelica voce non ſit romana Eccleſia appropriata Petro: ſed tota Eccleſia commiſſa ſibi, quando eidem dictum fuit, Paſce oues meas. Si enim Petrus perſeueraſſet vſque in finem,vt incœpit abſque appropriatione alicuius particularis Eccleſiæ: nec Romanus Pōtifex,nec aliquis epiſcopus particularis eſſet Petri ſucceſſor: ſed decedente Petro fuiſſet vnus electus in Epiſcopũ Eccleſiæ catholicæ, qui ſucceſſor fuiſſet Petri. Si etiam continuaſſet beatus Petrus in Antiochena Eccleſia, quam ſibi prius appropriauerat vſque ad mortem, non Romanus, ſed Antiochenus epiſcopus ſucceſſor fuiſſet Petri. Si etiam Petrus diſceſſiſſet ex Roma, non tantum loco, ſed & ſede: ita quòd alibi ſedem elegiſſet: non ſucceſſiſſet Romanus Pontifex Petro: ſicut nec modo ſuccedit Petro Antiochenus. Euangelica enim inſtitutio de his mutationibus non ſe intromittit: ſed ſubſequentibus factis diſponendum hoc relinquit. Appropriatione enim ex Petri morte,et Chriſti auctoritate firmata, Romana Eccleſia Petri pontificatui addicta eſt. Ex quibus ortũ eſt, vt Romanus Pōtifex Petro ſuccedat, prout teſtatur diuus Ambroſius in oratione cōtra Auxētium de baſilicis tradendis. Inquit enim, quòd Petro volenti ex vrbe Roma diſcedere, obuians Chriſtus iuſſit, vt Romæ mortem pateretur, eidem dicendo: Venio Romam iterum crucifigi: vt non nuda mors Petri Romæ,ſed mors iuſſa a Chriſto in vrbe Roma firmaret Romanam ſedem in Petri ſucceſſione. Si igitur ad ortum, atque initium ſucceſſionis Romani Pont. Petro ſpectes, rationem ſuccedendi inuenies fuiſſe Eccleſiæ Romanæ appropriationem ad pontificatum Petri, firmatam vt dictum eſt ſupra,& Petri morte, & Chriſti mandato. Cum igitur dicimus Petrum, & Romanum Pont. Eccleſiæ catholicæ, non duos intelligimus pontificatus, cum non ſint duo niſi in potentia, hoceſt potuiſſent eſſe duo, nec ſe habent vt duo vniti pontificatus, cum ante Petrum in Romana Eccleſia nō eſſet pōtificatus:ſed ipſemet Petrus Romanam Eccleſiam euexit in

pontificatum,

pontificatum, non alium, quàm ſuum, quem ſecum vehebat: ita quòd pontificatum Petri, quem a Chriſto habuit relatum ad Eccleſiam catholicam, retulit ipſe Petrus ad Eccleſiam romanam, appropriando ſibi illam: Et ſic ambo ſunt idem, non modo vnitate perſonæ, ſed idemptitate pōtificatus, in cuius ſignum Romano Pont. datur tantum vnum pallium. Romanus Pont. Petro ſuccedens auctoritatem habet apoſtolicam ab euangelica Chriſti voce dicentis, Paſce oues meas. Licet enim Apoſtolica ſedes, quòd Romani ſit Pontificis, ortum habuerit ex appropriatione Eccleſiæ Romanæ ad Petrum: ex quo tamen ſic firmata eſt, eo ipſo quo aliquis verus eſt Romanus Pontifex, verus eſt Pontifex totius Eccleſiæ in beato Petro inſtitutus. Communis enim chriſtianorum & olim, & nunc, & ſemper confeſſio fuit, eſt, & erit, Romani Pontificis ſedem ſolam eſſe ſedem Apoſtolicam: quod non eſt aliud, quàm fateri Romanū Pontificem Petri ſucceſſorem eſſe rectorē catholicæ Eccleſiæ. Nam in Apoſtolica ſede, clauditur apoſtolica auctoritas: in apoſtolica autem auctoritate facultatem regendi totam Eccleſiam includi, intelligunt exercitati in ſacris literis. Confitendo igitur Apoſtolicæ auctoritatis ſedem, confitemur ſedem ordinatricem, & iudicem omnium. Sedes Hieroſolymitana, in qua Iacobus ſedit, quare non eſt ipſa ſedes apoſtolica? niſi quia in illa non eſt auctoritas apoſtolica, & in Romana ſic. Porro in profeſſione ſedis apoſtolicæ clauditur eius diuinæ inſtitutionis confeſſio. Nam quia ſecundum veritatem apoſtolicam, tam ſedes, quàm auctoritas a ſolo Chriſto eſt, & eſſe poteſt, a quo ſolo poſſunt Apoſtoli fieri (neque enim minus eſt Apoſtolicam ſedem, ac auctoritatem, quàm Apoſtolum inſtituere: ſicut non minus eſt epiſcopalem auctoritatem, ac ſedem facere ſedem, quàm epiſcopum) neceſſe eſt, vt qui Apoſtolicam confitentur ſedem, a Ieſu Chriſto immediate eſſe illius auctoritatem cōfiteantur: diuinoq; iure perinde inſtitutam illam eſſe profiteantur. Et hic habes, quòd doctores confitentes Romani Pontificis ſedem apoſtolicam, aut apoſtolatum, aut auctoritatem apoſtolicam, fateantur Romanum Pontificem eſſe totius Eccleſiæ rectorem: & hæc ſufficiant pro ordinis ſacramento.

De ſacramento Matrimonij. Cap. LIX.

POSTQVAM determinauimus de ordinis ſacramento, quod ad ſpiritualem Eccleſiæ multiplicationem ordinatur: conſequenter hic agendum eſt de vltimo ſacramento, videlicet de Matrimonio, quod ordinatur ad corporalem fidelium multiplicationē.

Matrimonium

Matrimonium enim contracturus debet animo conſiderare, quantum ſit hoc ſacramentum: nempe quòd Deo auctore copulatur: neque aliter credere, quàm ſi videret Deum præſentem, vxorem ſibi copulantem. Miniſterium enim ſacerdotis eſt, licet Deus ſit, qui nexu indiſſolubili eos coniungit Matth. 19. Et animo ſecum reuoluere, quanta ſit ſigni maieſtas: cum ſimilitudinem referat coniunctionis Chriſti ſponſi cum ſponſa Eccleſia ſua. Hoc affectu qui acceſſerit, certe gratiæ, quæ confertur in hoc ſacramento, particeps erit: qui vero profano affectu, theſaurizat ſibi iram Dei. Sed antequam de hoc ſacramento diſſeramus: præſupponimus Matrimonium eſſe verum ſacramentum, cum hoc determinauerit Eccleſia, vt habetur in 7. ſeſſione concilii Tridentini can. primo, ſub his verbis. Siquis dixerit ſacramētū matrimonii nō fuiſſe a Domino Ieſu Xp̄o inſtitutum, & non eſſe verum ſacramentum, anathema ſit. Modo de ſacramentis Eccleſiæ non eſt aliter ſentiendum, quàm ſentit Romana Eccleſia, extra de hæreticis c. Ad abolendam. Quo facto pro huiuſmodi ſacramēti declaratione nonnullæ concluſiones ſunt neceſſario præmittendæ. Prima, ad procreandum prolem debite educandam, marem & fœminam vinculo indiſſolubili ſibi mutuo copulari & obligari, honeſtum eſt. Cuius ratio eſt: quia velle hominē procreare prolem in ſpecie humana, eſt actus recte circunſtantionabilis, cum non ſit de ſe malus, ſicut dare alienum. Modo nō minus eſt ſecundum rectam rationem, vel inclinationem, velle hominem ſaluare ſpeciē ſuam, quàm alia ſpecies animalis ſuam: immo magis, quanto humana ſpecies eſt perfectior: hoc autem regulariter fieri non poteſt niſi per propagationem. Vnde poſito quòd homo eſſet immortalis, adhuc ſecundum rectam intentionem naturæ competeret ſibi communicare perfectionem ſuam modo ſibi poſſibili, hoceſt propagando: Cum etiam detur præceptum gen. pri. & 9. de propagatione, non erit de illicito. Honeſtum eſt etiam agere ad angelicæ ruinæ reparationem, & reſtaurationem ſupernæ ciuitatis Hieruſalem, ſecundum diuinam prædeſtinationem: ſed electi non producuntur regulariter niſi per propagationem: ex conſequenti actus iſte non erit de ſe malus. Nec de ſe eſt ſufficiēter bonus moraliter, cum nullus actus ſic ſit ſufficienter moraliter bonus ex ratione agentis vel obiecti, niſi amare Deum. Quod non modo non eſt contra rectam rationem, ſed neceſſario ſecundum illā: cū obiectum ſit finis vltimus ſecundum ſe volendus, & a quolibet ordinato ad finem. Sed procreare prolem, ex quo nō eſt finis vltimus, ſed aliquid ordinabile ad finem: per conſequens poterit homo recte & non recte ordinare illud ad finem. Ex p̄dictis elicimus, quòd

velle

velle procreare eſt actus circunſtantionabilis rectis circunſtantijs. Quarũ vna eſt circunſtantia ſcilicet finis: vt quãdo quis procreare vult prolem religioſe educandam ad ampliandum cultum diuinũ. Perfecta enim operatio humana eſt finis hominis pri. Eth. c. 12. Ad finem vero debent alia ordinari: & ſic ad hunc finem debet quilibet velle prolem. Et ratio eſt: quia quilibet debet ſic diligere proximum ex charitate, ſicut ſeipſum, ideſt ad idem: ſed quilibet debet diligere ſe ad honeſtam conuerſationem & diuinum cultum: ex conſequenti & proximum, præcipue prolem, cui ſpecialiter tenetur. De hac circunſtãtia loquitur beatus Auguſtinus 9. ſuper Gen. dicens. Bonum prolis non dicitur ipſa proles: ſed ſpes & deſiderium, quo proles quæritur, vt religioſe educetur, vel informetur. Altera eſt, quòd iſte actus debet eſſe determinatarum perſonarum, maris ſcilicet & fœminæ: determinatarum dicimus ex parte cauſarum agentiũ, cum vaga cõiunctio eſſet contra bonum prolis, quod eſt finis hic intentus. Non enim ex tali vaga coniunctione religioſe educaretur proles, cum parentes non haberent determinatã notitiam ſuæ prolis, præcipue pater: & ita non eſſet ſolicitus proli debitam impendere diſciplinam: nec proles patri debitam reuerentiam, & filialem timorem: propter quem filius magis obſequitur patri, & magis ab eo diſciplinam recipit, quàm ab alio. Eſſet etiam contra bonum familiæ, quod conſiſtit in aliqua firma adhæſione principalium perſonarũ: propter quod dicit philoſophus 8. Ethic. c. 12. quòd homo naturaliter eſt animal cõiugale & domeſticum: Nec etiam perſonæ, ſi non eſſent determinatæ ad actum illum, diligentiam adhiberent circa neceſſaria ſibi mutuo & proli. Similiter eſſet & contra bonum ciuitatis: quia amicitia ciuium vt plurimum prouenit ex determinata propinquitate in certo gradu: ibi autem nulla eſſet propinquitas noua & certa, quæ eſſet cauſa amicitiæ. Propter enim hoc Ariſt. politiam Socratis 3. polit. recte reprehendit: cum pro ſtatu naturæ lapſæ multo melior ſit illa, quam ipſe ordinat de non habendo omnia communia. Pro omni igitur ſtatu fuiſſet contra rectam rationem vaga coniunctio maris & fœminæ. Hæc ſupradicta circunſtantia ſatis probatur ex ſcriptura: vnde dicitur Gen. 2. Erunt duo in carne vna. Et pri. Cor. 7. vnuſquiſque ſuam vxorem habeat propter vitandam fornicationem: & hoc ſatis patet per rationem naturalem, videlicet, quòd honeſtum eſt perſonas ſibi inuicem eſſe determinatas ad actum iſtum. Poſtrema circunſtantia eſt, quòd perſonas iſtas ſibi inuicem ad iſtum finem vinculo indiſſolubili obligari, honeſtum eſt. Si enim determinatio ad commorandum, & mutuo ſeruiendum, valet ad debitam prolis

educationem,& ad bonũ familiæ, & ciuitatis, multo magis ad hoc valet perpetua adhæſio determinatarum perſonarum ad inuicem: non autem perpetuo adhærerent propter multa occurrẽtia, niſi ad talem adhæſionẽ eſſent ſibi inuicem vinculo indiſſolubili obligatæ. Et licet talis perpetua obligatio ad finem prædictum ſecundũ Scotum 26. diſt. 4. propriiſſime non ſit de lege naturæ, vt principium practicum per ſe notum, vel concluſio demonſtratiue deſcendens ex tali principio: ſecũdario tamen eſt de eadẽ lege,& verũ euidẽter conſonũ talibus principijs & cõcluſionibus: licet nõ neceſſario ſequens. Secũda cõcluſio principalis eſt: marẽ & fœminã poteſtatem ſuorũ corporũ ſibi mutuo tradere ꝓ vſu perpetuo ad procreãdam prolẽ, honeſtũ eſt: et expedit, ꝙ illa obligatio indiſſolubilis naſcatur ex actu volũtatis perſonarum obligatarũ. Et ratio eſt: quia ex quo obligatio debet eſſe indiſſolubilis, expedit, ꝙ modus, quo fit, ſit cõueniens indiſſolubilitati eius. Si .n. cogerẽtur a legiſlatore ſibi inuicẽ coniungi, minus placerent ſibi mutuo. Quia ſicut dicitur 20. q. 3. c. Præſens: quod quis non eligit, profecto nõ diligit: & quod nõ diligit, facile contemnit. Dicta etiã concluſio honeſta eſt ex contractu mutuæ donationis: dicitur enim contractus quaſi ſimul tractus duarum voluntatũ: & per conſequens neceſſario requirit actus voluntatum concordes in tranſlatione mutua corporum. Sed nec hoc ſufficit. Sed oportet actus iſtos per aliqua certa ſigna mutuo exprimi: alioquin neutri conſtaret de voluntate alterius. Neuter enim transferret, niſi conciperet alium velle ſimiliter facere. Si ergo expedit illos obligari per proprias voluntates,& non ſine ſignis expreſſis: conſequenter expedit ibi eſſe contractum, ex quo naſcitur illa obligatio. Contractus ille non poteſt eſſe niſi mutuæ donationis, vel permutationis (quod idem eſt) poteſtatis corporũ pro vſu perpetuo ad iſtum finem. Nam poteſtatẽ ſui corporis, quæ ſua eſt, nullus transfert in alium niſi per actum voluntatis ſuæ: quia per illum fit dominus,& deſinit eſſe dominus, & facit alium dominum: & per conſequens illud, quod alius acquirit in corpore alterius, transfertur in ipſum per actum voluntatis liberæ transferentis: & hoc cũ ſigno extrinſeco euidenti, in quo habetur ratio contractus prædicti. Cuius forma eſt: do, ſi des: vel do, vt des. Et licet homo ex creatione teneatur Deo in omnibus, quæ poteſt: Deus tamen non tantum exigit ab homine, vt neceſſarium ſit Deum iſtam translationem corporũ approbare: ſed dimittit eum libertati ſuæ: ſolummodo enim exigit, vt ſeruet decalogi præcepta. Poteſt enim quis ſe vendere in ſeruum, licet de hoc non inueniatur ſpecialis in ſcriptura approbatio diuina. Et ratio eſt: quia in quibus Deus non

obligat

obligat ſibi hominem vel bona ſua,relinquit ea voluntati eius. Tertia concluſio eſt, quòd iſtam dationem mutuã a Deo inſtitui & approbari congruum eſt,quod ſic patet : quia nulli obligarẽt ſe communi obligatione,& tam difficili,niſi ad hoc eſſet aliquid aſtringẽs, vel vt lex naturæ, vel vt lex poſitiua diuina, aut humana: Lex enim naturæ euidentiſſima, vt dictum eſt, non obligat ad indiſſolubilitatem vinculi præfati, ſed ſecundo modo dicta. Illud modo,quod ſic eſt de lege naturæ,non eſt omnibus manifeſtum. Expedit ergo neceſſitatẽ illius præcepti a lege poſitiua diuina determinari. Minus etiam obediunt homines legi naturæ,quàm Deo præcipienti : cum minus timeant & reuereãtur cõſcientias proprias,quàm auctoritatem diuinã. Cum igitur iſta indiſſolubilitas debeat eſſe vniformis apud omnes,& leges humanæ ſint variæ apud diuerſos,non expedit hanc determinationem accipere a lege humana, ſed diuina. Hoc autẽ factũ eſt Gen. 2. & Matth. 19. Vbi Chriſtus allegat præceptum, quod Deus protulit per os Adæ,vt præconis ſui,dicens. Et adhærebit vxori ſuæ. Pro quo notandũ, quòd aliud eſt præcipere contractum illum,& aliud eſt præcipere adhæſionem perpetuam præmiſſo primo contractu. Primum expedit mandare pro illo tempore,pro quo erat neceſſitas propagationis : ſed non pro illo in quo nõ erat talis neceſſitas: & hinc eſt quòd Deus poſt lapſum bis dedit præceptum de contrahendo Gen. pri. & 9. Sed præceptum ſecundum expedit dari pro ſemper: cum quia indiſſolubilitas illa eſt conſona, vt dictũ eſt,legi naturæ: tum quia minus ſeruaretur, niſi ſuper hoc eſſet diuinum præceptũ. Quarta & vltima concluſio eſt,quòd huic contractui mutuæ translationis,vel donationis,aliquod ſacramentum annecti congruum eſt, & factum: ex qua elicio nonnulla dicta. Primum,quòd cõtractui prædicto congruũ eſt annecti collationem gratiæ,cum ex eo naſcatur obligatio valde difficilis, licet eius difficultas coniũcta ſit honeſtati: Ad honeſtum modo & difficile congruum eſt adiutricem gratiam conferri. Secundum,congruum eſt in aliquo ſigno ſenſibili ad hoc a Deo inſtituto regulariter conferri: cum dictum ſit ſupra de ſacramentis in generali, quòd expediat talia ſigna inſtituta eſſe pro ſtatu iſto. Tertium, expedit ſacramentum proprie dictum coniungi contractui præfato : quia ſignum efficax gratiæ tunc collatæ. A quo modò, & vbi fuerit inſtitutũ, quæ forma, qualiter vna,quis miniſter,& qualiter vnus, & quis effectus ſit ſacramenti, per ordinem diſſerendum eſt.

De cauſa efficiente huius ſacramenti: deq; eius forma, vnitate,miniſtro,& effectu. Cap. L X.

DE cauſa efficiẽte ſacramenti matrimonij diſſerendo dicimus, quòd ſacramentum iſtud inſtitutũ non fuit in ſtatu innocentiæ Gen. 2. Cũ omnia sacramẽta efficaciam habeant a Chriſti paſſione exhibita vel præuiſa. Modo ſi innocentiæ ſtatus perſeueraſſet, dicta paſſio nec exhibita fuiſſet, nec præuiſa: nec etiam apparet, quòd ſit Moſaicæ legis ſacramentum, cum in eadem nullibi legatur inſtitutum. Reſtat ergo, quòd contractui matrimoniali annexit Deus ſacramentum proprie dictum pro lege euangelica: alioquin nõ eſſet ſacramentum nouæ legis. Et ſic oportet dicere, ſicut dictum eſt de ſingulis alijs ſacramentis eccleſiaſticis, quòd fuit inſtitutũ a Chriſto: vbi autem non inuenitur noſtro iudicio planius, quàm Matth. 19. Et licet ibi tantum videatur approbare contractum inſtitutum gen. 2. & per conſequens illud non inſtituat: inſtituit tamen ſacramentum, vt poteſt elici ex illo verbo quod addidit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet: vt non intelligatur ibi coniunxiſſe pro inſtituiſſe præciſe contractum matrimonij: ſed coniunxiſſe ex tunc gratioſe per inſtitutionem ſacramenti concomitantis illũ cõtractum coniungentem. Forma autem eſt aliquod ſignum ſenſibile inſtitutum a Deo ad ſignificandum efficaciter gratiam tunc collatam. Scotus vero vbi ſupra videtur declinare ad hoc, quòd in quocumque contractu matrimoniali in lege euangelica cõcomitatur ſacramentum: quia illud ſignum ſenſibile, quod requiritur ad contractum, eſt ex diuina inſtitutione ſacramentum. Ex quibus patet qualiter ſit vna forma: vnitate ſcilicet integritatis, & non vnitate indiuiſibilitatis: cũ verba hinc inde expreſſiua cõſenſus ſint vnum ſignum integrum, & reſpectu contractus, & reſpectu gratiæ. Nec inconuenit plures particulares formas eſſe vnius tantũ ſacramenti: ſicut dictum eſt de Euchariſtia. Miniſter vero huius ſacramenti poteſt eſſe indifferenter quicũque poteſt eſſe miniſter in contractu matrimonij. Sed dubium eſt, quomodo ſit vnus miniſter: & poteſt dici (ſicut dictum eſt de vna forma) quia vnus vnitate integritatis. Effectus autem dicti ſacramenti ſunt duo: primus duæ gratiæ in animabus contrahentium: & hoc niſi ponatur obex, ſcilicet peccati mortalis, hinc inde. Non enim ſufficit ad gratiam conſequendam, quòd contrahens non ſit fictus reſpectu ſacramenti: ſed oportet, quòd prius pœnituerit: cum hoc ſacramentum non conferat primam gratiam, ſicut baptiſmus. Secundus vnio animarum contrahentium: & ſi aliqui in lege noua contrahant matrimoniũ ſine certo ſigno ſenſibili, vt muti: Scotus videtur dicere, quòd recipiant gratiam, ſi non ſit obex: quia Deus aſſiſtit illis propter difficultatẽ

illius

illius honeſti contractus, non tamen tantam, quantam perciperent cum ſacramento,maxime ſi impoſſibilitas nõ excuſet. Dicimus vltra, vt adhuc prædicta melius intelligantur: quòd aliud eſt matrimonium: aliud contractus eiusdem: & aliud ſacramentum matrimonij. Matrimonium eſt illa mutua obligatio, vel vinculum illud, quod poſt contractum remanet in animabus contrahentium. Contractus vero matrimonij eſt ille actus mutuus voluntatum,quo tradunt ſibi mutuo poteſtatem corporum. Sacramentum vero matrimonij eſt ſignum efficax gratiæ concomitans actum illum.Primum eſt permanens in animabus coniugum, vt dominium nouũ, & noua ſeruitus. Secundum eſt tantum in fieri,& conſtat ex actibus interioribus & exterioribus duarum perſonarum: & hoc ſecundum ſe habet ad primum, ſicut cauſa in fieri, quemadmodum baptizari vel ordinari ad characterem.Tertium autem ſimiliter eſt in fieri: & ſimul eſt,& non eſt: cum ſacramentum ipſum non continuet cum ipſa perpetua obligatione: ſed tandiu eſt, quandiu fit, vt cetera ſacramenta, dempta ſanctiſſima Euchariſtia. Matrimonium autẽ non eſt æquiuocum ad illa tria, ſed tantum ſignificat primum, & in recto: pro alijs autem duobus accipitur tantum in obliquo, ſpecificans illa: vt pro ſecundo dicatur contractus matrimonij:pro tertio ſacramentum matrimonij. Primum horum trium ſic deſcribitur: Quòd eſt vinculũ indiſſolubile inter marẽ & fœminam ex mutua translatione poteſtatis corporum ſuorum in ſe inuicẽ facta ad procreandam prolem religioſe educãdam. Secundum vero ſic: Contractus matrimonij eſt maris & fœminæ mutua translatio corporũ ſuorum pro vſu perpetuo ad procreandam prolem debite educandam. Tertium ſic: Sacramentũ matrimonij eſt expreſſio certorum verborum maris & fœminæ ad ſe inuicem,ſignantium traditionem mutuæ poteſtatis corporũ ad prolem debite procreandã, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans & cauſans (eo modo quo ſacramenta cauſant) gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam gratioſam animorũ. Sed ſi non ſit certa, & præciſa forma verborum huius ſacramenti,dicatur ſacramentum iſtud eſſe exhibitio certorum ſignorum:vel aliquid generalius &c. Contractũ ſiquidẽ matrimonij inſtituit Deus ante lapſum,cum dixit Gen. 2.Hoc nũc,os de oſſibus meis &c.et Gen.9. poſt lapſum, cum ſubdidit. Creſcite, & multiplicamini. Et inſtitutio fuit per modum præcepti affirmatiui,obligans ſemper, ſed non ad ſemper, ſed tempore neceſſitatis,& in principio. Eodem etiam modo obligaret nunc, ſi paucitas hominum ex aliqua cauſa in fidelibus accideret, vt ex bello,peſte, & ſimilibus. Ex quibus patet, qualiter iſte

contractus eſt a Deo per legem poſitiuam diuinam inſtitutus. Matrimonium vero ipſum, ideſt obligationem indiſſolubilem, inſtituit Deus ex lege ſua poſitiua Gen. 2. ibi. Adhærebit vxori ſuæ: adhærebit, inquit, ideſt non momentanee accipiet. Et hoc ſecundum p̃ceptum habet vim negatiui: quia obligat ſemper, & ad ſemper, niſi per legislatorem fiat ſpecialis diſpenſatio. Sacramentũ vero matrimonij inſtituit ſaluator, vt dictum eſt, & probabiliter Matth. 19. Ex inſtitutione ergo diuina poteſt dici, quòd propter laudabilitatẽ actus iſta tria ſunt data in officium ad finem illum, qui eſt procreare prolem debite educandam. Ex infirmitate vero poſt lapſum, & pronitate ad iſtum actum, indulſit, & hoc ad vitandum maius malum: & iſta indulgentia poſita, contractum ordinatum ad actũ iſtũ inſtituit, etſi non lege naturæ impreſſa, ſaltem lege poſitiua: & hoc tam quantum ad contractum matrimonij, quàm quantum ad obligationem. In nouo teſtamento ſaltem, etſi non in veteri, certificati ſumus de hoc propter alium finẽ, ſcilicet propter vitandam fornicationem pri. Cor. 7. vbi Paulus ait: Hoc autem ſecundum indulgentiam dico: propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat: & vt inquit Scotus vbi ſupra. Veriſimile eſt, quòd iſta indulgentia non fuerit primo in lege noua indulta, ſed a principio humani lapſus. Sanctus Bonauentura in 26. diſt. 4. art. pri. q. pri. inquit: Quòd vſus aliorum ſacramentorum eſt tantum in remediũ: huius vero in remedium, & in officiũ: propterea matrimonii vſus non tantum conuenit infirmis, ſed & ſanis. Ideo duplex fuit eius inſtitutio: vna ante lapſum in officium, alia poſt in remedium. Eſt autem vſus matrimonii in remedium contra ignorãtiam, dum erudit inquantum ſignum, & in remedium contra concupiſcentiam, dum illam refrænat, vt medicamentum: ſic & eius officium fuit quantum ad duas operationes potentiarum, videlicet quantum ad actum cognitiuæ, vt homo videret exterius coniunctionem in creatura, quam intelligebat interius: nõ inquam, vt erudiretur, ſed vt videndo materialiter, quod ſciebat, oblectaretur. Et quantum ad actũ generatiuæ in officiũ: vt quia per ſe homo nõ potuit ſpeciẽ cõſeruare, adiũcta ſocia in actũ illũ cõſeruationis ꝓdire poſſet. Et circa literã inquit, quòd diſtingunt iuriſperiti matrimonium: quia quoddam eſt initiatum, quoddam ratum, quoddam conſummatum. Matrimonium initiatur deſpõſatione de futuro: ratificatur in conſenſu de præſenti, & cõſummatur in copula carnali. Sanctus vero Tho. 27. diſt. 4. q. 2. dicit, quòd in matrimonio eſt tria conſiderare. Primo eſſentiam ipſius, quæ eſt coniunctio: & ſecundum hoc nominatur coniugium. Secundo cauſam eius, quæ eſt deſponſatio, & ſe-

cundũ hoc vocantur nuptiæ a nubere, quia in ipſa ſollemnitate deſponſationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur. Tertio effectum, qui eſt proles: & ſic dicitur matrimoniũ, vt Auguſtinus inquit contra Fauſtum, ob hoc, quòd mulier non debet ad aliud nubere, niſi vt ſit mater. Definitur a Magiſtro ſen. eadem diſt. quòd Matrimonium eſt viri mulieriſq; coniunctio maritalis inter legitimas perſonas, hoceſt coniungi non prohibitas per ius diuinum aut humanum, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens, ad prolem ſcilicet generandam, educandam, & promouendam, & ad ſibi inuicem mutuo obſequendum, & opera ordinata communicandum: vbi dicit ſanctus Bonauentura circa literã, quòd hic definitur matrimonium ſecundum ſtatum perfectum, ſiue conſummatum. Iſta enim definitio, Matrimonium eſt maris & fœminæ coniunctio maritalis, ſufficiens eſt quantum ad eſſe definiti. Sed quoniam maritalis coniunctio duo importat in ſe, videlicet legitimitatem perſonarum, & indiuiſionem: ideo ad maiorem eruditionem ſuperadditur inter legitimas perſonas, quæ non eſt de eſſe definitionis, ſed explicatio primi membri. Et ſecundum eundem poteſt etiam dici, quòd notatur ibi quadruplex genus cauſarum, videlicet: formalis in hoc, quod dicitur coniunctio maritalis: efficiens, ibi viri & mulieris, quæ inquantum conſentiunt, ſe habent in ratione cauſæ efficientis: materialis, ibi inter legitimas perſonas: & finalis in eo quod ſequitur, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.

Hoc Matrimonij ſacramentum tria habet bona. Caput. LXI.

PRIMVM matrimonij bonum beatus Auguſtinus lib. 9. de Gene. c. 7. & de bono coniugali c. 24. dicit eſſe fidem: in qua attenditur, ne propter vinculum coniugale cum altera adulteretur: dicit enim beatus Paulus primæ Cor. 7. Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: & e contra. Secundum, prolem: vt amãter ſuſcipiatur, nutriatur, religioſe educetur: huius enim potiſſimum gratia, contrahi debet Matrimonium. Ita enim dicit Apoſtolus vbi ſupra: volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe. Tertium bonum eſt ſacramentum, in quo attenditur, vt coniugium non ſeparetur: & dimiſſus, aut dimiſſa alteri non coniungatur. Vnde Matth. 5. dicitur. Omnis qui dimiſerit vxorẽ excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat: & Paulus vbi ſupra: His, inquit, qui matrimonio iũcti

ſunt, præcipio, non ego ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Quæ & Chriſti & Apoſtoli verba non alio ſenſu acceperũt Ambroſius in primam Cor. 7. Hieronymus ad quæſtiones Amãdi presbyteri. Auguſtinus de bono cóniug. c. 7. & ante eos Origenes in Matth. homil. 7. ſimiliter & Chryſoſtomus homil. 7. in 5. caput Matth. atque Theophylactus, & alii doctores: quàm quòd per ea ſignificari exiſtimarent, tanti ſacramenti rem eſſe fœdus illud initũ nuptiale, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat: quandoquidẽ viuente viro a quo relicta eſt, mœchatur ſi alteri nupſerit. Neque diſpar eſt cauſa viri, quem non oportet eſſe meliorem conditione, quàm ſit mulier. Pro clariori tamen notitia dictorum trium huius ſacramẽti bonorum, notandum ſecundum Scotum 31. diſt. 4. quòd cum ſecundum Philoſophum 5. Meta. c. de perfecto, bonum & perfectum idẽ ſit: duplex eſt perfectio rei, videlicet intrinſeca, vt forma: & extrinſeca, vt finis. Finis modo alicuius poteſt eſſe propinquus & remotus: quorum remotior regulariter eſt potior, cum ad illum ordinetur propinquior. Sumendo igitur matrimonium pro illo vinculo derelicto ex primo contractu, forma eius eſt indiſſolubilitas: & iſta importat tertium matrimonii bonum, videlicet ſacramentum: pro eo quòd ſignat indiſſolubilitatem coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ: quod eſt bonum intrinſecum matrimonii, & eius prima perfectio, ac formalis, quæ ordinatur ad copulam carnalẽ mutuo reddendam, ſi petatur: quæ redditio iuſta eſt, ex iſta obligatione mutua præcedente: & per conſequens huius matrimonii fides, ideſt fidelitas, ſiue iuſtitia ad actum, ad quem coniuges mutuo obligantur, eſt eius bonum extrinſecum, & finis propinquus. Poſtremo quia actus iſte ordinatur ad procreandum prolem religioſe educandã, ſi eueniat: ſic dicta educatio, ſi ſequatur, eſt bonum extrinſecum matrimonii, & finis principalis. Ex quibus euidenter patet, quomodo ſacramentum, vt hic ſumitur, eſt primum bonum matrimonii intrinſecũ, & forma eius. Fides vero, ideſt fidelitas in iuſte reddendo actum debitum, eſt bonum eius, vt finis propinquus, & minus principalis: bonum autem prolis, eſt bonum extrinſecum, & finis vltimus, ac principalis. Et ſiquis diceret, quòd in matrimonio rato & non conſummato non videtur eſſe hoc tertium bonum matrimonii, videlicet ſacramentum, cum illud ſit diſſolubile per religionis ingreſſum, vt habetur extra de regularibus c. Ad apoſtolicam: ſimiliter nec bonum prolis, vbi eſt impoſſibilitas ad ſuſcipiendam eam: nec bonum fidei, vbi eſt adulterium: Reſpõdet Sco. vbi ſupra, quòd ſacramentum vt eſt tertium matrimonii bonũ, non

accipitur pro ſacramento legis nouæ: cum illud, ſicut & cetera ſacramenta ſint ſenſibilia: hæc autem indiſſolubilitas eſt quid ſpirituale in mentibus contrahentium. Sacramentum etiam matrimonii ſtatim tranſit, cum conſiſtat in fieri: indiſſolubilitas vero manet, & eſt in eſſe quieto. Sacramentum etiam proprie dictũ eſt diſpoſitio ad gratiã in digne ſuſcipientibus: non ſic hæc indiſſolubilitas. Hoc igitur ſacramentum, vt eſt tertium matrimonij bonum, eſt intrinſecum bonum omnis matrimonij nouæ legis: ita quòd impoſſibile eſt eſſe matrimonium formaliter ſine illo, quod eſt forma eius. Sed alia duo bona non ſunt intrinſeca matrimonio, nec neceſſaria formaliter, ſed tantum in obligatione & virtualiter. Bonũ quidem fidei ſeruandæ in reddendo actu coniugi, quod ſuum eſt, & non dando alteri alienum, eſt obligatio ſemper, & ad ſemper: ideo non ſeruans fidem peccat mortaliter. Bonum autem prolis eſt ibi in obligatione ſub conditione, ſi eueniat, vt ſuſcipiatur gratanter, & religioſe educetur: & ideò eſt ſub obligatione pro ſemper, & ad ſemper non impedire illud bonũ ſtudioſe. Ad dubia igitur reſpondet, & ad primum: quòd indiſſolubilitas manet vſque ad mortem. Et Dominus Alexander alenſis vna cum Ricardo 27. diſt. 4. exponit illud beati Pauli primæ Cor. 7. Mortuo viro, ſoluta eſt mulier a lege matrimonii, dicens, Illud eſſe verum nõ modo de morte corporali, ſed & ciuili: non enim ille actus conuenit niſi viuenti vita ciuili: profitens vero religionem moritur ciuiliter. Non obſtãte tamen ſententia dictorum dicit Scotus, quòd in matrimonio rato, etſi contrahens intendat non conſentire in copulam carnalem, ſed ſtatim ingredi religionem ante conſummationem, non eſt accõmodatio, ſed permutatio poteſtatis pro vſu perpetuo: alioquin non eſſet verum matrimonium nouæ legis: ex qua permutatione oritur vinculum indiſſolubile: niſi per mortem naturalem alterius coniugum, vel per relaxationem illius, qui ſtatuit, hoc eſſet diſſolubile. Chriſtus autem, qui hanc indiſſolubilitatem induxit Matth. 19. reprobans pro lege ſua repudium Moſaicum, hanc relaxauit indiſſolubilitatem, altero coniugum ingrediente religionem. Eccleſia enim numquam attentaſſet poſt matrimonia rata, non cõſummata, licentiare alterum ad religionem, reliquo remanente in ſeculo, niſi Chriſtus hoc inſtituiſſet, quod poteſt haberi ex facto eiuſdem vocantis Ioannem Apoſtolum, & Euangeliſtam ad Apoſtolatum a nuptiis Ioannis 2. Cuius exemplum imitati ſunt multi ſancti patres. Nec tamen illa nubens alii, erit ſimul vxor duorum, ſed tantum ſecũdi: quia vinculum ipſius ad primum diſſolutum eſt per relaxationem Chriſti, quæ fuit rationabilis: quia rationabile eſt

obligationem

obligationem ad minus bonum commutari in obligationẽ ad maius bonum ab eo, qui habet talem auctoritatem. Profeſſio autẽ in religione cum ſit quid ſpirituale, eſt obligatio ad maius bonũ. Caſtitas enim religionis diuiſa contra coniugalem ſecũdum Hieronymum contra Iouinianum, habet fructum centenarium: coniugalis vero tricenarium. Nec iſta indiſſolubilitas conuenit matrimonio euangelico ratione ſacramenti, cũ in lege naturæ fuiſſet indiſſolubile: & tamen tunc nõ fuiſſet proprie ſacramentũ annexum contractui matrimonij. Erit ergo iſta indiſſolubilitas a Domino ſuperiori, determinante contractum debere fieri pro ſemper, & obligationem debere ſequi pro ſemper, niſi ipſemet in aliquo caſu diſpẽſaret. Ex præfatis ſequitur, quòd contrahentes ſub aliqua conditione repugnãte alicui iſtorum trium bonorum, nihil faciunt: Vtputa contra indiſſolubilitatẽ, ſi dicat quis accipio te in meam, donec occurrat magis placens. Contra fidem: accipio te in meam, ita vt non tenear tibi ſeruare fidem: nec affirmatiue ad reddendũ, niſi quando voluero: nec negatiue, quin poſſim pro libito meo alteri coniũgi. Contra bonum prolis: accipio te in meam, ſi procuraueris venena ſterilitatis, vel conſentias mecum in eiſdem. Ratio autem, quare dicti contractus non ſint matrimoniales, eſt: quia repugnant dicto contractui. Immo nullus ibidem contractus eſt: quia iſte non poteſt dare ſe contra præceptum ſuperioris. Præcepit enim Dominus translationem corporum fieri ſub oppoſitis conditionibus. Quicumque igitur attentauerit oppoſitum, non ſolum mortaliter peccat, ſed nihil facit.

Inter beatam virginem Mariam & Ioſeph, non obſtante voto caſtitatis vtriuſque, fuit verum Matrimonium. Cap. LXII.

PRO notitia habenda de vero inter beatam Virginẽ & Ioſeph matrimonio ponimus aliquas concluſiones. Quarum prima eſt, quòd ſcripturæ & Eccleſiæ auctoritate conſtat, beatiſſimam virginem Mariam fuiſſe Ioſeph iuſti veram ſponſam, coniugem, & vxorem, quod patet Luc. 2. vbi dicitur: Vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante: & Matth. pri. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: idem habetur. 27. q. 2. fere per totum: & ſic tenet Eccleſia. Secunda, verum & ſanctitate perfectiſſimum inter beatam Mariam & Ioſeph fuit coniugium: tametſi ab omni carnali concupiſcentia euaſerit liberrimum. Et ratio eſt, vt habetur

vbi

vbi ſupra: quia fuit ibi verus conſenſus de præſenti, qui facit vere coniuges: fuit fides, quia nullum adulterium: prolem cognoſcimus Dominum Ieſum Chriſtum: fuit & ſacramentum, quia nullum diuortium: Solus nuptialis concubitus ibi non fuit, cum fuerit deſpõſata mater immaculata, mater intacta, mater incorrupta Ioſeph iuſto: ſed non in concupiſcentia iuncta ſecundum Origenem. Vnde recte poterat dicere illud Saræ filiæ Zaguelis vxoris Tobiæ iunioris: Tu ſcis Domine, quia numquam concupiui virum: & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia. Cauſæ autem congruitatis, quare fuerit deſponſata Ioſeph, etiam quòd non erat ab eo maritali affectu cognoſcenda, ſunt multæ, a Doctoribus in 30. diſt. quar. poſitæ: Duæ tamen præcipuæ fuerunt. Vna propter miniſterium, ſolatium, & obſequium præſtandum virgini & puero a Ioſeph euntibus in Aegyptum, & illic manentibus vſque ad perfectæ ætatis crementum. Alia ad conſeruandam Mariæ famam apud perfidos Iudæos, & ad incarnationis myſterium celandum dæmoni. Nec ibi fuit mendacium, cum fuerit vere matrimonio copulata, licet numquam copula fuerit ſubſecuta: ſtatim enim refutaſſent Chriſtum Iudæi, ſi non fuiſſet de coniugio natus: & matrem ſecundum legem lapidaſſent. Quòd autem Ioſeph fuerit perpetuo virgo, probant Paludanus, & Dominus Cardinalis Cameracenſis in de laudibus Ioſeph, ac Cancellarius Pariſien. poſt eũ in ſermone de natiuitate Mariæ, allegans Hieronymum contra Heluidium & Hugonem de coniugio beatæ Mariæ. Si enim matri ſuæ iam prouectæ ætatis dare voluit cuſtodem virginem in cruce, (Ioãnis 19.) quanto magis præſumendum eſt, quòd & in adoleſcentiori ætate conſtitutæ virginem dederit miniſtrũ & ſponſum? Et beatus Aug. in lib. de virginitate c. 4. Beata virgo vouit ante annuntiationem: nec vouentes, aut proponentes virginitatem ſeruare fecerunt contra generale præceptum creſcendi & multiplicandi. Et ratio eſt: quia etſi in lege veteri Gen. 2. & 9. fuerit generale præceptum de matrimonio contrahendo: neceſſe eſt tamen aliquas ſanctas perſonas ab hac lege fuiſſe diuina diſpenſatione exemptas, vel de ſalubriori mandato, vel conſilio diuina inſpiratione edoctas. Nõ enim præſumendum eſt Hieremiam, vel Ioannem baptiſtam, qui extra coniugium virgines remanſerunt, contraueniſſe legi, cum fuerint in vtero ſanctificati: & tamen ſcriptura nullibi videtur eos excipere. Beatus quoque Hieronymus contra Iouinianum, & beatus Ambroſius de virginitate lib. pri. oſtendunt Eliam fuiſſe virginem, & quòd ipſe primo omnium a coniugio abſtinuit. Hoc etiam modo non obſtante tali generali præcepto de contrahendo, congruũ

fuit

fuit beatam virginē habuiſſe ſingularem Spiritus ſancti illuſtrationem de deſponſatione cum Ioſeph, ſaluis pudicitia, & honore eiuſdem. Non enim pro ea, vt dixit rex Aſſuerus reginæ Eſter, hæc lex conſtituta erat: Nec fuiſſet dicta beata Virgo, (ſi non concepiſſet ex Spiritu ſancto) maledicta propter ſterilitatem. Quia etſi in lege veteri fœcunditas pro benedictione, & ſterilitas pro maledictione habita fuit: illa tamen maledictio non fuit culpæ, ſed pœnæ: & vt inquit diuus Bonauentura diſt. 33. quar. in dubijs literalibus, cuiuſdam infamiæ humanæ. Hinc eſt quòd illa maledictio, vt habetur de Anna pri. Reg. pri. potius quædam hominū exprobratio, quàm diuina maledictio dici poterat. Pro hoc facit dictum Heliſabeth concepto Ioanne Lucæ pri. Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. Ad hoc etiam inquit beatus Bernardus homil. 3. ſuper Miſſus eſt: Dura neceſſitas, & graue iugum ſuper filios Euæ: ſi pariunt, cruciantur: ſi non pariunt, maledicuntur: & ſequitur in perſona Virginis. Hinc etſi video maledictum, non tamen peccatum: illinc vero & peccatum & cruciatum. Nec fuit peccatum ſe ſponte ſubdere huiuſmodi opprobrio propter Deum, & amore melioris boni, ſed magnæ perfectionis. Alioquin quomodo euaſiſſent peccatum Elias, Eliſæus, & ceteri filij prophetarum, qui vt inquit Lyranus 4. Reg. 2. ſua reliquerunt pro Deo, & ſimul vixerunt vacantes orationi, & contemplationi in Bethel et Iericho: cum tamen tunc temporis paupertas pro maledictione, & diuitiarum abundantia pro benedictione erat? Vnde Hugo de ſancto victore diſtinguit tria tempora, vt habetur in ſupplemento quar. Bielis diſt. 30. q. 2. Nam cum primo factus eſt mundus, benedicta eſt fœcunditas gen. pri. pro hominum multiplicatione: dehinc cum ab vna tantū gente cognitus eſt Deus, per legem maledicta eſt ſterilitas, vt multiplicarentur fideles. Vnde in ps. 75. dicitur: Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnū nomen eius. Poſtremo cū iam ab omni gente coleretur Deus, & multiplicati eſſent fideles, benedicta eſt virginitas. Quare tenent doctores probabiliter beatiſſimam Virginem, virginitatis propoſito & voto tam mente, quàm ore fuiſſe Deo deuotam. de qua Auguſtinus lib. de virginitate c. 11. Virginitas laudatur, non quia talis, ſed quia Deo dedicata. Et ratio eſt ſecundum Anſelmum in libro de ſimilitudinibus: quia opus bonum factū ex voto plus placet, quàm cum fit ſine voto: quod enim ex voto procedit, ratione voti eſt opus religionis. Vnde Aug. vbi ſupra c. 4. Angelo annuntiāti Maria reſpondit: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum nō cognoſco? quod profecto non dixiſſet, niſi prius ſe virginem Deo deuouiſſet.

Hinc

Hinc communi cóſenſu & Maria & Ioſeph continentiã ſecundum Hieronymum contra Heluidium Deo vouerunt. Sanctus Bonauentura in 30. quar. ad hæc addit, quòd decuit virginem Mariam vouere virginitatem propter tria. Primum, vt eſſet Chriſto decentiſſimum habitaculum: quia enim ſapientia diuina candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, nihil inquinatum incurrit: Decebat enim vt ex matre incorrupta & re, & voluntate firma, conciperetur: perfecta autem incorruptio voluntatis conſiſtit in voto virginitatis. Secundum, vt eſſet mulieribus totius virginitatis exemplum: Sicut enim Deus pater Chriſtũ uiris præpoſuit in exẽplum, ſic beatam Mariam in exemplum præpoſuit mulieribus: & quoniam hoc eſt maxime imitandũ & laudandum, ſcilicet votum virginitatis, ideo in illa eſſe debuit. Tertium, quia in ea debet eſſe omnis nobilitatis & ſanctitatis priuilegium: abſit enim, quòd aliqua alia virgo beatam Mariam excellat: quia altiſſimus, qui fundauit eam, omnis dignitatis priuilegio ipſam adornauit: vt ſicut eam præ ceteris adamauit: ſic ipſa omnibus eſſet ſanctior, & amabilior vniuerſis. Vltima concluſio eſt, quòd licet Maria & Ioſeph perpetuam Deo deuouiſſent virginitatem, eorundem tamẽ voto nõ repugnabat vera matrimonialis coniunctio, ſeu deſponſatio: nec læſit vllatenus, vel offuſcauit cuiuſuis mentalẽ puritatem: quia licet in matrimonio ſit mutua datio poteſtatis corporis ad carnalẽ copulam, non tamen niſi ſub conditione implicita ſecundum Ricardum, ſcilicet ſi petatur. Conditio enim talis nõ præiudicat voto, niſi ponatur in effectu. Vbi vero eſt certitudo per diuinã reuelationẽ, quòd conditio numquam ponetur in effectu, conſtat, quòd ibi nullo modo præiudicat caſtitatis voto: vt fuit in propoſito, cũ Angelus dixerit: Ioſeph noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Ex quo multo magis cõcluditur, quòd & ipſa audiuit vel ab Angelo, vel per diuinam inſpirationem: Noli timere accipere Ioſeph virum iuſtum coniugẽ tuum: nam Spiritus ſanctus, qui in te deſcendet & tibi obumbrabit, dabit tibi ipſum tuæ virginitatis perpetuo cuſtodem, & miniſtrum fideliſſimum: qui & ipſe tecum pari voto perpetuo cõtinebit. Scotus 30. diſt. quar. ponit nonnulla exempla ad hoc propoſitum: vide ea ibi. Et licet dicat beatus Auguſt. quòd non eſt perfectũ matrimonium ſine commiſtione ſexuum, intelligit quoad ſignificationem. Ratum enim & non conſummatum non ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia: ſed conſummatũ dumtaxat. Nec obſtat, quòd dicitur Matth. pri. Antequam conuenirent &c. Similiter, quòd non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitũ. Quia, antequam,

tequam, non ſemper dicit ordinē ad id,quòd futurū eſt: ſed quandoque refertur ad id,quod ſecundum communem naturæ curſum potuiſſet eueniſſe: licet oppoſitum euenerit: vt Ioannes mortuus eſt antequam eſſet quinquagenarius, quamuis numquam attigerit illum: ſic dicimus,antequam pœnituerit, morte præuentus eſt. De donec ſimiliter dicendum,quòd ſumitur pro ſemper,& pro tēpore indeterminato, ſiue vt dicit perpetuitatem, eo modo quo ſumitur in ps. 109. Sede a dextris meis, donec ponā. Et pri. Cor. 15. Oportet illum regnare, donec ponat inimicos ſcabellū &c. Nec eſt ſenſus,quòd tunc deſinet regnare,cum ſubijcientur inimici: ſed quòd perpetuo regnabit. Ita dicimus in hoc loco ſecundum Chryſo. ſuper Matth. homil. 5. Non vt ſuſpiceris, quia vel poſtea quandoque cognouerit: ſed vt diſcas,ꝙ etiā ante partū intacta permāſerit. Qui vero in euangelio dicuntur fratres domini,erant filij ſororum beatiſſimæ Mariæ. Nec refragatur huic ſancto connubio, quod dicitur numerorum vltimo: Quòd debebāt mulieres nubere viris de ſua tribu,de qua non erat Ioſeph, ſed de tribu Iuda, vt habetur Luc. 2. eo quòd eſſet de tribu, & de domo Dauid: Maria vero cum eſſet cognata Eliſabeth Luc. pri. erat de tribu Leui. Dicit enim Scotus vbi ſupra duo: Primū, quòd illa lex data fuit propter filias Salphaad: & hoc ne transferretur poſſeſſio de tribu in tribū: & quòd non obligauit niſi mulieres illas, ad quas deuoluebatur hæreditas paterna. Beata Maria non fuit ſic hæres: ideo licuit ſibi nubere alteri alterius tribus. Secundum, quòd Maria fuit de vtraque tribu: de tribu Iuda ex parte patris,de tribu Leui ex parte matris: ſiquidem Ioachim deſcendit ex Nathan filio Dauid, ſicut patet ex Damaſceno lib. 4. c. 6. Vbi ponit genealogiā ſanctæ Dei genitricis. Illa autem Anna præſumitur fuiſſe de tribu Leui,quæ videlicet fuit mater Mariæ,per quam fuit Eliſabeth cognata ſibi. Ioſeph etiā fuit Chriſti pater curatione,& reputatione, cum fuerit eius curator & nutricius ꝓpter cauſas ſuperius dictas:et nō naturalis. Origenes ſuper pri. Matth.& poſt eū Bernardus ſuper illud,voluit occulte dimittere illā,dicunt: quòd numquā voluit eam dimittere, quoad ſeparationē vinculi coniugalis, ſed ex conſimili cauſa, ſicut Petrus Dominum a ſe repulit, dicens. Exi a me Domine, quia homo peccator ſum. Luc. 5.& Centurio Dominum repulit a domo,dicens:Domine non ſum dignus. Expauit itaque Petrus potentiæ magnitudinem. Expauit Centurio præſentiæ maieſtatem: Exhorruit nimirum Ioſeph ſicut homo tanti miraculi nouitatē,& tāti myſterij profunditatem. Ioſeph igitur eam dimittere voluit,vt iuſtus,vt miſericors, vt quietus: quoniam myſterij virtutem,& ſacramentum in eadem cogno-

ſcebat, cui approximare ſe indignum reputabat. Ait ergo: Maior eſt eius dignitas, ſuperexcellit eius ſanctitas, nec meæ congruit dignitati. Voluit ergo eam occulte dimittere: quia noluit eam diffamare. Beatus tamẽ Auguſtinus in ſermone de verbis euangelii dicit, quòd Ioſeph antequam eſſet ab Angelo præmonitus, eam habuit de adulterio ſuſpectam: harũ opinionum prima licet videatur magis pia, ſecũda tamẽ videtur verior, & ſcripturæ magis cõſona.

De Sponſalibus. Caput. LXIII.

SANCTVS Bonauentura 28. 4. q. pri. de ſponſalibus inquit: Quòd conſenſus non facit matrimoniũ niſi exprimatur per verba de præſenti, aut per ſigna verbis æquipollentia. Si enim exprimeretur per verba de futuro, in veritate non eſſet conſenſus tunc, ſed promiſſio de conſentiendo. Vnde ſi dicat quis: Ego conſentiã in te, tunc non conſentit, ſed ſe conſenſurum promittit: Et quia ibi vere non eſt conſenſus, ideo non eſt matrimonij contractio, ſed ꝓmiſſio de contrahendo, & ex conſequenti nõ obligatio. Talia enim verba, ſponſalia inducunt, quæ firmata dicuntur, quando ſimplici promiſſioni additur iuramentum: ſecundum enim iura cogendus eſt vir, vt mulierem accipiat in vxorem: niſi caſus interueniat, qui ſoluat ſponſalia. Si vero poſt ſponſalia interueniat copula carnalis iura præſumunt, quòd ipſe conſenſerit, & hoc per factum exterius. Præſumunt enim, quòd tanquam vxorem cognouerit, ne reportet commodum de malitia. Vnde in veritate ſi non conſentit, ſed ſolũ tanquam meretricem cognoſcat, matrimonium non eſt. Quia tamen coitus ille cum præcedenti ſpõſione ſignum eſt probabile cõſenſus matrimonialis: ideo ſecundum iudicium Eccleſiæ matrimonium eſt. Pro quo notandum, quòd ſicut ſe habẽt promiſſio alicuius rei, & promiſſi ſatisfactio, ſeu ſolutio: ſic ſe habent ſponſalia de futuro, & matrimoniũ de præſenti: & ſicut promiſſio parit obligationem de lege naturæ ſeruandam, & ſolutio liberat ab illa ſponſione: ſic ſponſalia inducunt obligationem de velle matrimonium contrahere cum aliquo: quo contracto ſatisfactum eſt deſpõſationi de futuro. Promiſſio autem licet ſit ſeruanda, non tamen eſt datio poteſtatis corporis: & ideo non inducit de facto matrimoniũ. Et ſiquis illi promiſſum det alteri, vere datum eſt de facto, & tenet datio, nec poteſt dehinc (cum dominium tranſtulit in illum) datũ ab eo repetere, vt det priori, cui ſpopondit: peccauit tamen tranſgrediendo promiſſum. Eſt igitur promiſſio diſſolubilis de facto per

dationem

dationem ſequentem: licet de iure ſolui non debeat, ſed executioni demandari. Ex quibus inferimus, quòd ſponſalia de futuro etiã iuramento firmata non inducunt vinculum indiſſolubile de facto, ſed de iure: poteſt enim ſponſus corpus ſuum de facto dare alteri, licet peccet promiſſum non ſeruando. Ceterum contrahens matrimonium legitime cum ſecunda per verbum de præſenti poſt ſponſalia etiam iurata de futuro cum prima, vere dat corporis ſui poteſtatem ſecundæ: nec poteſt cum prima coniugale debitum exercere c. pri. de ſponſa duorum. Similiter nec tenetur reuerti ad primã mortua ſecunda: cum actio ſemel extincta ſecundum iura non reuiuiſcat: licet ſi contraxit poſt votũ emiſſum, debeat mortua vxore voto ſatisfacere. Si etiã qui cõtraxerunt ſpõſalia per verbũ de futuro, ſeſe carnaliter cognoſcunt nõ fornicario, ſed maritali affectu, verũ fit ibi matrimoniũ & indiſſolubile, nõ propter copulã, ſed cõſenſum nouũ in foro Dei & Eccleſiæ. Hic enim eſt conſenſus nouus interior tacitus, vel expreſſus, ſigno ſufficienti declaratus. Immo ſecundum beatum Thomam nihil talem conſenſum ita expreſſe indicat, ſicut copula carnalis, niſi e regione appareant ſigna fraudis, vel doli. Et dicitur affectus maritalis, quando per illũ actũ, velut per ſignum expreſſiuum cõſenſus mutui & de præſenti, volũt matrimonium contrahere & cõſummare. Ad hæc ſubdimus, quòd virginis raptor, deflorator, oppreſſor, vel ſeductor, vbi nulla præceſſerunt ſponſalia, tenetur raptam, defloratam, vel ſimulatorie ſeductam gratis ducere, ſi id alias fieri poſſit legitime: vel dotare, non Moſaica, ſed Apoſtolica conſtitutione, vt habetur de adulte. & ſtupro c. pri. & 2. Et hoc eſt verum, ſi pater virginis ad id conſenſerit: & ſimiliter ſi vtriuſque, ſcilicet maris & fœminæ conſenſus acceſſerit, vt habet glo. ibidem. Et dicitur Apoſtolica conſtitutione, quia iudicialia legis veteris hodie non obligant, niſi per nouam Eccleſiæ conſtitutionem firmentur. Clandeſtinus matrimonij aut ſponſalium contractus a perſonis ad contrahendum idoneis celebratus, tametſi ſit iure prohibitus, vt habetur de clandeſt. deſpon. c. vltimo, vbi dicitur: Clandeſtina matrimonia penitus inhibemus, prohibentes ne quis ſacerdos talibus intereſſe præſumat: tenet tamen, vt habetur ibidem cap. 2. Dicuntur clandeſtini contractus illi, qui non contrahuntur ſecundum conſuetudinem patriæ illius, nec coram amicis, parentibus, vicinis, aut teſtibus ſufficientibus, qui poſſint de re ipſa teſtimonium perhibere. Ricar. tamẽ in quar. ponit tres modos contrahendi huiuſmodi contractus, videlicet: quando ſine teſtibus, aut quando non ſeruantur ſollemnitates debitæ, aut quando fiunt ſine denuntiatione præuia. Et licet dicatur

30. q. 5. c. Aliter, quòd non ſunt coniugia, ſed adulteria, vel contubernia, ſtupra, aut fornicationes potius, quàm legitima coniugia: Dicimus, quòd illud dictum Euariſti Papæ, quod ſcribit Epiſcopis Africæ, non eſt ſic intelligendum, quòd non ſint in veritate coniugia, dummodo ibi ſint ea, quæ ad ſubſtantiam contractus requiruntur: ſed quia non habent decorem & honeſtatem, quam Eccleſia vult in coniugio obſeruari. Et quia nō ſunt facta in facie Eccleſiæ, ideo ipſa non præſumit eſſe vera matrimonia. Validi tamen cenſendi ſunt dicti contractus, vt habetur 30. q. 5. c. Siquis. §. his autem, vbi dicitur: Coniugia, quæ clam contrahuntur, non negantur quidem eſſe coniugia, nec iubentur diſſolui, ſi vtriuſque cōfeſſione probari poterunt. Veruntamen prohibetur, quia mutata voluntate alterius eorum, vnius tantum confeſſione iudici fides fieri non poteſt. Pro maiori adhuc dictorum clandeſtinorum matrimoniorum notitia mouentur quatuor infraſcripta dubia, videlicet. An Eccleſia aliquas poſſit ſimpliciter illegitimare perſonas vltra illas, quæ vel a iure naturali vel diuino ſunt illegitimatæ: & an Eccleſia inualidare & irritare ſimpliciter poſſit matrimonia clādeſtina, & quid circa illa ſtatuerit concilium Tridentinum: Similiter an illa quæ fiunt inuitis parentibus, tantum prohibita ſint, an ſimul prohibita & a iure inualidata. Ad duo principalia, videlicet: An Eccleſia auctoritatem habeat ſimpliciter illegitimandi perſonas aliquas ad matrimonium contrahendum: & an poſſit clandeſtinum matrimonium omnino irritare, & præſuppoſito quòd poſſit quid ipſa fecerit, pro eorum declaratione dicimus, quòd verum eſt & rationi conſonum illud, quod Ariſtoteles in 5. Ethicorum c. primo inquit, videlicet: Quòd de contractibus ciuium magiſtratus poteſtatem habet ordinādi, prohibēdi, & irritandi, prout ſaluti, tranquillitati, & cōmuni bono reipublicæ expedire iudicauerit: ſicut & de vniuerſis, quæ ad pacem & bonum ciuitatis conducunt, leges ferēdi. Facultatem vero præfatam legiſlatiuam eſſe apud regem & magiſtratum, non ſolum docent philoſophi, ſed & ſcriptura ſacra, quæ prouerbiorum octauo ait: Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Cui præſuppoſito addimus, quòd quicquid ad ſalutem publicam attinet, diſponere poteſt non modo ſecularis magiſtratus de quo ſupra, ſed & eccleſiaſticus in ordine ad finem ſui regiminis. Ob quā cauſam Epiſcopis inquit Apoſtolus Act. 20. quòd eos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam Chriſtus ſuo acquiſiuit ſanguine. Et beatus Petrus conſenioribus ſuis mandauit primæ Petri 5. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei. Regere modo eſt media commoda ex auctoritate præſcribere, quibus

ſubditi iuſte & honeſte viuant,& tandem beatitudiné conſequantur. Vnde beatus Hieronymus diui Petri verba interpretando, inquit : Paſcite,ideſt regite & gubernate. Et ſcriptura ſubditos monet, vt obediant præpoſitis ſuis,& eis ſubijciãtur, eo quòd ipſi peruigilant,quaſi rationem pro animabus eorundé reddituri ad hebr. 13. Quemadmodum igitur apud ſecularem poteſtaté facultas eſt contractus aliquot ciuiles prohibendi tantũ,& aliquot prohibendi & irritandi, quales ſunt contractus minorenniũ : et apud patresfamilias vota & iuramenta prolium ſuarum : ita apud eccleſiaſticam poteſtatem facultas erit in ordinem ad felicitatem æternam, & pacem,ac honeſtatem domeſticorum familiæ Chriſti, prohibẽdi quædam pro legitimo contrahendo coniugio,& alia propter honeſtaté & bonum Eccleſiæ irritandi : Cum igitur abrogata ſit lex Moyſi de gradibus conſanguinitatis & affinitatis in decimo octauo Leuitici poſita, cum noſter eſſet pedagogus in Chriſto,(translato enim ſacerdotio,neceſſe erat ſecundũ apoſtolũ ad hebr. 7. vt & legis trãslatio fieret,pcipue cum de eis nulla habeamus Dei præcepta, et ius naturale propter ſuam generalitatem & ambiguitaté non ſufficiat ad populi Chriſtiani directionem, præcipue pro ſeruanda nuptiarũ honeſtate) neceſſariũ fuit magiſtratus cõſtitui tã politicos, quàm eccleſiaſticos: ſimiliter & leges ac canones ſtatui,quibus explicarẽtur generalia diuini & naturalis iuris præcepta de ſupradictorum contractuũ gradibus,& matrimonij impedimẽtis, ac quibuscumque alijs,quæ in præfatis rebuspublicis pro illarũ cõmuni vtilitate expedire videbantur. Sed quia generaliter ſcriptura dicit : Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui nõ accedat,vt reuelet turpitudinem eius : ideo cõgruum fuit pro populi Chriſtiani communi vtilitate horum omnium determinationé fieri: in quibus ſcilicet gradibus prohibeatur ſolum,& in quibus nulliter cõtrahatur. De quibus tamen cum non poſſint conſtitui regulæ immutabiles propter mutabilem conditionem perſonarum & temporum qualitaté, per Chriſtum hæc diſponi non conueniebat,cuius ordinationes & præcepta immobilia ſunt & indiſpenſabilia. Ideo per eius regni miniſtros, prout bonum commune & pax exigebat publica,diſponi voluit. Et quemadmodum libertati populi Chriſtiani non præiudicatur, ſi eius ciuiles cõtractus irritentur: ita nec ei derogatur, ſi propter bonum publicũ ex iuſta cauſa inualidentur coniugia: Nam de contractibus & officijs Eccleſiæ ſecundum quod ſpiritualia ſunt,& ad fidelium ſaluté ordinata, ad ſolos Eccleſiæ præpoſitos pertinet diſponere & ordinare : ſicut officia & contractus ciuiles per leges imperiales, immo & contractus ciuiles perſonarũ eccleſiaſticarum

per Eccleſiæ prælatos etiam irritantur: & ob Eccleſiæ irritationem dominus etiam laicus rem ſuam in aliũ trãsferre non poteſt. Ideo ex prædictis concludimus, quòd neceſſariũ eſt, vt contractus coniugalis, qui ſacramentum eſt, & propagandæ Eccleſiæ officium ſubſit ordinationi, & irritationi magiſtratus eccleſiaſtici in ordine ad pacem Eccleſiæ & fidelium ſalutem: quãuis ſimul etiam ſubſit ordinationibus & legibus poteſtatis ciuilis, ſecundũ quod refertur ad pacem & bonũ reipublicæ. Vnde beatus Thom. *39*. diſt. 4. ad 3. arg. inquit, quòd ſtatutum principum infidelium matrimonium irritare poteſt contractum a ſubditis infidelibus: Similiter & quòd matrimonium, inquantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ: inquantum eſt ſacramentum, ſtatuitur iure diuino: et inquantum eſt in communitatis officium, ſtatuitur lege ciuili: Et ideo ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua perſona ad matrimonium effici illegitima. Sed quia lex naturalis ſecundũ diuerſos ſtatus recipit determinationes diuerſas: & ius poſitiuũ etiã variatur ſecundũ diuerſas conditiones: ideo Magiſter ſent. ponit in diuerſis temporibus diuerſas fuiſſe illegitimas perſonas. Caietanus vero ſuper 22. S. Thomæ q. 158. art. *9*. inquit: quòd prohibitiones Leuitici abolitæ ſunt cum reliquis legalibus per mortẽ Chriſti: ac propterea ex legitima cauſa in omnibus affinitatis & cõſanguinitatis gradibus, exceptis cũ dictis parentibus, Papa diſpẽſare poteſt. De 2. 3. & 4. gradibus definiuit Innocẽtius tertius cap. Gaudemus extra de diuortijs, & cap. vlt. Qui filij ſunt legitimi: Et hi ſoli a tẽpore dicti Innocentij de iure canonico matrimoniũ dirimunt. Ex antiquo autem & tempore beati Gregorij cautum erat, vt vſque ad ſeptimũ conſanguinitatis & affinitatis gradũ non cõtraheretur. Vnde idem beatus epiſtola 31. libro 12. ad Felicem epiſcopum inquit: Progeniem ſuam vnusquiſque uſque ad ſeptimã decernimus generationem: & quandiu ſe agnoſcunt, affinitate propinquos ad coniugalẽ copulam accedere denegamus: quod ſi fecerint, ſeparentur. Cauſam autẽ prohibendi & irritãdi coniugia ratione conſanguinitatis & affinitatis, ſimiliter & quòd in eiſdem fuerit varia graduũ obſeruatio, docet beatus Aug. lib. 15. de ciuit. Dei, cap. *16*. Cum humanum genus, inquit, poſt primam copulam viri ex puluere facti, & coniugis eius ex viri latere, mariũ fœminarumq; coniũctione opus haberet, vt gignendo multiplicaretur, nec eſſent vlli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri coniuges ſuas ſorores acceperunt. Quod profecto quanto eſt antiquius cõpellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente. Habita eſt in huiuſmodi illegitimationibus ratio rectiſſima charitatis, vt

homines quibus eſſet vtilis atque honeſta concordia, diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos: ac ſic ad ſocialem vitã diligentius colligandam plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & ſocer duarũ ſunt neceſſitudinũ nomina. Vt ergo aliũ quiſque habeat patrem, alium ſocerũ, numeroſius ſe charitas porrigit. Ex quibus pro reſponſione ad primum dubium manifeſtum eſt & certa fide tenendũ, quòd non modo Eccleſia certas poſſit illegitimare perſonas, ſed quòd matrimonia contra canones ipſa dirimentes contracta, ſimpliciter irrita ſint & nulla: Quemadmodũ certa fide credendum eſt, prælatis eccleſiaſticis ſiue Eccleſiæ paſtoribus impoſitum eſſe onus regẽdi & dirigendi oues Chriſti, ac proinde eis vetandi noxia facultatem competere, atque ab incommodis & indecentijs, quibus Chriſti familia dehoneſtaretur, arcendi: ſimiliter & quòd iuſta ratione dictos conſanguinitatis & affinitatis gradus aliter computat Eccleſia, quàm leges ciuiles. Vnde Alexander 2. ſcribens epiſcopis atque iudicibus per Italiam conſtitutis, vt habetur 35. q. 5. c. Ad ſedem Apoſtolicam: Nos, inquit, Deo annuente hanc quæſtionem de varia graduum cõputatione diſcutere curauimus in synodo habita in Lateranenſi conciſtorio, conuocatis ad hoc Epiſcopis, clericis, atque iudicibus diuerſarum prouinciarum: denique diu ventilatis legibus, in ſacris canonibus diſtincte inuenimus ob aliam atque aliam cauſam, alteram legũ fieri, alterã canonum computationem. In legibus ſiquidẽ ob nihil aliud graduum ipſa mentio facta eſt, niſi vt hæreditas vel ſucceſſio ab vna ad alteram perſonam inter cõſanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies cõputatur, vt apte monſtretur vſque ad quotam generationem a conſanguineorum nuptijs ſit abſtinendũ. Ibi præſcribitur, vt hæreditas propinquis modo legitimo conferatur. Hic vero vt rite & canonice inter fideles nuptiæ celebrẽtur. Et pro concluſione prædictorum dicimus, quòd iniquiſſimũ eſt aliter de dictis gradibus ſentire, quàm Eccleſia credat: immo talis habẽdus eſt tanquã ethnicus & publicanus, eo quia a Chriſto Eccleſia ipſa veritatis teſtimonium habet: ideo ab omnibus in dogmatibus eius ſententia ſequenda eſt & obſeruanda, vt inquit diuus Auguſtinus contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam cap. 19. Ex quibus per ſacras literas, canones, & approbatos doctores liquere poteſt, (ex quo omnium chriſtianorum vna eſt reſpublica, vna ciuitas, vt dicit beatus Auguſtinus de opere monachorum cap. 25.) quòd eadẽ reſpublica poteſtatem habebit non modo ordinandi ea, quæ ad charitatẽ nutriẽdam & augendam in ea ſunt neceſſaria, ſed & cõtractus, qui

in eadem iniri poſſint in præiudicium dictæ reipublicæ, non modo prohibēdi, ſed & penitus annullandi. Quia ſicut abſurdum eſt dominum domus non poſſe familiæ ſuæ leges præſcribere, ſecundum quas viuat in domo ſua: ita abſurdiſſimum eſt, quòd ille (quē ipſe, qui eſt dominus dictæ domus & reipublicæ, vt inquit beatus Paulus ad Hebræos 3. & quem nomine ſuo eidem familiæ præfecit, ac eandem poteſtatem peregre profecturus in eum trāſtulit, & quem ſimiliter voluit omnium domeſticorum eſſe miniſtrum, vt quæreret & procuraret nō ſua commoda, ſed eorum dumtaxat ſalutem) non habeat facultatem reſcindēdi contractus illos, & irritandi, qui vtilitati & paci dictæ reipublicæ chriſtianæ refragari dignoſcuntur. Inter quos connumerari minime dubitamus pro ſecundi dubij reſpōſione Clandeſtinū connubiū, quod procul dubio ab Eccleſia, legitima ſubſiſtente cauſa, irritari & inualidari poteſt: ſicut factum eſt & determinatum in concilio Tridentino ſeſ. 24. decreto de reformatione Matrimonij c. 1. vt per ſequētia verba videř liquet. Tametſi dubitandū nō eſt, clandeſtina matrimonia libero contrahentiū cōſēſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quādiu Eccleſia ea irrita nō fecit: & ꝓinde iure damnādi ſunt illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant: quiq; falſo affirmant, matrimonia a filijsfamilias ſine cōſenſu parētū cōtracta, irrita eſſe, & parētes ea rata, vel irrita facere poſſe: nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atq; ꝓhibuit. Verū cū ſancta Synodus animaduertat, ꝓhibitiones illas ꝓpter hominū inobedientiā iam nō ꝓdeſſe, & grauia peccata perpēdat, quæ ex eiſdem clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim vero eorū, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cū qua clā contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: Cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remediū adhibeatur: iccirco ſacri Lateranenſis concilij ſub Innocentio III. celebrati veſtigijs inhærendo, præcipit, vt in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſollēnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimū opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur: vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto: vel dicat, Ego vos in matrimoniū coniungo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: vel alijs vtatur verbis iuxta receptū vniuſcuiuſque prouinciæ ritum. Quòd ſi aliquando

probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel vna tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in eccleſia fiant: vt ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudētiæ & iudicio ſancta Synodus relinquit. Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licētia, & duobus vel tribus teſtibus matrimoniū cōtrahere attētabūt, eos S. Synodus ad ſic cōtrahēdū omnino inhabiles reddit: & huiuſmodi cōtractus irritos & nullos eſſe decernit, ꝓut eos ꝑſenti decreto irritos facit, & annullat. Inſuper Parochū, vel aliū ſacerdotē, qui cum minore teſtiū numero, & teſtes, qui ſine Parocho vel ſacerdote huiuſmodi cōtractui interfuerint, nec nō ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri ꝑcipit. Præterea eadē ſācta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitq; benedictionē a proprio Parocho fieri: neque a quoquam niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendā alij ſacerdoti concedi poſſe, quacūque conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel priuilegio non obſtantibus. Quòd ſiquis Parochus, vel alius ſacerdos, ſiue regularis, ſiue ſecularis ſit, etiam ſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & teſtium nomina, diemq; & locum contracti matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtremo ſancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum pie accedant. Siquæ prouinciæ alijs, vltra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus & cæremonijs hac in re vtantur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehementer optat. An modo (reſpondendo ad 3. quæſitum) ipſa matrimonia, & connubia, quæ fiunt inuitis parentibus, ſint tantum prohibita, an prohibita ſimul, & inualidata, nonnulli vt Eraſmus in colloquiis & ſequaces affirmant, ipſa penitus nulla eſſe. Sed quia canones, concilium Tridentinū vbi

ſupra,

ſupra, & omnes ſcholaſtici doctores aſſerunt ipſa eſſe vera matrimonia: ideo nos eorum ſententiis ſubſcribimus, minimè dubitãtes eoſdem filios ingratos eſſe, ſi ſine parentum conſenſu contrahant: multa tamen male fiunt, quæ facta tenent. Vnde etſi beatus Ambroſius epiſtola 43. ad Siſynnium, magnam tribuat auctoritatẽ in filiæ ſponſalibus & nuptijs parentibus, nihil tamen dubitat coniugium filij patre inconſulto factum validum eſſe & firmum. Et licet leges ciuiles hunc contractum inualident, correctæ ſunt per ſacros canones: ſicut & quando diſponunt, quòd filiæ tunc ſolũ diſſentiendi a patre ſponſum offerente cõceditur licentia, cũ indignũ moribus vel turpem ſponſum pater elegerit: eo quòd refragentur ſcripturæ, dicenti Gen. 24. quòd puellæ voluntas ſit requirenda. Poteſtas enim eccleſiaſtica, quæ architectonica eſt, & altiori ratione atque fine matrimonij ſacramentum conſiderat, derogare, reuocare, & irritare poteſt legum conſtitutiones, ſi religioni & ſcopo regiminis eccleſiaſtici aduerſentur, vel non conueniant: Quod etiã facit circa ordinationem legalem, qua olim prohibebatur, ne mulier intra tempus luctus, hoceſt vnius anni ſpatium, ſine infamia nubere poſſit. Ait enim Innocentius tertius extra de ſecundis nuptijs: Cum ſecundum Apoſtolum (ſic enim incipit capitulũ) mulier mortuo viro ab eius ſit lege ſoluta, & nubendi cui vult habeat facultatem, non debet legalis infamiæ ſuſtinere iacturam, quæ conceſſa ſibi ab Apoſtolo vtitur poteſtate: cum in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros canones imitari. Vnde idem Apoſtolus pri. Cor. 7. dicit: Quòd ſi nõ ſe continent, nubant: & paulo poſt loquendo de virgine inquit: Quod vult faciat: non peccat ſi nubat: et patet quòd totum ad mulieris & viri refert voluntatem. Quamuis enim ex parentum delectu atque iudicio puella nubere debeat, non tamen de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda, parentum eſt præcipere, cum hæc libera ſint, & noſtro relicta arbitrio, vt docent beatus Thomas & alij doctores ſcholaſtici in 4. ſententiarum diſt. 29. Nec ſacri canones expreſſe & ſimpliciter derogant legibus diſponentibus, quòd ſine patris conſenſu a filiis & filiabus non poſſint contrahi matrimonia: ſed earum præcepta declarant eſſe dumtaxat mandata honeſtatis, reuerentiæ, et gratitudinis erga parentes, & non quòd matrimonium ſic contractum irritum eſſe velint & inualidum. Aliam enim obedientiam debet filius parentibus, aliam miles duci exercitus, diſcipulus magiſtro, ouis paſtori & epiſcopo, & aliam longe perfectiorem religioſus ſuo prælato in his videlicet, quæ pertinent ad conſilia & euangelicam perfectionem. Multum enim refert ad quem ſcopum, atque in quibus

obedientia præſtetur.Nam adoleſcenti,qui dicebat a iuuentute ſua omnia decalogi præcepta ſe cuſtodiſſe, inter quæ de honore parentum præceptum connumeratur : Reſpondit Dominus, Si vis perfectus eſſe , vade & vende omnia quæ habes, & veni ſequere me Matth. 19. relinquendo ſcilicet mundum,& ſubijciendo te in religione alterius voluntati propter me : quod certe adhuc ei deerat. In negocio enim pietatis ceſſant naturæ leges. Sicut igitur filius & filia propter ſupradictas rationes , poſſunt ingredi religionē inuitis parentibus , quibus a legibus interdicitur, ne filios monaſticam vitā eligentes a venerabilibus monaſterijs abſtrahant, vt habetur in authen.de ſanctiſſimis Epiſcopis, collat.9. §. Nullum vero: vt a beato Hieronymo cap. vltimo epiſtolæ ad Heliodorum, dicto filio aut filiæ conſulitur per infraſcripta verba : Licet paruulus ex collo pendeat nepos:licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera,quibus te nutrierat mater, oſtendat : licet in limine pater iaceat : percalcatum perge patrem ſiccis oculis, ad vexillum crucis euola: ſolum pietatis genus eſt in hac re, eſſe crudelem: & poſt pauca,facile rūpit hæc vincula amor, & gehennæ timor : Ita & matrimonium contrahere, vel virginitatem ſeruare poſſunt : non enim parentum eſt præcipere, ne hæc fiant, cum hæc libera ſint, & noſtro relicta arbitrio,vt dictū eſt ſupra ex ſententia omnium Theologorum:Quo tamen non obſtante in quæſtionem non venit, quòd filii & filiæ inuitis parentibus debeant contrahere matrimonia: eo quòd naturæ ſenſus, veterum leges,Moyſes , & doctrina Apoſtolica hoc eis uetat.Et ratio eſt, quia cum parentum cuſtodiæ, curæ, & ſolicitudini a Deo ſint commiſſi , indecens eſt & magnum aduerſus eos ingratitudinis ſignum, ſine eorum directione, conſilio, atque iudicio puellam viro nubere , & puerum ducere vxorem : Naturalis ordo & ſubiectio conſilio eorum hoc fieri poſtulant . Sicut enim parentum eſt filiis theſaurizare , & de bono proſpicere coniugio: ita filiorum eſt audire conſilium eorum . Vnde Abraham accerſit filio ſuo Rebeccam , eaq; ex voluntate patris ducitur Gen. 24. Sic Iacob iuſſu delegit affinem Laban,ibi cap. 22.& beatus Paulus pri. Cor.7.Qui matrimonio iungit filiam ſuam,benefacit : & qui non iungit, melius facit:& beatus Ambroſius lib. pri. cap vlt.de Abraham: Non conſulitur,inquit, puella de ſponſalibus,cum illa ad iudicium ſpectet parentum: non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum : ſed propter hoc Eccleſia non dirimit matrimonia ſic contracta,ſed vt dictum eſt ſupra, ea habet pro ueris & legitimis connubijs , dummodo fiant iuxta caput primum de reformatione Matrimonii concilii Tridentini ſeſſ. 24 . Sponſalia ſunt ſecundum doctores futurarum nuptiarum

rum

rum ſiue matrimonii promiſſio, & dicuntur a ſpondendo, hoceſt promittendo in futurum: quia antiquitus ſpondebant, & fideiuſſores dabant: & hæc promiſſio de futuro eſt quoddam ſacramentale ad matrimonium, ſicut exorciſmus ad baptiſmum. Et licet nõ ſint de neceſſitate matrimonii, ſicut nec dictus exorciſmus baptiſmi, ſunt tamen de congruitate: Inuenta enim ſunt ad fouendam & augendam amicitiam cõtrahentium, & ad interim videndũ, ſi ſint aliqua impedimenta, ne fiat alicui præiudicium. Sponſalia contrahuntur quatuor modis, videlicet, vel nuda promiſſione: vel datis arrhis ſponſalibus, pecunia, vel aliqua re huiuſmodi: vel annuli ſubarrhatione in promiſſionis cõfirmationem: vel interueniente iuramẽto. Dicta ſponſalia contrahi non poſſunt ante annum ſeptimum: Omnes etiam quotquot non poſſunt contrahere matrimoniũ, nec ſponſalia contrahere valent: vſque enim ad ſeptimum annum præfatum infantes dicuntur, nec habent ſufficientem vſum rationis: Quo vero ad contrahenda ſponſalia, pares ſunt maſculus & fœmina, licet in matrimonio maior ætas requiratur in maſculo: quia annus quartusdecimus, & in fœmina ſufficit duodecimus. Et ratio eſt, quia in ambobus non modo requiritur vſus rationis, ſed & uis generatiua. Vide ad hoc Philoſophum 9. de animalibus. Ex ſponſalibus oritur publicæ honeſtatis iuſtitia, quæ eſt propinquitas quædã ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione propter honeſtatem inter conſanguineos ſeruandam introducta: propter quam nullus conſanguineorum viri vſq; ad quartum gradum mulieri deſponſatæ matrimonio copulari poteſt: nec etiam conſanguineæ vxoris viro, vt habetur in c. Ad audientiam, & c. Spõſam extra de ſponſalibus, & in c. Ex ſponſalibus eodem titulo lib. 6. vbi dicitur: quòd publicæ honeſtatis iuſtitia eſt obſtaculum impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum, etiam carnali copula conſummatum. Hoc publicæ honeſtatis impedimentum quia ſancta Synodus Tridentina. c. 3. de reformatione matrimonii ſeſſ. 24. prorſus tollit, vbi ſponſalia quacumq; ratione valida non erunt, vbi vero valida fuerint, dicta ſancta Synodus non vult, vt primum gradũ excedat: Ideo & nos ſupradicta ad terminos Concilii reducimus. Dirimuntur autem ſponſalia pluribus modis. Primo diſſenſu mutuo, vt in c. A nobis extra de deſpõſa. impu. & in c. Præterea de ſponſa. & matr. vbi dicitur, quòd etiam ſi fuerint iurata, dirimuntur, ne forte deterius aliquid contingat: habẽda tamen eſt diſpenſatio ſuper iuramento: & ſi ſponſalia fuerint occulta, poſſunt occulte ſeparari: ſi vero publica, auctoritate iudicis fieri debet. Secundo cum aliquis deſpõſatorum contrahit cum alia

matrimonium per verba de præſenti, etiam ante copulam, vt in. c. Si inter virum & mulierem, de ſponſa. & matr. ſed non per ſecũda ſponſalia de futuro etiam iurata, vbi ſupra. Tertio altero deſponſatorum religionem intrante ſuſpenduntur, & profitente diſſoluuntur: quia religio eſt mors ciuilis, quæ matrimonium diſſoluit non conſummatum, a fortiori ſponſalia &c. Quarto, quando alter cõiugum ad lõginquam regionem ſe transfert, vbi ſupra c. De illis. Leges tamen, quæ quoad hoc a canonibus non reprobantur, limitant terminum, videlicet triennium: infra quod ſi reuertetur, tenent ſponſalia: vltra illum terminum diſſoluta ſunt, & poteſt alteri licite copulari. Si vero matrimonium fuerit per verba de præſenti etiã non conſũmatum, ante certitudinem de morte coniugis, non poteſt cum altero matrimonium contrahere: et ſi contrahat, eſt nullũ, etiam ſi ignoretur quid de alio factum ſit, vt habetur in c. In præſentia, eodem titulo. Quinto ſoluuntur ſponſalia propter crimen ſuperueniens: vt ſi alter in fornicationem, vel in aliud graue crimẽ, propter quod infamiam patiatur, incidat. Sexto per lepram ignoratam, aut ſuperuenientem, vt in c. Literas de coniugio leproſorum: & generaliter ſuperuenientibus impedimentis, quibus impeditur matrimonium.

De impedimentis matrimonij, quæ licet impediant contrahendum, non tamen dirimunt contractum. Cap. LXIIII.

PRO notitia habenda circunſtantiarum impedientiũ, & non dirimentium matrimonia, notandũ eſt, quòd ſecundum doctores duplicia ſunt impedimẽta: quędam impediunt contrahenda, & non dirimunt contracta: quædam & impediunt, & dirimunt: ita quòd ſi attentetur contrarium, nihil fit. De primis tantum differemus in hoc capite, de ceteris in ſequentibus. Ad cuius euidẽtiam ſciendũ, quòd impedimenta quæ tantum impediunt, & non dirimunt, ideo dicuntur impedire, quia talia impedimenta habentes ſunt prohibiti contrahere: ſi tamen faciunt, licet mortaliter peccent, non tamẽ diſſoluuntur contracta: & ſunt ſeptem. Primum interdictum, quãdo matrimonium fit contra iuris diſpoſitionem: videlicet quando ius prohibet tali modo fieri ſcilicet clandeſtine, hoceſt abſque ſpõſalium publicatione in Eccleſia, ſiue omiſſis bannis, vbi ſolitum eſt illa interuenire, vt habetur in c. finali extra de clandeſt. deſpon. Vbi in. §. ſane, interdicitur ſacerdotibus & religioſis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per triennium, ne habeant talibus matrimonijs intereſſe

tereſſe, vt dictum eſt in capite præcedenti: quod eſt intelligendum, niſi conſuetudo ſit in oppoſitum. Ideo tales mortaliter peccant, ſicut & qui contrahit cum excommunicato, quia communicat cum eo in ſacramento matrimonij: Propter tamen excommunicationẽ alterius, vel amborum non diſſoluitur contractum: quomodo autẽ poſt determinationem concilij Tridentini irritẽtur talia matrimonia, habes ſupra. Secundum impedimentum ſunt feriæ, ſiue tempus feriatum, vt a prima dominica aduentus incluſiue vſque ad feſtum regum: & a dominica in ſeptuageſima vſque ad octauam Paſchæ: & a tribus diebus ante aſcenſionem vſque ad octauam Pentecoſtes, propter cõmunionem, quæ laudabiliter in illis ſollemnitatibus antiquitus fieri ſolebat, vt habetur in c. Non oportet il 2. 33. q. 4. & in c. Capellanus extra de ferijs. Verum in dictis temporibus non prohibentur fieri ſponſalia vel matrimonia ſimpliciter: ſed ſollemnitas, nuptiarum celebratio, & ſponſæ traductio. Tertiũ impedimentum eſt, quando quis contraxit ſponſalia cum una, maxime iuramento firmata: & de præſenti cõtrahit matrimonium cũ alia: cum faciat iniuriam deſponſatæ, ideo peccat: matrimoniũ tamen tenet, vt habetur in c. Veniens il 2. extra de ſponſa. & matri. Quartum impedimentum eſt catechiſmus, qui eſt prima inſtructio rudimentorum fidei, videlicet quando declarantur articuli fidei, & quid credendum ſit: inde venit catechumenus, qui idem eſt quod inſtructus: per talem enim inſtructionem contrahitur quædam ſpiritualis propinquitas inter catechizantem, & catechizatum. Vnde Apoſtolus pri. Cor. 4. Nam in Chriſto Ieſu per euangelium ipſe vos genui. Vnde ſicut catechiſmus eſt quædam diſpoſitio futuri baptiſmi, ſic ſponſalia ſunt quædam ſponſio futurarum nuptiarum: Et ideo ſicut in ſponſalibus contrahitur quidam modus propinquitatis, ita & in catechiſmo, vt habetur in cap. Per catechiſmum de cognatione ſpirituali in ſexto. Quintum impedimentum eſt votũ ſimplex caſtitatis, hoceſt non ſollemnizatum profeſſione tacita vel expreſſa, aut ſuſceptione ordinis ſacri: peccat enim talis mortaliter contrahendo cum intentione conſummandi, ex quo agit contra votum, non tamen contractum diſſoluitur, vt habetur in capitulo Rurſus extra qui clerici, vel vouentes: Licet enim votum ſimplex tantæ ſit obligationis apud Deum, quantæ eſt ſollemne: Eccleſia tamen noluit illegitimare ad matrimonium contrahendum vouentes caſtitatem, vt habetur in capitulo Vnico de voto, & vot. redemp. libro ſexto: peccat tamen exigendo debitum, ſed non reddendo. Idem dicendum eſt de vouente caſtitatem poſt matrimonium; poſt mortem tamen vxoris tenetur continere.

Sextum

Sextum impedimentum eſt conſuetudo, quæ alicubi eſt, quòd non contrahatur inter filium & filiam duorum compatrũ, per quorum neutrum deuentum eſt ad cognationem ſpiritualẽ: peccant cõtrahendo, cum conſuetudo vigorem legis habeat, non tamen dirimit contractum. Septimum impedimentum dicitur crimen: ſex autem ſunt crimina quæ impediunt. Primum eſt inceſtus, vt dicit glo. in c. pri. ſuper verbo copulare, de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. Secũdum eſt uxoricidium, vt habetur in c. Admonere, & in c. Inferiores 33. q. 2. Idem iudicium eſt de vxore occidente virum. Tertium eſt raptus alienæ ſponſæ, vt habetur in c. Statutum 27. q. 2. Quartum eſt eleuatio proprij filij in baptiſmo inſidiando matrimonio, & præiudicando vxori, ſi ſuperuiuat: talis inquam debet manere abſque ſpe coniugij, vt in c. De eo. 30. q. 1. Quintũ crimen eſt interfectio ſacerdotis, vt in c. Qui presbyterũ, de pœniten. & remiſſion. Sextũ eſt peccatum, propter quod imponitur ſollemnis pœnitẽtia tempore quo pœnitet c. De his 33. q. 2. Vltimum, cum quis monialem ſcienter accipit in vxorem c. Hi ergo 27. q. pri. Hoc tamen vitium poteſt reduci ad inceſtum.

De errore perſonæ, & ſeruitute impedientibus contrahendum, & dirimentibus contractum. Cap. LXV.

IMPEDIMENTA matrimonium dirimẽtia ſunt 12. quæ his verſibus continentur. Error, conditio, votum, cognatio, crimen. Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas. Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis. Hæc ſocianda vetãt, cõnubia facta retractãt. De quibus ſigillatim inferius differemus. Et primo de errore. Vnde error ſecundum beatum Auguſtinum in Enchi. c. 16. idem eſt, quod ignorantia, ſumendo ignorantiam poſitiue, vt cõtrarie opponitur ſcientiæ. Non enim ſecundum eundẽ ſtatim errat, qui aliquid ignorat: ſed qui exiſtimat ſcire, quod neſcit: pro uero enim approbat falſum, quod eſt erroris proprium. Vnde ſecundũ eundem: Errare nihil aliud eſt, quàm iudicare verum, quod falſum eſt. Error ergo, de quo ad præſens, præſupponit aliquam rei cognitionem: & ponit iudicium rationis peruerſum propter circunſtantiæ alicuius ignorantiam, vt cum quis cõtrectat rem alienam, quã credit ſuam. Cum igitur cõſenſus ponatur cauſa effectiua matrimonij, ſine quo matrimonium conſiſtere non poteſt, & ſit actus volũtatis, qui præſupponit cognitionem ſecundum beatum Auguſtinum 10. de Tri. c. pri. ex conſequẽti cauſans erroneam rei apprehenſionem impedit &

dit & conſenſum volitionis circunſtantiæ ignoratæ, & cauſat iudicium erroneũ: hinc dicitur, qui errat, non conſentit. Et placet circa hunc errorem hic ponere nõnulla exempla, quæ ponit Magiſter 30. diſt. quar. in litera cum dubijs, & reſponſionibus circa illa ſancti Bonauenturæ. Primum exemplum, vel ſimile, quod ponit Magiſter ſententiarum, eſt. Si diabolus transfigurãs ſe in Angelum lucis credatur bonus, nõ eſt error periculoſus: cõtra quod obijcit S. Bonauentura, quòd hic error, cum ducat ad idololatriam, (vt ſi oſtendat ſe eſſe Chriſtum, & credatur, ac adoretur) videtur pernicioſiſſimus: et reſpondet ſibiipſi dicens, quòd Magiſter loquitur de errore illo, qui non procedit vltra, cũ non ſit error iuris, ſed facti. Si vero vltra procedat, & non adoretur ſimpliciter, ſed ſub conditione, vtpote adoratur, ſi ſit vere Chriſtus: ſic nulla eſt idololatria. Si autem adhuc vltra prodiret, tunc ibi inciperet eſſe periculum. Aliud exemplum ponit Magiſter vbi ſupra, videlicet: Siquis hæreticus in perſona vel nomine Auguſtini vel Ambroſij alicui catholico ſe offerret, eumq; ad ſuæ fidei imitationem vocaret, ſi ille aſſentiret, in cuius ſententiam fidei diceretur cõſenſiſſe? Non in hæreticorum ſectam, ſed in integritatem fidei, quã ille hæreticus ſe mentiebatur habere. Si tamen quiſpiam diceret errorem illum eſſe periculoſiſſimum, quia ſi talem hæreticum nomine Auguſtini recipit, tunc credit omnia, quæ ſibi dicit, & ita contra fidem, & ex conſequenti qui ſic crederet, efficeretur hæreticus, & nullus a tali errore excuſaretur: Reſpondet idem ſanctus Bonauentura ibidem, quòd ſi hæreticus ille, qui ſic ſe offert ſub nomine Auguſtini procederet in prædicando errorem, & ex tunc crederet, periculum eſſet: cum non tantum in perſona eſſet error, ſed & in fide: nec excuſaretur talis, qui ſic conſenſit, cum habeat conſiliarium interiorem, ad quem debet recurrere, & quem debet conſulere. Sed ſi ille non procedat vltra, & ſolum in generali dicat, quòd ſequatur ſectam ſuam, tũc nullum eſt periculum. Sed ſi prædicet ei verũ in perſona Auguſtini, poteſt ibi eſſe meritum in aſſentiendo. Et nota ſecundum eundem, quòd in eadem veritate aſſentiẽs aliquis alicui vti catholico doctori, meretur: aſſentiens vero vti hæretico, demeretur: aſſentiens enim vti philoſopho, nec meretur, nec demeretur. Vnde eſto, quòd ſicut Moyſes dixit, In principio creauit Deus cælum & terrã, ita dixiſſet Ariſtoteles, & Arrius: qui crederet quod Moyſes dixit, mereretur: quia crederet, quòd Spiritu ſancto fuiſſet afflatus: & ita crederet primæ veritati. Qui vero crederet quod dixit Ariſtoteles, nec mereretur, nec demereretur: quia adhæreret ſapientiæ humanæ. Qui vero crederet quod Arrius dixit, putans Arrium, qui fuit hæreticus,

cùs, eſſe doctorem verum, demereretur: cum aſſenſus eſſet fundatus ſuper hæreſim. Cõcludit Magiſter ſententiarũ. 30. quar. quòd error fortunæ, (vtputa quia putatur diues, qui eſt pauper) ſimiliter & error qualitatis (vt ſi credatur bonus, qui eſt malus) non excludunt matrimonium, ſed dumtaxat error cõditionis (cum creditur liber, qui eſt ſeruus) & error perſonæ, de quo in hoc primo impedimento conſenſum coniugalem non admittunt. Error enim perſonæ reſpicit illud, quod eſt de ſubſtãtia matrimonij, puta materiam, hoceſt perſonas contrahẽtes: & eſt, cum hic putatur eſſe homo ille, & eſt alius. Conſenſus iſte in hanc perſonam procedit ex apprehenſione erronea, vt cauſa illius cõſenſus: & iſte contractus procedẽs præciſe ex errore perſonæ eſt vere nullus, non ſolum ex determinatione Eccleſiæ, ſed & de iure diuino. Primum patet c. Tua de ſponſa. et matr. & 29. q. pri. c. Quod autem. Nec Papa poſſet facere, quòd illa, in quam non conſenſi, ſit vxor mea: de eſſentia enim contractus matrimonij eſt, quòd contrahens conſentiat in hanc determinatam perſonam. Hinc 29. q. pri. c. Vnico, dicitur: Iacob & Liam non fecit coniuges conſenſus præcedens, ſed ſubſequens: Nec tamen fornicati dicuntur ex primo cõcubitu: quia Iacob affectu maritali cognouit eam, vt ſuam: Lia vero eodem affectu debitũ rependit, putans lege primogenitarum, & paternis imperijs ſe ei iure copulatam: et ideo excuſantur ignorantia inuincibili. Secundũ impedimentum eſt ſeruitus, vt ſi quis liber putat contrahere cum libera, & contrahit cum ſerua, & e conuerſo: Si tamen poſtea ſeruitute cognita cõſenſerit, vel carnalis copula ſecuta fuerit, matrimonium tenet, vt habetur in c. Propoſuit, & in c. Ad noſtram extra de coniugio ſeruorum. Si vero vterque ſit ſeruus, nihil prohibet inter ſeruos eſſe coniugia, vel inter liberum & ancillam cognitã talem. Seruitus etiam eſt de iure poſitiuo, & matrimoniũ de iure naturali: ideo non poteſt præiudicare matrimonio, maxime cum dicat beatus Paulus ad Gal. 4. In Chriſto Ieſu non eſt ſeruus, neque liber: & per conſequens ſerui & ancillæ nullatenus debent a matrimonio impediri: & ſi inuitis dominis contrahant nulla ratione eorum matrimonia diſſoluenda ſunt c. pri. de coniugio ſeruorum. Non enim remouendi ſunt a ſacramentis, immo prohibendi ſunt domini, ne faciant onera matrimonij grauiora. Ratio autem quarè Seruitus dirimat ſecundũ Scotum 30. quar. q. pri. eſt, quia in hoc contractu eſt permutatio poteſtatis corporis pro poteſtate corporis: Seruus autẽ non poteſt dare poteſtatẽ corporis ſui liberæ, ſicut illa e conuerſo poteſt: & illa ignorans ſeruitutem eius, per conſequens non conſentit ſcienter in ſeruum: nec vult commutare poteſtatem ſui

corporis pro poteſtate corporis, quam ſeruus non poteſt dare, cũ non habeat illam. Error tamen conditionis melioris non impedit, nec ſeruitus, ſi non ſit ignota, vt dictũ eſt ſupra. Contractus igitur præfatus procedens ex errore conditionis vilioris matrimonium impedit, & dirimit, non iure diuino, ſed Eccleſiæ conſtitutione, & determinatione c. Finali de coniugio ſeruorum: et 29. q. 2. c. Si quis ingenuus.

De tertio impedimento, quod eſt votum. Cap. LXVI.

HVGO Cardinalis ſuper ps. 55. triplex ponit votum. Primum baptiſmi, quod eſt omniũ. Secundũ ordinis, quod eſt clericorũ. Tertiũ religionis, quod eſt monachorum. Votũ tamen proprijſſime ſumptum dicit eſſe promiſſionem deliberatã, factam Deo de bono ſupererogationis. Quod .n. eſt abſolute neceſſarium, nõ cadit ſub voto: poteſt tamen eſſe materia voti inquantum ſit voluntarie, licet ſit præcepti, non autem inquantũ eſt neceſſitatis: Quod autem non cadit ſub neceſſitate abſoluta, nec ſub neceſſitate finis, vt quando ſine eo non poteſt eſſe ſalus, eſt omnino voluntarium: & hoc eſt bonũ ſupererogationis, quod dicitur eſſe de meliori bono in comparationem ad ſuum contrarium. Et ad talem proprijſſimam rationem voti, quæ eſt de bono noſtræ voluntati ſubiecto, requiruntur tria: videlicet deliberatio: propoſitum voluntatis faciẽdi vel omittendi quod deliberatum eſt: & promiſſio, per quam intendit ſe obligare ad ſic faciendum. Eſt enim promiſſio obligatio adimplendi tale propoſitum, qua vult eſſe obligatus: & hæc ſit ad minus verbo interiori: & ſufficit coram Deo, qui intuetur cor: et quandoque verbo exteriori coram Eccleſia. Dicitur facta Deo iuxta illud Eſa. 19. Vota vouebunt, & ſoluent. Votum enim ſoli Deo ſit: promiſſio homini fieri poteſt. Per votum ſiquidẽ quis ſeſe totum deuouet & obligat alteri: nulli vero alij a Deo poteſt homo ſe totum obligare: ideo ipſi ſoli poteſt fieri votum, cui competit poteſtas ſuper totum hominem. Et licet fiat etiã ad Sanctos, qui noſtri ſunt interceſſores apud Deum, finaliter tamen ad eos ſit cũ relatione ad Deum. Cadit itaque ſub voto promiſſio facta Sanctis, vel prælatis, inquantum videlicet homo vouet Deo ſe adimpleturum quod Sanctis vel prælatis promittit. Ex quibus ſequitur, quòd vouere eſt actus latriæ. Ad latriam enim ſiue religionem pertinet imperare promiſſionem illam: & ita eſt actus virtutis latriæ ordinatiuæ: Et additum eſt ſupra propter finem bonum: cum enim votum

ſit actus religionis, non poteſt fieri propter malum finem. Dicitur ex deliberatione, & non ex ſurreptione, vel inconſideratione: aliter non obligaret ſecundum Ricar. niſi ex congruitate. Vltimo dictum eſt, quòd eſt de bono ſupererogationis, ideſt alias non debito: bona enim, quæ ſunt de ſalutis neceſſitate, aut præcepti, nõ cadunt proprie ſub voto, ſed improprie. Votum enim debet eſſe voluntariũ nõ modo a parte principij, a quo procedit, verũ & ex parte eius, quod vouetur: & debet eſſe de his, quæ alias licerent. Sanctus .n. Bonauẽtura in 38. diſt. 4. art. pri. q. 2. ad prædicta addit, quòd votum debet habere eoſdem comites, quos habet iuramentum, ſcilicet veritatem, iudicium, & iuſtitiam. Primo namque neceſſe eſt, vt in eo ſit iuſtitia, vt ſcilicet illud quod vouetur, ſpectet ad ſalutẽ, & ſit bonum & honeſtum. Secundo debet in eo eſſe iudiciũ, vt vouens deliberate, & non præcipitanter voueat. Tertio debet in eo eſſe veritas, vt videlicet iuſte & diſcrete voueat, & perſoluat. Si enim id vouetur, quod ad detrimentum iuſtitiæ facit, non eſt ibi lex voti, nec obligatio: ſed ipſi voto ſit iniuria: nec eſt obligatio ad ſeruandum, ſed potius ad pœnitendum. Promittere etiam (vt dictum eſt) contingit duplici verbo, ſcilicet interiori, & exteriori. Promiſſio, quoad verbũ interius cogitationis & deliberationis, eſt de neceſſitate voti ſimplicis: quod obligat quantum ad Deum, qui intuetur cor. Promiſſio autem, quoad verbum vel ſignum exterius, eſt de neceſſitate voti ſollẽnis, quod obligat quantum ad faciem Eccleſiæ, quæ iudicat ſecundum ea, quæ patent. Votum ſollemnizatur ſecundum iura c. Vnico, de uot. & voti redem. in 6. & in glo. in c. Rurſus, extra qui clerici vel vouentes: per ſuſceptionem ordinis ſacri, & per votum religionis verum, vel præſumptum. Præſumptũ quidem eſt, quando quis recipit habitum profeſſorum: vbi eſt diſtinctio inter hunc habitum, & nouitiorum: & etiam quando vltra annum moratur in monaſterio abſque proteſtatione de non profitendo. Et dicitur ſollemne, non quia publicum, ſed quia in ſe habet aliquid annexum, per quòd in publicum poteſt venire, & per quod vouens ponitur ſub alterius hominis poteſtate: ſicut fit in ſuſceptione ſacri ordinis, per quem ſuſcipiens conſtituitur miniſter eccleſiæ, & aliter quàm prius ſub Epiſcopi poteſtate: cum Epiſcopus poſſit eum cogere ad ſtatum clericalem ſeruandum, & ad uitãdum quæ indecentia ſunt illi ſtatui. Vnde ſi præfatum ordinem ſuſciperet in ſecreto, adhuc eſſet ſollẽne: et in profeſſione religionis facta in manu eius, qui poteſt recipere: in qua profitens habet in ſe aliquid annexum, vnde poſſit in publicum venire, cum oporteat eundem vitam ſecularem dimittere, & cum aliis in clauſtro ſui ordinis

dinis conuerſari : quod etiam eſſet ſollemne, etſi in occulto fieret, non obſtantibus opinionibus, quas adducit glo. vbi ſupra in cap. Rurſus, extra Qui clerici. Opinio enim communis eſt ſecundum Scotum vbi ſupra, quòd votum ſimplex non impedit ſimpliciter, vt habetur ibidem in textu: quia licet impediat contrahendum, nõ tamen dirimit iam contractum. Solum igitur illud quod dirimit contractum, dicimus ſimpliciter impedire. Votum autẽ ſollemne ſimpliciter impedit, vt habetur ibidem, ſcilicet extra Qui clerici in c. Inſinuante. Et ratio ad hoc poni poteſt : quia Eccleſia illegitimauit ſic vouentem : & rationabiliter, cũ ipſe poſuerit ſe in poteſtate Eccleſiæ, quantum ad oppoſitum eius, ad quod eſt contractus matrimonij. Vouentem autem priuate non illegitimauit : cum non ſic poſuerit ſe in eius poteſtate, ſed in manu Dei ad oppoſitum ſeruãdum : & conſuluit animæ ſuæ apud Deum, ne tranſgrediatur : ideo Eccleſia relinquit eum diuino iudicio. Peccat tamẽ mortaliter trãſgrediendo illud. Non enim omnia mala punit Eccleſia, nec ſic ea prohibet, vt propterea pœnas eccleſiaſticas ſemper iniungat. Cauſa etiam, quare ſollemne dirimat contractum, eſt, quia per votum illud contrahitur matrimonium ſpirituale cum Deo : quod eſt dignius & fortius carnali. Nec eſt ſimile de voto ſimplici : quia in illo non eſt niſi promiſſio proprij corporis ad continentiam ſeruandam Deo, ſed in ſollemni eſt exhibitio. Ideo votum ſimplex ſe habet ad modum ſponſalium (vt inquit dominus Viguerius Granaten. ſuper hoc ſacramento) ad matrimonium. Quia ſicut ſponſalia dirimuntur per matrimonium, eo quòd in illis non eſt niſi promiſſio, per quam non transfertur dominium, ſed per exhibitionem, cum melior ſit cõditio poſſidẽtis: ideo res alicui promiſſa poteſt adhuc dari, ſi exhibita nõ ſit : Sic votum ſimplex per ſollemne, in quo ſit traditio corporis, Chriſti vicario, aut alicui locum eius gerẽti : & ideo ex ſui natura habet quod dirimat matrimonium, cũ homo per ipſũ ſui corporis poteſtatem amittat, Deo ſe tradens ad perpetuam cõtinentiam. Nec obſtat, quòd matrimonium carnale fuit iuratum : quia licet iuramentum plus obliget ex parte eius, ex quo ſit obligatio, quàm votum : non tamẽ quantum ad modum obligandi inquantum tradit, quod promittitur. Si vero matrimonium carnale eſſet conſummatum, & facta eſſet realis corporis exhibitio, votum ſollemne non dirimeret, cum melior ſit conditio poſſidentis : ſed bene ante conſummationem, vt habetur in c. Verum, de conuerſ. coniug. vbi dicitur, quòd alter coniugum poſt contractum matrimonium per verba de præſenti, ante conſummationem, quæ ſit per carnalem copulam, poteſt altero inuito (vt dictum eſt ſupra) con-

uolare ad frugem melioris vitæ. Determinatur tamen ei tempus duorum menſium ad profitendum, vel ſaltem ad ingrediendũ religionem,quæ ante annum profeſſionem non admittit. Poſt cuius tempus,ſi profeſſus non fuerit,cogitur ad celebrandas nuptias, vt habetur in c.Ex publico,eodem titulo. Quomodo autem quis vouere poſſit virginitatem: & quomodo votum non modo ſit licitũ, ſed & meritorium,ac obligatorium,habetur inferius in tractatu de conſilijs euangelicis. Vouere enim non modo eſt pium, ſed quod vouetur præſtare neceſſe eſt. Vnde Deut. 23. Cum votum voueris domino Deo tuo,reddere non tardabis: et Eſa. c. 19. Vota vouebunt Domino & ſoluent. Quòd etiam votum in ſpeciali cælibatus piũ gratumq; Deo ſit,perſpicuũ eſſe poteſt ex verbis Chriſti Matth. 19. quibus laudatur Eunuchi, qui ſe caſtrauerũt propter regnũ cælorum: et apud Eſaiam cap. 56. Sempiternum ſe eiſdẽ daturũ nomen Deus promiſit,quod non peribit. Ex Pauli etiam verbis prim. ad Timot. 5. elicitur,quòd quæ viduæ ex Eccleſiæ ſtipe alebantur, voto ſe perpetuæ continentiæ obſtringebant: Et Philo quanquam iudæus,qui fuit temporibus apoſtolorũ, teſtatur fuiſſe inter Chriſtianos,qui ſuam Deo caſtitatem deſponderent. Vnde Auguſtinus ad Pollentium ſcribens lib. 2. c. 19. de adulterinis coniugijs inter alia connumerat,quæ rectiſſime vouẽtur,ac inter cetera: Non eos, inquit,terreat ſarcina continentiæ: leuis erit, ſi Chriſti erit: Chriſti erit, ſi fides aderit,quæ impetrat a iubẽte quod iuſſerit. Non eos frangat,quòd videatur eorum continentia neceſſitatis eſſe non voluntatis: quia & illi, qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam eſſe neceſſitatis: quoniam vani ſine dãnatione ab ea deuiare non poſſunt. Et in. 10. lib. confeſſio. c. 29. conuertens orationẽ ad Deum ait: Tota ſpes mea in magna valde miſericordia tua: da quod iubes,& iube quod uis. Imperas nobis continentiam. Et cum ſcirem, (vt dicitur ſapientiæ 8) quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientiæ,ſcire cuius eſſet hoc donũ, adij Dominum,& deprecatus ſum illum. Cum enim Saluator noſter confortet omnes in ſe ſperantes, viuatq; per charitatem in nobis, operetur q; velle & perficere, quid eſt, quod illo faciente, vt faciamus, facere non poſſimus? Ipſe enim eſt, qui in pugna noſtra congreditur. Cõſidera,inquit Chriſo.Tomo 3.in ſermo. de marty. præſente Deo te cum hoſte pugnare: fauet ille, vt vincas: fauet, vt obtineas: ac paulo poſt. In tua pugna dominus cõgreditur, dominus dimicat, dominus præliatur, & victoria tibi aſcribitur. Certamen tuum Dei certamen eſt,quid trepidas,quaſi tua virtute deuincas? prehende arma, fortiter dimica, vt dimicanti adſit ille,qui vin-

ci non poteſt. Dicamus ergo omnes cũ Apoſtolo ad Philip. 4. Omnia poſſum in eo qui me confortat. Continentiam iubes Chriſte? da quod iubes, & iube quod uis. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cõtra me Iob. 17. Si cõſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum ps. 26. Poſſumus igitur omnes in eo qui nos confortat, ſed non volumus omnes: non adhibemus illud ſtudium quod oportet, nec ea fide accedimus, qua decet, ad eũ precandum. Vnde dominus Gregorius Nazianzenus oratione 31. explicans illum locum, Non omnes capiunt verbum hoc, ſed ij quibus datum eſt: cum audis, inquit, quibus datum eſt, adde datum quidem his, qui volunt, & qui aſſentiuntur. Quem præceptorem ſecutus Hieronymus: Datum eſt, inquit, his qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt: quibus dictum eſt illud Saluatoris Ioan. 15. Quodcũque volueritis petetis, & fiet vobis. Et Baſilius in lib. de vera virginitate ait: Ne dixeris, quomodo aſcendam in cælum, vt virginitatis meæ integritatem inde deducam? Aut quomodo deſcendam in abyſſum, vt illã dudum a diabolo corruptã mihi ipſi recuperem? Sed quid? prope te eſt, inquit, & ſecundum naturam tibi ingeneratur virginitas: & poſt multa. teipſam, vt te habeas diligentius, inſpice: atque hanc in te per naturam, opertam abditamq; reperies. Si dicat quiſpiã nequeo præſtare quod uoui: hoc dicere, Marcionis & Manichæi eſt hæreſim profiteri: chriſtiano dicere fas non eſt, niſi quod dixit Chriſtus Marci. 9. Omnia poſſibilia ſunt credenti: et Paulus imitator ad Philip. 4. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Lex quidẽ, inquit beatus Paulus, lex ſancta eſt, iuſta, & bona. Ex quibus omnibus patet licitum eſſe votum: quod ſi ſollemne ſit, patet qualiter dirimat cõtracta matrimonia. An vero diſpenſabile ſit, viſum eſt in ordinis ſacramento.

De quarto impedimento, videlicet ordine ſacro, Cap. LXVII.

SI quæratur, an ordinis ſacramentum impediat matrimonium, conſequenter ad ea, quæ dicta ſunt ſupra de ordine ſacro, reſpondet Scotus 37. diſt. 4. quòd impedit contrahendum, & dirimit contractũ, non propter votum continentiæ proprie dictũ annexũ eſſentialiter ordini ſacro, aut ex præcepto Eccleſiæ præcipientis tali, vtputa ſacris initiato ordinibus, quòd contrahere non poſſit: ſed ex hoc, quòd Eccleſia facit talem perſonam ſimpliciter illegitimam: quod ſtatutum fuit rationabile, ſiue habitũ fuerit a Chri-

ſto, ſiue non. Talis enim, cũ deputetur myſterio ſacro requirit mũditiam mentis & carnis, perſpicacitatem intellectus, & feruorẽ affectus: ad quæ omnia diſponit continentia. Nec in hoc debet aliquis dicere, Eccleſiam alicui præiudicare in ſuo iure: cum illa communiter non cogat quempiã ad ſuſceptionem ordinis ſacri: ſed ſatis publicauit, quòd poſt ſuſceptum ordinem ſuſcipiens inhabilis efficitur ad contrahendum. Duplicia ſunt tamen Eccleſiæ præcepta, quædam ſimplicia, quæ ſolum prohibent: & ſiquis attẽtat contrarium, facit quod attentat, licet peccet: & quædam miſta, quæ non ſolum prohibent, ſed cum hoc decernunt factum eſſe irritũ & nullum: vt eſt in propoſito in ordinis ſacramento, quod impedit & dirimit, vt habetur in c. Siqui clericorum, extra de clericis coniugatis, & in c. Ex literarum, qui clerici vel vouentes: tales enim Eccleſia inhabilitauit ad matrimonium. Et licet ordinem recipiendo votum non exprimant verbis: eo tamen ipſo quo libere ordinẽ accipiunt ſollemniter ſecundum ritum occidentalis Eccleſiæ, quæ eis votum adiunxit, intelliguntur tacite votum emiſiſſe. Quia tamen non eſt ibi talis ſollemnitas, ſicut in profeſſione religionis, in qua fit ſollemnis obligatio in holocauſtum: ideo Papa (vt dictum eſt in ſacramento ordinis) vrgente neceſſitate, & publica ſuadente vtilitate poteſt cum illis diſpenſare. Si vero matrimoniũ præcedat ordinem ſacrum, matrimonium præcedens non impedit, quin vxoratus accedens ad ordines etiam vxore reclamãte recipiat characterem. Ipſa tamen vxor nõ priuatur iure ſuo, ſed vir, qui licet teneatur ei (ſi petat) debitum reddere, non poteſt tamen exigere, immo in Eccleſia occidentali priuatus eſt ordinis executione: & vxore mortua matrimonium de cetero contrahere non poteſt. Si autem vxor conſentiat ordinationi, habet executionem: ipſa tamen non poterit petere debitum: quia cenſetur in illo conſenſu vouiſſe perpetuam caſtitatem: nec tenetur ingredi religionem, niſi ſibi timeret de periculo caſtitatis. In Eccleſia vero orientali matrimonio iuncti non poſſunt accedere ad ordines ſacros ſine vxorum cõſenſu: quia ad minus in tempore miniſterij ſui, in quo tenentur continere, fraudarentur debiti redditione, quo fraudari non poſſunt, ſi eis contradicentibus, aut ignorantibus, viri ordines ſacros ſuſciperent. Et apud eoſdem græcos eo ipſo, quò mulier conſentit ordinationi, ipſa ſe obligat ad hoc, quòd mortuo viro alteri non nubat. Si vero ſine conſenſu ſuo vir ordinetur, mortuo viro poteſt alteri matrimonio copulari. Sanctus Bonauentura 37. diſt. 4. ar. pri. q. 3. probat, quòd Eccleſia ſtatutum præfatum de continentia clericorum potuit facere, decuit, ac expediens fuit vt faceret: Potuit

dupliciter:

dupliciter, cum propter auctoritatem prælatorū, & maxime ſummi Pontificis, tum etiam propter conſenſum ſubditorum. Propter primum potuit, quoniam etſi omnia ſacramenta auctoritatem reſpiciant in diſpenſante aliquo modo, iſtud præcipue ordinis ſacramentum inter alia reſpicit, in cuius ſignum in ordinis datione loquitur poteſtatē habens, ille videlicet, qui ordines confert, dicens: Accipe poteſtatem &c. & ideo iſtud onus ſummus Pontifex huic ſacramento alligare potuit, & ſibi licuit. Sed huic auctoritati & poteſtati ſuæ ſucceſſit in latinis ſecundum, videlicet voluntas obtemperandi, cum tale ſtatutum libenter receperint: et hæc duo fecerūt ſtatutum firmum. Græci vero verterunt tergum, & conſentire noluerunt in tam nobile ſtatutū, vt vaſa ſua ſeruarent munda: & ablatum eſt ideo ab eis regnum, & intelligentia ſcripturarum, & datum eſt genti faciēti fructus eius: & ſic patet, quia potuit. Decuit etiā, & hoc propter duo: quoniam in actu carnali, qui eſt vſus matrimonij, vt plurimum eſt libido: & in cohabitatione ſolicitudo. Libido autem ſiue carnalis delectatio reddit fœtidum & immundum: ſolicitudo vero reddit diuiſum. Et quoniam clericos in ſacris ordinibus conſtitutos decet eſſe mundos, cum ferant vaſa Domini: decet & eſſe ſolicitos & attētos, vt diligēter ſeruiant domino, & ſtudeant placere Chriſto: ideo decēs fuit eos ab vxoribus ſeparari, vt per omnia fierēt idonei cultores & miniſtri altaris. Si enim comeſturi panes propoſitionis vaſa ſancta habere debebant, quanto magis iſti, qui agno immaculato aſſiſtunt, illum diſpenſant, & ſumunt, omni puritate & ſanctitate fulgere debent? ac vaſa ſua cuſtodire in ſanctificatione & honore, non in deſiderij poteſtate? Hoc certe decentiſſimum omnis anima iudicabit, quæ eſt templū Spiritus ſancti. Fuit vltra hoc etiam expediens, cum propter vitādum irregularitatis periculum, tum propter vitandum latrociniū. Primo modo expediens fuit: quia ſi mulier vxor alicuius alium virū cognoſcat, & ille vir poſtea cognoſcat eam, iam irregularis eſt: & ideo ſi vxor ſacerdotis græci fornicatur, amplius nec ipſam nec aliā carnaliter cognoſcere poteſt. Et quia difficile eſt talibus abſtinere, frequenter in irregularitatem inciderent, & cū periculo miniſtrarent, ſi vxores haberent. Secundo modo propter vitandum latrocinium. Si enim Epiſcopi & Archiepiſcopi nunc filios procrearent, omnia fere bona eccleſiaſtica furarentur in præiudicium & eccleſiarū & pauperum: ideo Spiritus ſanctus prouidit, ac offendiculum hoc e medio auferre voluit. Et Dei conſilio ſtatutum hoc in Eccleſia ſancta Dei factū fuit, vt clerici ad ſacros ordines venientes, nullo modo vti poſſent matrimonio. Et licet ordo & matrimoniū, vt ſacra-

menta ſunt, non pugnent inter ſe: quæ tamen fiunt a matrimonio iunctis, (quæ citra ruborem nominari nō poſſunt) ea cum ſacerdotio pugnare vehementer a viris non doctrina magis, quàm pietate præditis excellenti, docemur. Poſſemus adducere multa teſtimonia antiquorum doctorum, & conciliorum pro cælibatu clericorū & ſacerdotum. Sed quia in tractatu noſtro particulari ſuper dicto cælibatu, & tractatui de conſilijs euangelicis annectendo, diffuſe ſuper hac materia ſcripſimus: ideo nos remittimus ad illa loca. Ducēti etiā viginti ſeptem patres, qui in Trullo regij palatij ſub Iuſtiniano conuenientes canones ediderunt, inter ceteros & hunc conſcripſerunt, videlicet: Vxor eius, qui ad epiſcopalem dignitatē promotus eſt, ſimul vt is electus & conſecratus fuerit, communi ſui viri conſenſu prius ſeparata monaſterium ingrediatur, quod ab ædibus epiſcopi procul abſit. Et ſiquis teſtimonium beati Pauli adducat, dicens primæ Tim. 3. Oportet epiſcopum vnius vxoris eſſe virum: id ad excludendos bigamos a ſacerdotio dictum eſſe, ſancti patres omnes vno ore teſtantur. Si enim illa beati Pauli verba ad mentem hæreticorum ſumerentur, non erit ſacerdos & epiſcopus Chriſtus: non Paulus ipſe, qui hæc ſcripſit: non Ioannes euangeliſta, de quo indubitatum eſt virginem fuiſſe: non alij quidam Apoſtoli, qui cælibes fuiſſe leguntur: non Titus, non Timotheus, non Dionyſius, non Ignatius, non Baſilius, non Chryſoſtomus, non innumeri alij ſacerdotes, & epiſcopi, quos omnes vt aliarum virtutum, ita caſtitatis & continentiæ laude celebres fuiſſe legimus. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 2. de patientia Iob, inquit: Tito dicit Paulus, Conſtitue epiſcopos, ſicut ego diſpoſui tibi. Siquis eſt ſine crimine, & vnius vxoris vir, non ea ratione, qua id nunc in Eccleſia obſeruatur, dictū fuit: quia oportet omni prorſus caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe: & hæc ſufficiant pro quarto impedimento.

De quinto impedimento, videlicet conſanguinitate. Cap. LXVIII.

PRO quinti impedimenti notitia notanda ſunt aliqua, quæ ponit Iſidorus lib. 9. Ethimol. c. 5. Primū, quòd conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eadem perſona carnali propagatione deſcendentium. Secundum, quòd perſona, a qua plures carnali propagatione deſcendunt, ſtipes vocatur. Tertium, quòd linea conſanguinitatis eſt ordo perſonarum conſanguinitate iunctarum. Quartum, quòd hæc linea diuiditur in aſcendentem, deſcendentem, & tranſuerſalem.

tranſuerſalem. Linea deſcendens eſt a perſona propagante ad propagatas. Aſcendens a propagata ad illas, a quibus deſcendit. Tranſuerſalis eſt, quando ambæ perſonæ deſcendunt ab eadem, ſed neutra ab altera. Quintum, quòd gradus eſt determinata propinquitas perſonæ ad perſonam ſecundum conſanguinitatem: gradus. n. proprie inuenitur in linea aſcendente, & deſcendente: improprie vero in tranſuerſali. Ex p̄dictis inferimus aliquas regulas. Prima in linea recta tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ vna minus. Et ratio eſt: quia tot ſunt gradus, quot propagationes, cum gradus ſit habitudo vel propinquitas inter perſonam & perſonam: Sunt autē perſonæ vna plures, quàm propagationes, cū præſupponatur toti collectioni aliqua ibi non propagata. Ratio autem Durandi diſt. 40. 4. eſt, quia cum gradus ſit certa diſtantia propinquitatis, gradus non poteſt eſſe eiuſdem ad ſeipſum, ſicut nec propinquitas: ideo gradus ſemper ſupponit perſonam aliquam, cui ſecunda addita facit gradum: Et per rationem eandem tertia addita ſecundæ & 4. 3. & ſic ſemper, vt ſit numerus graduum, iuxta numerum perſonarū vna excepta: & hæc computatio graduum in linea aſcendentium & deſcendentium communis eſt apud omnes. Secunda regula in linea collaterali, quæ non eſt eorum, quorum vnus deſcendit ab alio, ſed eorum qui deſcendunt a communi principio: aliter computantur gradus ſecundum canones, & aliter ſecundum leges. Secundum canones computantur hoc modo. Vbi videndum eſt, vtrum perſonæ de quibus quæritur, æqualiter diſtent a communi ſtipite: & tūc quoto gradu diſtat quælibet earum a communi ſtipite, toto gradu inter ſe diſtant. Verbi gratia, filij duorum fratrum diſtant a cōmuni ſtipite in ſecundo gradu ſecundum lineam rectam: ideo in eodē gradu diſtant inter ſe ſecundum lineam collateralem. Si vero inæqualiter, tunc quoto gradu remotior illorum diſtat a ſtipite communi, toto gradu diſtant inter ſe. Exempli gratia: ſit ſoror communis parens, vel ſtipes, ego nepos ſecundum vnam lineam, tu vero pronepos ſecundum aliam: ſi quæritur quoto gradu ego diſto a te, debet reſponderi, quòd tribus: quia toto gradu tu, qui es remotior, diſtas a communi parente, a quo ego non diſto, niſi in ſecundo gradu. Et ratio eſt ſecundum Sco. 40. diſt. 4. quia perſonæ, quæ ſunt in linea tranſuerſali, non habent in ſe propinquitatem niſi ratione ſtipitis: ideo non poſſunt inter ſe propinquius coniungi, quàm remotior eorum coniungatur ſtipiti. Secundum vero leges ciuiles aliter computantur gradus: quia ſecundum eas duo fratres ſunt in ſecundo gradu: filij duorum fratrū in quarto: nepotes eorum in ſexto: & ſic duplicantur gradus ſecundum computationē

legalem ſupra computationem canonicam. Et ratio diuerſitatis eſt, quia leges attendunt deſcenſum a communi patre ex vtraque parte: & quia quilibet filius diſtat a patre vno gradu, ideo dicuntur diſtare inter ſe duobus gradibus. Canones vero non attendunt naturam perſonarum deſcendentium, ſed quantitatem deſcenſus, quæ cum ſit vna in duobus fratribus reſpectu patris, non dicuntur diſtare inter ſe niſi vno gradu. Ad propoſitum principale dicendũ, quòd conſanguinitas ſecundum lineam aſcendentium & deſcendentium impedit de iure naturali matrimoniũ quoad omnem gradum. Cõſanguinitas vero ſecundum lineam collateralem impedit iure diuino matrimonium in primo gradu, puta inter fratrem & ſororem, & ceteros primi gradus, vt patet leuit. 18. Sed de iure poſitiuo impedit vſque ad quartum gradum incluſiue. Et ratio eſt ſecundum Durandum vbi ſupra: quia ſecundum dictamen rationis naturalis maior reuerentia debetur patri, vel matri, quàm debeatur coniugi: ſed quicumque ſunt in linea aſcendentium, vel deſcendentium, ſe habent vt parentes ad prolem, vel proles ad parentem mediate vel immediate. Ergo ſi iungerentur matrimonialiter, iungeretur pater filiæ, vel mater filio mediato vel immediato: & ſic ſuperioritas parentum reſpectu filiorum periret, tranſiens in ſocietatem coniugum, quod eſt contra ius naturale. Et magis adhuc eſt contra inſtinctum naturæ, ſi filius ducat matrem in vxorẽ, quàm ſi pater ducat filiam, cum plus derogetur reuerentiæ matris: eo quòd vxor in nullo debet eſſe ſuperior viro, ſed eſt ei par ſolũ quoad carnale debitum: In omnibus vero alijs eſt ſubiecta viro, qui ſecundum beatum Paulum pri. Cor. 11. eſt caput mulieris. Propter hoc Deus a principio inſtituendo matrimonium excluſit patrem & matrem, dicens Gen. 2. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, (cum hanc copulam etiam animalia bruta abhorreant, vt recitat Philo. 8. de animalibus, de camelo, & equo) & adhærebit vxori ſuæ. Series etiam generationis debet procedere, & non retrocedere: ſicut faceret ſi proles iungeretur parenti ad opus generationis: & eſſet cõfuſio conſanguinitatis: quia proles genita ex filio & matre eſſet patri frater aut ſoror, quia ex eadem matre: quod eſt inconueniens: quia ſecundum vnum deberetur ei paritas, ſecundum aliud ſubiectio. Aliæ vero ſunt excluſæ a matrimonio de iure diuino veteris legis: vt illæ quæ ſunt in primo gradu conſanguinitatis in linea collaterali. Cuius ratio eſt ſecundum eundem Durandum vbi ſupra: quia ſecundarius finis matrimonij eſt confœderatio hominum, & multiplicatio amicitiæ, dum homo ſe habet ad cõſanguineos vxoris aliquo modo, ſicut ad ſuos. Sed inter illos, qui attinent ſibi in

primo gradu conſanguinitatis,eſt ſufficiens amicitia naturalis,quæ etiam conſeruatur & augetur per cohabitationem mutuam:& ideo ſi iungerentur per matrimonium , non accreſceret . Propter quod rationabiliter prohibetur talium coniunctio:& propter eandem rationem de iure poſitiuo prohibiti ſunt ſecundum antiqua iura a tẽpore Gregorij copulari matrimonialiter vſque ad ſeptimũ gradũ, immo quandiu maneret notitia conſanguinitatis, vt habetur 35. q. 3. c. Progeniem ſuam,& duobus capitulis ſequentibus. Sed tres vltimi gradus reuocati ſunt in concilio generali ſub Innocentio 3.vt habetur extra de conſangui.& affini.c. Non debet. Prohibitio enim in tribus vltimis gradibus erat inutilis, & periculoſa . Inutilis, quia refrigeſcente charitate , iam ad alios tres gradus parum extendebat ſe vinculum naturalis amicitiæ : & periculoſa, quia ꝓpter multiplicationem conſanguineorum,& obliuionem vix poterat obſeruari prohibitio ſine multa transgreſſione . Vſque vero ad quartum gradum manſit prohibitio : quia memoria conſanguinitatis vſque ad illum gradum ſatis tenetur per certitudinem : quia complures viuunt vſque ad quartam generationem . Simpliciter ergo conſanguinitas impedit contrahendum, & dirimit contractum,non ex lege euangelica, (cum ſecundum Scotum vbi ſupra non inueniatur a Chriſto alia prohibitio, quàm ſupradicta legis naturæ : qui nec etiã explicite cõfirmauit prohibitionem ſuper hoc factam in lege Moyſi)ſed quia Eccleſia illegitimauit perſonas quandoque in gradu remotiori tẽpore ſcilicet Gregorij , Nunc vero poſt Innocentiũ tertium vſque ad quartum gradum incluſiue: & ratio illegitimationis fuit propter pacem & amicitiam in Eccleſia ſeruandam .

De ſexto & ſeptimo impedimento,videlicet affinitate,& publicæ honeſtatis iuſtitia . Caput. LXIX.

PRO ſexto impedimẽto,videlicet affinitatis,ſunt quædam notanda , antequam videamus quomodo dirimat matrimonium . Et primo, quòd affinitas eſt attinentia, vel propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniẽs : quod dicitur , quia non ſolum per legitimam copulam,ſed & per fornicariam,ex qua nata eſt ſequi ꝓles, contrahitur affinitas . Quod verum eſt in præſentiarum ſecundum modificationem,quæ habetur ſeſs. 24. concilij Triden.cap. 4. de reformatione matrimonij , vbi dicitur . Sancta Synodus ex grauiſſimis cauſis impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur , & matrimonium poſtea factum di-

rimit ,

rimit,ad eos tantum,qui in primo & ſecundo gradu coniungūtur, reſtringit : In vlterioribus gradibus ſtatuit, huiuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere. Non autem per actum aliquem ſiue naturalem, ſiue contra naturā, in quo non eſt coniunctio ſeminum, contrahitur, (niſi procederet ex maritali affectu : quia tunc cauſaret affinitatem propter affectum, & non propter factum,ideſt propter coniugale vinculum,quod ſolum ſufficit ad cauſandū affinitatem) vt habetur 35. q. 3. c. Extraordinaria. Ratio huius propinquitatis hinc ſumitur : quia ſuper communicatione naturali fundatur amicitia naturalis : Communicatio autē præfata fit ſecundum Philoſophum 8.Ethi. duobus modis. Vno modo ſecundum carnis propagationem, ſecūdum quem vnus eſt ab alio, vel ambo a tertio. Alio modo per coniunctionē ordinatā ad carnis propagationem: quæ coniunctio eſt per carnalem copulam,vel per matrimonium,in quo eſt mutua obligatio coniugum ad carnalem copulam, ſi petatur,vt dictum eſt ſupra. Propter quod dicit ibidem Philoſophus, quòd amicitia viri ad mulierem eſt naturalis. Et ideo ſicut per propagationem carnis cauſatur attinentia naturalis amicitiæ,quæ eſt conſanguinitas : ita per carnalem copulā, vel coniunctionem ad hoc ordinatam (vt eſt matrimonium) cauſatur vinculum naturalis amicitiæ, quod vocatur affinitas, dum hæc ſe habet ad cōſanguineos vxoris ſuæ,ſicut ad ſuos: eo quòd vxor eſt aliquo modo vnū corpus cū viro. Sed quia eſt quaſi ab extrinſeco adiuncta,ideo quicumque attinet viro, attinet & vxori in eodem gradu : ſed in alio genere attinētiæ: quia cōſanguinei viri ſunt affines vxori. Vnde ſequitur,quòd gradus affinitatis debent computari ſecūdum gradus conſanguinitatis: quia quoto gradu conſanguinitatis attinet quis uiro,toto gradu affinitatis attinet vxori,& e conuerſo. Frater enim mariti eſt affinis vxori in primo gradu, filius fratris in ſecūdo,nepos eius in tertio,& pronepos in quarto: ita computandū eſt ex parte vxoris. Antiquitus tria fuerūt genera affinitatū. Primū,quod cauſatur ex matrimonio ſeu copula carnali inter virū & cōſanguineos vxoris,& inter mulierē & cōſanguineos viri: de quo dictū eſt paulo ante. Secundū genus habēt addēdo perſonā per matrimoniū vel carnalē copulā primo generi, hoc modo. Si vxor fratris mei,quæ eſt mihi affinis in primo genere, mortuo fratre meo nubat alteri viro, ille erit mihi affinis in ſecūdo genere affinitatis: & ille ſecundū antiqua iura nō poterat accipere aliquā de conſanguinitate prioris mariti vſque ad quartū gradū incluſiue. Et de iſto ſecūdo genere habēt 35.q.3. c. De propinquis. Tertiū genus habēt adhuc addēdo perſonā per matrimoniū,vel per carnalē copulā ſe-

cūdo generi, hoc modo. Petrus fuit maritus relictæ fratris tui: mortua illa relicta, Petrus, qui eſt tibi affinis in ſecundo genere, accipit aliā: illa eſt tibi affinis in tertio genere: & illa mortuo viro ſuo non potuit olim copulari alicui de cōſanguinitate tua vſque ad certum gradum. De hoc habetur 35. q. 3. c. Porro. Ex iſtis tribus affinitatum generibus ſecundum & tertium genus non impediunt matrimonium: quia vtrumque reuocatum eſt per generale concilium, vt habetur extra de conſang. & affini. c. Non debet. Et rationabiliter propter multiplicationem nimiam affinium, & difficultatem computandi: imminebat etiam periculum animarum ex crebra tranſgreſſione prohibitionis: Primum igitur genus, ſi præcedat matrimonium, impedit ipſum contrahendum, & dirimit iam contractū vſque ad quartum gradum incluſiue, ſicut & conſanguinitas: quia ſecundarius finis matrimonii eſt dilatatio amicitiæ. Sed per matrimonium vir ſe habet ad conſanguineos vxoris amicabiliter, vt ad ſuos, & e conuerſo: & ideo ſicut non poteſt coniungi conſanguineis ſuis vſque ad quartum gradum, ita nec conſanguineis vxoris ſuæ. Antiquitus hoc primum genus affinitatis impediebat matrimonium vſque ad ſeptimum gradum, ſicut & conſanguinitas: ſed tres vltimi reuocati ſunt per illud capitulum. Non debet, de conſang. & affin. Affinitas autem ſequens matrimonium non dirimit ipſum: ſed eum, cuius culpa cōtracta eſt, excludit ab exactione debiti, ſed non a redditione. Si dicatur, quòd vxor alicuius affinis eſt fratri viri ſui, quo mortuo debet eam accipere in vxorem ſecūdum legem veterem poſitam Deut. 25. et per conſequens affinitas non impedit: reſpondet Durandus diſt. 41. quar. quòd lex prohibuit, ne frater acciperet vxorem fratris. Leuit. 18. Conceſſit tamen hoc diſpēſatiue in caſu, in quo frater moriebatur ſine liberis: vt viuēs ſuſcitaret ſemē fratri defūcto, ne nomē eius in progenie ſua abſque liberis remaneret. Ex ſupradictis patet, quòd conſanguinei vxoris non efficiuntur affines conſanguineis viri: ſed tantum conſanguinei viri vxori: & conſanguinei vxoris uiro. Vnde ſi vxor haberet filium ex alio viro, & vir filiam ex alia vxore, inter dictos filiū & filiam contrahi poſſet matrimonium: & iſta affinitas contrahitur tam per cohabitationem matrimonialem, quàm per fornicariā, cum reſtrictione ſupradicta concilij Tridentini. Vnde licet inter aliquos ſit matrimonium, ſi tamen non adſit inter eos copula carnalis, non contrahitur huiuſmodi affinitas proprie loquendo: licet in ſponſalibus, & in matrimonio rato, & nō conſummato contrahatur affinitas largo modo, prout importat publicæ honeſtatis iuſtitiam: de qua multa habentur de ſponſalibus & matrimon. in 6. c. Ex ſponſalibus.

ſalibus.

ſalibus. Septimum impedimentum eſt publica honeſtas iuxta capitulum vnicum de ſponſalibus libro 6. de quo dictum eſt ſupra in c. de ſponſalibus, quæ eſt effectus ſponſalium, & propinquitas quædam ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione, propter honeſtatem inter conſanguineos ſeruandam introducta, propter quam nullus conſanguineorũ viri vſque ad quartum gradum mulieri deſponſatæ matrimonio copulari poteſt: nec etiam conſanguineis vxoris vir, vt habetur in c. Ad audientiam: Et c. Sponſam, extra de ſponſalibus. Et in c. Ex ſponſalibus, eodẽ titulo lib. 6. vbi dicitur, quòd publicæ honeſtatis iuſtitia eſt obſtaculum impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum, de quibus ſupra in dicto c. de ſponſalibus diffuſe &c. Seruetur tamen ſuper hoc impedimento modificatio & ſtatutũ Triden. concilij, de quo ſupra in capite 63. de ſponſalibus.

De cognitione ſpirituali, & legali, quæ ſunt duo alia impedientia matrimonium ſimpliciter. Cap. LXX.

PRIMO de cognatione ſpirituali dicẽdum: quæ eſt propinquitas proueniens ex ſacramẽto baptiſmi & confirmationis ſecundum Eccleſiæ ordinationem. Pro qua notãdum, quòd ſicut per carnalem propagationẽ accipit homo eſſe naturæ, ita per ſacramentum accipit eſſe gratiæ. Sicut ergo per generationem carnalẽ contrahitur vinculum cognationis carnalis inter genitum, & generantes, puta inter filium & patrem ac matrem: ſic per regenerationem ſpiritualem, quæ eſt per baptiſmum vel confirmationem, contrahitur vinculum cognationis ſpiritualis inter regeneratũ, & regenerantes. Inter regenerantes, qui ſacramentum dat, tenet vicem patris, qui inquantum eſt miniſter Dei regenerat. Qui vero tenet ipſum, tenet vicem matris, inquantum gerit perſonam Eccleſiæ, intra cuius gremium fit omnis ſpiritualis regeneratio: & ſic ſpiritualis cognatio inter has perſonas cõtrahitur ex hac cauſa. Dicta autem cognatio non cõtrahitur niſi per actus pertinentes ad officium regenerationis ſpiritualis: ad quod officium tria cõcurrunt. Vnum tanquam diſponẽs ſpirituale, in quo fit regenerationis inchoatio, ſcilicet inſtructio catechiſmi. Aliud tanquam formaliter dans eſſe ſpirituale, in quo fit prolis animatio in vtero Eccleſiæ, videlicet ſuſceptio baptiſmi. Tertium tanquam complens & manifeſtans ipſum eſſe ſpirituale: in quo fit quaſi prolis in publicum productio, ſcilicet ſuſceptio confirmationis, per quam homo fidelis in publi-

cam fidei confeſſionem exponitur. Spiritualis autem cognationis ſunt tres ſpecies. Vna quæ eſt ſpiritualis paternitas, quæ contrahitur inter regenerantem, & regeneratum: ſiue inter patrē ſpiritualem, & filium ſpiritualem. Regenerans eſt duplex: vnus quaſi pater dans ſacramentum: alius quaſi mater, ſcilicet tenens puerum in baptiſmo, vel confirmatione: & ad vtrumque horũ cognatio ſpiritualis paternitatis extenditur. Secunda ſpecies eſt, quæ dicitur ſpiritualis compaternitas, quæ eſt inter patrem, & matrē ſpirituales, & carnales: ſiue inter baptizantem, confirmantem, leuātem, ac tenentem, & patrem ac matrem carnales baptizati vel confirmati: ſiue ut breuius dicatur, inter patrem carnalem, & patrem ſpiritualem. Tertia ſpecies eſt fraternitas inter filium ſpiritualem, & filios carnales eiuſdē patris ſpiritualis. Ex quibus patet, quòd inter matrem ſpiritualem, & patrem ſpiritualem nō cōtrahitur aliqua ſpiritualis compaternitas: quia non coniunguntur in regeneratione ſpirituali niſi per accidēs: quia vnus per ſe ad hoc ſufficeret: trāſit autem compaternitas a viro in vxorem quandoque ſic, & quandoque non. Ad vxorem non dum carnaliter cognitam nō trāſit, cum nondum effecti ſint vna caro. Ad carnaliter vero cognitam tranſit ſpiritualis cognatio, quæ contrahitur per actum viri ſui, cum leuat filium alterius de ſacro fonte, vel tenet in cōfirmatione. Sed quando cōtrahitur per actum alterius tenētis filium viri ſui ex alia muliere, tunc nō trāſit ſpiritualis cognatio a viro in vxorem etiā carnaliter cognitam. Et eodem modo tranſit, vel non tranſit dicta cognatio ab vxore in virum, ſicut dictum eſt de trāſitu a viro in vxorem. Reſpondendo ad principale, videlicet qualiter ſpiritualis cognatio impediat contrahendum, & dirimat contractum matrimonium: dicimus, quòd cognatio ſpiritualis ſecundum omnes dictas tres ſpecies ex ſacramentorum baptiſmi, & confirmationis datione contracta, præcedens matrimonij contractum, impedit contrahendum, & dirimit poſt contractum, vt patet ex c. primo de cognat. ſpirituali in 6. ſequens vero compaternitas non dirimit matrimonium præcedens. Compaternitas vero ſciēter vel ignoranter inter coniuges ſuperueniens matrimonij vinculum non diſſoluit: ſed a debiti redditione quādoque impedit c. Si vir extra de cognat. ſpirituali. Hoc tamē impedimētum debet reduci ad modificationem concilij Triden. ſeſſ. 24. cap. 2. de reformatione matrimonij: vbi dicitur. Vnus & vna ad plus baptizatum de baptiſmo ſuſcipiāt, inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrē tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Per catechiſmum vero cum

contrahatur

contrahatur vinculum debile, impeditur contrahendum, ſed non dirimitur contractum, vt habetur de cognat. ſpirituali c. Per catechiſmum in 6. Secundo dicendum eſt de nono impedimento, videlicet de cognatione legali, quæ etiã, vt dicetur infra, impedit & dirimit: & ſic deſcribitur, quòd eſt propinquitas quædam proueniens ex adoptione. Adoptio autem ſecundum iuriſtas eſt extraneæ perſonæ in filium vel nepotem, aut deinceps legitima aſſumptio. Pro quo ſciendum, quòd prout dicit Philoſophus 2. phyſicorũ, ars imitatur naturam, & ſupplet eius defectum quantum poteſt, vbi natura deficit. Vnde ſicut per vim generatiuam aliquis filiũ producit: ita & per ius poſitiuum (quod eſt ars æqui & boni) poteſt ſibi aliquis aſſumere aliquem in filium ad ſupplẽdum defectum filij naturalis. Et talis aſſumptio vocatur adoptio: propter quod dicitur aſſũptio extraneæ perſonæ in filium: quia qui adoptatur non eſt talis ſecundum rem, in qualẽ adoptatur ſecundũ iuris fictionem. Vnde ſicut ex generatione naturali cauſatur propinquitas cõſanguinitatis: ſic ex tali iuris fictione cauſatur propinquitas legalis. Sunt autem duæ ſpecies adoptionis: vna imperfecta, per quam nõ transfertur adoptatus in poteſtatem adoptãtis: & hæc vocatur ſimplex adoptatio: alia perfecta, per quam transfertur adoptatus in poteſtatem adoptantis: & hæc vocatur arrogatio. Arrogare enim eſt in filium ac familiarem aſciſcere, a quo fit arrogatio: quæ eſt, cum is qui aſciſcit aliquem in filium interrogatur, an velit illum iuſtum ſibi filium eſſe: & is qui aſciſcitur, interrogatᵣ, an id fieri patiatᵣ. Vel arrogare eſt aliquem, qui ſui iuris eſt, in filium recipere: inde arrogatus filius dicitur ille, qui ſic aſſumitur in filium. Arrogatio perfecte naturalem filiationem imitatur: vnde ſic adoptatus ſuccedit patri ab inteſtato: nec poteſt eum adoptans ſine culpa priuare quarta parte hæreditatis. Differunt autem in quatuor adoptatus, & arrogatus. Primo, quia non poteſt arrogari, niſi qui eſt ſui iuris, qui ſcilicet non habet patrem, vel eſt emancipatus: ſed adoptatur, qui eſt alieni. Secundo, quia arrogatus tranſit (vt dictum eſt) in poteſtatem arrogantis, ſed adoptatus non. Tertio, quia arrogatus habet de neceſſitate legitimam in bonis arrogatoris: vnde ſiue eum emancipet, ſiue non, debet ei quartam partem bonorum relinquere, ideſt legitimam ſuam: adoptatus vero non ſic, cum non teneatur ei aliquid relinquere: ſi tamen ab inteſtato moriatur adoptator, ſuccedit ei adoptatus. Quarto, quia arrogatio non fit niſi auctoritate Principis: ſed adoptatio fit auctoritate cuiuslibet magiſtratus competẽtis. Eſt vlterius ſciendum, quòd non quilibet poteſt arrogare, vel adoptare, ſed ſolum ille, qui poteſt generare naturaliter: & non

qui non poteſt, vt ſpado, ſiue caſtratus. Et ratio eſt: quia adoptatio eſt in ſolatium liberorum amiſſorũ, vel qui haberi potuerunt: ideo impotens ſimpliciter ad generationem, adoptare, vel arrogare non poteſt. Idem etiam debet eſſe maior quadraginta annis, niſi fiat ex alia cauſa neceſſaria: quia vſque ad tempus illud debet intendere generationi naturali. Oportet etiam, quòd adoptans p̄cedat adoptatum plena pubertate, ita quòd poſſit ipſum naturaliter genuiſſe. Item adoptare non poteſt, qui non eſt ſui iuris, vt filiusfamilias: quia adoptatio ordinatur ad ſuſceptionem hæreditatis: & ideo illi ſoli competit adoptare, qui habet adminiſtrationem bonorũ ſuorum. Mulier etiam adoptare non poteſt, niſi hoc ei a principe concedatur in ſolatium liberorum amiſſorum. Dicimus vltra, quòd legalis cognatio eſt triplex. Prima quaſi lineæ deſcendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filiũ filij, & ſic deinceps. Secunda eſt quaſi collateralis, inter filiũ adoptiuum, & filium naturalem. Tertia eſt per modum affinitatis, quæ eſt inter patrem adoptantem, & vxorem filij adoptati: vel e cõuerſo inter filium adoptatum, & vxorem patris adoptantis. Prima habet prohibitionem perpetuam de matrimonio contrahendo, vt ff. de ritu nupti. l. quin etiã. Similiter & tertia, de ritu nupti. l. adoptiuus, reſponſo primo. Secunda vero habet prohibitionem, quandiu manet adoptio: vnde mortuo patre, vel emancipato filio, poſſunt ad inuicem contrahere, vt habetur extra de cognatione legali, c. Si qua. Ratio horum eſt: quia prima & tertia prohibitio eſt propter reuerentiam, quam debet habere adoptatus, & vxor eius ad adoptantem, & ad vxorem eius: & cum ſit perpetua, impedit matrimonium. Secunda vero prohibitio eſt propter interpretatiuam filiationem, quæ prouenit ex adoptione: & ideo ea durante durat, & ceſſante ceſſat. Legalis autem cognatio non modo impedit matrimonium contrahendum, ſed dirimit iam contractum, vt habetur 30. q. 3. c. Ita diligere.

Decimum impedimentum impediens & dirimens eſt diſparitas cultus. Cap. LXXI.

SCOTVS 39. diſt. 4. pro declaratione huius impedimenti, inquit: quòd aliud eſt eſſe inter aliquos matrimonium ſimpliciter & abſolute: & aliud licite & honeſte. Poſſe autem eſſe matrimonium inter fidelẽ & infidelem primo modo, neceſſe eſt dicere: & hoc etiam de mente beati Pauli, primæ Cor. 7. dicentis, vir fidelis non

dimittat

dimittat vxorem infidelem, quæ cũ eo habitare conſentit. Si enim non eſſet matrimonium, ſuaderet fornicationem. Similiter & ſecundo modo, cum Apoſtolus non conſuleret illud, niſi eſſet licitũ & honeſtũ: cauſam adducit idem Apoſtolus ibi. Saluabitur, inquit, vir infidelis per mulierem fidelem. Ceſſante autem euidenter cauſa illa non debent inſimul commanere: vt ſi non conſentit habitare cum conuerſo: vel ſi ſic, non ſine iniuria creatoris, blaſphemando ſcilicet, vel ſolicitando conuerſum ad infidelitatem. Vitanda eſt enim tam ſingularis familiaritas cum quocumque contrariæ ſectæ, ſi non ſequatur maius bonum. Si quæratur, an de nouo tale matrimonium poſſit contrahi: Reſpondetur, quòd contrahere de nouo cum infideli non eſt occaſio probabilis ad expectandum tantũ bonum, videlicet conuerſionem eius: quia vehemẽter amans coniugium multa & magna faceret, vt illud conſequeretur: quæ non eſſet facturus ipſum adeptus. Ideo ſi iſte non vult conuerti in primo, vt habere poſſit coniugium cum chriſtiana, nõ eſt probabile, quòd iſta poſtea lucretur eum, ſed magis e conuerſo, cum ille videatur abducere illam: ceſſat enim ratio tantæ familiaritatis ad infidelem, & manet ratio alienandi ſe ab illa. Ideo idem Apoſtolus, qui conſuluit manere conuerſum cum non conuerſa, diſſuaſit contrahere fidelẽ cum infideli. Licet igitur de iure diuino poſſit inter eos cõtrahi matrimonium, cum ex illo non magis habeatur, quòd contractus ſit nullus, quàm quòd obligatio ex contractu priori ſit nulla: quia non poſito nouo impedimento, qui poteſt eſſe alterius, poteſt ſe alteri dare. De iure tamen poſitiuo Eccleſiæ ſimpliciter non poteſt: quia Eccleſia illegitimauit fidelem non ſimpliciter, ſed reſpectu infidelis, vt habetur 28. q. pri. c. Sic enim, vbi dicitur. Non niſi eiuſdem religionis & fidei maneant copulata coniugia: &. c. Caue. Non niſi baptizata ſumatur in coniugium: quia baptiſmus eſt primum ſacramentum. Eſdræ etiam lib. pri. c. 9. & 10. Separatio fiebat coniugum alienigenarum. Hoc autem Eccleſia rationabiliter ordinauit, cum non ſit honeſtum & congruum fidelem contrahere cum aliquo, vbi deficiat bonum prolis completum, quod eſt educatio ad cultum veri Dei. Nec honeſtũ eſt fidelẽ contrahere, cui contractui non ſit annexum ſacramentum fidei chriſtianæ, & vbi nõ ſit bonum ſacramenti, ideſt indiſſolubilitas, cum coniugium chriſtianum poſſit habere hæc bona. Et ſi dicatur, quòd Ioſeph (Gen. 41.) accepit Aſeneth filiam Phutipharis, cum tamen ipſe eſſet fidelis, & illa infidelis: Reſpondetur, quòd tunc non fuit hæc poſitiua lex illegitimans. Nec oportet ordinationem Eccleſiæ fundari neceſſario ſuper naturalem, ſed ſufficit quòd ſuper probabilem: pro-

babile etiam fuit, quòd fidelis Ioſeph lucraretur infidelẽ. Nec fuit prohibitum tempore legis Moſaicæ coniugium cũ alienigenis ſimpliciter, ſed dumtaxat cum Chananeis, quos Deus voluit ex toto extirpari: Ideo Eſther non illicite nupſit Regi Aſſuero, Eſther ſecũdo. Salomõ tamen fuit ingratiſſimus Deo ſuo, qui non ſolum peccauit ducendo alienigenas contra legem, etiam de gentibus ſpecialiter prohibitis, & in multitudine mulierum, cum dicat lex Deut. 17. de rege, non habebit vxores plurimas, quæ alliciunt animũ eius: ſed quod peius eſt, copulatus eſt eis amore ardentiſſimo, intantum vt faceret eis idola & templa ad colendum Deos earum. Si autem dictum impedimentum ſuperueniat matrimonio rite inter fideles contracto & conſummato, non poteſt diſſoluere vinculum matrimonij, licet ſoluat quoad torum & cohabitationem, vt ſi mulier vel vir fiat apoſtata, vel hæreticus: quia regula generalis eſt, quòd nihil ſuperueniens matrimonio rite celebrato & conſummato poteſt diſſoluere vinculum coniugale: licet diſſoluat cohabitationem & torum. Si autem aliquis fidelium contrahat cum hæretica baptizata, eſt verum matrimonium quamuis peccet contrahendo, ſi ſciat eam hæreticam. Secus eſſet ſi aliquis catechumenus rectam fidem habens, non tamen baptizatus, contraheret cum aliqua fideli baptizata: quia non eſſet verum matrimonium: cum baptiſmus ſit ianua omnium ſacramentorum: ideo ad sacramentum requiritur, quòd vterque contrahentiũ ſit baptizatus. Hoc enim impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed cultus: quia reſpicit exterius ſeruitium, & exteriorem proteſtationem & profeſſionem, quæ fit per ſacramẽtum baptiſmi. Ex ſupradictis elicimus hanc veritatem, quòd non tenetur fidelis conuerſus cohabitare cum infideli nolente cõuerti, etiam ſi infidelis velit cohabitare abſque cõtumelia Creatoris, donec conuertatur ad fidem, & baptizetur. Vnde Apoſtolus non præcipit, ſed conſulit: nec fit præiudicium vxori niſi ex culpa ſua, quia conuerti contemnit. Si vero immineret periculum viro ex tali cohabitatione, vt quando non vult habitare cũ eo abſque contumelia Saluatoris, debet eam dimittere, & manere innuptus: vel cum alia chriſtiana contrahere: nec tunc habebit duas vxores: cum ſecundum matrimonium, quod eſt in fide Chriſti contractum, ſit fortius, & totaliter excludat primum. Mulier vero dimiſſa poſt matrimonium viri cum chriſtiana poteſt trãſire ad ſecunda vota: Nec conuerſa ad primum virum redire poterit, cum vinculum ſit ſolutum. Et licet matrimonium, quod inter fideles contrahitur, ſit perfectius contracto inter infideles: & quòd ſi fidelis contrahat in gradu prohibito, diſſoluatur: non tamen inde ſeq-

tur, quòd matrimonium inter infideles contractū in gradu prohibito per Eccleſiā diſſoluatur. Et ratio eſt: quia infideles non baptizati non ſunt aſtricti ſtatutis Eccleſiæ, vt habetur in c. Gaudemus, extra de diuortijs, ſed bene ſtatutis iuris diuini. Ideo ſi in gradibus dicto iure prohibitis contrahunt, poſt conuerſionem eorum diſſoluitur. Ad hæc dicimus, quòd licet vir, quàm cito ſibi cōſtat de fornicatione vxoris tā ſpirituali, quàm carnali, poſſit proprio arbitrio illam dimittere quoad torum, non tamen quoad cohabitationem abſque iudicio Eccleſiæ. Vnde ſi faceret, poſſet cogi ad cohabitandum, niſi vir ſtatim probaret per teſtes, quibus creditur. Fornicatio autem probari cenſetur, ſi teſtes deponant de ſuſpicione violenta, videlicet quòd viderunt ſolum cum ſola, & nudū cū nuda, horis & locis ſuſpectis. Quando autem maritus vult accuſare vxorē ad tori ſeparationem debet hoc facere coram iudice ſpirituali: & tunc inſcriptio fieri non debet. Nec propter iudicis ſententiam eius reconciliatio impeditur: quia ſententia in fauorem datur, quantum placuerit paſſo iniuriam: nec pro recōciliatione oportet adire iudicem Eccleſiaſticum. Si autē vir eam accuſare voluerit ad pœnam corporalem, debet petere iudicem ſecularē: corā quo debet fieri inſcriptio, ideſt obligatio ad pœnam contrapaſſi, ſiue talionis. Si in probatione deficiat, neuter tamen eorum poteſt altero viuente ad ſecundas nuptias tranſire.

De vndecimo impedimento, videlicet impotentia coeundi Cap. LXXII.

PRO vndecimi impedimēti notitia ſciendū eſt, quòd licet copula carnalis non ſit de eſſentia matrimonij: poteſtas tamē ad illam eſt de eius eſſentia. Vnde in c. Quod ſedē, de frig. & malefic. dicitur: ſicut puer qui non poteſt debitum reddere, non eſt aptus cōiugio: ſic qui impotētes ſunt, minime apti ſunt ad contrahendum. Hæc tamen impotentia ex duobus poteſt contingere: ſcilicet vel ex cauſa intrinſeca & naturali: vel ex frigiditate nō temporali, ſed perpetua, cui non poteſt pharmacū conſulere: & hæc dirimit matrimonium. Et qui hoc impedimento afficitur, de cetero contrahere nequit: alter vero nubere poteſt tantum in domino. Eccleſia tamen ſtatuit tempus, vtputa triennium, ad experiendum, an impedimentum ſit perpetuum, vel temporale: poſt quod ſi inuenerint, facta experientia, quòd coire nequeūt, iudicio Eccleſiæ diſſoluitur, ſeruata certa ſollēnitate, quæ habetur in cap. Literæ veſtræ, & cap.

Laudabilem,

Laudabilem, vbi ſupra. Et ſi Eccleſia ſe deceptā inueniat, vt quando ille poſt triennium carnalem copulam cum alia habeat, redintegrat primum, & dirimit ſecundum, quamuis de eius licentia ſit factum: quia non poteſt eſſe impedimentum perpetuum naturæ viro reſpectu unius mulieris, & non alterius. Propter frigiditatē tamen mulieris non diſſoluitur matrimonium, ſicut nec propter ſterilitatem. Eſt tamē in ea aliud impedimentū, ſcilicet coarctatio: & tunc idem iudicium eſt de arctatione eius, & de frigiditate, & maleficio viri. Quia ſi nulla arte poteſt ſubueniri mulieri, quoad arctationē reſpectu vnius viri, ſoluitur matrimonium: & ſi ſit ſufficiēter aperta reſpectu alterius, nō tenetur manere ſine ſpe coniugij: ſicut nec perpetuo maleficiatus reſpectu vnius. Frigiditas in viro magis diſſoluit, quàm ſuperflua caliditas: quia per frigiditatem non ſolum tollitur commiſtio ſeminum, ſed etiam vigor membrorum, quo fit coniunctio corporū. Si vero impotentia coeundi proueniat a cauſa extrinſeca, verbi gratia ex maleficio, quod eſt ligamen quoddam a dæmone proueniens, Deo permittente, quo vir & vxor a carnali copula impediuntur: dicendum, quòd ſi maleficium eſt temporale, non diſſoluit matrimonium: ſi vero perpetuum, diſſoluit ſicut frigiditas. Differentia tamen eſt inter vtrumque: quia per frigiditatem non ſolum eſt impotens ad vnam, verum & ad omnes: non autem per maleficium, de quo iudicandū eſt ſicut de perpetua frigiditate, hoc dēpto: quia in maleficio perpetuo datur vtrique licentia: quod non fit in viro frigido. Si vero maleficiū non ſit perpetuum, non diſſoluit matrimonium: & ad hoc experiendū Eccleſia ſtatuit tempus triennij. Et nota, quòd licet numquā poſſit recte maleficium tolli per aliud maleficium: meritorium tamen eſt tollere maleficium, & opera diaboli deſtruere. Nec in hoc (vt inquit Sco. 34. diſt. quar.) eſt aliqua infidelitas, cum deſtruens nō acquieſcat operibus malignis: ſed credit dæmonem poſſe & velle fatigare, dum tale ſignum durat: & quòd deſtructio talis ſigni imponet finem tali vexationi. Sed quomodo innoteſcet perpetuitas huius impedimenti, habetur extra de frig. cap. Laudabilem: debent enim per triennium commorari, & dare operam illi actui. Si autem poſtea reclament: debent iurare cum ſeptima manu, ideſt vir & vxor de ſcientia, & ſeptem viri proximi de credulitate, videlicet: quòd credunt eos iuraſſe verum, ſecundum glo. ibi. Si vir reclamat accuſationi vxoris, creditur viro, qui eſt caput mulieris, ibidem cap. pri. Si vir accuſat, incumbit ſibi probatio modo prædicto. Furor etiam ſuperueniens matrimonio, vel aliqua ægritudo, aut aliud impedimentum, ſi inter fideles ſit contractum non impedit. Si antè præ-

cedat, cum tollat vſum rationis, impedit conſenſum. Vnde ea ratione, qua error diſſoluit, ſic furor. Et quamuis furor etiam perpetuus non impediat generationem, impedit tamen conuenientem educationem prolis: ideo eſt contra bonum illius. Et quemadmodum perpetuo furioſi non ſunt idonei ad aliquem contractum faciendum, ſic nec ad matrimonium contrahendum. Si autem habeant lucida interualla, & in illis interuallis contrahant matrimonium, tenet.

De duodecimo impedimento, videlicet vxoricidio. Cap. LXXIII.

DICIT Scotus, quòd tria ſunt crimina, quæ coniuncta, vel ſeparata, videntur facere difficultatem circa matrimonium cōtrahendum, videlicet adulterium, machinatio in mortē coniugis legitimi, & fidei datio ipſi adulteræ, vel contractus de facto cum ea, aut promiſſio cum iuramento: hæc tria vltima in propoſito pro eodem reputantur. De fidei datione adulteræ, & de cōtractu de facto cum ea habetur extra de eo, qui duxit in matrimonium, quā polluit per adulterium cap. vltimo. De tertio videlicet promiſſione cum iuramēto, habetur extra de his, quæ metu vel vi fiunt, cap. Ad aures. Ad propoſitum dicimus, quòd de his tribus vltimum per ſe non impedit contrahendum poſt mortē viri, vt habetur extra de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, cap. vltimo: vbi dicitur. Siquis vxore viuente data fide promiſerat ſe aliam ducturum, vel cum ipſa de facto contraxerit, ſi nihil aliud fuerit, non eſt matrimonium, quod cum ea contraxit, poſt vxoris obitum dirimēdum. Tertiū videlicet fidei datio cum adulterio ſimpliciter impedit, & dirimit, vbi ſupra: ſequitur enim ibi. Tolerari non debet, ſi prius vel poſtea, dum vixit vxor illius, illā adulterio polluiſſet: vbi prius & poſtea refertur ad fidei dationem. Et hoc intelligendū eſt, quando ambo ſciunt ſe adulterium perpetraſſe. Si enim vir eſſet ſic conſcius, & non mulier, cum ignoret eundem habere vxorem, tunc ſi vir poſtea de facto contrahat cum illa, cum qua commiſit adulterium, ad petitionem viri non eſt diuortium celebrandum, vt habetur eodem titulo c. pri. Sed quid ſi perſona prius iuſcia, poſtquam venit in notitiam impedimenti, petat diuortium? videtur celebrādum ex eodem capite: ex quo primum non fuit verum matrimonium. Dicimus vltra, quòd ſiue primum videlicet adulteriū concurrat cum ſecundo, vtpote homicidio, ſiue tertio, vt fidei datione, impedit & dirimit, vt patet extra de conuer. infidel. c. Laudabilem.

Immo

Immo ſolum ſecundum videtur impedire ex illo c. vbi loquitur de Sarracenis : qui dum eſſent in captiuitate qnarũdam chriſtianarũ, viros earum ſuis inſidijs & machinationibus occiderũt. Et ſententiat Eccleſia, quòd ſi in mortem ipſorum malitioſe fuerint machinati, licet earum ſtudio ad fidem acceſſerint, nec tamen eis adhærere debent, nec ſunt etiam, ſi adhæſerint, tolerãdi: cum tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit. Hic nõ tangitur de adulterio ſarraceni cum chriſtiana,nec de fidei datione, ſed tantũ de machinatione in mortem legitimi viri: quæ machinatio debet intelligi cũ effectu & conſcia vxore,vt ſimul ſint affectus & effectus. Secundũ tamen cum primo ſemper impedit: & tota ratio eſt ordinatio Eccleſiæ præciſe illegitimantis perſonas ad contrahendũ. Inducens vero Eccleſiam ad ſic ordinandum eſt repreſſio adulterij & homicidij,quæ frequenter acciderent,ſi tales perſonæ poſſent legitime contrahere. Non tamen ſemper vxoricidium dirimit contractum, vt ſi vir occidit mulierem in actu adulterij deprehenſam: quod non licet in foro conſcientiæ, neque ſecundũ leges: tametſi eundem hominem ſecundum menſuram delicti leges non puniãt propter maximum incitamentum,quod habet vir in tali facto. Sed Eccleſia, quæ nõ eſt aſtricta legibus humanis, prohibet tali, ne amplius alicui in matrimonio copuletur. Si tamen timeatur de incontinentia ipſius,poteſt cum eodem diſpenſare, vt matrimonium contrahat. Si vero ſine diſpenſatione contrahat,peccat: contractũ tamen nõ diſſoluitur. Poſſet ad hæc quæri,an ſecundæ nuptiæ liceant: cui dubio reſpondet Durandus in 42. diſt. 4. q. 3. affirmatiue, quòd ſic, eo quòd nullo iure prohibeantur: eſt enim matrimoniũ tale concors iuri naturali, quatenus eſt in officium naturæ,& in remedium concupiſcẽtiæ, quibus indiget homo poſt primas nuptias ſicut ante: & ad hoc ita valet ſecundum matrimonium, ſicut primum. Ius etiam diuinum dictas ſecundas nuptias concedit,vt patet pri. Cor. 7.Nec aliquod ius humanum eas damnat. Primũ enim matrimonium nullum præſtat impedimentum ſecundo, cum non duret cum ſecundo: non in ſe, ſoluitur enim per mortem alterius coniugum: nec in aliquo ſuo effectu, ſicut de baptiſmo, cuius remanet character tranſeunte ſacramento, propter quod nulli licet bis baptizari. Matrimonium autem non imprimit characterẽ: primæ tamen nuptiæ habent duas honeſtates,quas non habent ſecundæ. Prima eſt perfecta ſignificatio coniũctionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ eſt vnius ad vnam, quæ non eſt in ſecnndis nuptijs, comparando ipſas ad primas. Secunda eſt honeſtas benedictionis, qua carẽt ſecũdæ nuptiæ. Et loquimur de ſecũdis ex parte mulieris: quia to-

ta illa benedictio videtur reſpicere mulierem, quæ poſtquam ſemel benedicta eſt, non debet ſuper eam benedictio iterari. Immo ſecundum iura ſacerdos iterans benedictionem in ſecundis nuptijs ſuſpenditur, extra de ſecun. nupt. c. pri. Ad hæc quæritur, an aliquando licitum fuerit plures habere vxores, & an modo liceat: primæ parti dubij reſponſum eſt in tractatu noſtro de diuinis præceptis. Pro ſecundæ partis dubij declaratione, ſit hæc certa cóclusio: quòd ſub lege euangelij ex diſpenſatione Eccleſiæ nullo modo licet habere plures vxores, cum Chriſtus dominus noſter expreſſe prohibuerit vxorum pluralitatem, Matth. 19. Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo dimiſſa vxore, non licuit aliam ducere, a fortiori non licebit aliam ducere obtenta prima. Idem etiam Saluator reduxit ſtatum matrimonij ad modum ſuæ primæ inſtitutionis, contra quã eſt pluralitas vxorum, cum a principio vna coſta viri in fœminam ſit conuerſa: et ſcriptura diuina teſtetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, non dicit vxoribus: & erunt duo in carne vna, non duo vel tres: & ex conſequenti non licet Eccleſiæ in hoc diſpenſare. Et hæc ratio tangitur extra de diuortijs c. Gaudemus. Ad ſupradicta addere placuit cap. 5. Synodi Triden. ſeſs. 24. de reformatione matrimonij, ne ignorãtia quempiam excuſet: quod inquit. Siquis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: Idq; in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſollemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubijciatur pœnis. Si vero ſollemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendo vel nulla detur diſpenſatio, vel raro: idq; ex cauſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam. Viſum eſt ſupra de impedimentis dirimentibus matrimonium, & de quibuſdam alijs conducentibus ad matrimonij declarationem: In fine huius ſacramenti non prætermittemus illud, quod etiam ſupradictum eſt, videlicet: quòd ad matrimonium requiritur, quòd cóſenſus ſit complete liber, hoceſt abſque coactione, & metu cadente in conſtantem virum. Licet enim voluntas non poſſit ſimpliciter & abſolute cogi ſeu violentari, poteſt tamen impelli per metum, ſiue trepidationem inſtantis ſiue futuri mali: quæ trepidatio facit neceſ-

ſitatem

ſitatem conditionatam, & repugnat perpetuitati matrimonij, eo quòd nullum violentum perpetuum. Vnde tali metu coactus poteſt petere reſtitutionẽ in integrum. Matrimonium vero adeo eſt liberum, quòd filius & filia ad præceptum patris contrahere nõ tenetur cum aliquo vel aliqua. Immo cum alio vel alia, etiam patre & matre reluctantibus, cõtrahere poteſt: quia in matrimonio eſt perpetua ſeruitus, ad quam filius, qui liber eſt, præcepto patris cogi non poteſt. Quare male faciunt parentes minis & terroribus compellendo filios aut filias contra eorum voluntatem ad contrahendum matrimonium. Non ſic fiebat in lege naturæ. Vnde Batuel Gen. 24. ſeruo Abrahæ quærenti Rebeccam filiam ſuam pro Iſaac: Vocemus puellam, ait, & eius quæramus voluntatem. Filij tamen & filiæ non debent facile contradicere parentibus, qui eis prudentiores ſunt, & magis ſoliciti de bono filiorum & filiarũ, quàm ipſimet. Et hæc pro matrimonio & ſacramentorũ tractatu ſufficiant.

Epilogando omnia fere, quæ in tractatu ſacramentorũ dicta ſunt, dicimus, quòd quicũque fide vere chriſtiana & euangelica Deo placere ſtudet, non ſolum recipit ſymbolum, quod eſt fidei regula, & verbum Dei per apoſtolos Eccleſiæ catholicæ initio euangelizatum, vt diffuſe oſtendimus in primo tractatu noſtri præſentis compendij, ſed ſcripturam etiam vniuerſam canonicã. Inſuper & quæcumque per traditionẽ Apoſtolorũ initio accepit catholica Chriſti Eccleſia: & inter alia, quòd ſeptẽ ſunt Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt ſacra & efficacia diuinæ gratiæ & benedictionis ſigna & cauſa, quibus Chriſtus dominus noſter nos ſibi ſacrat, ſanctificat, & ſanat, vt patet ex oecumenico concilio Florentino anno 1438. toto ex orbe congregato, ſimiliter ex 7. ſeſs. concilij Tridentini: quæ per quoſcumque miniſtros, publice etiam malos, & doctores impios ſuam habent efficaciam, vt inquit beatus Auguſtinus cõtra epiſtolam Parmen. cap. 2. Item & quòd infantes ſunt baptizandi, eo quòd habent originale, vt dicit Origenes ad Rom. 6. & Auguſtinus epiſtola 28. ſicut & quòd ſine baptiſmo aquæ non poſſumus ſaluari, prout Auguſtinus teſtatur vbi ſupra: ſimiliter & quòd exorciſmus & abrenuntiatio præcedunt baptiſmum ſecũdum Auguſtinum ſerm. 10. de verbis Apoſtoli, & Dionyſ. de eccleſia. Hierar. Quòd & aqua fontis ſit conſecranda, per Baſilium de Spiritu ſancto cap. 27. et quòd aqua ſit neceſſaria in baptiſmo neceſſitate ſacramenti, prout inquit Chryſo. homil. 24. in Ioan. et quòd non naſcamur per baptiſmum, ſed renaſcamur ſecundum Auguſtinum epiſtola 28. Recipere etiam cum concilio Nicæno debemus, baptiſmum Chriſti eſſe alium a baptiſmo Ioannis: item quòd baptiſmus tollit omnia

peccata, ſed non concupiſcentiam, quæ non eſt peccatum, ſed eius effectus, & cauſa ad peccatū alliciens, de qua Auguſtinus de nupt. & concupiſ. lib. pri. cap. 23. & 26. & 6. contra Iul. c. 5. 6. & 8. Recipere non minus tenemur, Confirmationem eſſe verum Eccleſiæ ſacramentum a Chriſto ſicut & cetera inſtitutum: de qua conciliū Floren. Actio 18. & Auguſtinus lib. 5. contra Donat. cap. 20. ſimul & quòd chriſmatis illinitione per epiſcopum conferatur, vt ait Cyprianus ſerm. de ablutione pedum: ſimiliter quòd eiuſdem ſacramenti epiſcopus ſit ordinarius miniſter, de quo beatus Hieronymus contra Lucifer. Recipimus quoq; cum ſācta Eccleſia, & credimus, Euchariſtiam eſſe veri ac præſentis corporis Dominici ſacramentum, quo vegetati in Chriſto manemus, fouemur, alimur, & excreſcimus in virum adultum, ſecundum concilium Floren. de qua Irenæus lib. 4. c. 32. & Euſebius lib. pri. euang. demonſtr. ſimiliter quòd eadem Euchariſtia ſit ex vino aqua permiſto, vt dicit Cypria. epiſt. 3. lib. 2. et quòd verbis ſacerdotis non fide ſuſcipiētis conficiatur ſecundum Baſilium de Spiritu ſancto cap. 27. item & Euchariſtiam non habere verum panem & vinum, ſiue eorū ſubſtantias, ſed meras eorum ſpecies & qualitates, vt inquit Irenæus lib. 4. c. 34. Firmiter quoque credere debemus Euchariſtiam eſſe non ſolum alimentum, ſed & ſacrificium, non commemoratiuum tantum, ſed & propitiatorium: quod tam defunctis prodeſt, quàm viuis: ſic enim tradiderunt Apoſtoli, vt teſtantur Chryſo. homil. 69. ad populum Antiochenum, & ad Philip. cap. pri. Damaſce. oratione in defunctos, Auguſtinus ſermone 32. de verbis Apoſtoli, & tota Africana Eccleſia teſte Cypria. epiſt. 9. lib. pri. Credimus itidē Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie verum ac totum Chriſtum habere ſecundum concilium Florentinum: qui enim alterutram accipit, totum etiam accipere Chriſtum: Quare non eſt neceſſarium laicis vtriuſque ſpeciei communionem accipere ſecundum conciliū oecumenicum Conſtantien. cum non ſit omnibus a Chriſto præceptū vtramque ſpeciem ſumere. Euchariſtiam etiam recte ſeruari aſſerimus, cum patres priſci apoſtolici ſeruarent, vt inquit Irenæus apud Euſebium lib. 5. cap. 23. & concilium Nicænum cap. 14. Adorandam eſſe Euchariſtiam eandem ipſa poſtulat religio, quæ Deū vbique cognoſcit, ſiue cum Magis in præſepio, ſiue in euchariſtia cum Auguſtino epiſt. 120. & in pſal. 21. Geſtationem vero probat ipſe pij operis finis, & vſus in quem circunfertur: ſiquidē non ad theatricum geſtatur ſpectaculum, ſed ad excitandam fidelium ſpectatorum fidem, & pietatem: vt videlicet mortis Chriſti, & eximiæ illius paternæ in nos charitatis memoria, ad gratiarum actionem, &

ſolidiorem

ſolidiorem impetrandæ miſericordiæ fiduciam excitemur: vide ad hoc Irenæum apud Euſebium lib. 5. cap. 23. Recipimus non minus miſſam, ideſt ſacram illam Apoſtolicam actionem, de qua inquit Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 22. cap. 8. Sed quia dum homo in hac vita degit, per liberum ſuæ voluntatis arbitrium, tam in actionibus ſalutis, quàm ciuilibus, poteſt ex bono fieri malus, ſicut & e contra gratia Dei adiutus: Ideo & pœnitentiæ ſacramentum credimus eſſe omnibus a baptiſmi gratia lapſis neceſſarium ſecundum concilium Florentinum Act. 8. quòd tres ſecundum idem concilium habet partes, videlicet, contritionem (quæ ſecundum Auguſtinum homil. 50. de pœnitentia, eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi) confeſſionem (quæ ſecundum eundem vbi ſupra, & beatum Leonem epiſt. 90. eſt diſerta peccatorum poſt legitimam & ſeriam conſciētiæ inquiſitionem occurrentium etiam occultorum, & circunſtantiarū enumeratio, ſacerdoti rite ordinato facta, vt ab eis per illū abſoluatur, Ioannis 20. Quorum remiſeritis peccata &c) et ſatisfactionem (quæ eſt perſolutio pœnæ plerūque adhuc debitæ poſt remiſſam culpam, quam permanere interdum docet ſuo exēplo Dauid 2. reg. 12.) Perficitur hæc per preces, ieiunia, eleemoſynas, & ſimilia pia opera, quæ adeo ſunt Deo grata, vt eius iram placare poſſint, eumq; reddere propitium 3. reg. 21. de quibus Cyprianus libro pri. epiſt. 3. & Auguſtinus in enchiridion cap. 71. & in Matth. cap. 12. ſimiliter & Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Et quia chriſtiana religio ſua quoque habet myſteria, & ſacra coram Deo peragenda, non ea per quemlibet fieri voluit Chriſtus, ſed per eos quos ad illa ordinauit. Vnde tenendum eſt etiam firmiter, Ordinē eſſe ſacramentum a Chriſto inſtitutum, quo vna cum Spiritus ſancti communione conſecratis poteſtas confertur ſacra illa miniſteria peragendi, de quo Auguſtinus in quæſtionibus vete. & noui teſtam. q. 9. Ordo porro iſte varios habet gradus, quorum præcipuus inter clericales eſt ſacerdotum, quibus ſolis ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatis data eſt a Chriſto poteſtas conſecrandi verum eius corpus, & ſanguinem: eademq; offerendi, peccataq; dimittendi. Inter hos quidem ſunt epiſcopi illis maiores & dignitate, & poteſtate: ſicut inter eos præſtant alijs Patriarchæ: & ijs omnibus totiq; chriſtiano gregi Eccleſiæ Romanæ epiſcopus, & beatiſſimi Petri apoſtolorum principis ſucceſſor, cui omnes obedire tenentur tāquam familiæ Chriſti ſeruo præpoſito, atque Chriſti vicario: pro quibus vide Hierony. epiſt. ad Damaſum, Auguſtinum lib. 2. cap. 51. contra literas Petiliani, & Cyprianum libro pri. epiſt. 3. Supra-

dictum

dictum ſacerdotum ordinem Saluator noſter duplici armauit auctoritate,(præter apoſtolicum docendi miniſterium) puta leges ferendi,& excommunicandi, quibus ſua dirigitur & gubernatur Eccleſia ; quæ vt inquit Auguſtinus capite 4. contra epiſtolam fundamenti, eſt viſibilis hominum cœtus a Chriſto & Apoſtolis collectus in hunc vſque diem perpetua ſucceſſione continuatus : in vna fide Apoſtolica,ſub Chriſto capite,& eius in terris vicario, paſtore,ac ſummo Pontifice agens. Extra hanc vnam, veram, catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam, vt inquit Hieronymus ad Damas. nulli ſperanda eſt ſalus : extra quam ſunt non modo qui excommunicantur, (qua pœna,vt ait Auguſtinus epiſto.75. nihil eſt atrocius, aut formidabilius in omni terrarum orbe) ſed etiam hæretici omnes. Fidei enim chriſtianæ regula eſt verbum Dei, ſiue per Apoſtolos euangelizatum, ſiue a ſpiritu ſancto alias Eccleſiæ reuelatum. Vnde certa fide tenenda ſunt non ſolum quæ ſcripturis expreſſe ſunt prodita, ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ catholicæ credenda accepimus : & quæ definita ſunt ſuper fidei & morũ negotijs per cathedram Petri,vel per concilia œcumenica legitime congregata,de quibus Auguſtinus lib. 19. de ciui. Dei cap. 18. Ceterum quod ad legiſlatiuam attinet poteſtatem, Eccleſiæ paſtoribus a Chriſto datam,obſeruandum eſt quicquid de feſtis, ieiunijs, ſupplicationibus, & alijs ad ſalutẽ conducentibus præcipiũt: quod neglectum, aut non obſeruatum,conſciẽtiam hominis facit ream, etiam extra offendiculi caſum. Quadrageſimam ſimul, & quatuor tempora, vigilias vſitatas, & alias carnium, vel lacticiniorum abſtinentias, ſeruare debet chriſtianus cum opinione neceſſitatis : ſicuti & ſexta feria,& ſabbato,ac diebus rogationum a carnibus abſtinere: Ac publicis chriſtianorum conſuetudinibus circa Sanctorum honorem, inuocationem,ac imitationem, ſimiliter & circa reuerentiam, & adorationem imaginum Sanctorum,& reliquiarum eorundem, & circa elargitionem theſauri indulgentiarum, & veritatem purgatorij, ac ſimilium,quæ Eccleſia vel Apoſtoli tradiderunt vna cum canonicis libris obſeruãda, ſe accommodare : ſuper quibus vide Auguſtinum Epiſt. 118. cap. 5. & lib. 19. contra Fauſtum capite 20. Hæc,& id genus non modo libertatẽ non adimunt euangelicam, ſed eam magis promouent : ſicuti nec obedientia ciuilis magiſtratus,aut voti,& iuramẽti obligatio. Eſt enim,vt inquit Epiphanius Aerio, a peccatis libertas,& ab ijs omnibus, quæ animum quoquomodo impediunt, quominus Deo totus ſeruiat. Verum quia poſt baptiſmum in nobis manet carnis ſtimulus,& Eccleſia eſt propaganda, ne quis igitur illo victus a gratia excidat, inſtitutum

eſt a Chriſto matrimonium : quo ſacramento coniunctionẽ Chriſti cum Eccleſia ſignificante, coniugibus gratia datur, qua adiuti iura matrimonij caſte peragant, liberoſq; Chriſto domino educent, atque inſtituãt. Quod tam eſt indiſſolubile, vt nullo caſu poſt conſummationem diſſolui queat altero ſuperſtite, qualiſcumque tandem fuerit : etſi ob fornicationem liceat dimittere, numquam tamen alteram licet ducere, vt inquit concilium Milet. capite 17. & Auguſtinus de nuptijs libro primo cap. 10. & de bono coniug. cap. 7. Sed quia hoc vitæ genere cælibatus Deo optimo gratior eſt, ideo voto firmatus Deo offertur, cuius quidem tãta eſt obligatio, vt ſiquis poſt contrahat, non modo ſit irritum, ſed inceſtum etiam connubium : quod & de clericis ſacro ordine initiatis eſt ſentiendum. Quo denique fortiores mortis acerbiſſimæ agonem depugnemus, ac peccatorum reliquijs expiati ſpõſo noſtro Chriſto, hoc exilio liberati, præſentemur, appoſitum eſt a Chriſto domino ſacramentum, quod vnctione, quam dicimus extremam, confertur : de qua locutum eſſe beatum Iacobum cap. 5. teſtatur Chryſo. libro de ſacerd. concilium Florentinum, Tridentinum, & Innocentius in epiſtola ad Eugubium. Ceterum quandiu inter hoſtes infeſtiſſimos, dæmones ſcilicet, verſamur, ſcire oportet nullam nobis eſſe ſecuritatem, ſed cum timore ac tremore incolatus noſtri tempore ſalutem eſſe operandam, vt per bona opera vocationem noſtram (vt inquit beatus Petrus primo cap. ſuæ 2. canonicæ) certam ac firmam faciamus, ſemper ſoliciti, ne qui ſtamus, concidamus, peccati fallacia decepti. Porro dum cadimus, ac ſcelere nos polluimus, peccatoue mortali offendimus, non fidem ſemper (niſi infidelitate) amittimus : ſemper tamen Spiritum ſanctum a nobis expellimus, iramq; Dei ſempiternam commeremur. Hiſce ſeptẽ catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſacramentis adiuti & inſtructi vitam viuimus chriſtianam : quæ cum actuoſa ſit, fieri non poteſt, vt bonorum operum ſit ſterilis. Hæc autem bona opera Deo non modo grata ſunt, eiq; per ſe (quia in Deo ſunt facta) placita, veruſq; cultus : ſed merita etiam tam præmiorum hac in vita, (vt inquit Auguſtinus epiſtola 106.) quàm poſtea in vita æterna. Sunt enim ita iuſta & perfecta, vt eis legem Dei pij impleant, immo vt ſeuerũ Dei iudicium ſuſtinere queant, vt inquit idem Auguſtinus vbi ſupra. Quæ quoque non modo pro ſe, ſed & alijs, pro quibus pij ea ſuſcipiunt, aut Deo offerunt, ad peccatorum expiationem tam viuorum, quàm mortuorum præſentiſſima ſunt, vt videlicet Deus miſericordius cum eis agat, quàm alioqui erat acturus, vt inquit præfatus Doctor ſerm. 32. de verbis Apoſtoli, & de ciui. Dei lib. 21.

cap.

cap. 27. Porro animæ a pœna peccatis debita ſuo abſolutæ tempore, non dormiunt vſque ad iudicium: ſed cum Chriſto domino ſuo in cælis regnant: æterna, diuq; optata, atque aſſiduis laboribus comparata beatitudine iam potitæ. Ad quam ille nos perducat, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum: Amen.

FINIS SACRAMENTORVM.

IN SVPERIORIBVS DVOBVS TRACTATIBVS, nos F. Clemens Monilianus Cardinalis Aræcæli de Apoſtolorum Symbolo primum, deinceps de medicinali ſacramētorū ordine, quoad potuimus, dilucide egimus. Nunc diuinorū materia pręceptorum ſe nobis offert, quam cōpendioſa quadā ſerie proſequi decernētes, de diuina volūtate (quo ſucceſſus clarior rerū euadat) nōnulla breuiter percurremus.

CAPVT PRIMVM.

De ipſa diuina voluntate Hugo de Sancto victore lib. 1. par. 4. c. 1. inquit. Quòd prima omnium rerum cauſa eſt voluntas creatoris, quā nulla præcedens mouet cauſa, cum æterna ſit: nec ſubſequens confirmat, cum ex ſemetipſa iuſta ſit: neque iccirco iuſtum velit, quia iuſtum fuit, quod voluit: ſed quod voluit, iccirco iuſtum fuit, quia ipſa voluit. Vnde ſi quæratur, quare hoc iuſtum ſit, decentiſſime reſpondetur, quoniam ſecundum voluntatem Dei eſt, quæ iuſtiſſima eſt. Sed ſi vlterius quęratur, quare Dei voluntas iuſta ſit, congrue reſpondebitur, quòd primæ cauſæ non eſt cauſa. Rectitudo enim voluntatis humanæ cōſiſtit in conformitate ipſius ad voluntatem diuinam: obliquitas vero & iniuſtitia ex deformitate. Vnde beatus Auguſtinus ſuper ps. 35. Illi ſunt recti corde, qui in hac vita diuinam ſequuntur voluntatem. Voluntas Dei quandoque te ſanum, quandoque te infirmum vult. Si quando ſanus es, dulcis tibi eſt Dei voluntas, & quando infirmaris, amara, non es rectus corde, cum nolis tuam voluntatē ad diuinam dirigere voluntatem: ſed uis Dei voluntatem ad tuam curuare obliquitatem: illa recta eſt, tua curua. Iuſtitia ergo noſtra in hoc ſita eſt, vt noſtra infirma voluntas de ſe non recta diuinæ cōformetur voluntati, tanquam eius regulæ, cuius id proprium eſt, eſſe rectam. Quia vero Angeli quidam, cum ab eadem deflexiſſent, a loco deiecti voluptatis, lucis, lætitiæ, & amœnitatum, ad loca pœnarum, miſeriæ, & tenebrarum condemnati ſunt: ideo oramus, vt fiat volūtas Dei. Quem modum orandi Chriſtus exemplo nos docuit, dicens Ioan. 6. Non veni, vt facerem voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me. Si ergo in æternum manere volumus, Dei qui

te uoluntati beneplaciti Dei, quantum ad uolita, per ſeipſam. Patet, quia in omni homine vſum rationis habente, debet eſſe talis voluntas habitualis, qua ſibi in genere placet quicquid Deo placet; licet ſpecialiter ignoret, quid Deo placeat. Nam quilibet homo tenetur habere cor rectum: & ex conſequenti velle, quod vult Deus. Vltimum, voluntas noſtra tenetur ſe conformare voluntati diuini beneplaciti in particulari cognitæ, niſi reuelatio aut præceptũ Dei ipſam ad oppoſitum obligaret. Quia volens in genere volitũ a Deo, vult etiam hoc volitum, ſcitum eſſe tale: & dicitur notanter in particulari cognitæ, cum poſſit bonus filius patrem ſuum velle viuere, quem Deus vult mori, dum ignorat hanc eſſe Dei voluntatem. Vnde licet pater laboret grauiſſima infirmitate, adhuc filius poteſt velle patrem viuere, & remedia quærere licita, cum infirmitas non ſit euidens ſignum, vt Deus velit patrem mori. In alijs autẽ ſimilibus poteſt homo in ſuis neceſſitatibus quærere defenſionẽ & refugium. Ad ſupradicta addit diuus Bonauent. 48. diſt. pri. q. vlt. de mente beati Auguſtini, quòd re uera non tenemur velle omne quod Deus vult, ſed ſolũ quod vult & innoteſcit: nec adhuc omne tale. Pro quo notandum, quòd aliquid oſtendit ſe Deus velle abſolute, & quantum in ſe eſt, vt bona quæ facit: & hæc tenemur velle ſimpliciter & abſoluta voluntate, quantum in nobis eſt. Aliquid oſtendit ſe velle voluntate abſoluta, ſed oppoſitum velle, quãtum in ſe eſt, vt mala quæ infligit: & hæc tenemur velle voluntate abſoluta & deliberatiua: oppoſitum tamen poſſumus velle voluntate pietatis, vt dicit Hugo. Deus enim non delectatur in noſtris malis: quin potius dicit. Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis Eſa. primo: ita nec nos. Vnde ſicut Hugo diſtinguit in nobis triplicem voluntatem, ſcilicet rationis, pietatis, & carnis & in Chriſto quadruplicem, extendendo nomen voluntatis, (inquit enim in libro de voluntatibus Chriſti loquens de eodem: Voluntas deitatis per iuſtitiam ſententiam dictabat, voluntas rationis per obedientiam veritatem approbabat, voluntas pietatis per compaſſionem in malo ſuſpirabat, voluntas carnis per paſſionem in malo ꝑprio murmurabat) ita & nos voluntate rationis debemus velle materiã pœnæ, quam ſcimus Deum velle. Sed voluntate pietatis poſſumus cõditionaliter, ſiue quantum in nobis eſt, (ſi Deo placet) non velle: ſicut nec ipſe Deus, quantum in ſe eſt, vult illam. Aliquid enim oſtẽdit ſe Deus velle quantum in ſe eſt, circa quod conſiſtit ſubſtantialiter expeditio ſalutis: vt ſunt ea, quæ conſulit: & ad talia nõ obligat, nec vult obligare nos: vult enim aliquos ſaluare ſic, aliquos via latiori. Non igitur tenemur conformare uoluntatem noſtram

diuinæ in omni uolito, ſed in omni eo, quod innoteſcit nobis quatuor prædictis modis. Ideo enim præcepto diuino tenemur nos conformare, quia vult nos velle quod præcipit: & hoc ſcimus. Et prælato religionis tenentur ſubditi cõformari in hoc, quòd expreſſe ſciunt, eñ ipſum velle eos velle: prælati añt ipſi ſciũt dũtaxat per mandata: ſed in Deo ſcimus, vt dicetur infra, per alia ſigna. Chriſtus & homo & beata virgo voluntate abſoluta volebant, quod Deus volebat: voluntate tamen conditionata, ſiue pietatis, debebant velle contrarium, quantum ad paſſionem domini: & hac voluntate merebantur, quoniam hoc non eſt naturæ tantum, ſed & rationis: præcipue enim hac voluntate merebatur in filij ſui paſſione beatiſſima virgo, cui patienti quantum ſexus muliebris fragilitas ſuſtinere poterat, compatiebatur. Nullo tamen modo eſt dubitandum, quin virilis eius animus, & ratio conſtantiſſima vellet etiam tradere filium pro ſalute generis humani, vt per omnia conformis eſſet patri. Et in hoc miro modo debet laudari, & amari: quia placuit ei, quòd vnigenitus ſuus pro ſalute noſtra offerretur: & tãtum etiã compaſſa eſt, vt (ſi fieri potuiſſet) omnia tormenta, quæ filius pertulit, ipſa multo libentius ſuſtinuiſſet. Vere ergo fuit fortis, pia, dulcis, pariter & ſeuera, ſibi parca, & nobis largiſſima. Hæc ergo præcipue amanda & veneranda eſt poſt Trinitatem ſummã, & eius prolem beatiſſimam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, a cuius diuinitatis myſterio enarrando certe linguæ deficiunt: Quia cõſummatio ſermonum ipſe eſt.

De voluntate antecedente & cõſequente, ſimiliter & de voluntate ſigni. Caput. III.

VOLVNTAS diuina diſtinguitur in antecedentem, & conſequentem, ſed non eo modo, quo in nobis eſt voluntas præcedens actum, ſiue operationem, & ſubſequens, quo ſibi complacet in illo. Cum in ipſo eadem ſit voluntas antecedens & conſequens, ſortitur tamen diuerſa nomina ad diuerſa comparata: reſpectu enim voliti mediate, eſt antecedens: reſpectu vero voliti immediate, eſt conſequens. Voluntas antecedens eſt voluntas diuina, dans alicui antecedentia, vnde poſſit conſequi aliquid, vel operari, parata coagere, ſi ille velit eandem exequi: & ſic dicitur antecedenter uelle aliquid, quando ad id agendum uel conſequendum, dat alicui neceſſario requiſita, paratus illi coagere. Dedit enim alicui naturam, ſecundum quam poteſt eum cognoſcere, & cognitũ quærere, quæſitum

ſitum inuenire, & inuento inhærere, ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit, dum filium miſit & obtulit, cuius pretiũ omniũ ſaluti ſufficit: leges etiã & mandata tribuit ſalutis, & oſtendit ipſe: etiam quòd præſto eſt omnibus inquirentibus, & prope eſt omnibus inuocantibus eum. Velle enim hominem antecedenter ſaluare, eſt eundem ordinare ad ſalutem,& volenti ad eãdem peruenire non deeſſe. Vnde velle antecedenter ſaluare non connotat ſalutem,ſed ordinabilitatem ad eandem,vt inquit diuus Bonauentura 46. diſt. primi, q. prima, exempli gratia. Voluntas diuina vult antecedenter Petrum mereri, quãdo dat Petro liberum arbitrium atque gratiam,additq; præceptum vel conſilium, vt mereatur, paratus ſibi cooperari ad actum meritorium: in quo diuina volũtas non quaſi per ſe & immediate fertur ſuper operationem meritoriam, ſed quaſi mediate & antecedenter,etiam priuſquã fiant: immo & ſi non fiant, ex hoc ſolum,quia vult efficaciter ea, quæ antecedunt actum meritorium. Per hoc,quod dicitur voluntas diuina, excluditur voluntas ſigni: & per illud, quod dictum eſt, dans alicui antecedentia, excluditur voluntas conſequens. Vnde in caſu poſito, voluntas diuina dicitur conſequens, reſpectu liberi arbitrij Petri,& gratiæ ſibi infuſæ, & præcepti aut conſilij de agendo meritorie in eſſe poſiti.Sed reſpectu actus meritorij nondum in eſſe poſiti, dicitur voluntas antecedens. Dicitur cum conſilio vel præcepto, ad excludendas operationes vitioſas, quas Deus nullo modo vult. Dicitur vltimo nata coagere,per quod excluditur factũ Abrahæ: non enim voluit eum Deus offerre antecedenter filium ſuum, ex quo non fuit paratus cooperari illi. Voluntas beneplaciti conſequens, eſt voluntas diuina ſibi in eſſe alicuius complacẽs,ipſum diligendo in eſſe, aut producendo, aut conſeruando. Dicitur primo ipſum diligẽdo in eſſe,& hoc reſpectu ſuiipſius, & perſonarum in diuinis. Non enim voluntas, quæ eſt eadem res cum eſſentia, ſeipſam vel perſonas producit, aut cõſeruat, licet ſeipſam aut perſonas velit. Dicitur vlterius producens, & hoc reſpectu creaturæ, quoniam volendo creaturas,eas in eſſe producit, aut conſeruat: & ſine hac voluntate nihil fit in vniuerſo, quæ dicitur beneplaciti, & quæ ſemper impletur: de qua in ps. 134. Omnia, quæcumque Dominus voluit, fecit in cælo, & in terra,& in omnibus abyſſis. Et ratio eſt,vt dicũt fere omnes Theologi diſt. 47.primi ſent. quia quòd aliquis effectus non fiat ab aliqua cauſa, contingit, aut quia nõ habet ſufficientem virtutem ad producendum illum: & hoc eſſe non poteſt in diuina voluntate, cum ipſa ſit omnipotens, & omnipotẽtia ſit reſpectu cuiuſcumque, quod non implicat contradictionẽ.

Aut quia ab alio impeditur in agendo : & hoc etiam non contingit in propoſito, quia ratione dictæ omnipotentiæ poteſt remouere omne impediens : aliter deeſſet ſibi potentia ad tollendum obſtaculũ. Vel quia in agẽdo, dependet ab alia cauſa requiſita ſecũ ad coagendũ, ſicut ignis in camino non egit in pueros: quia Deus ſuã primã ſubtraxit cauſalitatem, quæ eſt neceſſaria in quolibet effectu poſitiuo : Et hoc adhuc nõ poteſt eſſe, quia etſi cum Deo in multis actionibus concurrãt cauſæ ſecũdæ, ſicut Sol ad illuminandũ, poteſt tamẽ ſua omnipotẽtia ſine omni cauſa ſecũda ꝓducere quemlibet effectũ, cũ ſit regula theologalis. Quicquid poteſt cauſa prima cum ſecũda, poteſt etiã per ſeipſam, ſine tali ſecũda cauſa. Aut quia ipſa cauſa mutat̃ in ſe, antequã producat effectũ, quemadmodũ homo nõ ſemper exequitur, quod ꝓpoſuit: Et hoc etiã nullo modo poteſt eſſe, quia eſt ſimpliciter immutabilis: quicquid enim Deus vult pro tẽpore, vult ab æterno. Pro maiori adhuc prædictorũ declaratione notanda ſunt quædam, quæ ponit Diuus Bonauentura in 47. diſt. primi q. prima de mente Ioannis Damaſceni, videlicet: quòd voluntas beneplaciti eſt duplex, ſcilicet antecedens vel conditionalis, qua vult quantum in ſe eſt, omnium ſalutem : & abſoluta ſiue conſequens, qua determinate, vltima videlicet determinatione vult aliquid, quod nouit certitudinaliter euenire. Intelligendum eſt ergo, quòd nullam Dei volũtatem poſſibile eſt ſuperari, nullam poſſibile eſt caſſari. Aliquam tamen, vt antecedentem, poſſibile eſt non impleri : aliquam, vt conſequentem, neceſſe eſt impleri, & impoſſibile eſt impediri. Nullam inquam eſt poſſibile ſuperari. Nam ſi homo non faciat quod Deus vult quantum in ſe eſt, ſiue voluntate antecedente, Deus facit de ipſo quod vult, voluntate conſequente : & ita ſemper impletur vel de homine vel ab homine : et ſic nũquam vincitur vel ſuperatur. Non etiam poſſibile eſt voluntatem Dei caſſari : nam caſſum dicitur aliquid, dum priuatur effectu proprio, ad quem eſt. Vnde nihil plus eſt dicere, Deus vult iſtum ſaluum facere quantum in ſe eſt, quàm Deo placuit dare iſti naturam, per quam poſſet peruenire ad ſalutem : & quòd Deus paratus ſit iuuare : Ita quòd ſalus non deficit propter defectũ ex parte Dei. Vnde non caſſatur, quia habet proprium effectũ. De voluntate autem abſoluta planum eſt, quòd non poſſit caſſari : quia omnem effectum ſuum ponit, nec vmquam remanet inexpleta. Cum itaque verum ſit voluntatem Dei nullo modo poſſe ſuperari, nec caſſari, voluntatem tamen abſolutam neceſſe eſt impleri, conditionalẽ vero minime. Sed aduertendum, quòd eſt neceſſitas conſequentiæ, & conſequentis: vnde ſicut præſcientia non habet neceſſitatẽ conſequentis,

ſequentis, ſed conſequentiæ: quia neceſſario ſequitur, Deus præſcit hoc, ergo hoc erit: ſed tamen non neceſſario præſcit: quia in actu præſciendi frequenter notatur effectus contingens: ſic in voluntate intelligendum eſt, quòd voluntas Dei abſoluta connotat euentum rei: & ideo eſt ibi neceſſitas conſequentiæ, ſed non conſequentis: quia non mutat euentum rei: immo vult Deus, quòd eueniat conſequens contingens. Voluntatem vero antecedentem, vel conditionatã, non eſt neceſſe impleri, nec neceſſitate cõſequentiæ, nec neceſſitate conſequentis: quia non connotat effectum rei, ſed illud quod eſt ordinabile ad euentum, videlicet naturam, quæ eſt ordinabilis ad ſalutem. Si dicatur, quòd voluntas Dei eſt neceſſaria, & neceſſario infert effectum, ergo omnimodam ponit circa ipſum neceſſitatem: Reſpondet præfatus Sanctus vbi ſupra, quòd quamuis ſit neceſſe Deum velle, & voluntatem eius eſſe in actu, tamen comparatio eius eſt ad futurum contingens: & ideo effectus euenit contingenter. Diuina etiam voluntas non arctat potentiam quoad poteſtatem, cum plura poſſit, quàm velit: arctat tamẽ potentiam in agendo: numquã enim agit aliquid, niſi quod vult: Et impoſſibile eſt, quòd actio ſuperexcedat voluntatem: vnde nihil poteſt facere, niſi quod poteſt velle. Et ſiquis dicat, quòd dicta voluntas poteſt oppoſitum eius, quod vult, dicit ſanctus Bonauẽtura vbi ſupra, quòd hoc poteſt eſſe aut voluntate mouente ad contrarium: & ſic notatur repugnantia voluntatis ad potentiam: & hoc eſt impoſſibile: aut voluntate non mouente: & ſic non notatur, nec impedimentum, nec repugnãtia, ſed quod volũtas libere poteſt: quia ita vult hoc, quod poteſt velle eius oppoſitum, abſque ſui mutatione. Et ratio huius eſt: quia vno & eodem vult quæcumque vult. Voluntas antecedens non ſemper adimpletur: quia licet cuilibet det naturalia, ſimiliter & gratiam, ſi non ponat obicem, & parata ſit cuilibet coagere ad actum meritorium, ſimiliter & det præceptũ & conſiliũ, vt executioni mãdentur: multi tamen eliciunt actus demeritorios contra dictam voluntatem. Voluntas ſigni eſt creatura aliqua, ſiue effectus diuinæ voluntatis, ſignans vel manifeſtans nobis eandem diuinam voluntatem. Vnde ſæpe ſigna nominantur nomine ſignificatorum, eo modo quo dicimus, ille fecit magnam miſericordiam pauperi, cum eleemoſyna exterior data pauperi ſit ſignum miſericordiæ in animo dantis: & etiam dicimus teſtamentum, vel codicillum, eſſe vltimam voluntatem, cum ſit ſignũ vltimæ voluntatis teſtatoris. Ita ſecundum quandam figuram dicendi, voluntas Dei vocatur aliquid, quod proprie non eſt voluntas Dei, ſed ſignum illius, vt præceptio, inhibitio, conſilium, per-

miſſio,& impletio. Et hæc voluntas ſigni nõ ſemper impletur, præcipue in tribus prioribus: quia Deus omnibus præcipit ſuæ legis obſeruantiam,& prohibet illa,quæ in ſe vel ſecundum ſe ſunt mala. Similiter conſulit euangelica conſilia: nihilominus vt patet ad ſenſum, non omnes parent ei. Vnde nihil aliud eſt dicere volũtatem ſigni non adimpleri, niſi quòd Dei præcepta, vel prohibitiones, vel conſilia,non adimplentur. Contra vero permiſſionem nihil fit: quia eo ipſo, quòd eſt permiſſio, fit id, quod permittitur. Si enim non fieret, non diceretur permiſſio. Sed aduerte, quòd Deus non vult illud voluntate beneplaciti, quod permittitur,ſed bene vult illud quod ex eo elicitur, ſcilicet bonum. Vnde Auguſtinus in Enchiridion. Deus omnipotens, cui rerum eſt ſumma poteſtas, cum ſumme bonus ſit, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis,niſi vſque adeo eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo: et iterum. Melius iudicauit Deus de malis bona facere,quàm mala nulla permittere. Ad hæc addimus, quòd Deus non dicitur permittere peccare niſi eum,qui actualiter peccat,dum peccat: cum tunc impoſſibile non ſit,quòd nõ peccet. Quo vero ad impletionem dicit ſanctus Bonauentura diſt. 47. primi, q. 2. quòd quædam ſigna ſunt reſpectu præſentis, vt impletio & permiſſio,quædã reſpectu futuri, vt præceptio,prohibitio, & cõſilium. Et quoniam de præſenti quod fit,impoſſibile eſt in præſenti nõ fieri, quoniã ſecundũ philoſophũ,Omne quod eſt, quãdo eſt, neceſſe eſt eſſe:ideo reſpectu ſignorũ de præſenti,nõ poteſt eſſe reſiſtentia: quia ſi fieret reſiſtentia, iam non eſſent præſentia: eodem modo dicendũ eſt de impletione.* Quia vero futura vel faciẽda poſſunt nõ fieri,ideo quantũ ad pcepta,prohibitiones,& cõſilia, poteſt eſſe reſiſtẽtia. De his quinque diuinæ volũtatis ſignis nonnulla ſub cõpendio ad communẽ vtilitatẽ dicturi,primo diſſeremus de decalogi pceptis,ſub quibus cũ contineãtur prohibitiones,ſpecialẽ tractatũ de illis ptermittemus:Secũdo de euãgelicis cõſilijs:Poſtremo de permiſſionibus:ex quorũ omniũ notitia poterit quis intelliger, quid per impletionẽ vltimũ diuinæ voluntatis ſignum intelligatur.

*t permiſſione

De Decalogi titulo: et quomodo præcepta ad duo dilectionis mandata referantur. Cap. IIII.

DECALOGO præponitur quaſi titulus. Ego ſum Dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis. Exo. 20. Vbi manifeſtatur, quis loquatur in Decalogo, quia Deus communis tribus. Nomine enim Domini intelligitur potentia:

tia, in qua magnificatur pater. Nomine Dei, qui dicitur theos græce, ideſt videns, intelligitur ſapientia, in qua clarificatur filius. In pronomine vero poſſeſſiuo, videlicet, tuus, (quod loco determinationis additur) inſinuatur bonitas: per cuius participationem efficitur meus, tuus &c. in qua magnificatur Spiritus ſanctus. Vnitas eſſentiæ innuitur per hoc, quod ſingulariter dicitur, Ego ſum. Loquitur autem illi populo, qui eductus erat de Aegypto: vnde ſubdit, qui eduxi te &c. Pro quo notandum, quòd præcepta decalogi innata ſunt cuilibet rationali creaturæ: & ſunt data expreſſis verbis, vbi ſupra. Inquantum innata, reſpiciunt omnes: inquãtum vero data, tantum populum præfatum eductum de terra Aegypti. Educere enim, eſt potentiæ. De terra Aegypti, ſapientiæ. De domo ſeruitutis, bonitatis. Aegyptus enim tenebræ interpretatur, in quo error infidelitatis, domus ſeruitutis, reatus peccati (qui enim facit peccatum, Ioannis 8. ſeruus eſt peccati) deſignantur. Dicit ergo, Ego Dominus, qui te eduxi, ſcilicet per potentiã. Deus, qui te eduxi de terra Aegypti, ideſt de tenebris erroris, & infidelitatis ad intelligentiam veritatis, per ſapientiam. Ego tuus, qui eduxi de domo ſeruitutis, ideſt reatu peccati & prauorum morum in libertatẽ gratiæ, & affectionem iuſtitiæ, per bonitatem. Pro maiori adhuc declaratione ſupradictorum dicit ſanctus Bonauentura in ſermonibus decem præceptorum, quòd lex omnis non mandat niſi iuſtitiam, cum ipſa ſit regula iuſtitiæ. Iuſtitia modo eſt ſecundũ quam homo habet ordinari ad Deum, & ad proximũ: & propter hoc fuerunt duæ tabulæ Moyſi datæ. In prima quarum continentur mandata ordinantia nos ad Deum: in ſecunda vero ordinantia ad proximum. Deus autem trinus eſt, Pater videlicet, Filius, & Spiritus ſanctus. Patri attribuitur maieſtas, Filio veritas, Spiritui ſancto bonitas. In patre eſt ſumma maieſtas humiliter adorãda: in filio ſumma veritas fideliter aſſerẽda: in Spiritu ſancto ſumma bonitas syncere amanda. Si autẽ iſta tria ex æterna ordinatione debemus exequi, neceſſe eſt, quòd in prima tabula ſint tria mandata, ſecundum tria appropriata perſonis diuinis. In primo igitur mandato præcipitur humilis adoratio diuinæ maieſtatis, cũ dicitur, Non habebis Deos alienos. In ſecũdo mãdato præcipitur fidelis diuinæ veritatis cõfeſſio, cũ dicit, Nõ aſſumes nomẽ dei tui in vanũ. In tertio pcipitur diuinæ bonitatis ſyncera dilectio, cũ dicit, Memẽto, vt diẽ ſabbati ſanctifices. Eadẽ autẽ decalogi præcepta in duabus tabulis digito Dei ſcripta, Moyſi (Exo. 20.) data eſſe legimus, vt inquiũt & Philo in eo libro, quẽ ſcripſit de decalogo, & Ioſephus: quorũ quinque erãt in vna tabula, & quinque in altera. Auguſtinus vero cõtra pfatos,

tos, ſuper Exodum q. 7. quatuor vult prioris, ſex autem poſterioris eſſe tabulæ præcepta: quæ tamen omnia ad duo dilectionis mãdata, Dei videlicet, & proximi reducuntur. Verum aliter idem Auguſt. in ps. 32. ordinat illa: quia in priori tabula ponit tantum tria, in quibus Dei charitas commendatur: in altera vero ſeptem ordinat, quæ ad proximi dilectionem pertinẽt. Diuus Bonauentura in 37. diſt. tertij q. 3. art. ſecundo pro concordia dictarum opinionũ inquit: quòd ſcriptura mandatorum in tabulis bifariam diſtinguitur, videlicet, vel ſecundum ſenſum literalem, vel ſecundum myſticum. Si ſecundum literalem, ſic quinque ſunt in vna tabula, & quinque in alia: & hoc modo diſtinguit mandata Philo & Ioſephus, q fuerunt hiſtoriographi, & qui principaliter reſpiciebant ad ſenſum literalem. Si autem fiat diſtinctio ſecundum myſticum, ſiue ſpiritualem ſenſum, ſic diſtinxerunt Auguſtinus & ceteri patres, ordinantes mandata Deum tangentia, ſpectare ad primam tabulã: mãdata vero ordinantia ad proximum, ſpectare ad ſecundam. Illa. n. diſtinctio tabularum fiebat ad geminam charitatem commendandam & inſinuandam. Et quoniam mandata ordinantia ad Deum & ad proximum duobus modis diuerſificantur, videlicet diuerſitate formali, & materiali, hinc eſt quòd adhuc doctores noſtri fuerunt diuerſi. Conſiderando enim diſtinctionem materialẽ, quatuor ſunt mandata ordinantia ad Deum, & ſex ad proximum, vt inquit beatus Auguſtinus vbi ſupra, quæſtione ſcilicet 7. ſuper Exo. & Origenes. Si vero conſideretur diſtinctio mandatorum ſecundum rationem formalem, ſic mandata ad Deum non ſunt niſi tria appropriata tribus perſonis diuinis. Dictat enim fides, quòd nos ordinamur primo ad patrem, exhibendo ei debitam reuerentiam: ſecundo ad filium, declinando ab eius iniuria, ne videlicet credamus eum eſſe creaturam: poſtremo ad Spiritum ſanctum, ſibi ſanctum præparãdo templum ſiue habitaculum: & ordinantia ad proximum ſunt ſeptem. Sic igitur reſpiciendo ad ſenſum literalem, bene diſtinxerunt hiſtoriographi: reſpiciendo vero ad intellectum ſpiritualem, & diſtinctionem formalem, bene diſtinguit Auguſtinus, & excellẽtius, quàm Origenes. Nec eſt ibi aliqua contradictio: quia diuerſus modus diſtinguendi ſpiritualiter & literaliter non repugnant: ſicut nec diuerſus modus intelligendi formaliter & materialiter. Sententiæ autem Auguſtini in ps. 32. ſe ſubſcribit Magiſter ſenten. lib. 3. diſt. 36. & 37. addens: quòd dicta præcepta recte impleri abſque charitate non valent, neque ad alium finem præterquàm ad charitatem dirigi debent. Opera vero formata dupliciter dici poſſunt: vno modo per excluſionem deformitatis peccati: alio modo

per poſitionem dignitatis meriti. Si primo modo ſumantur opera formata, ſic præcepta ad opera formata obligant, & ad uitanda omnia mortalia. Si vero ſecundo modo opera formata ſumantur, ſic accipiuntur proprie: & tunc diſtinguendum eſt de ipſa obligatione: quia eſt obligatio abſoluta, & conditionalis. Obligatio abſoluta eſt, qua quis ſimpliciter ad aliquid faciendum obligatur: ita quòd ſi quis illud non facit, incurrat omiſſionis reatum: conditionalis vero obligatio eſt, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, ſi vult peruenire ad præmium: & hæc obligatio in eo qui omittit non inducit omiſſionis peccatum, ſed ponit implicite conditionis defectum. Si igitur loquamur de obligatione conditionali, ſanctus Bonauentura in 3. diſt. 37. art. pri. q. 2. dicit, quòd mandata decalogi obligant ad opera formata. Et ratio eſt: quia ſiquis vult ad vitã ingredi, neceſſe eſt ex charitate ſeruare mandata: quæ quidem charitas eſt principium meriti. Si autem loquamur de obligatione abſoluta, tunc diſtinguendum eſt in ipſis mandatis, quòd dupliciter conuenit de eis loqui: aut de eis in vnum collectis, prout habent reduci ad mãdata duo charitatis: aut de quolibet per ſe ſigillatim. Si primo modo, cum contineatur in eis regula iuſtitiæ in ordinem ad Deum & ad proximum, per quam excluditur omne peccatum, ſic concedi poteſt, quòd obligant ad aliquod opus formatum, vel in ſe, ſi homo habet vnde poſſit in illud exire: vel in diſpoſitione ſiue præparatione (ſi non habet vnde poſſit in illud exire) ad illud: tenetur enim homo ſic mandata decalogi implere, vt per ipſorum impletionem præparet locum ipſi gratiæ, qua obtenta exeat, cum locus & tempus exigunt, in opera meritoria, adimplendo duo charitatis præcepta. Si autem loquamur de quolibet ſigillatim & per ſe, ſic accipiendo proprie opus formatum, opus meritorium, & loquendo de obligatione abſoluta, mandata decalogi non obligant ad opera formata. In dictis moralibus præceptis eſt ponere duplicem radicem: alteram quoad inchoationem: alteram quoad conſummationem. Prima eſt ſecundum affectionem timoris, iuxta illud Eccleſiaſtici. 1. Radix ſapientiæ eſt timere Dominum. Secunda iuxta diſpoſitionem amoris, qui charitas eſt. Vnde Auguſt. contra Fauſtum: Tantum noli eſſe ſub lege, vt illam timore impleas: ſed ſub gratia, vt ſit plenitudo legis charitas: & ſic quantum ad impletionem & conſummationem radix moralium eſt penes amorem. Hæc charitas via excellentiſſima eſt, vt inquit beatus Paulus primæ Cor. 13. quæ ſecundum ſe ambulantes ducit ad patriam: hæc eſt sũma bonarum actionum, ſalus morum, finis cæleſtium præceptorũ, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorũ,

causa

cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum, vt inquit Proſper lib. 3. de vita contemplatiua. Sanctus quoque Thomas opuſculo 4. ait: quòd omnium humanorum actuum regula, ſiue lex, eſt charitas diuina. Sicut enim videmus in artificialibus, quòd vnũquodque opus tunc bonum & rectum dicitur, quãdo regulæ coæquatur: ſic etiam quodlibet opus humanum tunc rectum eſt & virtuoſum, quando regulæ diuinæ dilectionis concordat. Si vero ab hac diſcordat regula, nec bonum, nec rectum eſt. Decem itaque ſentẽtiæ, ſiue verba hæc, quæ Dominus digito ſuo hic inſcripſiſſe in tabulis lapideis dicitur, ipſemet proprio ſuo ore promulgauerat ad vniuerſum populum de medio ignis Exo. 20. dicens. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis &c. Tabulas autem Dei mandato ſcriptas, immo proprio digito illius, fecit Moyſes recludi in arca fœderis ad perpetuã rei memoriam.

Quomodo obſeruantia diuinorum præceptorum eſt nobis poſſibilis, licet mandatum de diligendo Deum ex toto corde, in hac vita impleri perfecte non poſſit.

Caput. V.

ANTEQVAM veniamus ad vniuſcuiuſque præcepti declarationem, præſuppono vnum, videlicet: q̃ obſeruantia dictorum diuinorum præceptorum eſt nobis cum ipſius adiutorio poſſibilis: quod tamen ipſe paratus eſt ſemper nobis præſtare, ſi nos eo vti volumus. Vnde poſtquam Dominus præcepta dederat filijs Iſrael, oſtẽdere volens omnia, quæ eis præceperat, poſſibilia eſſe, dixit Deut. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum, vt poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cælum aſcẽdere, vt deferat illud ad nos? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Et Matth. 12. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Similiter primæ Ioan. 5. Mandata eius grauia non ſunt. Beatus quoque Baſilius in vita Monachorum c. 83. de dilectione inimicorum ait: Numquam autem præciperet hoc iuſtus & clemens Deus, niſi vtique etiam poſſibilitatem nobis donaret. Hieronymus quoque ad Damaſum ait: Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata non a ſingulis poſſe ſeruari. Sed ſi Hæretici obijciant nobis præceptum dilectionis Dei ex toto corde: Reſpondetur, quòd non ſic præcipitur nobis, vt Deum ex toto corde diligamus, vt nihil præter illum diligamus:

gamus: aut quòd omnes vires noſtræ voluntatis tali dilectioni applicemus: ſed ſic iubemur diligere Deum, vt nihil repugnans præceptis Dei amemus. Quapropter ille dicendus eſt diligere Deum ex toto corde, qui Deum diligens reliqua omnia mandata ſeruat, vt aperte colligitur quarti reg. 11. vbi de rege Iehu dicitur. Porro Iehu non cuſtodiuit, vt ambularet in lege domini Dei Iſrael in toto corde ſuo: & ſubdens cauſam dixit. Non enim receſſit a peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Iſrael. Quia enim alterum mandatũ tranſgreſſus eſt, dictus eſt, non ambulaſſe in toto corde. Vnde Gregorius ſuper illa verba Ioan. 14. Siquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit &c. ait: Vere enim eum diligimus, ſi ad mandata eius a noſtris nos voluptatibus coarctemus. Sed dilectio Dei, ad quã producendam anima adhibet omnes vires ſuas, & omnem conatũ, in hac vita haberi non poteſt: nec illa nobis præcipitur, ſed illa eſt, quæ expectatur in præmium. Vnde ſicut ex beati Pauli ſentẽtia pri. Cor. 13. dicitur, Nunc cognoſcimus ex parte: ita hic oportet dicere, quòd diligamus ex parte, cum dilectio ſequatur cognitionem, & in poſterum ſperemus diligere ex toto. Hoc idem Auguſt. inqt lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifatium c. 7. cuius opinionis eſt etiam ſanctus Thomas 22. q. 44. art. 6. & Bernardus ſerm. 50. ſuper cantica dicens. Eſt charitas in actu, eſt & in affectu: & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam legem hominibus, mandatumq; formatum. Nam in affectu, quis ita habeat, vt mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur: cuius initium quidem profectumq, vitam præſentem experiri diuina poſſe gratia non negamus, ſed plane conſummationem deferimus futuræ felicitati. Poſſet quæri, quo tempore, & qua lege dicta præcepta obligant: cui reſpondet Diuus Bonauentura in 37. diſt. tertij art. pri. q. 3. dicens: quòd obligatio mandatorum decalogi reſpicit triplicem ſtatum, videlicet naturæ inſtitutæ, naturæ lapſæ, & legis ſcriptæ, ita quòd ſtatum legis ſcriptæ reſpicit ſimpliciter & explicite, vel lucide & diſtincte, ſecundum quod illa decem mandata a Deo pronuntiata & ſcripta fuerunt: ſtatum vero naturæ lapſæ reſpicit obligatio mandatorum decalogi implicite ſecundũ duo pcepta iuris naturalis, quæ natura ſemper dictabat, videlicet quòd faceret alijs quod vellet ſibi fieri: & nõ faceret alteri quod ſibi nollet fieri. Statum autem naturæ inſtitutæ reſpiciebat quodam modo implicite, & quodam modo explicite: Quædam enim ſunt præcepta ordinantia ad Deum, quædam vero ad proximum. Ad præcepta enim illa, quæ ordinant ad Deum explicite, obligabatur homo in ſtatu naturæ inſtitutæ, vbi idoneus erat, & diſpoſitus ad colen-

dum

dum Deum integre & perfecte. Ad mandata vero,quæ ordinant ad proximum,obligabatur implicite,pro eo quòd neceſſitas explicandi mãdata illa ortum habuit ex multiplici deordinatione, quæ ſubſecuta eſt ex prima transgreſſione. Et iſtud colligi poteſt ex cap. 17. Eccleſiaſtici, vbi habetur explicita obligatio hominis reſpectu cultus diuini: et implicita, reſpectu vitandæ læſionis ipſius proximi. Et ſecundum hoc patet, quòd obligatio mandatorum decalogi radicaliter ſequitur legem naturæ: verum quantum ad explicationem, ſequitur legem ſcripturæ. Explicatio enim mandatorum plenaria decalogi opportuna fuit ſecũdum ſtatũ naturæ lapſæ,propter obſcurationem luminis rationis, & propter obliquationẽ voluntatis. Quia enim voluntas corrupta prompta erat ad multiplicem deordinationem,oportebat eam religari per multiplicia mandata. Rurſus quoniam ſcriptura cordis interior propter peccatum erat obnubilata, & homo qui fuerat ſpirituali mente præditus, effectus erat ſenſibilis & carnalis,opportunum erat,vt exterius legeret,& audiret per ſenſus corporis ea, per quæ poſſet in rectitudinẽ iuſtitiæ regulari: & ideo explicatio & diſtinctio mandatorum ſpectabat ad legem ſcriptam, quamuis obligatio ſpectaret ad legẽ inditam. Ad præfata addimus, quòd mandata decalogi dari debuerunt per modum præcepti, ita quòd in eis homo nõ modo inſtrueretur,ſed obligaretur. Et ratio eſt, tum quia Deum decebat, tum quia nobis expediebat. Deum decebat, quia in mandatis decalogi conſiſtit regula iuſtitiæ, ſecundum quod dictat lumen rationis rectæ. Et quoniam Deus tanquam iuſtus debet eſſe emulator rectitudinis & iuſtitiæ,& in ſubditis,& in ſeipſo: hinc eſt,quòd homini leges iuſtitiæ impoſuit, ad quas ipſum obligauit,vt nullo modo liceret ipſum eas impune prætergredi. Mandata igitur decalogi per modum obligationis debuerũt dari: quia ſic decebat diuinã æquitatem,& etiam maieſtatem.Sicut enim decet ſummam maieſtatem a creatura rationali omni reuerentia coli: ſic etiam decet,quòd rationalis creatura ad manifeſtationem illius ſummæ maieſtatis per obedientiam famuletur: et per conſequẽs decuit ipſum imponere homini leges atque mandata obligatoria. Nobis quoque ea dari expediebat,tum propter noſtram gloriam augendam, tum propter pacem conſeruandam. Primo propter gloriã noſtram augendam: quia glorioſius eſt homini beatitudinem obtinere per merita, quàm ſine eis. Et quoniã cum aliquid redditur ex meritis,quodammodo homo obligat ſibi retribuentem: & magis decet hominem obligari Deo, quàm Deum homini: hinc eſt, quòd ad opera, per quæ contingebat mereri,debuit homo per præcepta obligari:

vt dum obligatus obediret, in merito proficeret, & ad maiorẽ cumulum gloriæ perueniret. Secundo propter pacem conſeruandã, quæ tantum bonum eſt, ſicut dicit Auguſtinus, vt cetera pacem appetant. Pax autem ſeruari non poteſt, vbi homo vſurpat ſibi quod eſt alienũ: ideo vt pax ſeruaretur inter homines, debuit Deus mandata homini tradere in quibus obligaretur, ne quod eſt alienum vſurparet, ſed redderet Deo & proximo quod eis deberet, ne aliter iniuriam faciendo pacem frangeret, & frangendo ipſe pacem in ſe amitteret. Sic ergo decuit verba decalogi tradi per modum obligationis & præcepti, tum quia decens erat ex parte Dei, tum quia etiam expediens erat ex parte noſtri.

Adoratio, quæ ſpectat ad primum præceptum, quid ſit, & quomodo diſtinguatur a reuereri, honorare, laudare, & glorificare. Cap. VI.

PRIMVM enim præceptum, quo Deum vnum colere iubemur, ad Patrem, ſecundũ de iuramenti veritate ad Filium, tertium de ſpirituali vacatione ad Spiritum ſanctum pertinere videtur: ita vt his tribus præceptis tres perſonas, quæ ſunt vnus Deus, colere iubeamur. Principioq; videndũ, quid ſit adoratio, & quotuplex, & qua Deus proprie ſit a nobis adorandus. Pro quibus nota, quòd iſta ſe habent per ordinẽ, videlicet reuereri, honorare, laudare, glorificare, & adorare, & ſemper poſterius addit aliquid ad prius. Reuereri quempiam ſecundum Scotum diſt. 9. tertij, eſt animo reputare magna bona, quæ quis videt in eo, aut æſtimat eſſe in illo, paruipendendo illorum cõparatione quæ conſiderat in ſeipſo. Honorare vero eſt reuerentiam interius exiſtentẽ in animo opere exteriori indicare. Vnde honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis, videlicet eius, quem reueretur. Laudare autem eſt honoratum pro bonis, quæ in ſe habet, alijs cõmendare. Glorificare, ſeu magnificare, eſt laudes honorati lõge lateq; pconizare. Gloria .n. eſt frequẽs fama cũ laude. Adorare autẽ eſt in id, quod eſt reuerẽdũ, honorandũ, atque glorificandũ ꝓpter ſuæ sãctitatis atque virtutis eminentiã, totã ſpẽ atque fiduciã ſe ſubijciendo proijcere. Vnde adoratio dicitur cultus, propter videlicet diligentem intentionem circa illud quod adoratur. Illud enim dicitur coli, cui quis ſtudioſe intendit, operam ſuam exhibendo. Dicitur etiam ſeruitus: quia huiuſmodi opera exhibẽtur adorato in recognitionem ſui dominij. Dicitur theoſebia, ideſt diuinus cultus: quia in ipſa ſingulariter

lariter colitur Deus. Dicitur & religio, quãdo ad huiuſmodi adorationem homo ſeipſum ſpecialiter obligat, dicente Tullio in rhetorica: Religio cuidam ſuperiori naturæ cultum reuerentiamq; affert. Adoratio eſt vna trium, ſicut eſt vna maieſtas. Vnde Gen. 18. dicitur: quòd Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Vnde licet ſit diſcretio trium perſonarum, eſt tamen vna adoratio: quia vna maieſtas, vna æqualitas in tribus. Vnde Ioan. 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui eum miſit. Et Hilarius in lib. de Trinit. Honor geniti, eſt honor gignentis, & e conuerſo. Reſpiciendo etiam eſſentiam, vnus & idem honor numero latriæ, & eadem adoratio debetur ei. Sed quia, vt dicitur Ioan. 4. Spiritus eſt Deus, & qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare, ideo beatus Auguſtinus inquit in Enchiridion cap. 3. & 6. quòd adorare in ſpiritu, eſt fide, ſpe, & charitate in eum tendere. Extollere etiam bonitatem alicuius in corde ſuo tanquam ſummam reſpectu bonitatis ſuæ, a quo quis ſuam etiam habet bonitatem, cum reſpiciat ſolum Deum pro obiecto conuenienti, vt ſummum bonũ vel Dominum, pertinet ad latriam, quæ ſoli Deo conuenit, vt inqt beatus Auguſtinus ad Maximum de Trinitate vnius Dei, & in pluribus alijs locis. Cui interiori actui correſpondent aliqui exteriores, qui ſunt ſigna dicti interioris, vt ſacrificia, ritus, vel genuflexiones, proteſtantes illam reuerentiam ſummo Domino exhibendam, & ſummam dominationem in eo, cui talia exhibentur, & ſubiectionem ad illum in exhibente. Ex quibus actibus tam latriæ interioris, quàm exterioris frequenter elicitis, poteſt generari habitus inclinans ad faciliter & prompte eliciendum ſimiles actus: qui ſicut erant boni, & debitis circunſtantijs ornati: ita habitus ex eiſdem generatus, erit bonus. Et ſic latria accipi poteſt vel pro cultu, ſiue reuerentia, aut adoratione Deo exhibita actu interiori, ratione ſummi dominij vel ſummi boni: vel pro reuerentia exhibita Deo actu exteriori: ſeu pro habitu inclinante ad talem actũ. Et ille actus cum ſit rationi recte conſonus, virtus eſt, non theologica ſecundũ Scotum vbi ſupra, cum non habeat Deum pro obiecto immediato, ſed honorem deferendum Domino increato: ſed moralis, contenta ſub iuſtitia, qua redditur ſuperiori quod ſibi debetur. Pro adhuc ſupradictorum maiori declaratione eſt notandum, quòd latria ſiue theoſebia eſt cultus ſiue ſeruitus ſoli Deo debitus, qui proprie adoratio eſt, qua vtuntur doctores, græcis vocabulis: quia in latino eloquio non habentur nomina ſimplicia, quibus explicentur, quæ per hæc nomina deſignantur. Vnde beatus Auguſtinus 10. de ciuit. Dei cap. primo, loquens de cultu ſoli Deo exhibendo, ait: Ad ſignificã-

dum

dum debitum cultum Deo exhibendum, quoniã mihi ſatis idoneũ non occurrit latinum, græco vbi neceſſe eſt inſinuo, quid velim dicere. Vnde quotiens actum fidei, ſpei, & charitatis elicio, totiens Deum colo, Deum veneror, Deum adoro. Cũ enim in Deum ſummum dominium credo, meditor, agnoſco, ipſumq; vniuerſale principium, creatorem, gubernatorem, & principem: in ipſo conſiſtere ſummum dominium, omniſq; poteſtatis plenitudinem, in cuius manu omnia ſunt poſita, cuius voluntati reſiſtere nullus poteſt, cuius ſapientiam nil latere, & prouidentiam cuncta diſponere, credo. Eius bonitatem liberaliſſime communicare, a quo omnibus donatum eſt eſſe, & viuere: creata conſeruare, conſeruata in ſuos proprios fines fortiter ſuauiterq; ordinare, ſuæq; beatitudinis rationalem creaturam participem facere, lapſa reparare, perpetuæ captiuitatis filios pretioſo ſanguine redimere, redemptos glorificare nulla ſui vtilitate aut neceſſitate, ſed perpetua qua dilexit nos charitate, ac cetera innumera infinitæ ſuæ perfectionis opera mente profiteor. Hæc credendo ac meditando actu fidei Deum adoro & colo. Cum autem ex præfatis agnoſco ipſum Deum eſſe rationalis creaturæ bonum, quam ad ſe beatifice poſſidendum ac fruendum creauit, in quo tanquam in ſummi boni poſſeſſione quicquid deſiderari poteſt ſumme habetur, ac per hoc aſſurgo ad concupiſcendum ipſum mihi plus omnibus tanquam ſummum mihi bonum & commodum, & propter eum ſic poſſidendum perpetuo omnia alia paruipendo: incipio eum diligere amore concupiſcentiæ, qui eſt proprius actus ſpei. Cumq; vltra progredior, meditando omnẽ hãc ſuam liberaliſſimam diffuſionem non ex præuenientibus creaturæ meritis, ſed intrinſeca ac naturali bonitate ſua, liuore carente (vt inquit Boetius lib. 3. de conſol. metro 5.) procedere, ac per hoc ſolum ipſum eſſentialiter bonum, ſibi ſolum ſufficientiſſimum, ac ſumme perfectum: propterea ab omni creatura ſua coli, subtitle reuereri, honorari, timeri, propter ſe & ſuper omnia amari, ſibiq; ſeruiri & ſubijci debere, digniſſimum, debitum, atq; iuſtiſſimum eſt. Et idcirco actus perfectæ dilectionis, quibus ipſum non propter communicata beneficia, ſed propter ſeipſum elicimus, ſunt actus interioris reuerentiæ, honoris, ac cultus latriæ, quibus Deum extollimus, magnificamus ſuper omnia, & tãquam vnicum & ſumme bonum adoramus. Nihil igitur eſt Deum adorare, magnificare, extollere, & reuereri, niſi Deum talem credere, vt talem deſiderare, ac ſuper omnia diligere: quod eſt, ipſum talem, ſummum ſcilicet eſſe, & ſibi & omnibus dominari velle: ac per hoc omnia alia æſtimare tanquam nihilum coram eo. Hic enim verus Dei cultus eſt, qui in-

GG choatur

choatur fide,ſpe tenetur,perficitur charitate,nec tamẽ ab inuicem, quatenus perfecte ſunt,ſeparantur. Hic eſt verus Dei cultus, quo pater cæleſtis colitur in ſpiritu & ueritate, ſecundum illud Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Obligatio ad actũ adorationis,ſiue latriæ,pertinet ad primum præceptum. Non habebis Deos alienos, Exo.20. quod non modo eſt negatiuũ, prohibens adorationem exhiberi alicui, cui non conuenit: ſed affirmatiuum, vt habeatur Deus verus,& tanquam Dominus adoretur,de quo Deuter. 6. Dominum Deũ tuum adorabis: in quo excluditur idololatria. Dictum præceptum obligat ſemper, ſed non pro ſemper. Ad iſtum actum eliciendum aliquando ab adulto pro tẽpore legis Moſaicæ,videt̃ determinatio eſſe facta per illud, quod habetur in tertio præcepto,(vt dicetur infra)videlicet ſabbata ſanctifices: quod etiam fuit præceptum legis naturæ,vt ſcilicet aliquo determinato tẽpore vacaret homo ab operibus ſeruilibus ad Deũ magnificandum. In lege vero noua determinatur tẽpus in die Dominico,& in oblatione illius ſũmi ſacrificij, videlicet Euchariſtiæ: quã debet ſacerdos offerre pro ſe & pro populo,ad Hebr. 5. Populus autem offert ſpiritualiter,cum teneatur eadem die audire miſſam integram,de conſecr. diſt. 1. c. Miſſas. Et ſi aliqua neceſſitas excuſet a miſſa: neceſſe eſt impleri illum adorationis actũ in aliquo æquiualente, vt ſaltẽ die illo ſpecialiter deputato cultui diuino habeatur aliquis actus immediate relatus in Deũ ad eius reuerẽtiam.

Homo Chriſtus quomodo latria adorandus: et quomodo reuerendo ſanctos prælatos, doctores,& imagines non ſumus idololatræ. Cap. VII.

SI quæratur, an Chriſto præciſe ſecundum diuinã naturam conueniat latria,reſpondet Gabriel Biel lect. 50. Super canonem, quòd refert multum loqui de natura humana in Chriſto,& de homine Chriſto. Nã homo eſt nomen perſonæ,non ſic humana natura: & concludit,quòd homo Chriſtus adoratione, quæ eſt latria, eſt adorandus,cum ſit perſona verbi,& ita Deus: & ex conſequẽti ea adoratione, quæ ſolius Dei eſt,adorandus eſt: a qua adoratione licet natura humana excludatur vt ratio adorandi, non tamen vt terminus adorationis, cum ſecundum Damaſcenũ in 3. lib. c. 54. Chriſtum Deum perfectum, & hominem perfectum, ſimul & patrem, & Spiritum ſanctum cum incommutabili carne eius vna adoratione adoramus. Humana autem natura in ſe conſiderata, eſt adoranda

hyperdulia,

hyperdulia, vt dicit gloſ. ſuper pſal. 98. Adorate ſcabellũ pedum eius. Hyperdulia autem (vt dictum eſt ſupra) eſt honor quidã magnus, qui exhibetur creaturæ rationali excellẽti, propter maiorem affinitatem & coniunctionẽ ad Deum. Hac adorationis ſpecie adorari debet beata Virgo mater Dei. Vnde in Epheſino concilio, cum Neſtorius χριστοτόκον, non autẽ θεοτόκον eſſe Mariam virginem aſſeueraret, ſub anathematis pœna fuiſſe legimus interdictũ, ne quis eam χριστοτόκον auderet appellare, non quòd hoc nomine recte vocari non potuiſſet aut poſſit, ſed quòd obuiandum eſſe errori putauerunt, quo Neſtorius purum hominem Chriſtum, non autem Deum & hominem peperiſſe Mariam virginem contendebat. Dulia vero eſt cultus, vel honor, qui exhibetur creaturæ, eo quòd participat diuinam dignitatem, videlicet potentiam, ſapientiã, vel bonitatem. Adoratio enim ſecundum Alexandrum de Ales in 3. par. ſummæ, reſpicit Deum inquantum eſt ſuperior, & excellens: vnde adoratio eſt motus in Deum, non vt in finem, ſed vt in principiũ. Amor vero eſt motus in ipſum, vt in finem. Ratio autem finis non mutatur in dilectione Dei & proximi, diligendo ipſum ſummum bonũ ipſi Deo & proximo, ſicut nec debitum: immo eadem ratione diligo Deum & proximum, cum in ſeipſo & ſua imagine debeo diligere ſummum bonum. Adoratio enim eſt motus in Deum, vt in principium. Variatur autem ratio principij in adoratione Dei, & proximi, ſicut & ratio debiti: quia Deus eſt principium ad eſſe, & conſeruationem eſſe ipſius creaturæ. Rationalis vero creatura eſt principium ratione doni excellentis ad bene eſſe alterius, vtputa ſubditi ſui, ratione cuius poteſt ipſum ducere in ſuperiora: ſicut Prælatus per poteſtatem, Doctor ratione ſapientiæ per cognitionem, Sanctus vir per exemplum. Ratio debiti, qua debeo adorationem vel reuerentiam proximo, eſt ratio, qua debeo vti principio ad bene eſſe, & non ad eſſe, vel eius conſeruationem. Dignitas enim diuini eſſe per potentiam & participationem conuenit Prælatis, dignitas ſapientiæ Doctoribus, dignitas vero bonitatis cõuenit Sanctis, ratione quarum ſunt principium ad bene eſſe aliorum: & vt ſic, debetur eis honor & reuerentia. Pro maiori notitia habenda adorationis duliæ & hyperduliæ eſt notãdum: quòd dulia ſumitur tripliciter, videlicet proprie, communiter, & communiſſime. Primo modo ſumitur pro ſeruitute vel reuerentia, quam ſerui & ſubditi impẽdere debent dominis ſuis & ſuperioribus, de qua loquit̃ Auguſtinus 10. de ciuit. Dei c. pri. ſecundum quam præcipit Apoſtolus, ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe debere. Sed quia duplices ſunt ſerui, quidam mancipia ſeu poſſeſſio domini ſui, quibus do-

minus vtitur ſicut ceteris ſuis rebus ad propriam vtilitatẽ, & quibus ſecundum Ariſt. in politicis principatur deſpotice, ideſt dominatiuo principatu: Alij ſunt ſerui naturaliter, qui carent naturali prudentia, & ratione: de quibus idem Ariſt. vbi ſupra, quòd homines corpore robuſti, intellectu autem deficientes, naturaliter ſunt aliorum ſerui: qui tamen ſimpliciter ſunt liberi, eiſq; domini principantur politice & ciuiliter: ad vtroſque extendit ſe dulia. Dulia vero proprie accepta eſt virtus, qua ſerui & ſubditi dominis ſuis & ſuperioribus honorem ac reuerentiam exhibere debent, ſecundum illud primæ Petri 2. Serui ſubditi eſtote dominis, non tãtum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. In veteri etiam lege ſecundogeniti primogenitos, vt ſuos dominos, & maiores, adorabant. Vnde Gen. 27. dixit Iſaac ad Iacob, Eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Dulia autem communiter ſumpta, dicitur ſeruitus quædam reuerentialis, ſecũdum quam rationales & intellectuales creaturæ mutuo ſe honore præueniunt & venerantur, propter quaſdam ſpirituales rationes, aut aliquod diuinum vel virtuoſum in ipſis repertum, vel ſaltem quod poſſibiliter reperiri in eis poteſt. Et ſecundum hoc legitur, homines alios quoſdam adoraſſe, qui tamen neque fuerũt eorum domini, nec rectores, ſed ad captandam beneuolentiam, vel mitigandam iram, aut ad deſignãdum aliquam virtutem, ſeu in ſignũ ſpiritualis amoris & amicitiæ. Vnde de Moyſe Exo. 18. legitur, quòd egreſſus in occurſum cognati ſui Iethro, ipſum adorauit: Et de Iacob, quòd de Meſopotamia progrediens, in terram pronus adorauit ſepties fratrem ſuum Eſau appropinquantem, Gen. 35. Et Dauid adorauit Ionathan filium Saul, primi Reg. 20. & hoc propter imaginem Dei, in qua conditi ſunt. De qua dominus Damaſcenus: Cuius gratia nos inuicem honoramus, niſi quia ad imaginem Dei facti ſumus? Propter quod primæ Petri 2. dicitur: Omnes honorate: ſimiliter & propter alias gratias, & dona gratis data naturalibus ſuperaddita, vt ſapientiam, virtutem &c. quæ ad ædificationem vel Eccleſiæ, vel perſonæ, a Deo donantur. Dulia vero cõmuniſſime ſumpta extendit ſe ad latriam, prout dicit reuerentiam & honorem exhibitos minoribus, vel paribus, aut ſuperioribus, nedum participatum dominium habentibus: ſed & vniuerſaliſſimo Creatori habenti illimitatam & vniuerſalem præſidentiam, de qua Auguſtinus ſuper illud, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, inquit. Seruitus duobus modis ſolet appellari, dicitur n. latria, dicitur & dulia: Per duliam enim intelligitur ſeruitus communis, hoc eſt vel Deo, vel homini, vel cuilibet rerum naturæ exhibita: latria vero appel-

latur

latur ſeruitus illa, quæ ſola diuinitatis cultui debita eſt. Dulia autem, vt tantum creaturis communis, diuiditur in duliam maiorem & minorem: dulia maior hyperdulia dicitur ab hyper, quod eſt ſuper, quaſi excellens dulia: minor vero dulia, de qua ſupra, dicitur dulia ſine addito. Hyperdulia eſt ſeruitus quædam reuerētialis exhibita creaturæ ratione excellentiæ ſingulariſſimæ & eminentis in eo, cui exhibetur, vt eſt reuerentia exhibita Virgini glorioſæ: in qua eſt prærogatiua excellentiſſimæ dignitatis puræ creaturæ conceſſa in eo, quòd eſt mater Dei, qua excellit Cherubin, & Seraphin, & omnes angelicos ſpiritus. Conuenit ſecundum alios Papæ, qui eſt ſupremus hierarcha in politia eccleſiaſtica, & cui omnes fideles proſternuntur vſque ad pedum oſcula, non quidem ratione ſanctitatis perſonalis, ſed ratione dignitatis ſui ſtatus: quia eſt Vicarius Chriſti in terris. Hinc fortaſſis crucem gerit in ſandalijs, quam oſculandam offert, tanquam locum gerens crucifixi: honorem illum non ſibi vſurpans, ſed in Dominum, cuius ſignum oſculatur, retorquēs. Claues etiam habet in armis: quia ſucceſſor eius eſt, cui ſingulariter clauium poteſtas in ſua plenitudine eſt collata. Quid dicēdum de imaginibus, cum ſcriptum ſit, Non facies tibi ſculptile? Damaſcenus ad hoc propoſitum inquit, quòd antequā Deus eſſet humanatus, facere Deo imaginem erat impietatis, cum eſſet inuiſibilis, incorporeus, incircunſcriptibilis. Summæ impietatis igitur erat figurare, quod diuinum eſt. Hinc eſt, quòd in veteri teſtamēto non erat in conſuetudine vſus imaginum, Deum figurantium. Quia vero Deus ipſe per viſcera miſericordiæ ſuæ, ſecundum veritatē propter ſalutem noſtram factus eſt homo: non vt Abrahæ viſus eſt in ſpecie hominis, quādo tres vidit, & vnū adorauit, nec vt Prophetis: ſed ſecundum ſubſtantiam viſus eſt, & cum hominibus cōuerſatus mirabilia fecit, paſſus eſt, reſurrexit, & ad cælos aſcēdit: quæ omnia ſecundū veritatē facta ſunt, & viſa ab hominibus, ac ſcripta ad memoriā & doctrinā noſtrā: Ideo patres, quia nō omnes ſciūt literas, aut lectioni vacant, excogitauerunt, velut quoſdam triumphos, ſimilia in imaginibus deſcribere ad velocem memoriam, quas procidentes adoraremus: ſimiliter & Sanctorum certamina, erigentia nos ad fortitudinem, imitationem, zelum virtutis eorum, & gloriā Dei. Honor enim, qui tribuitur imagini, non aliò quàm ad prototypon refertur, ſicut a Baſilio in libro de Spiritu ſancto, c. 18. legimus annotatum: cum nemo tam ſit lapis, vt lapidibus & lignis ineſſe putet ſenſum. Sanctus Bonauentura in 9. diſt. tertij art. pri. q. 2. addit ad ſupradicta dicens: quòd imagines introductæ fuerūt propter triplicem cauſam. Primo propter ſimplicium ruditatem,

vt ſimplices qui non poſſunt ſcripturas legere, in huiuſmodi ſculpturis & picturis tanquam in ſcripturis aptius poſſint ſacramenta noſtræ fidei intelligere. Secundo propter affectus tarditatem inuētæ ſunt, vt homines, qui non excitantur ad deuotionem in his, quæ pro nobis Chriſtus geſſit, dum illa aure percipiunt, ſaltem excitentur, dum eadē in ſculpturis & picturis tanquā præſentia oculis corporeis cernunt: plus enim excitatur affectus noſter per ea quæ videt, quàm per ea quæ audit. Vnde Horatius de arte poetica: Segnius irritāt animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ ſibi tradit ſpectator. Tertio propter memoriæ labilitatem: quia ea quæ audiuntur ſolum, facilius traduntur obliuioni, quàm ea quæ videntur. Ceterum non ſemper eſt præſto, qui beneficia nobis præſtita ad memoriam reducat per verba: ideo diſpēſatione Dei factum eſt, vt imagines fierent præcipue in eccleſijs ad hoc, vt eas videntes recordemur de beneficijs nobis impenſis, & Sāctorum virtuoſis operibus. Et quia imago Chriſti introducta eſt ad repræſentandum eum, qui pro nobis crucifixus eſt, nec offert ſe nobis pro ſe, ſed pro crucifixo: ideo omnis reuerentia, quæ ei offertur, exhibetur Chriſto: & propterea imagini Chriſti cultus latriæ exhiberi debet: Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus in libro de doctrina chriſtiana, quòd qui veneratur tale ſignum diuinitus inſtitutū, eius vim ſignificationemq; intelligit: non hoc veneratur, quod videtur & tranſit, ſed illud potius, ad quod talia cuncta ſunt referenda. Nihil igitur contra primum præceptum peccatur, ſi Sanctis & eorum imaginibus debita veneratio præſtetur. Vnde ſancta ſynodus ſeptima Act. 7. exclamauit. Quicumque ſententias ſacræ ſcripturæ de idolis, contra venerandas imagines adducunt, anathema. Qui venerandas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt, quòd imagines Chriſtiani, vt Deos adorent, anathema. In octaua quoque ſynodo Act. decima, idem decretum eſt.

Triplex a nobis Deo cultus exhibetur & Sanctis, & quomodo reliquiæ Sanctorum ſunt venerandæ. Cap. VIII.

PRO maiori prædictorum declaratione eſt notandū, quòd triplex a nobis Deo cultus debetur, imitatio videlicet, honor, & inuocatio. Præcipuus & Deo gratiſſimus eſt imitatio. Vidit hoc ethnicus ille Socrates, qui dixit, Vis Deos tibi ꝓpitiari? bonus eſto. Chriſtus enim non tantum incarnari voluit, vt eſſet vita noſtra, ſed vt ſeipſum nobis exemplum viuendi proponeret, vt ſicut ipſe am-

bulauit, & nos ambularemus. Ad hunc cultum inuitat nos Paulus ad Epheſ. 5. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi. Nec iniquũ eſt hunc præcipue cultum transferre ad homines, cum dixerit Paulus primæ Cor. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti: voluit enim ab alijs imitari, quatenus ipſe Chriſtum imitatus eſt: non ſub ea ratione, qua perſecutor vel blaſphemus, ſed quatenus miſericordiam Dei conſecutus fuerat: & vt iam in ſeipſo non viuebat, ſed Chriſtus in eo: ita vt imitari Paulum nihil aliud fuerit, quàm Chriſtum in Paulo viuentem imitari. Et ſic patet, quàm rectè cultus hic Sanctis tribuatur, quos cũ imitari iubemur, nihil aliud quàm Chriſtum in Sanctis imitari iubemur: quem imitari non eſt impoſſibile, cum dicat Baſilius ſermone ſecundo de baptiſmo, c. vlt. Reſpicientes igitur in Chriſtum, animi noſtri alacritatem glorioſo imitandi ſtudio intendamus. Vbi vero Sanctos conſideramus, docemur ſtudium hoc imitandi Chriſtum non eſſe impoſsibile, vt per illorum conſiderationem alacriores facti, ſyncerum & immaculatum mandatum Domini ad mortem vſque ſeruemus, atque in vitã æternam ingrediamur. Nihil ergo detrahitur perfectiſſimo exemplari Sanctos imitando, ſed augetur potius illius gloria. Secundus cultus Deo debitus conſiſtit in honore, & veneratione: vnde dictũ eſt a beato Paulo pri. Tim. 1. Soli Deo honor & gloria: quod nõ cõtrariatur ſibi dicenti ad Rom. 2. Gloria & honor omni operãti bonum. Sciebat enim Paulus, quòd ſummus cultus & gloria ſoli Deo conueniebat: ſed non propterea ſua quoque gloria & honore fraudandos eſſe putabat eos, qui bonum eſſent operati, per quos nomen Dei ſanctificabatur, ſicut contra per eos, qui perperam agũt, nomen Dei blaſphematur. Quid enim aliud veneramur in ſanctis, niſi Dei dona? niſi Chriſtum ipſum viuentem, & operantem in illis? Athanaſium laudans dicit Gregorius Nazianzenus in oratione in Athanaſium: Virtutem laudo, virtutem autem laudans, Deum laudo. Dei namque donum eſt omnis virtus, a quo proficiſcitur omne datum optimum, Iacobi primo. Qui honorat Dominum, inquit Epiphanius, hæreſi 26. honorat etiam Sanctum: qui vero ignominia afficit Sanctum, ignominia etiam afficit Dominum. Vnde Auguſtinus in pſal. 44. In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus ꝓ nobis? ſumus enim Chriſtiani, non Petriani. Tolle a Petro, tolle a Paulo &c. quòd Apoſtoli, quòd Martyres Chriſti fuerunt, non plus eis honoris debebitur, quàm vel Ariſtidi iuſto, vel Phocioni, vel Zenoni, quorum vitæ ſanctimoniam ab his, qui Græcorum hiſtorias cõſcripſerunt, plurimum legimus eſſe commendatam. Tertius cultus Deo debitus, & a nobis ſibi impendendus, eſt in inuocatione. Si

ergo nullum crimen eſt in imitandis Sanctis, & honorandis, quid eſſe criminis in illis inuocandis poterit? Non enim tanquam largitores, (hoc enim ſolius Dei proprium eſt) ſed tanquam deprecatores inuocantur. Aliter enim inuocamus Deum, aliter Sanctos. Deum inuocantes dicimus, concede quæſumus, tribue quæſumus. Sanctos inuocantes nihil aliud dicimus, quàm orate pro nobis. Nec in hoc Chriſti gloriæ derogat, quòd alius a Chriſto mediator quæritur, dum a Sanctis interceſſio poſtulatur. Derogabat ne Chriſti gloriæ Paulus, quem toties ad Sanctorum interceſſionem confugiſſe legimus? Non ne ſciebat vnum eſſe mediatorem Dei & hominũ Chriſtum Ieſum? Et tamen pro omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, obſecrationes fieri voluit. Quid autem eſt obſecrare pro aliquo, niſi mediatorem inter eum eſſe, quem petis, & eum, ꝓ quo petis? Vnde in concilio Conſtantinopolitano primo, vt habetur tom. 2. conciliorum c.7. cum præſcripſiſſent patres, quibus verbis eſſet Deus orandus, mox ſubiunxerunt: His actis, & creatore ſuo ſolo Deo adorato, inuocet Sanctos, vt pro ſe intercedere apud Maieſtatem diuinam dignentur. Omnes enim orationes Eccleſiæ ad patrem fere dirigere concludit, non per Petrum, non per Paulũ, ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, per ſolius illius paſſionis meritum, qua nos redemit, quæ omnia concedi ſibi poſtulat. Vnde Gregorius Naziãzenus in Monodia Baſilij: Tu autem, inquit, o Baſili ex alto nos reſpice, & carnis ſtimulum aut tuis ſiſte precibus, aut fortiter nos ferre perſuade. Et Hieronymus in epitaphio Paulæ: Vale, inquit, o Paula, & tui cultoris vltimam ſenectutem tuis orationibus adiuua, fides & opera tua te Chriſto ſociant, præſens facilius quod poſtulas, impetrabis. Et Auguſtinus in meditationibus c. 23. Orate Dominum, orate pijſſimi, orate omnia agmina Sãctorum. Et Chryſoſtomus homil. *66*. ad populum Antiochiæ in laudibus ponit Imperatoris, quòd is purpura indutus accedit ad Martyrum ſepulchra complexurus, & faſtu depoſito ſtat Sanctis ſupplicaturus. Quid dicemus de ſanctarum reliquiarum veneratione & virtute? Rufinus lib. 2. c. 32. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrat de Theodoſio Imperatore, quòd is contra Eugenium prælium initurus, circumibat cum ſacerdotibus & populo omnia orationum loca, & ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorũ interceſſione poſcebat. De reliquijs Geruaſij, Prothaſij, & Stephani martyrum quid dicam? Tantus fuit ad eas hominum concurſus, tot & tanta per eas miracula facta, vt beatus Auguſtinus lib. 22. de ciuit. Dei c. 8. miretur: quo etiam in loco moris fuiſſe ſcribit, vt recitaretur in templo quid quiſque be-

neficij

neficij accepiſſet. Offerre tamen ſacrificium alicui, ita eſt ſeruitus diuinitati debita & propria, vt qui homini eam tribueret, idololatriæ crimen euadere non poſſet. Si dicant hæretici, quòd animæ Sā-ctorum ignorant preces noſtras, obijcitur eis illud, quod Gregorius lib. 4. dialog. c. 32. inquit. Quid enim eſt, quod ibi Sanctorum animæ neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt? Et Dionyſius c. ij. cæleſt. Hierar. Quis ibi aliquid ignorat, vbi omnes fontem ſcientiæ Deū vident? Certe qui intus omnipotentis claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quòd foris aliquid ſit, quod ignorent: Hoc etiam ſcire poſſunt, vt dicto Dionyſio placet vbi ſupra, c. 4. reuelātibus Angelis. Si iterum obijciatur nobis dictum nonnullorū aliorum hæreticorum, qui eo temeritatis deuenerunt, vt affirmare nō vereantur, Sanctos ſcilicet nondum eſſe Dei conſpectu ſuauiſſimo potitos, ſed adhuc in abditis quibuſdam receptaculis extremum expectare iudicij vniuerſalis diem: contra hos reſpondet Cyrillus ad Reginas libro 2. de recta fide. Olim, inquit, liberatæ a corporibus animæ hominum in ſubterranea receptacula demittebantur, implentes mortis promptuaria: vbi autem Chriſtus ſpiritum ſuum patri commendauit, etiam hanc nobis præparauit viam: non enim ingredimur in infernum &c. Et Baſilius de Spiritu ſancto ad Amphilochium: An non extremi ſtuporis eſt, ait, Sanctos fateri cum Chriſto non eſſe, quandoquidem Paulus peregrinans a corpore p̄ſens eſt apud Deum, & reſolutus iam eſt cum Chriſto? Obijciunt tertio dicti hæretici nobis, dicētes: Quis generalis iudicij erit vſus futurus, ſi ante illud mercedem quiſque ſuā recepturus eſt? Quibus reſpondet Gregorius quarto dialog. c. 24. quòd hoc creſcit animabus in iudicio, quòd nunc animarum ſola, poſtmodum verò corporum beatitudine, perfruuntur: vt ipſa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro domino pertulerunt: de qua ſcriptum eſt, quòd in terra ſua duplicia poſſidebunt. Stolas ſuas igitur animarum modo recipiunt: tunc poſt iudicium animarum ſimul & corporum gloria lætabuntur.

Primum præceptum de vno colendo Deo: & de comminatione huic præcepto ſuperaddita. Cap. VIIII.

PRIMA clauſula primi præcepti eſt, nō habebis Deos alienos coram me: Vbi ꝓhibemur adorare creaturas ſpirituales, ſcilicet Angelos. Secunda, non facies tibi ſculptile, hoceſt imagines fictas, quæ nullius rei naturalis ſunt repræſentatiuæ. Tertia, neque omnem

omnem ſimilitudinem, uidelicet rei naturalis imaginem: & ſequitur, quæ eſt in cælo deſuper, vt Solis & Lunæ: & quæ in terra deorſum, vt hominis, bouis, & ſimilium: nec eorũ quæ ſunt in aquis, ideſt piſcium. Non adorabis eas, ſcilicet actu exteriori: neque coles, affectu interiori. Prima huius præcepti clauſula oſtendit Iudæos, & Sarracenos idololatras, qui Deos habent alienos. Iudæi quidẽ Meſſiam, Sarraceni autem Mahometen expectant. Contra ſecundam faciunt hæretici, qui non credunt de Deo, niſi quod imaginatione ſua, & phantaſia confingunt. Contra tertiam faciunt mali Chriſtiani, eo quòd ſuperbi colunt ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in cælo, videlicet honores. Danielis ij. Nam ſuper omnia deſiderant alijs præeſſe. Auari colunt ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in terra, vtputa pecuniam, & diuitias. Auaritia enim eſt idolorum ſeruitus ad Coloſs. 3. Voluptuoſi colunt ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in aquis, ideſt delicias, & voluptates: quorum videlicet Deus venter eſt ad Philip. 3. Ad hæc addit Diuus Bonauentura in ſermonibus x. præceptorum, dicens: quòd per primum mandatum reuocat Deus ab omni idololatria, eo quòd omne quod adoratur aliud a Deo, aut eſt creatura intellectualis, ut Angeli & dæmones: aut natura corporalis, vt cælum, terra, aqua, & huiuſmodi: aut eſt figmentum humanæ mentis. Prohibet enim primo idololatriam, reſpectu creaturæ intellectualis, cum dicit: Non habebis Deos alienos. Secundo prohibet idololatriam reſpectu figmenti humanæ mentis, cum ſubdit: Non facies tibi ſculptile. Tertio prohibet idololatriam reſpectu naturæ corporalis, & hoc reſpectu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, cum dicit: Non facies ſimilitudinem eorum, quæ in cælis ſunt, neque quæ in terris, neque eorum quæ in aquis ſunt. Contra primos dicitur pſal. 95. Quoniam omnes Dij gentium dæmonia. Contra ſecundos, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis ps. 96. Contra tertios inquit Apoſtolus ad Rom. pri. Qui cõmutauerunt gloriam incommutabilis Dei, & ſeruierunt creaturæ, potius quàm creatori. Ex quibus patet, quomodo in primo præcepto implicatur vera Dei adoratio, de qua ſupra Deut. 6. et omnis idololatria prohibetur: Per quæ tria prohibetur nobis omnes prophanæ pactiones dæmonum, ſiue ſint per verborum incantationes, ſiue per inſcriptiones characterum & imaginum, ſiue per immolationes ſacrificiorũ. Prohibentur igitur ibi omnia, ex quibus oriuntur prophanæ pactiones dæmonum: ſiue ſint ad tranſmutationem naturarum, ſicut fecerunt Magi Pharaonis: ſiue ſint ad ludificationem, vt faciunt incantatores & hiſtriones: ſiue ſint ad inueſtigationem futurorum contingentium,

tingentium,

tingētium, quæ omnia beatus Auguſtinus vocat paſsiones dæmonum. Et hi omnes peccant contra primum verbum præcepti, videlicet: Non habebis Deos alienos coram me. Contra quos dicitur in cant. Prouocauerunt eum in Dijs alienis, & in eo qui non erat Deus, ad iracundiam cōcitauerunt: propter quod inquit Apoſtolus ad Rom. primo. Tradidit eos Deus in paſsiones ignominiæ. In ſecundo verbo, Non facies ſcilicet ſculptile, prohibentur omnes falſæ ſuperſtitiones, adinuentiones errorum. Error enim omnis eſt fictio mentis. Errorem autem facit phantaſia obnubilās rationem, quæ facit, quòd illud quod non eſt, videatur eſſe. Prohibentur autē omnes ſuperſtitioſæ adinuentiones: ſiue procedant ex improbo auſu inueſtigationis philoſophicæ, vt æternitas mundi, & ſimilia: ſiue ex peruerſo intellectu ſacræ ſcripturæ, ut hæreſes hæreticorum multorum: ſiue ex Iordinato affectu carnalitatis humanæ, ut ſecta Epicureorum, quæ dicit nullam aliam vitam eſſe præter iſtam: et ſecta Nicolaitarum, quæ aſſerit, quòd licet quemlibet facere turpiter cum qualibet. Sarraceni etiam ſua dogmata, nec ex ſacris literis, nec ex altitudine ſapientiæ diuinæ habent. Et vt vno verbo concludamus omnia, omnes errores vndecunque proueniunt, tanquàm ſculptilia abominari debent. Chriſtiani quia peccant contra hoc mandatum, non facies tibi ſculptile, (Vnde Hier. 10. dicitur. Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia ſua, ideſt ab inueſtigatione propria & nimiæ philoſophiæ confuſus eſt artifex omnis in ſculptili) vana ſunt eorum opera, & riſu digna, & in tempore viſitationis ſuæ peribunt. Standum igitur eſt ſuper hoc, quod lumina fidei dictant: & quicquid huic aduerſatur, totū abominari debet. In tertio verbo, neque facies ſimilitudinem eorum, prohibentur omnes peruerſæ appretiationes creaturarum: quia procedunt aut ratione ſublimitatis, vt idololatria ſuperborum, aut ratione ſufficientiæ, vt idololatria auarorum, aut ratione delectationis, vt eſt idololatria laſciuorum. Contra primos dicitur: Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: contra ſecundos inquit Apoſtolus ad Coloſſ. 3. Auaritia eſt idolorū ſeruitus: contra tertios idē Apoſtolus ad Philipp. 3. ait. Quorum Deus vēter eſt. Dicit quoque, Ego Dominus Deus tuus fortis Zelotes &c. Repetit autem id, Ego Dominus Deus tuus, vt repetitione demonſtret hanc eſſe ſufficiētem cauſam, cur ſibi præ omnibus amor, cultus, ſeruitus, & obediētia debeatur. Quod vero addit, fortis Zelotes &c. ad terrorē quidem facit eorum, quos parum mouet ſolum præceptum. Sequitur, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem: ideſt viſitans ſiue puniens, non quocumque modo, ſed

ad inſtar eius,qui ardenti zelo accenſus ſeuere animaduertit in iniquitatem ſuorum,non quidem ſtudio exterminandi,ſed reducendi ad officium. Viſitans autem non quorumcumque,ſed patrum in filijs, hoceſt in parentibus inchoatam,& in ſuccedẽtibus generationibus continuatam . Ego fortis Zelotes, amoris zelo accenſus,viſito quidem auerſos a me in virga & flagellis vſque in tertiã & quartam generationem,non autem vltra . nam eo vſque patienter quidem expecto ad reſipiſcentiam. Verum ſi æſtuantis amoris mei flagellis ſæpius viſitati non obediant , ſi obſurdeſcant, pertinaciterq; pergant ad quartam vſque generationẽ,non adijciam vltra,vt amore Zelans viſitem eos : ſed deſeram abijciamq; eos, auertens zelũ meum ab eis, quemadmodum dicit Dominus ad Hieroſolymam, Ezechielis 16. Propterea auferetur zelus meus a te, & quieſcam, nec iraſcar amplius : quaſi diceret,ceſſare faciãm iram meam in te, & recedet zelotypia mea a te, ideſt extremis ſupplicijs afficiam te, nec te amabo amplius : qualis profecto ſubtractio Dei zeli a nobis eſt,velut extremũ irreconciliabilis indignationis ſuppliciũ. Quandiu enim zelat nos Deus,& zelando viſitat,tandiu ex ardenti amore adhibet increpationes, minas, verbera,dolores : cum dicat Deus Apoc. 3.Quos amo corrigo,& caſtigo:eum ſane ob finem,vt ſic demonſtret,cui obſequi oporteat : ſicq;reuocet nos ad ſe,iuxta illud Hieremiæ ſexto.Erudire Hieruſalẽ,ne diſcedat a te anima mea. Verba igitur ſupradicta textus ſimul inſinuant,& miram abundantiam diuinæ bonitatis,ac patiẽtiæ in eos,qui male agunt:& horrendam extremi mali cõminationem in eos,qui pertinaciter nimia patientia Dei abutũtur. Contra quos Paulus ad Rom. 2. An diuitias bonitatis eius,& patientiæ,& longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundũ autem duritiam tuã, & impœnitens cor, theſaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundũ opera ſua : ijs quidẽ,qui ſecundum patientiam boni operis gloriã, honorem,& incorruptionem quærunt,vitam æternam : ijs autem, qui non acquieſcunt veritati, irã & indignationẽ . Et ideo addit textus vbi ſupra : Et faciẽs miſericordiã in millia his, qui diligũt & cuſtodiunt ꝑcepta mea . Quæ verba intelliges,qua poſſunt plenitudine intelligi,nẽpe in millia generationũ,hoceſt etiã in milleſimã vſque generationẽ,in millia retributionũ, in millia temporũ, ætatũ, ſeculorũ,& quicquid amplius his dici poteſt.Nã quemadmodum Zelotis amor, ſeu zelus amantis erga filios ſubtractionis terminum habet : ita puræ charitatis dilectio omnino finem neſcit ac modum &c. At pergamus nunc ad ſecundum mandatum.

Quoad

Quoad ſecundum præceptum, videndum eſt, quomodo Iuramentum ſit in ſe bonum, & peierare malum. Cap. X.

NON aſſumes nomen Dei tui in vanum, ideſt ſecundum Scotum 37. tertij, q. vnica, non facies Deo irreuerentiam, vel ſecundum Sanctum Bonauenturam in ſermonibus de decem præceptis, hoceſt ſine veritate, vbi præcipitur fidelis confeſſio ſummæ veritatis. Primus igitur modus aſſumendi nomẽ Dei in vanum eſt, quando abnegamus veritatem. Hoc præceptum ſecundum eundem, cũ priore eſt ſtricte de lege naturæ, cum ſequatur neceſſario, quòd ſi eſt Deus, eſt amandus vt Deus: & nihil aliud eſt colendum tanquã Deus: nec Deo eſt facienda irreuerentia: & per conſequens in iſtis non poterit Deus diſpenſare, vt aliquis poſſit licite facere oppoſitũ illius, quod prohibetur. Memineris ergo, præceptum hoc de non iurando, potius eſſe euangelicum, quàm legale: & nunc obſeruatu magis neceſſarium, quàm tempore legis. Conſtat autẽ per ſcripturas expreſſe præceptum eſſe: Primo non aſſumere ſeu vſurpare nomen Domini in vanum, vel fruſtra: ſecundo nõ polluere nomẽ Domini: tertio non peierare in nomine Domini, leuit. 19. quarto nõ iurare omnino Matth. 5. & Iac. 5. Non iurare quodcũque iuramentum. Vanum ſecundum Philoſophum eſt, quod nihil in ſe habet, vnde poſſit rationabiliter referri in aliquem finem honeſtũ atque vtilem. Fruſtra vero dicitur, quicquid præter neceſſitatẽ eſt, & fructu caret vtilitatis, nec vllum habet honeſti officium. Saluator noſter Matth. 5. ait: Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum &c. Ex quibus verbis conſequens videtur non eſſe iurandum per ſacramenta, quoniã vaſa ſunt gratiæ Dei, & vberrima noſtræ ſalutis ſubſidia: neque per Euangelium, quoniam verbum Dei eſt, & pabulum vitæ: neque per nomina plagarum, quia inſtrumenta ſunt vindicantis iuſtitiæ Dei: neque per vllam omnino creaturam, quoniam omnia ſubſeruiunt voluntati diuinæ non minus, quàm terra, quæ dicitur ſcabellũ pedũ eius. Et vt melius ſupradicta intelligantur, notanda ſunt quæ inquit diuus Thomas 22. q. 89. art. pri. videlicet: quòd ſecundum Apoſtolum ad Hebr. 6. Iuramentum ad confirmationem ordinatũ: confirmatio vero in ſcibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiliter nota: ſed particularia facta contingentia hominum, non poſſunt per rationẽ neceſſariam confirmari: & ideo ea, quæ de his dicuntur, confirmari ſolent per

teſtes.

teſtes. Sed humanum teſtimonium non eſt ſufficiens ad huiuſmodi confirmandū propter duo: primo quidem propter defectum veritatis humanæ, quia plurimum in mendacium labuntur, ſecūdum illud pſal. Os eorum locutum eſt mēdacium: ſecundò propter defectum cognitionis, quia homines non poſſunt cognoſcere futura, neque cordium occulta ſiue abſentia, de quibus tamen homines loquūtur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur. Quare neceſſarium fuit recurrere ad diuinū teſtimonium, ex quo Deus nec mentiri, nec aliquid ei latere poteſt. Aſſumere autem Deum in teſtē, dicitur iurare: quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur. Diuinum autem teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia vel præterita, & hoc dicitur iuramentum aſſertorium: quandoque autem inducitur diuinum iuramentū ad confirmandum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promiſſorium. Ad ea vero, quæ ſunt neceſſaria & per rationem inueſtiganda, non inducitur iuramentum. Sed ne decipiaris, nota, quòd eſt hæreſis damnata, aſſerere Chriſtianis prohibitum eſſe omne iuramentum, in qua hæreſi olim fuerunt Vualdenſes, Cathari, & Anabaptiſtæ. Rurſus hæreſis eſt non minus execrabilis affirmare, quòd liceat iurare ſimul & peierare ex cauſa: cuius erroris, per Auguſtinum ex libro de hæreſibus, erant Priſcilianiſtæ: in quo errore fuerunt etiā illi, qui ſe apoſtolicos ſolent appellare, vt habetur in ſermone *65.* & *66.* diui Bernardi ſuper cantica. In vtroque horum extremorum cum ſit vitium, ſiſtendum eſt in medio, in quo virtus conſiſtit. Si enim ſimpliciter prohibitū eſt a Saluatore quodcūque iuramentum, cur dicit alia ſcriptura, Laudabunt omnes, qui iurant in eo? ps. *62.* & alibi Hier. *4.* Iurabis viuit Dominus, in ueritate, in iudicio, & in iuſtitia? & Deut *6.* Dominum Deum tuum timebis, ac per nomē illius iurabis? Contra ſi aliquo modo iurare licet, cur tam abſolute dicit Dominus. Ego autē dico vobis, non iurare omnino? & alibi. Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque per quodcumque aliud iuramentum? Sanctus Bonauen. in ſer. de decē præceptis diuinis, ſer. 2. ponit diſcrimen inter non iurare omnino, & omnino nō iurare: omnino nō iurare, eſt nullo modo iurare: & nō omnino iurare, eſt non omnibus modis iurare, ſed ex certis cauſis. Pro cōcilianda tali ſcripturarū cōtrarietate, notādæ ſunt multæ Doctorū ſentētiæ. Sanctus Thomas 22. q. *89.* art. 2. inquit, Iuramentū eſſe ex ſe bonum, & hoc ex origine & fine. Ex origine quidē, quia introductū eſt ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilē veritatē, & vniuerſalem

omnium cognitionē. Ex fine, quia inducitur ad iuſtificandū homines,& ad terminādas cōtrouerſias ad Hebr. 6. Homines per maiorē ſe iurāt,& omnis cōtrouerſiæ eorū finis ad confirmationē,eſt iuramentū. Finire autem controuerſias hominum, ſtabilire quoque veritatem incertam & ambiguā, res eſt vtilis in moderatione reipublicæ, & neceſſaria, ſine qua tribunalia non ſubſiſtunt, & deficit omnis veritatis inquiſitio. Quo in loco docet Paulus, ad quem debeat hominum iuramentum inflecti,ſcilicet ad Deū, qui longe maior eſt & ſublimior omni creatura: & quia non habet maiorem ſe, ideo per ſemetipſum iurat. Cum etiam iuramus,inuocamus Deum in teſtem illius rei, pro qua fit iuſiurandum: nec poſſumus tutius fidem facere non credenti nobis, quàm atteſtari Deum, ad quem nobis eſt confugium, vt controuerſia omnis dirimatur: & cum iuramentum ſit actus latriæ, vt dicit Dominus Ioannes arboreus lib. 9. ſuæ theoſophiæ c. 17. non video,quare in Euangelio ſimpliciter prohibeatur. Diuus tamen Auguſtinus ſermone 30. de verbis Apoſtoli,abunde ediſſerens illas tres ſacræ ſcripturæ ſententias,quæ nobis videntur aduerſari,videlicet beati Iacobi capite quinto, Sit ſermo veſter,eſt, eſt; non, non; et paulo ante, Ante omnia nolite iurare: et Matth. 5. Nolite iurare neque per cælum, neque per terrā, inquit, non eſſe peccatum iurare,ſed peierare: iurauit enim Dominus, iurauerunt & Sancti, nec dicit Apoſtolus, nolite iurare, niſi ad euitandum periurium. Nam ita ſcribit Auguſtinus: quia graue peccatum eſt peierare, compendium tibi dedit ſcriptura, noli iurare: Quid dicturus ſum tibi homo? Verū iura,& nihil prohibet id, quod ex ſe bonum eſt, cedere in malum eius, qui non eo vtitur bene. Quemadmodum ſumere Euchariſtiam ex ſe bonum eſt, malum tamen abutenti & indigne ſumenti: ita iurare ex ſe bonum eſt: cedit tamen in malum eius, qui leniter & ſine neceſſitate iurat. Idem Auguſtinus in expoſitione pri. c. epiſtolæ ad Gal. innuit, quòd licet appetere iuramentum non cupiditate vel delectatione iurandi, ſed propter aliorum infirmitatem: quia non aliter mouentur ad fidem. Clicthoueus lib. 3. de votis monaſticis cap. 10. in Antiluthero dicit,Chriſtum non inhibuiſſe in euangelio iuramentum,ſed dediſſe conſilium de vitando iuramento,ne quis ex conſuetudine ꝓlaberetur in periurium. Nec ſubticebo, quod Gratianus 22. q. 1. c. Quod iuramentum,inquit,videlicet: quòd aliud eſt ſponte accedere ad iuramentum, aliud ad aſſerendam innocentiam ſuam, vel ad fœdera pacis conſeruāda, vel ad perſuadendum auditoribus, quando pigri ſunt credere quod eis vtile eſt. Primum prohibetur, ſecundum conceditur.

Non obſtante iuramento, an iuſtitia Chriſtianorum præcellat iuſtitiam Phariſæorum: & an iuramentum factum per idolum ſit recipiendum: ſimiliter quid ſit iurare in veritate, iudicio, & iuſtitia: & quæ ſint cauſæ, propter quas iuſte iuratur. Cap. XI.

SI obijciat aliquis, ſi Chriſtiano non ſit prohibitũ iuſiurandum, ſed permiſſum, in quo præcellet iuſtitia Chriſtiani iuſtitiam Phariſæorum, maxime cum dicat veritas Matth. 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum? Vnde vt nos Saluator ad tuendam perfectiorem legem inclinaret, dixit: Audiſtis, quia dictum eſt antiquis non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Dicendum, quòd licet ſit permiſſum Chriſtiano iurare, & reddere poſſit ſua iuramenta Deo, nõ tamen eo modo, quo conſueuerant Iudæi, quibus permiſſum erat iurare per Deum (ne idolorum & creaturarum iuramentis aſſueſcerent) etiam abſque vrgenti neceſſitate: qua in re iuſtitia Chriſtiani præponitur iuſtitiæ Iudæorum, cum Chriſtianus non niſi propter maximum reipublicæ commodum, & niſi cògatur, nõ iurabit: immo ſemper paratus eſt non iurare, ſicut paratus eſt non vlciſci iniuriam. Et vbi inter veros Chriſtianos ſermo hominis fidelis plurimũ habet auctoritatis, non eſt opus iuramento. Vnde Chryſoſtomus (& habetur 22. q. 5. c. Iuramenti) inquit: Inter iuramentum & ſermonem fidelium nullum debet eſſe diſcrimen: quia ſicut in iuramento nullam conuenit eſſe perfidiã, ita quoque in verbis noſtris nullum debet eſſe mendacium. In vulgaribus tamẽ hominum contractibus rudes & auari mercatores, in quibus parum eſt chriſtiani hominis, vix poſſunt his credere, cũ quibus faciunt commutationes, niſi interceſſerit iuramentum. Quæſtionem, videlicet, an iurãdum ſit per idolum, diſcutit Auguſtinus ad Publicolam epiſt. 154. dicens, quòd non licet Gentilem inducere ad iurandum per idolũ, quia conſentiret idololatriæ. Idolum enim ſecundum Paulum pri. Cor. 8. etſi nihil ſit in mundo ſecundum totum, vel quoad materiam & formam ſimul, quam ſibi artifex imprimit, cum nihil habeat ſimile ſibi correſpondens in vniuerſo: eſt tamen aliquid in opinione, fictione, & falſa exiſtimatione idololatrantis, quæ omnino ſuper vanum & nihil fundata eſt: cum idolum nihil habeat diuinitatis, quam ſibi attribuit idololatra. Ideo ſi catholicus induceret quẽpiam ad iurandum per idolum, peccaret communicãdo cum falſa

exiſtimatione

exiſtimatione idololatræ. Vide quoad hoc diuũ Bonauen. 37. diſt. 3. circa literam. Si tamen gentilis habeat aliqua pacta cum Chriſtianis, & confirmet illa iurando per ſuum idolum, licitum eſt nobis tale iuramentum recipere, non obſtante, quòd dicit beatus Paulus 2. Cor. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? &c. cum hæc tantum indicent nullũ commercium habendum cum infidelibus, vbi noſtram eludendo fidem conarentur nos ad infidelitatem pertrahere, & vbi nõ poſſumus viuere cum illis abſque contumelia Saluatoris. Ex ſupradictis patet, quomodo iuramentum ad religionem ſpectat, & quando iurare liceat, ſimiliter & quare tam rigoroſe Saluator prohibeat iuramentum: quia vt humanæ fragilitatis corda, non iurando tutius a periurio præſeruentur: ſimiliter vt vnuſquiſque intelligat, quòd in genere iurare vniuerſis eſt prohibitum: quamuis liceat facere iuſiurandum, quo iuratur in iudicijs, quo fœdera ligantur, quo ſubditi magiſtratibus ſubijciuntur, quo lites inter fratres finiuntur, quo denique res ſeriæ vtileſq; valde confirmantur, ſine quibus conſiſtere non poteſt mortalium conuictus: dummodo talia iuramenta iuxta ſententiam beati Hieronymi interpretando Hieremiam Hier. 4. fiant in iudicio, in iuſtitia, & veritate. Dominus Alexãder de Ales in 3. parte ſuæ ſummæ, q. 31. mem. 3. art. 3. ad præfata addit: quòd iurare fit duobus modis, vel aſſerendo de præſenti aut præterito, vel promittendo de futuro: vnde diſtinguitur iuramentum in aſſertorium, & promiſſorium. In vanum iurare prohibetur hic. Vnde in textu ſubditur, Nec habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra. Iuramentum vanum eſt, quod caret conditionibus, quæ ponuntur Hierem. 4. Iurabitis, inquit, viuit Dominus, in veritate, iuſtitia, & iudicio: vbi ſanctus Hieronymus inquit. Hos tres comites debet habere iuramentum, veritatem ex parte iurantis, iuſtitiam eius quod iuratur, iudicium ex parte circunſtantiarum vtriuſque. Veritas debet eſſe in iurantis conſciẽtia, vt credat ita eſſe vel fuiſſe, ſicut iurat in iuramento aſſertorio: vel proponat ita facere, ſicut iurat in promiſſorio. Iuſtitia debet eſſe in eo quod iuratur, quia oportet eſſe licitum: ſi enim eſſet contra legem Dei vel præceptum Eccleſiæ, iam non eſſet iuſtitia in eo quod iuratur. Iurauit enim Dauid per Deum occidere Nabal, qui tamẽ cum ad preces Abigail prudentis fœminæ mox remiſiſſet minas, & reuocaſſet enſem, non legitur eum contraxiſſe culpam aliquam de tali periurio, ac pœnituiſſe. Sciebat enim, quòd nulla eſt obligatio ad iniuſtum iuramentum. In circunſtantijs attenditur iudicium, videlicet diſcretionis, vt diligenter attendatur & cauſa, pro qua iuratur,

ratur, & modus. Iurare ergo in vanum, eſt iurare vel ſine veritate, vel ſine iuſtitia, vel ſine iudicio. Et ſanctus Thomas 22. q. 89. art. 3. inquit: Iudicio caret iuramentum incautum, veritate iuramentum mendax, iuſtitia autem iuramentum iniquum & illicitum. Poteſt quæri, an iurare ſit actus religionis, ſiue latriæ: Reſpondet ſanctus Thomas vbi ſupra, art. 4. quòd ille qui iurat, inuocat diuinum teſtimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur niſi per aliquid, quod certius & potius eſt: & ideò in hoc ipſo, quòd homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorē, vtpote cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio vniuerſalis: & ſic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet. Vnde Apoſtolus ad Hebr. 6. dicit: quòd homines per maiorem ſe iurant: & beatus Hieronymus addit ſuper Matthæum, quòd qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. Philoſophus quoque in pri. metaph. ait: quòd iuramētum eſt honorabiliſſimum. exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad religionem, ſiue latriam. Verum in iuramento duo conſiderantur, videlicet teſtimonium quod inducitur, & hoc eſt diuinū: & id ſuper quo inducitur teſtimonium, vel quod facit neceſſitatem teſtimonium inducendi, & hoc eſt humanum. Iuratur enim cauſa boni vel mali: Cauſa boni multifariam, vel veritatis cauſa, vel pacis, vel amicitiæ, vel obedientiæ. Primo modo dupliciter, vel cauſa veritatis ſummæ credendæ, cuius cauſa iurat Paulus, cum dicit, Teſtis eſt mihi Deus, ad Rom. pri. & ad Philip. pri. & ipſe Saluator, Amen, amen, dico vobis, vt veritas credendorum, quam prædicabat, aſtrueretur in cordibus auditorum: Vel cauſa veritatis creatæ, ſicut iurant teſtes in cauſis pro veritate alicuius facti manifeſtanda, de qua Deut. 19. in ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Ratione vero pacis reformandæ, vt Iacob & Laban Gen. 31. Iurauit enim Iacob per timorem patris ſui Iſaac. Cauſa vero amicitiæ reſtaurandæ iuratur: vnde Geraritæ Gen. 26. dixerunt. Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus. Ratione obedientiæ fit iuramentum triplex. Primum fidelitatis, quod faciunt principes regi, 2. regum 5. Venerunt ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis fœdus coram Domino. Secundum ſubiectionis, quod faciunt Abbates Epiſcopis, & Epiſcopi Metropolitanis. Iurauerūt quoque hoc modo principes Galaad ad Iephte, Iudic. ij. Dominus q audit, ipſe eſt mediator & teſtis, quòd noſtra promiſſa faciemus. Tertium eſt obſeruationis, vt iurant canonici, cum datur canonicatus, pro conſuetudinibus ſeruandis. Vnde poſtquam Dominus legem per Moyſen promulgauit, iurauerunt omnes ſe ſeruaturos eam. Iuratur quoque ratione mali vitandi, ſicut quando fit iuramentum

mentum de calumnia in principio cauſarum, ne aliqua perſonarum litigantium calumnioſe aliam impetat, aut calumnioſe ſe defendat. Similiter & ratione mali expurgandi, vt cum iuratur in purgatione canonica pro tuenda innocentia, de qua Deut. 21. Si inueniatur in terra cadauer occiſi hominis, & ignoretur reus, egredientur ſeniores & maiores natu &c. lauabunt manus ſuas, & dicent. Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc. Aliter ſi iuratur, aſſiumitur nomen Dei in vanum, vt puta iurãdo contra conſcientiam vel illicitum, vel contraueniendo iuramento.

De tertio præcepto & eius myſtico ſiue ſpirituali ſenſu. Cap. XII.

MEMENTO vt diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo vero die ſabbatum domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo &c. Hoc mandatum ſecundũ Dominum Alexandrum de Ales in 3. par. q. 32. mem. primo, poteſt intelligi aut literaliter, aut ſpiritualiter. Primo modo præcipiebat ceſſationem ab operibus ſeruilibus. Vnde de eo dicitur, Omne opus ſeruile non facietis in eo. Obligabantur enim de rigore mandati Iudæi tali die, & nos die dominica (de qua infra) ceſſare ac feriari a laicis operibus & omnibus profanis exercitijs, qualia ſunt agricultura, artificia, negotiationes, operæ cõductitiæ, laicalia officia, quæſturæ, prætoria, officinæ rerum vendibiliũ, ſcripturæ rerum iudicialium, & id genus alia: hæc enim operari in tali die prohibitum eſt. Scriptura enim prohibet expreſſe, quòd neque tu quicquam operis facias in illa die, neque filius tuus, neque filia, neque ſeruus, neque ancilla, neque bos tuus, neque aſinus, aut omne iumentum tuum, neque peregrinus, qui tecum intra portas domus tuæ hoſpitatur. Si vero neceſſitas occurreret, cum non habeat legem, Saluator docet, neceſſitatis cauſas inſperato occurrentes non eſſe comprehenſas ſub præcepto de ſabbato ſanctificando, dicens Marci 2. Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum: & Luc. 14. Cuius veſtrum aſinus vel bos in puteum cadet, & nõ continuo extrahet illũ die ſabbati? Simile exemplum ponitur Matth. 12. Si igitur licet operari die ſabbati, vt vnam ouem vel aſinum ſalues, multo magis, vt hoſtem profliges, ciuitatem liberes, domum aut viciniã ſerues ab incẽdio, aut prouinciam ab inundatione: Apoſtoli etiam vrgente fame vellicabant ſpicas, & confricabant in vſum cibi. Vnde Saluator Iudæis ſuper hoc facto

ſcandalizatis dixit: Non legiſtis, quod fecerit Dauid (primi regum 21.) quando eſurijt? quomodo intrauit in domum Dei cum ſuis, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ſibi, nec ſuis edere, ſed ſolis ſacerdotibus, & ſine reprehenſione fuit? Non tamen licitum eſt talia ſeruilia in illo die facere, quæ cōmode fieri poſſunt diem illum præueniendo, aliter transgreſſor erit huius præcepti. Vnde num. 15. habetur: Factum eſt autem cum eſſent filij Iſrael in ſolitudine, & inueniſſent hominem colligentē ligna in die ſabbati, obtulerūt eum Moyſi & Aaron & vniuerſæ multitudini, qui recluſerunt eum in carcerem expectantes reſponſum Domini, qui dixit ad Moyſen. Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Non hoc modo nunc agitur: erat tunc lex iræ, ſeueritatis, & rigoris: nunc autem tempus gratiæ & miſerationis. Merito igitur omnibus tam pauperibus, quàm diuitibus ſabbatizandum eſt. Spiritualis ſenſus dicti mandati ſecundum præfatum dominum Alex. vbi ſupra, eſt triplex, videlicet moralis, allegoricus, & anagogicus. Moralis ſignat ceſſationem a peccatis, & ab his omnibus, quæ ſunt impedimento, quo minus aliquis ex toto corde diligere Deum & colere poſſit: allegoricus quietē Chriſti corporis in ſepulchro: tertius vero, qui ad anagogen pertinet, æternam requiem in cælo. De primo quidem, illud præceptū nobis modis omnibus obſeruandū eſt, vt quieſcamus peruerſe agere. Secundum expletum eſt iam in Chriſto, de quo beatus Auguſtinus lib. 4. ſuper Gen. ad literam diffuſe. Tertium expectatur, & ſperatur a nobis, vt liberati de corpore mortis huius, ac ſoluti graui peccatorū onere, poſt multas tribulationes & anguſtias, poſt uarios labores, quibus Saluator nos p̄ceſſit, ingrediamur & nos in requiē illā, ad Hebr. 4. in qua ſabbatū eſt ex ſabbato Eſa. 66. Sabbatū delicatū & ſanctū Domini glorioſum, vbi ſupra, cap. 58. Ex parabola .n. diuitis epulonis Luc. 16. cōſtat, ꝙ iuſti ante Chriſti reſurrectionē erāt extra tormēta, & in expectatione, magnoq; interuallo diuiſi ab improbis, videlicet in limbo, nō minus anheli ſpiritu ad promiſſam requiē figuratā in ſabbato Domini, quàm fuerant antea in hoc mūdo. Licet enim Dei beneficio ſeparati eſſent ab impijs & inquietis hominibus per chaos magnū interpoſitū, & inueniſſent ſpecialē cōſolationem, qua ſecuri erāt de ſua ſalute futura: nondū tamē ſabbatiſmū Domini, hoc eſt requiē in Deo inuenerāt: quia nondū erāt facti vnū cum ipſo in gloria, licet facti eſſēt vnū cū eo per gratiam.

Quomodo dies ſeptimus in octauum mutatus eſt: et quare potius in diem dominicum, quàm in alium diem. Cap. XIII.

POST resurrectionem dominicā pro ſabbato diem feriatum agimus eum, qui proxime ſabbatū ſequitur. Mutatum eſt autem Apoſtolorum auctoritate & traditione, ne quid habere commune cum Iudæis videremur canone 8. Apoſtolorum quemadmodum eorundem auctoritate conſtitutum eſt, ſiquis ante æquinoctium vernale ſanctæ Paſchæ diem cum Iudæis celebraret, epiſcopus, aut presbyter, abijceretur: cum & illud cautum eſſe videretur, quandiu durabat ſacerdotium Iudæorum, vt qui miniſterio ſacerdotij fungebantur, non ſacerdotes, ſed presbyteri tantū vocarentur: quod etiam deinceps diligenter sancti Patres cauerunt ſemper, ne quid catholici non modo cum Iudæis, ſed ne cum hæreticis quidem aliquid haberent commune. Qua de re Chryſoſto. Tomo. 3. aduerſus Iudæos oratione prima grauiſſime reprehendit eos, qui ieiunarent ijsdem diebus, quibus Iudæi ſollemniter ieiunabant. Vnde in Toletano concilio 4. propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis vſum, decretum eſt, vt ſimpla teneretur baptiſmi merſio, ne viderentur, qui tertio mergunt, hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem. Ratio autem, quare non obliget nos præceptum ſabbati illius, quod erat Iudæis celebre, eſt: Quoniam vt dicit Dominus Alex. de Ales vbi ſupra, & ſanctus Thom. 22. q. 122. art. 4. erat cæremoniale, datum illis in ſignū & typum Chriſti futuri, vt expreſſe teſtatur beatus Paulus ad Coloſſen. 2. dicens. Nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Quo loco duo ſunt obſeruāda: primum, ſabbata & feſta Iudæorum fuiſſe vmbram Chriſti: ſecundum, interijſſe ea cum lege, nec quemquam, inquantum talia, amplius obligare. Facta enim ſunt mendacia & noxia his, qui ea obſeruant, ſicut & tota lex vetus, præcipue quoad iudicialia & cæremonialia: nunc eſt mortifera his, qui confidunt in ea. Hinc feriuntur anathemate, habenturq; pro iudaizantibus, quicumque præſumunt celebrare diem illum ſabbati, quem Iudæi celebrem habent: nobis enim eſt alius dies loco illius celebris. Vnde ne iudaizare videamur, conſilio Apoſtolorū, & Patrum, ac totius Eccleſiæ vnanimi conſenſu mutatum eſt nomen & dies ſabbati in nomen ac diem Dominicum, vt neque eundem diem, neque eodem ſub nomine ſabbatizaremus nos: quia neque eſt eadem ratio ſabbatiſmi noſtri & Iudæorum, neque idem eſt dies cōſummationis operū creationis & reſurrectionis: ille prior, iſte poſterior, concurrens cum primo die creationis rerum non ſine myſterio. Quandoquidem

vt in illo opificium huius ſeculi incœptum eſt, ita in iſto exordium incœpit ſeculi futuri, cuius Saluator noſter appellatur per Prophetam pater, vt dicitur Eſa. 9. Et vocabitur nomen eius fortis conſiliarius, pater futuri ſeculi. Non modo enim creauit Deus mundum, qui non erat, ſed reſtituit quod perierat: quia a tempore reſurrectionis Chriſti immutatum eſt ſabbatum Iudæorum in diem Dominicam, quæ ſane ab illo tempore manet celebris inter Chriſtianos in memoriam reſurrectionis, & glorificationis humanæ naturæ, vt inquit Auguſtinus epiſtola 119. de ritibus ad Ianuarium. Ex vniuerſali igitur totius Eccleſiæ traditione habetur (eodē prorſus modo, quo conſtat de quatuor Euangelijs, quòd ab Apoſtolis dicta ſunt & tradita, quia vniuerſalis vbique Eccleſia ab initio dati Euangelij ſemper credidit) Dominicam reſurrectionis diem debere celebrem eſſe quolibet ſeptenario dierum, non autem ſabbatum Iudæorum: & ſic poſteris ſuis cuſtodiendam tradidit. Traditiones apoſtolicas quomodo debeamus obſeruare docet beatus Ignatius, de quo ſcribit Euſebius lib. 3. c. 35. Eccleſiaſt. hiſtor. ꝙ is docebat Eccleſiæ populos, vt diligētiſſime ac tenaciſſime Apoſtolorū traditionibus inhærerēt, quas etiā ſcriptas reliquerūt. Et Baſilius de Spiritu ſancto c. 27. dicit: Dogmata, quæ in Eccleſia prædicātur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio recipimus, quæ vtraque ad pietatem vim habent: & nemo his contradicit, qui vel ſaltem modicam eccleſiaſticarum legum experientiam habet. Origenes in explicatione cap. pri. ad Titum, de eiſdem quoque dicit: Siquis Chriſto ſe credere profiteatur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credat, quàm habeat definitio traditionis eccleſiaſticæ, hæreticū eum pronuntiare nō dubitem. Et Paulus ſecūdæ ad Theſſal. 2. Itaque ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Supradictam traditionem de commutatione ſabbati in Dominicam approbauit & confirmauit concilium Laodicenſe Phrygiæ contra eos, qui ubique exigunt, vbi ſcriptum eſt? Interim ſcriptura beati Ioānis ſatis inſinuat diē ſeptimā, qua Dominus reſurrexit, fuiſſe celebrē tempore Apoſtolorū, atque appellatā tūc tēporis Dominicā, cū dicatur Apoc. pri. Ego Ioannes fui in ſpiritu in Dominica die. Ante reſurrectionem Domini nulla dies fuit appellata Dominica. Nō ſcriberet igitur Apoſtolus, ego fui in ſpiritu in Dominica die, niſi eo tēpore fuiſſet celebris & nota cunctis. Quòd autē beatus Ioānes per diem Dominicā intellexerit primū diem, qui eſt proximus poſt ſabbatum, Ambroſius Anſbertus vetuſtus & eximius doctor, qui claruit ante annos quingētos & quinquaginta,

quaginta, tractans hunc locum, inquit: Ioannes non in ſabbato, ſed in Dominica die, quæ prima eſt poſt ſabbatum, in ſpiritu fuiſſe ſe dicit: quia nimirum iam vetus illa, quæ mortem operabatur, lex tráſierat: & noua, quæ viuificat, in Chriſti reſurrectione claruerat: atq; corporalis illa vacatio in ſpiritualem animarum requiem cõuerſa vigebat, quando ille hæc ſacramenta cernebat. Et Auguſtinus ſcribens contra Adamantum Manichæum cap. 16. dicit: Nos quoque & Dominicam diem & Paſcha ſollemniter celebramus, & quaslibet alias Chriſtianas feſtiuitates. Addens alio loco, Dominicum diẽ Apoſtoli & Apoſtolici viri ideo religioſa ſollemnitate habẽdum ſanxerunt, quòd in eodem redemptor noſter a mortuis reſurrexit. Beatus quoque Ignatius diſcipulus Ioannis Apoſtoli, ſecundus Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus, in epiſtola ſua ad Magneſianos, cuius beatus Hieronymus meminit, docet pro ſabbato celebrandum eſſe diem Dominicum, ob dominicam reſurrectionem eo die factam. Sanctus vero Thom. 22. q. 122. art. 4. inquit: quòd obſeruantia diei Dominicæ in noua lege ſuccedit obſeruantiæ ſabbati non ex vi præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi. Nec enim huiuſmodi obſeruatio eſt figuralis, ſicut obſeruantia ſabbati in veteri lege. Et ideo non eſt ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, ſicut in die ſabbati: ſed quædã opera cõceduntur in illa, quæ in die ſabbati prohibebãtur, ſicut decoctio ciborum, & huiuſmodi. Et etiam in quibuſdam operibus ꝓhibitis facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in noua, quàm in veteri lege: quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præteriri oportet: opera autem ſecundum ſe conſiderata pro loco & tempore immutari poſſunt.

Quare Dominicus dies eſt tam in Eccleſia celebris: quid teneamur facere in eodem: de ceteris Eccleſiæ feſtiuitatibus: & quomodo a multis feſta profanentur. Cap. XIIII.

DOMINICVS dies ideo eſt tam celebris in Eccleſia, quia præ ceteris fuit multis Dei beneficijs inſignitus: cuius præconia Leo Papa epiſt. 81. his verbis recenſet. Tanta eſt, inquit, hæc dies diuinarum diſpenſationum myſterijs conſecrata, vt quicquid a Domino eſt inſignius inſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumpſit exordium. In hac per Chriſti reſurrectionẽ & mors interitionem, & vita ſumpſit initium. In hac Apoſtoli a Do-

mino prædicandi omnibus gentibus euangelij tubam ſumunt, & inferendum vniuerſo mundo ſacramentum regenerationis accipiunt Mar. 16. & Matth. 28. In hac, vt habetur Ioannis 20. congregatis in vnum diſcipulis, clauſis ianuis, Dominus inſufflauit in eos, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. In hac denique promiſſus a Domino Spiritus ſanctus aduenit, quem diem vocant euangeliſtæ vnā ſiue primam ſabbati. Magnum quippe fuit beneficium, quòd creati ſumus, qui non eramus: ſed multo maius illud, quòd reſtituti ſumus, qui perieramus, per eundem, per quem creati ſumus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quapropter congrue hunc diē celebramus, & Dominicum appellamus, in quo vere ſe dominum omnium Chriſtus declarauit: ideo merito cantat in eo Eccleſia ps. 117. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. De hoc præcepto vltra illa, quæ dicta ſunt in capite 12. inquit ſanctus Thom. 22. q. 122. art. 4. in reſponſione ad primum argumentū, quòd mandatum de ſanctificatione ſabbati literaliter intellectum, partim eſt morale, & partim cæremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc, quòd homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacādum diuinis: ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quòd cuilibet rei neceſſariæ deputetur aliquod tempus, ſicut corporali refectioni, ſomno &c. Vnde etiam ſpirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur ſecundū rectæ rationis dictamen, aliquod tempus deputari debet: & ſic habere aliquod tempus deputatum diuinis, cadit ſub præcepto morali. Sed inquantum in hoc præcepto determinatur ſpeciale tempus in ſignum creationis mundi, ſic eſt cæremoniale: ſicut & cæremoniale etiam eſt ſecundum allegoricam ſignificationem, prout fuit ſignum quietis Chriſti in ſepulchro, quæ fuit ſeptima die. Similiter & ſecundum moralem, prout ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deum, ſecundum quod eſt quodammodo præceptum generale. Eſt & cæremoniale ſecundum ſignificationem anagogicam, prout p̄figurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Vnde præceptum de ſanctificatione ſabbati ponitur inter præcepta decalogi, inquātum eſt præceptum morale, & non cæremoniale. Si quæratur, quid debeamus facere in die dominico, reſpondemus, quòd ad feriandū ſingulis hebdomadibus eo ſeptimo die, quem placuit Spiritui ſancto & Apoſtolis appellare Dominicam, ad hunc finem, vt ſanctificaremus eundem: Nam vt vnus ex ſeptem diebus ſit celebris ac ſanctus Domino, nihil antiquius eo. Hoc enim ante legem fuit, hoc ſub lege, & hoc poſt legem. Ante legem quidem in recordationem creationis: ſub lege in pactum & ſignum ſempiternū ſanctificatio-

nis futuræ per Chriſtũ,& in memoriã liberationis a ſeruitute ægyptiaca : denique poſt legem , ſub euangelio in memoriam reſurrectionis Dominicæ , quæ conſummatio eſt operis creationis . Quid enim profuiſſet homini , creatum eſſe aut natum , deinde renaſci, niſi contigiſſet & immortalem fieri per reſurrectionem,quo modo Chriſtus reſurrexit per gloriam Dei patris ? nihil enim rationi magis conſonum, quàm vt homo, qui totus ex Deo , totus in Deo, & totus ſubſiſtit per Deum, aſcendat & animo in Deum & corpore quantum poteſt , quieſcens modicum a terrenis iſtis occupationibus, ſeq; totum illi impendens , a quo omnia accepit: & hoc die ſeptimo.Ab initio enim mundi conditi ſabbatizatum eſt die ſeptimo: quod licet ſcriptum non legatur, tamen hoc nemini dubiũ eſſe debet: cum non ſit veriſimile,quòd Deus tam ſollemniter conſecraſſet diem illum, vt ſanctus & ſacer omnibus eſſet, nec tamẽ hoc patribus legis naturæ indicaſſet. Legis itaque naturæ eſt,quòd aliquãdo feriemur ab operibus profanis, vacantes Deo ac diuinis : legis vero diuinæ, quòd id faciamus ſeptimo quoque die. Porro apoſtolicæ ordinationis, Spiritu ſancto ſic ſuggerente,eſt, quòd idem fiat eo die, quo Chriſtus reſurrexit a mortuis , hoceſt Dominica , quæ eſt octaua poſt primum creationis rerum diem,propter myſterium ſuperius expreſſum . Tranſijt ergo ab hoc tertio præcepto decalogi quod cæremoniale erat veteris legis: manſit autem quod morale erat diuinitusq; præſcriptum,nempe tota ſubſtantia præcepti cũ fine,ob quem datum eſt præceptum,videlicet:nõ facies in eo quicquam operis tu, filius tuus,& filia tua &c. Et id ſane ad eum finem, vt ſanctifices illum . Quod quidem eo modo, vt fuit ſemper, ita & erit in præcepto, quandiu ſtabit mundus, & ſub eadem pœna : nimirum quòd morte morietur peribitq; anima eius de populo ſuo, qui violauerit Dominicam ſacram domino Deo ſuo. Verum ſempiterni iugiſq; ſabbati obſeruatio non exigitur a nobis in hac peregrinatione noſtra : cum ventum erit ad cæleſtem patriam , ibi ſabbatum erit ex ſabbato,ibi requies ſempiterna,ibi vacabimus,videbimus, amabimus, & laudabimus abſque vlla fatigatione eum, qui & legis & deſideriorum noſtrorum finis eſt, Saluatorem noſtrum , vt ſit Deus omnia in omnibus: Et tunc inter eos numerabimur, de quibus in pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine , in ſecula ſeculorum laudabunt te . Expediret igitur, vt huius diei p̄ceptum iuge eſſet : verum infirmitati noſtræ largitur miſericors Deus, vt qui cunctos non poſſe videmur,certos tamen dies obſeruemus & ſanctificemus , hoceſt in ſanctis operibus tranſigamus , nec vllis indignis actionibus profanemus ſancta illa opera . In Agathẽſi cõ-

cilio

cilio cunctis præcipitur, vt populus miſſas die Dominico integras audiat. Apoſtolorum quoque canonibus canone x. cautum eſt, vt communione priuentur, qui ſollemnibus ſacris non perſeuerauerint in oratione vſque dum miſſa peragitur:quo tempore conuenire etiam ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum & Euangelium audire iubentur. Hoc eſt igitur ſanctificare ſabbatum, ſacrificijs, concionibus, & alijs diuinis officijs corpore & animo intereſſe: ſimiliter & beneficia dei recolere, ac pro illis gratias eidem agere. Maxime vero abſtinendum eſt illo die ab operibus ſeruilibus,& pͤcipue peccatis, cum nulla maior ſeruitus ſit,quàm peccatum. Præter diem Dominicam, etiam aliæ feſtiuitates, pentecoſtes, natiuitatis Domini, beatæ Virginis matris Dei,ſanctorum Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, virginum &c. ſunt nobis inſtar ſabbatorum, ideſt dierum requiei Domini, cõſecratæ & ſanctificatæ a Domino per ſuos legitimos vicarios: idq; per auctoritatem diuinam cælitus eis communicatam a Chriſto domino noſtro, accedẽte interim approbatione vniuerſalis Eccleſiæ. Nec eſt dubitandum de poteſtate Eccleſiæ ſuper inſtitutione ſollemnitatum: quia ſi Pontifex habet auctoritatem ſanctificandi vel conſecrandi hominem laicum in ſacerdotem Chriſti,ſi ædem profanam ſua benedictione poteſt facere perpetuo ſacram Deo: cur non habeat poteſtatem conſecrandi diem operarium in diem feſtum, vel ſacrum Chriſto, vel alicui Sanctorum eius? Vnde beatus Ignatius in epiſtola ſua ad Magneſianos, ſicut hortatur pro ſabbato celebrandum diem dominicum,ita & in epiſtola ſua ad Philippenſes docet, & alios dies feſtos honorandos eſſe. Vide ad hoc propoſitum diuum Auguſtinum ad Ianuarium dicentem epiſt. 119. quòd feſta reſurrectionis Dominicæ, aſcenſionis, & pentecoſtes anniuerſaria ſollemnitate celebria erant toto terrarum orbe vſque ad tempus ſuum. Quid dicam de alijs Sanctorum,qui hinc migrarunt ad cælum,feſtiuitatibus? De feſto beati Laurentij expreſſe meminit idem Auguſtinus tractatu 27. ſuper Ioannem: ſimiliter & de ſollemnitatibus natalis Domini, & ſancti Stephani, ſermone primo de Sanctis. Feſta quoque natiuitatis & aſſumptionis beatæ virginis,quòd fuerint celeberrima in populo, Auguſtinus & Hieronymus in ſuis homilijs & ſermonibus oſtendunt. Theodoretus etiam Cyrus reliquit nobis tetraſtichon in dormitionem θεοτόκον, pro eius ſollemnitate ſcriptum. Ad hæc teſtimonio nobis ſunt fidæ hiſtoriæ ſingulorum Apoſtolorum, feſtos dies celebratos fuiſſe longe ante tempora Siricij Papæ, qui præſedit Eccleſiæ circa annũ Domini 398. De ſeptem Machabæis, deq; Cypriano epiſcopo & martyre teſtatur Gregorius Nazi͂azenus

oratione

oratione 19. & 20. De feſtis ſancti Gregorij militis Cæſarienſis, ac ſanctæ Iulianæ martyrum, loquitur Baſilius magnus in ſermonibus conſcriptis de eiſdem. De martyrio beatæ Agnetis virginis ſcribit beatus Ambroſius in ſua legenda. Præterea eſt inuenire tam apud Baſilium, Chryſoſtomum, Cyprianum, Auguſtinum, quàm in concilijs œcumenicis, quòd debeant in ſingulis quibusque locis, vbi ſancti Martyres per martyrium generoſe triumpharũt, aut vbi eorum ſeruantur corpora, feſta eorundem celebrari. Vnde in capitulo finali de ferijs per Gregorium nonum præcipitur, ne quis feſta, quæ iã ab olim toti populo celebria ſunt, ceſſet celebrare. Verum pro dolor, quia quæ nunc a multis ſabbata celebrantur, non ſanctificari, ſed profanari videntur. neque enim ad potationes, ad choreas, ad luxus inſtituta ſunt ſabbata, cum ſit a Diuo Auguſtino ſcriptum ps. 91. Melius eſt arare, quàm ſaltare. Nulla ſunt opera magis ſeruilia, quàm peccata: quamobrem ab ijs, quæ vere ſeruilia ſunt opera, ſemper abſtinere oportet. Ceterum labores manuum fieri quãdoque poſſunt etiã in die feſto, ſi vel neceſſitas euidens expoſtulet, ſicut Dominum excuſaſſe legimus diſcipulos euellentes ſpicas in ſabbato: Vel Eccleſiæ commodum, ſicut in Euangelio ſacerdotes feciſſe dicuntur omnia, quæ erant neceſſaria in tẽplo in die ſabbati: Vel proximi vtilitas, ſicut Dominus curauit in die ſabbati infirmos Ioannis. 5. Vel ſuperioris auctoritas, ſicut idem præcepit Iudæis, vt circuncident in die ſabbati. Extra hos caſus ſi quis manibus laborauerit, transgreſſor mandati de ſanctificando ſabbato iudicandus erit. Vnde Proſper Aquitanicus parte prima de promiſſionibus & prædictionibus c. 36. inquit: quòd votum vouentes ſeſe offerunt Deo: eiuſq; verbo vacantes ſpirituale ſabbatum obſeruant cum Maria, quæ vt legitur Luc. 10. meliorẽ partem elegit: a quo declinantes in ſtrangulatione, dum mũdanis curis innodantur, morſu peſtifero tertiæ plagæ Aegyptiorum læduntur in anima. Ex quibus verbis etiã illos venire contra præceptum hoc de ſabbato ſanctificando manifeſtum eſt, qui cum ſemel Deo ſe deuouerint, primam fidem irritam facientes, matrimoniũ contrahunt, cuius generis ſunt ſacerdotes & monachi. Quibus nõ propterea nubere interdictũ eſt, quòd malæ ſint nuptiæ, ſed quòd cum perpetuũ illis ſabbatũ obſeruandũ, & iuge ſacrificiũ ſit offerẽdum, ac in lege Domini die noctuq; meditandũ, abſtinendũ eſt eis ab his omnibus, per quæ poſſint a cõtinua ſabbati obſeruatione auocari.

De honore parentũ, & in qbus debeamus eoſdẽ reuereri: ſimiliter & an ſoluat obligatio filij ad patrẽ p ingreſſũ religionis. C. XV.

SANCTVS

SANCTVS Thomas 22. q. 122. art. 5. inquit, quòd præcepta decalogi ordinantur ad Dei dilectionem & proximi: Inter proximos maxime obligamur parentibus. Quare poſt præcepta immediate ordinãtia nos in Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui ſunt particulare principium noſtri eſſe, ſicut Deus vniuerſale: & ſic eſt quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ. Hoc idem legitur apud dominũ Alexan. de Ales in 3. par. ſuæ ſummæ, q. 33. vbi inquit: quòd in prima tabula edocti ſumus, quomodo diligere pieq; colere Deum oporteat: In poſteriore vero quomodo ſit proximus diligendus docemur. Proximum autem exiſtimare debemus omnem hominem, ſicut a Baſilio in pſal. 14. legimus annotatum: omnes enim ſumus fratres ex eodem patre progeniti. Si ſpiritualem quæris, pater noſter in cælis eſt Matthæi 6. ſi terrenam originem, pater noſter Adam, mater noſtra terra eſt, ex eodem luto fabricati ſumus omnes: Itaque natura fratres ſumus omnes ſecundum carnem, ſecundum ſpiritum regenerati fratres, cum eandem a Domino gratiam accipimus. Nam & nos omnes vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra. Sicut enim ipſa pro ſe inuicem ſolicita ſunt membra, vt non modo non lædat vnum alterum, ſed pro virili ſua ſuccurrere læſo conatur: ſic & nos alterum pro altero ſolicitos eſſe, ac quoties neceſſitas poſtulat, inuicem ſubuenire oportet: omnes itaque diligendi ſunt. Delectus tamen habendus eſt eorũ, quibus benigne faciamus: nam vt quiſque nobis fuerit coniunctiſſimus, ita plurimum eſt in eum benignitatis conferendum. Quapropter hanc probandam eſſe putat liberalitatem Ambroſius libro primo officiorum cap. 30. vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius enim eſt, inquit, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere, quàm alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati. Vnde beatus Paulus primæ ad Timoth. 5. Si quis, inquit, ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Inter ergo ſuos domeſticos iure ſuo primum locum ſibi parentes vendicant, per quos facti ſumus: qua ex cauſa filij ſunt ſub dominio & poteſtate parentũ conſtituti, & ſunt quædam parentum poſſeſſio. Poteſt enim pater operis filij vti, & illas locare, ſicut & ſerui. Ideo Dominus præcepit dicens, honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam dominus Deus dabit tibi. Parentum autem nomine non ij ſolum accipiendi ſunt, ex quibus ſecundum carnẽ geniti ſumus: ſed & omnes qui præſunt, ſiue ſint paſtores & epiſcopi, ſiue

reges & principes, aut quiuis alius magiſtratus. Omnis enim poteſtas a Deo eſt, & qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, ad Rom. 13. Vnde præfatus Dominus Alexander vbi ſupra, mem. primo, inquit: quòd ſupradictum mandatum, poteſt trifariam intelligi. Vno modo, ſecundum quod educitur a lege naturæ, & ſic ſignificat patrem carnalem: natura enim non nouit niſi patrem, qui eſt principium ſui eſſe naturalis. Alio modo, ſecundũ quod eſt legis ſcriptæ a Deo inſpiratæ, & ſic loquitur de patre ſpirituali: & in hoc addit lex ſcripta a Deo inſpirata ad legem naturæ. Non enim reputat patrem illum dumtaxat, qui eſt principium in eſſe naturæ: ſed etiam illum, qui eſt principium per miniſterium in eſſe gratiæ, ſecundum illud primæ Cor. 4. Per euangelium ipſe vos genui: generant enim tales in nobis ſpiritũ Chriſti: et ad Gal. 4. Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Poſtremo, ſecũdum quod accipitur per allegoriam improprie, & ſic pater eſt Deus. Vnde pro regula habebis: quòd quanto vnuſquiſque magis participat in nomine patris & matris, quodq; meliori ratione nobis parens eſt, eo feruẽtius ei impendendus eſt honor, qui hoc mãdato præcipitur. Ad præfata dictus dominus Alexander vbi ſupra, membro 2. art. primo, addit: quòd honor, qui præcipitur in quarto mandato, eſt exhibitio corporalis & ſpiritualis ſubſidij: iſte in reuerentia, corporalis in ſuſtentatione. In reuerentia tripliciter, videlicet in affectu, in effectu, & in ſigno. In affectu, amore timente paternam offenſam: de quo beatus Hieronymus de honorandis parentibus. Præbeatur parentibus honoris miſta formido. In effectu, eis obediendo: de quo ad Ephes 6. Filij obedite parẽtibus veſtris: et ſuper illud Eccleſiaſtici 3. Natio illorum obedientia, dicit Glos. qui parẽtibus vel magiſtris obediũt. In ſigno, vt dicit Glos. interl. ſuper illud ad Rom. 13. Cui honorem: honorem, aſſurgendo: qualis fit nõ ſolum denudatione capitis coram eis, ſed etiam ac magis ſi per omnia primum illis tribuamus locũ in colloquijs, in conuiuijs, in confeſſionibus, in humanitatis ſtudio, in diſponẽdo de rebus domeſticis, in conſultando, & ſimilibus: quæ ſunt ſigna honoris. Salomon ille ſapientiſſimus (tertij regum 2.) matri venienti aſſurrexit: eamq; adorans iuxta ſe in ſolio gloriæ collocauit. Suſtentatio in tribus per eundem conſiſtit, videlicet in ſolatio verborum, ſicut habetur Eccleſiaſtici 3. Dedecus filij pater ſine honore, & ſubdit: fili ſuſcipe ſenectam patris tui, vbi glos. filij carnales & diſcipuli honore & ſolatio debent fouere parentes. Et Hieronymus vbi ſupra: Nemo patrem aſperis verbis lædat: affectum ſonent quicquid linguæ dixerint liberorum: hoc filiorum ora loquantur,

quod parentes delectat audire. Secundo in ſeruitio operum, vt habetur Eccleſiaſtici 3. Qui timet Deum honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt. Vltimo in exhibitione neceſſariorum. Vnde Hieronymus ad Saluianam ſuper illud primæ ad Tim. 5. Qui bene præſunt duplici honore digni ſunt, inquit. Honor in præſentiarũ vel pro eleemoſyna, vel pro munere accipitur. Et ſuper illud, honora patrem tuum &c. dicit: Hoc non in verborum ſono, qui inopiam parentum caſſa poteſt adulatione fruſtrari, ſed in victus neceſſarijs miniſtrãdis, debere intelligi. Quòd autem honor parentum includat ſubſidium eis impendendum, Saluator teſtatur Matth. 15. dicens: Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram: quaſi diceret, vos docuiſtis ſatis eſſe obtuliſſe in tẽplo, quod debebatur ſubuentioni parentum. Ego autem dico vobis, quòd per hoc irritum feciſtis mandatum Dei de honorãdis parentibus. Et vt adhuc melius intelligatur, ſic exponitur: quicquid poſſum dare ex me, hoceſt munus, quod eſt ex me, tibi proderit, ideſt ad vtilitatem tuam erit, & profectum, ac beneplacitum. Hoc autem dicentes ſubinferebant, ſe nihil poſſe dare, cum omnia deuouiſſent. Et hanc reſponſionem dandam parentibus docuerunt Scribæ & Phariſæi filios, quos monuerant, vt vouerent res ſuas Deo: & ſic ſubtraherent a beneficio parentum. Glos. quoque ſuper illud Eccleſiaſtici 3. Honora patrẽ &c. ait: Reuerentiam exhibendo, & neceſſaria miniſtrando: idem habetur in Glos. ad Ephes. 6. Si quæratur, quare nõ præcipitur honor filij, ſicut patris: præfatus Alexander vbi ſupra, q. 33. membro 3. art. primo, reſpondet: quòd amor patris in filio totus eſt gratuitus, cum filij ſint a parentibus, & intẽdatur amor ille per naturam ſenſualitatis. Hieronymus etiam de honorandis parentibus dicit: Sit tibi grata vita parentum, quibus charior eſt vita tua, quàm propria. Ratio, quia inclinatio cuiuſcumque magis eſt ad conſeruationem ſpeciei, quàm alterius indiuidui. Magis autem conſeruatur ſpecies per vitam filiorum, qui ſunt magis apti generationi, & plus poſſunt viuere, quàm per vitam parẽtum, qui ſecundum communem curſum naturæ breuiorem ſunt habituri vitam. Amor vero filiorum in parentes eſt debitus, cum accipiant a parẽtibus eſſe, & educationem. Vnde beatus Hieronymus vbi ſupra: Exolue fili, quod debes, & debita officia qualicunque exhibe famulatu: quia parentibus nemo poteſt reddere æquiualens. Huiuſmodi autem amor intenditur per viam rationis, non ſenſualitatis. Ad honorem

enim

enim filiorum natura inclinat: ad honorem parentum inclinat ratio excitata per conſiderationem debiti & præcepti: quemadmodum non eſt præceptum de amore ſui, cum ad hoc ſufficienter inclinet natura, ſed proximi. Si quæratur, an obligatio filij ad patrem ſoluatur per ingreſſum religionis: Reſpondet idē doctor vbi ſupra, mem. 4. art. pri. quòd cū honor patris conſiſtat in multis, nō ſoluitur obligatio exhibitionis honoris per ingreſſū religionis, licet ſoluatur quoad debitū ſuſtentationis: ex quo enim moritur mundo, liberatur ab illa ſolutione. Sed exhibitio ſpiritualis in reuerēdo, ſolando, vel orando, non ſoluitur: immo magis ſub obedientia religionis augetur & perficitur præceptum de honore parentum. Si iterum quæratur, an propter parētum neceſſitates dimittendus ſit ingreſſus religionis: Reſpondet idem Alexander vbi ſupra art. 2. adducendo duas opiniones, quarum primam approbat tanquam magis perfectam, ſecundam tanquam magis piam. Prima talis eſt: quia aut talis poteſt in ſeculo ſecure manere ſine detrimento ſalutis, & in tali caſu non debet ingredi religionem, ſed patri neceſſaria miniſtrare: aut ſi videt ſibi in mundo imminere periculum animæ, & lapſus in peccatum, tunc ſequendo Chriſti conſilium debet relinquere patrem, & religionem ingredi. Secunda opinio eſt: quòd quandocunque filij ſpiritu Dei aguntur, nō tenentur miniſtrare neceſſaria patri in ſeculo, ſed ingredi religionem. Signa autem, quòd quis ex ſpiritu Dei ducatur ad dictum ingreſſum, ſunt tria, videlicet: iucunditas mentis ex perfectione religionis conſiderata, volūtas cauendi circunſtantias & occaſiones peccatorum, & propoſitū proficiendi in melius. Et ſubdit, quòd vel habet ingrediēs temporalia bona, de quibus poſſit ſuſtentari, aut non: ſi habet, poterit patri ea relinquere ad ſui ſuſtentationem: ſi non habet, non tenetur tunc miniſtrare: ſed cum transfert ſe totaliter ad ſeruitiū liberaliſſimi patris cæleſtis, commendare illi debet curā patris ſui, qui dat eſcam omni carni, & paſcit volucres cæli Matth. 6. cui etiam eſt cura de omnibus: & ſic meliori ꝓuiſori dimittūtur parētes alēdi. Iuxta hoc quærit: an in errore hæreſeos filius accuſans patrē ad dānationē, ſit huius mādati trāſgreſſor: & an teneatur accuſare: reſpondet præfatus dñs Alex. vbi ſupra, ꝙ aut pater hæreticus ſolū ſibi nocet, vtputa qa hæreſis eſt occulta: & tunc filius nō tenetur accuſare patrē: aut ſua praua doctrina alios corrūpit: & hoc modo tenetur accuſare: cuius ratio eſt, quia honorē patris cæleſtis ꝑferre debet honori patris terreni. Carnalis. n. pater dehoneſtās & inhonorās cæleſtē, nō eſt ſuſtentādus. In tali. n. caſu de illo verificaretur illud euāgelicū: Qui honorat patrē aut matrē plus quàm me, nō eſt me dignus.

Quæritur

Quæritur de hoc præcepto,ad quæ ſe extẽdat, de præmio honorantium parentes, & de his qui contra hoc peccant. Cap. XVI.

RESPONDEMVS, quòd hoc præceptum obligat ſemper,cum nemo vmquam eximatur ab eius obligatione, dum adeſt poſſibilitas: ſed non pro ſemper, ideſt non ad id obligat, vt pro omni tempore, aut pro omni temporis momẽto fiat eius executio. Sufficit enim pro loco & tempore congruis,nempe vbi ſe offert congrua occaſio,vel iuſta exequendi cauſa.Si enim voto ligatus es,non oportet ſoluere monaſticam profeſſionem,vt inſeruias progenitoribus carnis. Vnde beatus Hieronymus ſanctimonia & eruditione probatiſſimus, inuitat Heliodorum ad vitam ſolitariam in Eremo in hunc modum. Licet paruulus ex collo pẽdeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus vbera,quibus te nutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater iaceat, percalcato patre perge, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola: ſolũ pietatis genus eſt, in hac parte eſſe crudelem: hæc ille. Parentum autem nomine(vt dictum eſt ſupra) non ij ſolum accipiendi ſunt, ex quibus ſecundum carnem progenerati ſumus, ſed etiam omnes qui præſunt, ſiue ſint paſtores vel epiſcopi, aut quicumque alij magiſtratus. Peccant igitur contra hoc præceptum, qui vel decimas negãt epiſcopis & paſtoribus: vel tributis & vectigalibus principes ſuos fraudant. Nam tributum dicitur,quod ſoluit regio: vectigal,quod ſoluit ſingularis perſona, vt mercator: vel quod ſoluunt tranſeuntes, qui ſoluunt pedagia propter res, quas vehunt & portant. Vel dicitur tributum, quod domi ſoluitur: vectigal vero,quod ad domum vehitur & portatur: quæ omnia tangit gloſſa interlinearis 13. ad Rom. Ceterum prouer. 1. legimus: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: pater noſter Deus eſt, huius diſciplinam, vt audiamus, præcepit. Sed nunquid hoc ſatisfuerit, ſi nos diligere Deum, ſi præceptis eius obtemperare, ſi diſciplinam eius audire dicamus? minime. Mater noſtra Eccleſia eſt, huius legem ſi dimiſerimus, ſi nos ab illius vnitate ſegregauerimus, fruſtra nos audire diſciplinam patris gloriabimur. Eccleſia enim,vt Cyprianus de ſimplicitate prælatorum inquit,eſt,quæ nos Deo ſeruat, quæ filios regno,quos generauit, aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iũgitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur: nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt,hoſtis eſt,habere iam non poteſt Deum patrem,qui Eccleſiã

non habet matrem. Sic igitur patrem noſtrum Deum honoremus, vt ſuo matrem Eccleſiam honore non fraudemus: quam qui non audit, eum Deus habere vult tanquam ethnicum, & publicanum. Viuum enim euangelium eſt ipſa Eccleſia: Euangelium enim extra Eccleſiam haberi non poteſt: quæ cauſa eſt, quòd Apoſtoli Spiritu ſancto pleni, cum ſymbolum tradidiſſent, nuſquam propoſuerũt, credo ſancta Biblia, aut ſanctum Euangelium: ſed credo, dixerunt, ſanctam Eccleſiam, in qua ſunt Biblia, Euangelium, & Euangelij ſanus intellectus. Quamobrem honoremus patrem noſtrum Deum, honoremus & matrem noſtram Eccleſiam, vtrique morẽ geramus, vtramque ſimul audiamus: etenim cum Dei filio carnem noſtram induto, corpus vnum Eccleſia mater noſtra facta eſt. Quare qui nõ audit hanc, Deum non audit, Deo detrahit: ſiquidem duo ſunt in carne vna Chriſtus & Eccleſia. Teneamus illam igitur, quæ firmamentum eſt & columna veritatis. Dicitur etiam Exo. 20. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi. Et Deut. 5. legitur: Honora patrem tuum & matrem, ſicut præcepit dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene ſit tibi in terra, quam dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Hoc idem mandatum renouatur Matth. 19. Sanctus Thom. 22. q. 122. art. 5. dicit: quòd longæuitas promittitur honorantibus parentes, non ſolum quoad futuram vitam, ſed etiam quoad præſentem, ſecundum illud Apoſtoli primæ ad Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ. Et hoc rationabiliter: qui enim eſt gratus beneficio, meretur ſecũdum quandam congruẽtiam, vt ſibi beneficium conſeruetur: Propter enim ingratitudinem meretur quis priuari beneficio. Beneficium autem vitæ corporalis poſt Deum a parentibus habemus: & ideo ille, qui honorat parentes, quaſi beneficio gratus meretur vitæ conſeruationem: qui autem inhonorat, meretur tanquã ingratus vita priuari. Quia tamen præſentia bona vel mala non cadunt ſub merito vel demerito, niſi inquantum ordinantur ad futurã remunerationem: ideo quãdoque ſecundum occultam rationem diuinorum iudiciorum, quæ maxime futuram remuneratiõe reſpiciunt, quidam pij in parentes citius vita priuantur, & quidam impij in eoſdem diutius viuunt. Sanctus etiam Bonauentura 37. diſt. 3. circa literam inquit: quòd hoc mandato præcipitur opus pietatis, de qua beatus Apoſtolus vbi ſupra, quòd promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt & futuræ. Vnde populo carnali promittebatur vita præſens: ſpirituali non modo præſens, ſed futura. Et ſi quæras, quare magis pietati promittitur, quàm alteri virtuti: Dicit, quòd

eſt propter commendationẽ ipſius miſericordiæ, in cuius actu maxime meretur homo Dei miſericordiam & gratiam, Matth. 5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam cõſequentur. Et magis promittitur vita, quàm aliud donum, propter hoc, quòd illa eſt, quæ maxime amatur: & ut homo expectans lõgæuitatem vitæ, non abhorreat vitam longam parentum. Aliam rationem reddit de iſta promiſſione: quia Iudæi maxime proni erant ad idololatriã & auaritiam, quæ eſt quædam idololatria. Ideo illi præcepto, quod eſt de idololatria, ſubiũgitur cõminatio: & iſti præcepto, quod eſt de beneficentia, quæ eſt contra auaritiam, ſubiungitur promiſſio, vt per comminationem retraherẽtur a malo, & per promiſſionem allicerentur ad bonum. Simile fere habetur in compendio theologicæ veritatis, libro 5. c. 63. vbi dicitur: quòd huic præcepto additur promiſſio, ſcilicet, vt ſis longæuus ſuper terram: quia iuſtum eſt, vt vitæ alienæ conſeruatio vitæ propriæ conſeruationẽ mereatur. Sanctus Bonauentura in ſermonibus decem præceptorum ſermone 6. inquit: quòd parentibus triplex honor cõuenit, ſcilicet reuerentiæ, obedientiæ, & beneficentiæ. De primo, Eccleſiaſtici 3. Qui timet Deum honorabit patrem ſuum & matrem, & quaſi dominis ſeruiet eis. De ſecundo, ad Eph. 6. Filij obedite parentibus veſtris. De tertio, Eccleſiaſtici 3. Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes illum in vita illius: quæ tria adimplere debes propter promiſſionem, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terrã. Honoranti parentes honore reuerentiæ conceditur vita glorioſa, ſiue honorifica: vnde Eccleſiaſtici 3. Gloria honoris ex honore patris ſui, & alibi: Ne glorieris in cõtumelia patris tui: non enim eſt tibi honor, ſed confuſio. Honoranti vero honore obedientiæ, debetur vita iucunda, de qua vbi ſupra. Qui honorat patrem ſuum, iucundabitur in filijs, & in diebus orationis ſuæ exaudietur. Honoranti autem honore beneficentiæ conceditur vita opulenta, de qua etiã Eccleſiaſtici 3. Honora patrem tuum & matrem tuam, & ſuperueniet tibi benedictio, per quam ſecundum diuum Bonauẽturam vbi ſupra, intelligitur bonorum multiplicatio. Contra hoc præceptum peccant patricidæ, matricidæ, & qui verberibus, contumelijs, iniuria, irriſionibus, ſcommatibus, aut alio quouis incommodo, vel dehoneſtamento parentes afficiunt. Deinde qui parentibus nõ impẽdunt loco & tempore congruis reuerentiam & honorem: aut monitis ipſorum vel mandatis in his, quæ paternam facultatem non excedunt non obediunt. Item qui non ſubueniunt neceſſitatibus parẽtum, vbi & quando poſſunt & debent. Similiter quàm grauiſſime impingunt in hoc præceptum, qui ſanguinem fundunt, aut vitæ, vel

famæ,

famæ, ſiue proſperitati inſidiantur eorum,quos Deus poſuit in Eccleſia epiſcopos, vel paſtores, vel ſacramentorum miniſtros : aut eiſdem honorem,vel obedientiam, eamue ſubiectionẽ, quæ eſt neceſſaria officio implendo, quo patres ſunt, aut alioqui ipſis ex fundatione debetur, non impendunt : ſicut nec Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt mater noſtra: Potiſſimum autem, qui conſtitutiones eccleſiaſticas lacerant, conculcant, reuelantes vbilibet pro poſſe nuditatem, ac lapſus eorum, qui præſident in Eccleſia,non aliter, quàm impudentiſſimus Cham, qui oſtendit fratribus ſuis verenda patris ſui Gen.9. Peccant denique contra hoc mandatum, qui principibus aut magiſtratibus honorem denegant, aut obedientiã, vel eiſdem ſubtrahunt ea ſubſidia, ſine quibus patres patriæ eſſe non poſſunt : & quidem grauiſſime, ſi illos incommodo, dedecore, contumelia, infamiaue afficiant : & hoc ſatis pro quarto præcepto .

Quomodo per quintum præceptum,videlicet, Non occides,multa prohibeantur: & de triplici gradu iracundiæ, præcedente homicidij conſummationem. Cap. XVII.

MAGISTER ſententiarum diſt. 37. tertij inquit : ꝙ in dicto mandato ſecundum literã prohibetur actus homicidij, ſecundum vero ſpiritum voluntas occidendi. Sanctus vero Bonauentura ſuper locum illum Magiſtri inquit: quòd eſt loqui de intelligẽtia huius mandati, vel ſecundum intellectum legiſlatoris, vel ſecundum intellectum populi carnalis. Si primo modo,ſic vtique prohibetur homicidium exterius, & voluntas deliberatiua ordinata ad lædendum proximum ex iracundia : vnde prohibetur ira cum conſenſu deliberatiuo in animo,& cum expreſſione exterius in verbo & ſigno,& cum perpetratione in facto. Si vero intelligatur ſecundum intellectum carnalis populi, qui ſolummodo reputabat illud prohiberi, pro quo inferebatur pœna ab ipſa lege, ſic intelligebatur prohiberi progreſſus ad opus homicidij.Et hunc intellectũ Magiſter vocat literalem, non quòd intellectus alius nõ eſſet de principali ratione ferentis legem, ſed quia claudebatur ibi implicite.Et quoniam illius explicatio facta eſt in lege Euangelij,ideo dicit Magiſter additionem illi mandato eſſe factam,nõ quia nouum aliquid præcipiatur, ſed quia intellectus prædicti mandati explicatur, dum non tantum datur intelligi in prædicto mandato prohiberi perpetrationem homicidij in opere,ſed etiam offenſam in corde, oſtenſionem in ſigno,& expreſſionem in verbo. Propter quod tria dicit

Saluator Matth.5.Qui iraſcitur fratri ſuo,reus erit iudicio:Qui autem dixerit racha, reus erit concilio : Qui autem dixerit fatue, vbi eſt expreſſio verbi,reus erit gehenna ignis. Pro notitia triũ dictorum graduum iracundiæ eſt notandum,quòd triplex eſt velle, ſcilicet naturæ, gratiæ,& vitij, vt dicit gloſ. ad Rom. 7. Motus autem iræ poteſt ſurgere ex voluntate naturæ, vel ex voluntate gratiæ, aut ex volũtate vitij. Si ex voluntate naturæ ſeruato modo & cauſa, indifferens eſt: de qua beatus Hieronymus ſuper Matth. 5. Naturale eſt iraſci : ita tamen, quòd ſine cauſa non fiat. Si ex voluntate gratiæ, ſic iraſci laudabile eſt, & procedit ex zelo : de quo beatus Ambroſius ad Ephes. 4. quòd iraſcendũ eſt contra peccantes. Et Apoſtolus inquit : Iraſcimini, oſtendens hanc iram eſſe laudabilem. Si vero ex voluntate vitij,culpabile eſt : & procedit ex impatiẽtia. Vnde beatus Gregorius ſuper illud Iob 5. Stultum virũ interficit iracundia, inquit : Alia eſt ira, quam impatientia facit : alia, quam facit zelus : illa ex vitio,hæc ex virtute,quam Phinees habuit num.25. Si .n. vt nos ipſos,proximos amare præcipimur,reſtat,vt eorũ erroribus,ſicut noſtris vitijs,iraſcamur. Iraſci autem abſolute,vt motus eſt ex natura, indifferens eſt. Ira,quæ ex zelo prouenit, non aufert vſum ſeu libertatem rationis, niſi ſecundum quid & ad tempus, vt poſtea proficiat ratio in cognitione & libertate ampliori. Ira vero, quæ procedit ex vitio,eſt affectio illicita ſecundum beatum Hieronymum ſuper c.5. Matth. & ſecũdum beatum Auguſtinum lib. 14. c. 15. de ciuitate Dei,eſt vlciſcendi libido : & in tali eſt obnubilatio rationis. Sed quia naturale eſt iraſci, ideo contingit iraſci ſubito & ſine conſenſu nocendi,& tale iraſci dicitur compaſſio : aut cum deliberatione & conſenſu ac voluntate nocendi, & ſic eſt paſſio. Primo modo veniale eſt, ſecundo mortale : quod prohibetur,cum dicitur. Omnis, qui iraſcitur, reus erit iudicio. Si dicatur, quòd iraſci non ſit in poteſtate noſtra, verum eſt de ira,quæ eſt compaſſio,& non paſſio. Et vt melius intelligatur hoc caput, notandũ eſt, quòd beatus Gregorius tertio moralium inquit : quòd vbi creuit ordo culpæ ex ira, videlicet in Euãgelio,creuit ordo ſentẽtiæ : quia in iudicio adhuc cauſa deducitur: in concilio iam culpæ ſententia definitur : in gehenna vero ignis ea, quæ de cõcilio egreditur ſententia, expletur. Vnde ira ſine voce,iudicio : ira cum voce,ſed cõfuſa, concilio : ira in voce cum ſermone cõtumeliæ, gehennæ ignibus mancipatur. In primo eſt ira tantum : in ſecũdo ira & vox, ſed confuſa : in tertio ira & vox,& certa expreſſio irriſionis. Iudicium eſt ſententiæ diſcuſſio, conciliũ ſententiæ definitio, gehenna ignis ſententiæ executio. Primum erit,cum dicetur eſuriui &c.Secundũ,

cum

cum dicetur, ite male[illegible] Matth. 25. Tertium cum infligetur pœna gehennæ ignis. Et nota, quod ge[illegible] non habet damnationem dubiam, ſicut iudicium: nec dubiam damnati p[illegible] ſicut concilium: ſed certam habet damnationem, & damnati pœnã. Vnde Rabanus ſuper illud, Omnis qui iraſcitur &c. inquit: Gradus ſunt in iſtis peccatis. Primo eſt iraſci, quando vult motum in animo retinere: plus eſt, ſi vocem commotio ipſa extorſit, qua feriatur ille, cui iraſcitur: plus adhuc eſt, ſi certa vituperatio increpuit. Similiter gradus ſunt in pœna: nam minus eſt iudiciũ, quãdo adhuc cum reo agitur, & eſt defenſioni locus: plus eſt conciliũ, quando adhuc iudices inter ſe conferunt, quo ſupplicio dãnent, quem conſtat eſſe damnandũ: plus adhuc gehenna, vbi nulla eſt ſententiæ dilatio. Et vt clare intelligamus, quæ per hoc mandatum prohibeantur, eſt notandum, quòd per illa verba Dominus prohibet occiſionem illam, quæ a perſona exercetur priuata: non autem illam, quæ a iudice ob iuſtam cauſam decernitur infligenda. Vnde Hieronymus ſuper Hieremiæ 22. cap. Homicidas, ſacrilegos, & venenarios punire, non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium. Et beatus Auguſtinus primo de ciuit. Dei cap. 21. ſuper illud, Non occides, aliquos dicit eſſe exceptos, quos iuſte occidi poſſe aſſeuerat. Vnde ipſis enumeratis ait: His igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Et licet Vualdenſes & nonnulli alij hæretici audeant affirmare, quòd nulla ſit iuſta cauſa, propter quam liceat occidere quempiam: error tamen eorum nõ modo damnatus eſt, ſed ſacris literis repugnat, vt inferius clariſſime patebit: tollit enim omnem humanum conuictum, pacem totius reipublicæ perturbat, & omnem prorſus honeſtam peruertit politiam. Galenus autem in illo opuſculo, cuius titulus eſt, quòd animi mores corporis temperaturam (licet falſo) ſequuntur, aliquas reddit cauſas, propter quas multi merito morte plectuntur, dicens: Deploratos & facinoroſos tres ob cauſas rationi conſentaneas e vita tollimus. Primo, ne videlicet ſuperſtites contumeliam nobis inferant, vel vltimum damnum. Secundo, vt eiuſdem notæ homines in terrorem perducant, tanquam pari iudicio expiandos, ſi præter ius quid patrauerint. Tertio, quod ipſis mori præſtet, eo malitiæ profectis, vt nullus animi medicinæ faciundæ locus ſit: aut qui ne a muſis ipſis quidẽ corrigi, aut a Socrate vel Pythagora meliores reddi queant. Quod beatus Paulus 2. ad Tim. 3. confirmãs ait. Mali homines & ſeductores proficient in peius errãtes, & in errorẽ alios mittentes.

De multis in ſcriptura legibus, quibus mandantur occidi multi. Cap. XVIII.

IN antiqua lege quatuor genera occiſionis reperiuntur, videlicet lapidatio, ſuſpenſio, crematio, & gladiatio. De primo Exod. 19. num. 15. & Deut. 31. De ſuſpenſione in ligno Deut. 21. De tertio Leuit. 21. De gladiatione Deut. 20. Et ratio eſt: quia quatuor ſunt conditiones pœnarũ, quæ ſunt inductiuæ timoris. Prima diuturnitas pœnæ, propter quam lex, vt timore a culpa ceſſarent, inſtituit lapidationem, de qua Leuit. 24. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet eum populi multitudo. Secunda eſt acerbitas pœnæ: ideo ipſa lex inſtituit cremationem: vnde Leuit. 21. dicitur. Sacerdotis filia, quæ depreheſa fuerit in ſtupro, flammis exuretur. Tertia ignominia pœnæ: ideo excogitauit lex ſuſpenſionem in patibulo ſeu cruci affixionem, quod eſt ignominioſiſſimum mortis genus. Vnde dicit lex Deut. 21. Maledictus qui pendet in ligno. Quarta irremediabilitas eiuſdem: ob quam cauſam inſtituit lex digladiationem, ex qua ſequitur paſſio irremediabilis, de qua Deut. 20. vbi lex loquens de captione ciuitatis rebellantium, inquit. Percuties in ea, omne quod eſt generis maſculini in ore gladij. Lex puniebat pœna mortis verba & facta. Primo verba, videlicet blaſphemiæ in Deum, Leuit. 24. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte morietur. Secundo contumeliæ, in maledictione parentum, Exo. 21. Qui maledixerit patri ſuo vel matri, morte moriatur. Tertio verba calumniæ, in mendaci accuſatione reatus mortiferi in proximum, Deut. 19. Cum inuenerint iudices falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitauit: non miſereberis eius, ſed animam pro anima, oculum pro oculo &c. exiges. Facta ſimiliter punit Deus morte multifariam. Primo quæ committuntur in Deum: ſecundo quæ committuntur in proximnm. In Deum per errorem, vt idololatra in cultu diuinæ maieſtatis, Exo. 22. Qui immolat dijs, præter Domino ſoli, occidetur. Pſeudopropheta etiam, Deut. 18. Propheta, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur: & Leuit. 20. Vir ſeu mulier, in quibus phitonicus, ſeu diuinationis ſpiritus fuerit, morte moriantur. Maleficia quoque, quæ fiunt in operibus necromantiæ, cum ſint in contumeliam diuinæ bonitatis, morte plectuntur, Exo. 22. Maleficos non patiaris viuere.

Et per inobedientiam, vt præuaricatio ſabbati: num. 15. Exemplũ habemus de homine colligente ligna die ſabbati, de quo dixit Dominus ad Moyſen. Morte moriatur homo iſte, lapidibus eum obruet omnis turba. Scelera vero multa, quæ committuntur in proximum, puniuntur morte: ſiue hoc fiat per inordinationem iraſcibilis, ſiue concupiſcibilis. Primo modo, vt contumacia in contemptum ſuperioris: ſimiliter percuſſio, & interfectio ex motu iræ & perturbationis. Contumacia punitur morte duobus modis, vt inobedientia reſpectu parentum, Deut. 21. Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat parentum imperium, & coercitus obedire contempſerit, apprehẽdent eum, & lapidibus obruet eum populus, & morietur. Similiter & inobedientia reſpectu prælatorum Deut. 17. Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, decreto iudicis moriatur. Percuſſio citra mortem puniebatur etiam morte bifariam. Altero modo propter magnitudinem reatus ex parte percuſſi, vt percuſſio parentum, Exo. 21. Qui percuſſerit patrem, aut matrem, morte moriatur. Et altero ex parte percutientis, vt quando percutit cum voluntate occidendi, Exo. vbi ſupra. Qui percuſſerit hominem volens eum occidere, morte moriatur. Secundo modo, ſcelera commiſſa per inordinationem concupiſcibilis puniebantur morte, vt furtum hominis, Exo. vbi ſupra. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, conuictus morte moriatur. Fornicatio cum menſtruata, Leuit. 20. Qui coierit cũ muliere in fluxu menſtruo, interficientur ambo. Adulterium, Leuit. vbi ſupra: Si mœchatus fuerit quis cum vxore alterius, moriantur ambo. Item ſtuprum virginis, Deut. 22. Virginis ſtuprum, quæ fornicata eſt in domo patris, ſi non ſit in puella inuenta virginitas, lapidibus obruent eam, & morietur: quoniam nefas fecit in Iſrael, vt fornicaretur in domo patris ſui. Idem habetur ibidem de puella deſponſata, quæ deflorata eſt in ciuitate, & non declamauit. Inceſtus etiam multiplex plectebatur morte, vel cum nouerca ſua, hoc eſt vxore patris, vel cum ſorore, aut cum matre vxoris: vel cum vxore patrui, aut auunculi: vel cum matertera, aut amita, vt habetur Leuit. 20. Peccatum etiam contra naturam, vel cum perſona eiuſdem ſpeciei ibidem, vel cum alterius ſpeciei, Exo. 22. morte puniebatur.

Quomodo contra prædictas multipliciter obiiciatur leges, & ad obiecta reſpondeatur: ſimiliter & qui ſint dicti mandati transgreſſores.

Cap. XIX.

CONTRA nonnulla dicta in ſupradicto capite obijcitur: & primo videtur, quòd nimis dure puniatur colligens ligna in ſabbato: cum vt habetur Matth. 12. in neceſſitatis caſu ſine peccato poſſit ſolui ſabbatum, vt oſtenſum eſt ſupra in tertio mandato. Ad quod reſpondetur, quòd pro leui peccato, quoad genus præuaricationis, iuſte infligitur pœna multo grauior, quàm pro genere peccati grauioris, duplici cauſa: vel ſcilicet ratione contemptus peccantis: vel exempli delinquendi in alijs. Contemptus auget reatũ ex parte peccantis, & exemplum delinquendi multiplicat peccatũ in cęteris. Propter contemptum ſolum, legimus igne conſumptos quinquagenarios duos ad verbum Eliæ 4. regum primo. Propter vero exemplum delicti deducendi ad paſtores, legimus igne conſumptos duos filios Aaron, offerentes ignẽ alienum: quod eis præceptum non erat. Inde eſt, quòd in numeris cap. 15. colligens in ſabbato ligna lapidatus eſt: Iudæi enim erant duriſſimi ad cultum Dei, & ad violandum ſabbatum præcipites, ſicut patet Exod. 16. vbi arguuntur a Moyſe, quòd in colligendo manna (quod duplicabatur eis ſexta feria, & ſabbato ſubtrahebatur) ex guloſitate & auaritia deliquerunt contra diuinum mandatum. Vnde ibidem dicitur, Venit dies ſeptima, & egreſſi de populo, vt colligerent, non inuenerunt: dixitq; Dominus, vſque quo non vultis cuſtodire mandata mea? Secundo ex ſupradictis elici videtur, quòd pro peccato cordis, quis puniebatur morte: vnde dicitur. Qui percuſſerit volens occidere &c. Cum tamen beatus Auguſtinus ſuper illud ad Rom. 3. videlicet, Lex factorum, dicat: quòd lex prohibet manum, nõ animum: & ex conſequenti opus, non voluntatem. Cui reſpondetur, quòd Deus non puniebat voluntatem niſi propalatam, & progredientem in actum, vt propinationem veneni, etiã ſi patiens vel accipiens inde non lædebatur. Tertio videtur, quòd fures durius in lege noua puniantur, quàm in veteri: vnde Exo. 22. Si effringens fur domũ ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit ſanguinis reus: quòd ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & morte morietur. Nunc vero puniũtur morte ipſi fures. Reſpõdetur, ꝙ nec tunc, nec nũc punitur furtũ morte, ſed pro præſumptione homicidij, vt in furibus nocturnis & in diurnis, ſi arma deferãt, vt ſi dꝑhendantur, ſe defẽdant. Pro cõtumacia etiam occiduntur, vt fures a iudice ſignati, & cauteriati: & ſi ſemel, bis, vel ter in furto ſunt deprehenſi, iuxta illam legẽ Deut. 17. Qui noluerit obedire decretis iudicis, morietur. Aliter fur nõ punitur morte, niſi præſumatur latro. Latro enim

dicitur,

dicitur, qui vi & gladio, ſi facultas datur, ſpoliat. Quarto obijcitur, ſic dicit lex: Siquis percuſſerit ſeruum ſuum, & mortuus fuerit in manibus eius, criminis reus erit. Si vero vno die ſuperuixerit, non ſubiacebit pœnæ: quia pecunia illius eſt. Contra hoc ſic: dominus poteſt perdere pecuniam quando vult, ergo & ſeruum. Furans etiã pecuniam non eſt reus mortis, ergo nec furans ſeruũ: tamen Exo. 21. dicitur: Qui furatus fuerit hominẽ, morte morietur. Ad quod reſpondetur, quòd ſeruus pecunia domini eſt ad vſum ſeruitij, & non occiſionis. Seruus enim habet naturam & conditionem. In conditione ſubiectus eſt ſeruitijs domini: in natura vero eſt par illi: & ex conſequenti non poteſt dominus adimere vitam ſeruo, cum non ſit eius. Solus enim Deus, qui dat vitam, dominus vitæ eius eſt: & non poteſt iuſte eam auferre niſi Deus, vel eius miniſter, vt iudex. Vnde dicitur de Deo: Ego occidam, & viuere faciam. Non eſt etiã par conditio hominis ſerui & liberi: nam furtum hominis liberi puniebatur morte, de quo loquitur lex Exo. 21. Et cauſa eſt, quia ſecundum æſtimationẽ libertatis apud liberos, ſeruitus mors quædam eſt: vnde ſecundum humanas leges ſeruus interpretatur ad omnes actus legitimos velut mortuus. Furtum vero ſerui non puniebatur niſi pœna pecuniaria: & hoc quantum æſtimaretur apud dominum ſerui officium: & vltra hoc ſatisfacere tenetur pro illata iniuria: quia in ablatis non ſolum ſufficit reſtituere ablata, ſed etiam ſatisfieri pro iniuria oportet. Et ad principale dicimus: quòd aut dominus occidit ſeruum iuſta de cauſa, & tunc non tenetur, cũ ſecundum leges iudex eius ſit: aut ſine cauſa, & tunc aut voluntate, aut caſu. Si voluntate, tenetur, ſicut occidiſſet liberum: ſi caſu (quia in vinculis poſuit, quòd ſibi licet, vel fame afflixit immoderate) poteſt ſeruus ad iudicem confugere, vt compellatur dominus ſeruum iuſto pretio vendere, ita vt non reuertatur amplius in domini poteſtatem. Si autem ſeruus ſuperuiuit vno die, tunc præſumitur, quòd non ex actu verberationis mortuus ſit, maxime ſi leuiter fuit percuſſus: ideo ex alia cauſa præſumetur mortuus. Quinto dubitatur de illo, quod dicitur Exo. 21. Qui percuſſerit mulierem prægnantem (ſecundum 70. vt Auguſtinus & Origenes inquiunt) & exierit infans nondum formatus, ideſt animatus, detrimẽtum patietur, quantum induxerit vir eius. Si vero formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente &c. Cum careat infans dentibus? ad hoc reſpondetur, quòd determinatio legis talionis eſt, ſecũdum quam iuſtum eſt, vt inferens alicui detrimentum patiatur & ipſe, ſecundum quod intulit, vt oculũ pro oculo &c. & hoc non refertur ad infantulum, ſed eſt determi-

natio

natio æquitatis talionis ſiue contrapaſſi. Si vero corpus illud fuit informe, lex non iudicat percuſſorem homicidam: quia puerperium non fuit homo: & ideo pœna punitur pecuniaria. Sexto dubitatur de ſtupro virginis, an ſit ſecundum legem (vt dictũ eſt ſupra) morte puniendum, cum Exo. 22. dicatur. Si ſeduxerit quis virginem, nec dum deſponſatam, & dormierit cum ea, dotabit & habebit eam vxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt. Reſpondetur ſecundum legem, quòd aut erat deſpõſata virgo, aut non: ſi ſic, aut violabatur in ciuitate, aut in agro. Si in ciuitate, cum per clamorem potuiſſet euitare ſtuprum, præſumitur conſenſiſſe, & ideo lapidabatur, prout dicitur Deut. 22. Si vero in agro, cum clamor non ſuffragaretur ei, corruptor tantũ interficietur, Deut. vbi ſupra. Si non erat deſponſata, & erat de ſtirpe ſacerdotali, tunc deprehenſa in ſtupro, comburebatur: aut de alia. Et hoc duobus modis: quia vel erat in domo patris, & ſic lapidabatur, cũ dehoneſtaſſet domum patris, vt dicit lex: vel erat ſeducta per ſponſionem cõiugij, & extracta de domo paterna, & ſic non lapidabatur, ſed excuſabatur per ſeductionem, & ignorantiam. Vnde num. 15. Si anima ignorans peccauerit, offeret capram pro peccato, & dimittetur ei: vna enim lex erit omnium qui peccauerint ignorãter. Septimo obijcitur contra pœnam inceſtus: Nam Thamar (Gen. 38.) ex induſtria commiſit inceſtum, quia concubuit cum patre mariti ſui: & videtur, quòd Iudas, qui eam dimiſit impunem, peccauerit contra legem, 3. reg. 20. vbi dicitur. Quia dimiſiſti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius. Ad hoc reſpondetur, ſicut dicitur Gen. 38. quòd Iudas propter duo nõ puniuit, videlicet propter reatum conſimilem ex parte ſua: cum dicat beatus Auguſtinus de adulterinis coniugijs, libro 2. c. 8. Adulterium vxoris a viro accuſari non debet, cum pari vitio laborat: & propter piam intentionem prolis ſuſcipiendæ ad diuinum amorem, ſeu cultum ex parte Thamar. Quia ergo in Iuda erat conſimilis culpa, nõ debuit ipſam occidere, ſicut dicitur in glos. ſuper illud Ioan. 8. Qui ſine peccato eſt veſtrum, primo in eam mittat lapidem. Si enim lex iubet reũ occidi, non tamen ab his, qui ſunt ſimiliter puniendi. Ceterũ quia in Thamar erat pius, quãuis inordinatus affectus, ſcilicet ſuſcipiendi prolẽ, debuit miſericordiã inuenire: ſicut beatus Paulus, primæ ad Timot. pri. de ſe inquit. Miſericordiã cõſecutus ſũ, quia ignorãs feci, & in incredulitate. Zelo .n. legis, ſed nõ ſecundũ ſcientiã, perſequebatur Eccleſiã, ſicut ipſemet dicit ad Gal. pri. Vltimo videtur, & cõtra rationẽ, quòd peccatũ contra naturam mitius in noua lege,

quàm

quàm antiqua puniatur. Ante legem ſimiles puniti ſunt incendio, Gen. 19. in lege vero gladio: ideo multo magis deberent puniri modo. Poſt etiam incarnationem Apoſtolus oſtendit peccatũ fornicationis maius, quàm ante, dicens primæ Cor. 6. Neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Sceleratus autẽ ſodomita, cum magis nunc peccet, quàm ante incarnationem, ex conſequenti magis puniendus. Item cum lex ciuilis puniat eos pœna capitis, quare lex eccleſiaſtica maiori pœna non animaduertit in tales? Ad hoc reſpondetur, quòd tempore legis gratiæ illud peccatum incomparabiliter eſt grauius, quàm ante: & ideo eſt omni genere tormentorum puniendum. Et quando dicitur, quòd lex ciuilis armatur gladio contra eos, ſacri vero canones pertranſeunt illud cum ſilentio: dicimus, quòd hoc faciunt in deteſtationem tãti flagitij. Nam huius vitij nominatio & ipſum aerem quodammodo polluit, & mentes quodam miſerabili modo inficit: & per conſequens diuulgatio aerem corrumpit. Vnde ad hoc reſpiciẽs Apoſtolus ad Ephes. 5. dicit: Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos. Excogitare ergo debet iudex eccleſiaſticus, quòd maiori pœna præ cunctis criminoſis ſunt plectendi ſimiles. Quæri poſſet, quis nam ſit ſupradicti mandati tranſgreſſor: Reſpõdetur, quòd Deus per illud nõ ita late prohibuit homicidium, vt minime nobis liceat animalia terræ, volucres cæli, piſces maris, ac quæcumque, quæ in vſum hominis creata ſunt, occidere. Nam ſi quicquid viuit occidendum non eſt, viuunt herbæ, viuunt & plantæ, & tamen Gen. 9. legitur. Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: & a Paulo ſcriptum eſt primæ Cor. 10. Omne quod in macello venit, manducate. Non ergo putemus, vt beſtias & pecora Deus occidi prohibuerit, ſed hominẽ. Vnde ſubditur Exo. 21. Qui percuſſerit hominem volens eũ occidere, morte moriatur: Quod etiam innuit in ſupradicto mandato, videlicet non occides, ad priuatos homines pertinere voluit. Nã ſi qui magiſtratu funguntur, ſupplicium capitis de criminoſo ſumpſerint, nõ ipſi hoc, ſed ille facere videtur, qui dixit (Deut. 32.) Ego occidã, & viuere faciam. Quid enim aliud eſt rex aut iudex quicumque, quàm Dei miniſter bonis in bonum? Si vero malum feceris (inquit beatus Paulus ad Rom. 13.) time: non enim ſine cauſa gladiũ portat. Ipſius miniſterio Deus punit malos, quos propterea vult occidi, vt metu captus quiſque, quod de nõ occidendo præceptum eſt, tanto diligentius obſeruet. Violator igitur huius mandati eſt non modo qui manu, verum etſi ſit ex eorum numero, de quo dicitur in pſal. 56. Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum

rum

rum gladius acutus. Quare ſiquis conſilium det alicui, vt occidat, ſiue prouocet quempiam ad occidendum, vel accuſando, vel detrahendo, aut aſſenſum præbendo, reus erit huius præcepti violati: quandoquidem digni ſunt morte, non modo qui faciũt, ſed & qui conſentiunt facientibus, ad Rom. pri. Qui videt etiam fame morientem, & non paſcit, occidiſſe iudicatur. Ceterum peccant grauiter, qui hominis corpus occidunt: ſed grauius illi qui animas in gehennam mittunt. De diabolo enim dicitur Ioannis 8. quòd homicida erat ab initio. Verbum enim malum ſeminauit (vt inquit Auguſtinus tractatu 42. in Ioannem) & occidit. Noli ergo putare te non eſſe homicidam, quando fratri tuo male perſuades. Graue genus homicidij eſt, ſiquis oratione ſua hominem ad peccatum inuitat: atque ita gehennæ reum facit, ſi doctrinis varijs & peregrinis mentem alicuius abducere, & in aliud euangelium trãsferre conatur ab eo, qui vocauit nos in gratiam Chriſti. Non minus graue homicidij genus, ſiquis vita ſua infami & contaminata corrumpit alios: præſertim ſi ſit de illis, quibus dicitur Matth. 5. Vos eſtis ſal terræ, lux mundi: de quibus ſcribit beatus Gregorius in paſtorali parte 3. admonitione 5. Quòd tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt.

Quomodo Iuſtũ bellũ in dicto mãdato non prohibeatur: ſimiliter & quomodo hæretici iuſto bello expugnari poſſunt: & quæ a Chriſtianis in dicto bello obſeruari debẽt. Ca. XX.

VT autem iuſtum ſit bellum, quod turpi pace præſtantius eſt, (iuſtitia videlicet, quæ excludit peccatum, hoceſt vt ſine peccato fiat) quatuor ſunt neceſſaria. Primum, videlicet auctoritas & poteſtas ad bellum faciendum: ſecundum, cauſa neceſſaria: tertiũ, vt bono animo & bona intentione fiat: vltimum vt perſona, quæ in bello pugnare debet, ſit ad bellum legitima, ideſt talis, cui non ſit lege prohibitum in bello bellare. Primum eſt auctoritas &c. quia ſolus ille, qui non habet ſuperiorem, a quo iniuriæ aut damni ſibi illati recompenſationem petere poſſit, bellare poteſt. Nam ſi ſuperiorem habet, ad quem poſſit confugere pro recõpenſatione, non poteſt bellum mouere. Vnde Deut. 32. dicit Deus, Mihi vindictã, & ego retribuam. At qui a ſuperiore, qui loco Dei præeſt, vindictã petit, a Deo petit, qui illum ad hoc (vt dictum eſt in præcedẽti capite) conſtituit ſuum miniſtrum, vt illos, quorum curã habet, tueatur. Vnde Hier. 22. dicitur prælatis: Facite iudicium & iuſtitiam,

& liberate ui oppreſſum de manu calumniatoris. Inferior vero, qui habet ſuperiorem, iniuſte agit, ſi pro aliquo horum propria auctoritate bellum mouerit. Princeps autem, qui nullum ſuperiorem in ciuilibus rebus agnoſcit, ſicut pro republica, quam protegendā ſuſcepit, iuſtum bellum mouere poteſt: ita etiam pro ſeipſo, quātenus perſona eſt publica. Vnde beatus Auguſtinus cōtra Fauſtum lib. 22. c. 75. ait: Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi bellum auctoritas atque conſilium penes principem ſit. Exequendi autem iuſſa bellica miniſterium milites debeant paci ſalutiq; communi: & hoc intelligitur, (vt Caietanus ſuper 22. ſancti Thomæ q. 40. recte dicit) ſi illi domini bona fide in pacifica poſſeſſione (talis auctoritatis belli indicendi) reipublicæ fuerunt & ſunt. Nam ſi illam ex magnitudine potentiæ vſurparunt, ob quam tam audaciter ſuis ſuperioribus rebellarūt, vt ab illis non potuerint coerceri: cenſet nullam illos auctoritatem iuſti belli indicendi habere. Secundum neceſſarium ad iuſtum bellum, eſt cauſa iuſta, quæ eſt varia, de qua Auguſtinus ſuper Ioſue q. 10. Iuſtam belli cauſam eſſe iniuriam illatam, cuius vindictam, cū aliter quàm per bellum princeps, aut is, penes quem belli mouendi auctoritas eſt, habere non poteſt, iuſte poterit bello petere. Vnde iuſta bella ſunt, quæ vlciſcuntur iniurias. Inquit enim beatus Ambr. in pri. de officijs: Iuſtitia plenus eſt, qui patriam bello a barbaris vel latronibus tuetur. Tertia iuſti belli cauſa, eſt bona & recta intentio. Hoc docet beatus Auguſt. c. 74 contra Fanſtū vbi ſupra, dicēs: Nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſiqua ſimilia; hæc ſunt, quæ in bellis iure culpantur: quæ plerumque ita culpantur, vt iure etiam puniantur. Vltimum requiſitum ad hoc, vt bellum ſit iuſtum, eſt, vt perſona, quæ bellum gerit, non ſit bellare prohibita: Eccleſiaſticis publico decreto eſt bellum interdictum. Vnde concilium Meldenſe, vt habetur 23. q. 8. ait: Quicūque ex clero videntur eſſe, arma militaria non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulū religioſis moribus & religioſo habitu præbeant: quod ſi contempſerint, tanquam ſacrorum canonum contemptores, & eccleſiaſticæ auctoritatis profanatores, proprij gradus amiſſione mulctentur, cum nō poſſint ſimul Deo & ſeculo miniſtrare. Non eſt tamen eis interdictū iuſto bello (vt pugnantibus ſubueniant ſpiritualiter) intereſſe, pro eis orādo, ad virtutē exhortando, & ſuorum paccatorum confeſſiones audiendo. Nam in lege veteri mandauit Deus Ioſue 6. vt in bello contra Iericho ſacerdotes ſacris buccinis clangerent, Et nota, quòd hic non loquimur

de

de bello defenſiuo, quo quis ſe ab alio iniuſto inuaſore defendit: ſed de bello illo, quod quis contra alium primo mouet. Nam in bello defenſiuo, ſiue publicum ſit, ſiue priuatum, non eſt expectanda auctoritas: quia hæc iure naturæ omnibus conceſſa eſt, vt ſe ab iniuſto inuaſore defendant. Vnde dicitur extra, de homicidio voluntario c. Significaſti: Vim vi repellere omnia iura cõcedunt: & hoc cõtra Manichæos, Oecolãpadiũ, & Lutherũ. Manichæi quidem adeo dãnabant in vniuerſũ bellũ, vt reprehẽderẽt ipſũ Moyſen & Ioſue, q̃ tantũ erant executores diuinæ iuſſionis. Oecolãpadius paulo modeſtior illis, dicebat tẽpore mãſuetudinis euãgelicę nõ licere Chriſtianis bellũ gerere. Lutherus denique aſſeruit nõ plane illicitũ eſſe bellũ, ſed Chriſtianos bellare contra Turcas voluit penitus eſſe ꝓhibitum: cum hoc ſit (vt ipſe dicebat) rebellare voluntati diuinæ, viſitanti & corrigenti iniquitates noſtras per illos, tanquam vltionis ſuæ miniſtros: quaſi Chriſtianus in Chriſtianum bellum poſſet gerere, non autem contra canes, ideſt Turcam, & atheos homines. Dubitatur a nõnullis, an declaratus hæreticus poſſit iuſto bello debellari. Reſpondemus, ſaluo ſemper meliori iudicio, quòd nullus poteſt eſſe crudelior hoſtis hæretico, quàm qui poteſt iuſte ab illo vitã auferre, & diu eum viuere permittit: & ratio eſt, quia hæretici abutuntur tempore ſibi dato ad pœnitentiam. Nam bellum cõtra hæreticos bona intentione mouere, quis vetat? Bona ſiquidẽ eſt intentio, velle hæreticos ad fidem conuertere, & eos cogere, vt fidem, quam ſemel in baptiſmo ſuſceperunt, tenere cogantur. Bona intentio eſt, velle fidem catholicam exaltare & dilatare, quam hæretici ſua pertinaci rebellione facile coanguſtarẽt, niſi bello coerciti a ſuis peſtilentiſſimis erroribus reſipiſcerent. Bona intentio eſt velle rebelles cogere, vt debitam, cui tenentur, obedientiã reddant. De auctoritate contra eos mouendi bellum, nullus niſi ignarus dubitare poteſt, vt ex ſuperius allegatis patere poteſt. Inter alias iuſti belli cauſas duæ ſunt: altera receſſus a vero Dei cultu, vt faciunt hæretici: nam Deus filijs Iſrael olim præcepit, vt ciuitatem, quæ in hoc incidiſſet crimen, bello delerent Deut. 12. et altera, cũ quis rebellat aduerſus ſuperiores Eccleſiæ, (vt faciũt hæretici) cum eius doctrinam fideles recipere teneantur. Hæretici autem ſuperbia excæcati propriam ſentẽtiam præferunt doctrinæ ſanctæ Eccleſiæ, ideo eius mandata contemnunt. Verum principes non habent hanc mouendi bellum contra hæreticos poteſtatem, niſi poſtquam per eccleſiaſticum iudicem fuerit declaratum illos eſſe hæreticos: non enim eſt æquum, vt pœna inferatur alicui, antequam conſtet illum culpam habere, quæ talem exigat pœnã. Vnde iura prohibẽt,

ne

ne laica poteſtas de hoc crimine quoquomodo ſe intromittat, uide in c. Vt inquiſitionis, lib. 6. de hæreticis : quod intelligitur, antequam fuerit de errore & pertinacia per iudicem eccleſiaſticum, & ſententiam definitiuam,declaratum illum tradendum eſſe ſeculari poteſtati. Vnde in c. Secundum leges eiſdem tit. & lib. vbi ſupra, Papa prohibet,ne bona hæreticorum per principes ſeculares occupentur, antequam per eccleſiaſticum iudicem, cui hoc a iure competit, ſententia ſit ſuper crimen hæreſis promulgata. Inde ſequitur, vt principes non poſſint aduerſus hæreticos ob ſolam hæreſis cauſam bellum mouere, niſi poſtquam iudex eccleſiaſticus, cui hoc de iure conuenit, publica ſententia declarauerit illos eſſe hæreticos. Iuſti Imperatores legibus ſuis ſanxerunt, hæreticos obſtinatos eſſe occidendos, poſt ſententiam ſcilicet iudicis eccleſiaſtici : lege autem canonica ſancitum nondum eſt, qua morte debeant mori : licet conſuetudo ſit, & iuſta, vt comburantur : quæ eſt conformis illi exemplo, quo Deus c c l. viros, qui adhæſerunt ſeditioni excitatæ per Chore, Dathan, & Abiron, Num. 16. ex proceribus Iſrael, igne deſuper miſſo combuſſit. Iudices etiam eccleſiaſtici poſtquam aliquem obſtinatum de hæreſi damnauerũt, ſtatim declarant illum ad ſuum forum non pertinere : traduntq; illum ſeculari poteſtati, tanquam hominem, qui propter hæreſis obſtinationem ab Eccleſia exiuit, & ſub ſola laica poteſtate ſeipſum conſtituit. Nec petunt ab illa, vt occidat hæreticum: immo ſecularem poteſtatem ſemper rogant, vt pœnam mortis, aut aliã ſanguinis non irrogent illi, ſed in aliam mitiorem conuertant. In iuſto tamen bello obſeruare debemus, quòd Moyſe orante in monte vincitur Amalech gladio Ioſue Exo. 17. Ideo Chriſtianus (dum neceſſe eſt præliari) debet in primis oratione muniri: quia non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. Debet & gladio vti, quia niſi fortiter egiſſet gladio Ioſue, nõ viciſſet oratione ſua Moyſes. Interim & hoc obſerua, quod addit textus. Cumq; leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael : cum autem paululũ inclinaret, ſuperabat Amalech. Hæc dicimus obſerua, & intelliges, hominem pendentem ex Deo, vti pendet omnis Chriſtianus, debere pugnare orationibus atque armis : magis tamẽ orationibus, quàm armis. Vnde quoties princeps Chriſtianus vrgetur ad bellum, mox clerum ac populum inuitat, rogat, inducit ad orationem & ſupplicationes ſedulo proſequendas, ſicut Bonifatius comes per epiſtolam diuum Auguſtinum orat imminẽte ſibi bello, vt preces fundat ad Dominum pro populo ſuo pugnaturo: quibus petat, vt Deus iacula in hoſtes dirigat noſtros, ac ſeipſi trucident mutua cæde. Ad

quam reſpondet diuus Auguſtinus epiſt. 194. in hunc modū. Graui de pugna conquereris, dubites nolo: vtile tibi tuiſq; dabo conſiliū: arripe manibus arma, oratio aures pulſet auctoris: quia quādo pugnatur, Deus apertis oculis ſpectat,& parti,quam inſpicit iuſtam,dat palmam. Quoniam Saluator docet Matth. ij. Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & Matth. 5. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo. Profecto felix eſt illa communitas,in qua nō alia ratione pertractantur bella, quàm inter ægrotos fortia medicamina, inter inſenſatos vincula, inter leges mortis decreta: quibus equidem nec verbum addere volo, ſed quæ dicta ſunt, ſufficiāt pro quinto præcepto.

De ſexto præcepto, videlicet: Non mœchaberis. Cap. XXI.

MAGISTER ſententiarum 37. diſt. 3. declarat ſextū præceptum ſic: Non mœchaberis, ideſt, non cuilibet miſcearis, excepto fœdere matrimonij. Vbi ſāctus Bonauentura circa literā, inquit: quòd in mādatis decalogi prohibentur peccata, & præcipue in mandatis ſecundæ tabulæ, prout ſunt ad nocendum proximo ordinata. Et quia quantum ad peccatū carnis magis læditur proximus per adulterium: hinc eſt, quòd illud præcipue prohibetur & punitur, cum enorme ſcelus & crimen ſit, publica animaduerſione dignum. Vnde Tobias inquit filio ſuo Tob. 4. Fili præter vxorem tuā numquam patiaris crimen ſcire: per crimen intelligens adulteriū, quod eſt origo omnium malorum. Per ipſum enim primo violatur ordo naturæ primitus inſtitutæ: ab initio enim faciens Deus hominem, maſculum & fœminā fecit eos, vt eſſet vna vnius mariti vxor, nec alter ab altero diuideret carnem ſuam. Secundo per illud turbatur euangelium Chriſti, qui reuocans coniugium ad puritatem ſui inſtituti dixit, (Matth. 19.) Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Qui enim adulteratur, quantum in ſe eſt contra inſtitutum naturæ, & Chriſti ordinationem, diuidit carnē ſuam ab vxore, faciens ſe vnum cum ſcorto, dicente Paulo 1. Cor. 6. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum illa? & ſic nòn eſt amplius vna caro cum vxore. Tertio per adulteriū fit iniuria ſacramento: quoniam adulter tollit a coniugio ſanctitatem & ſignificationem ſacramenti, cum inſeparabilis vnio viri vnius cum vna muliere ſignificet inſeparabilem vnionem Chriſti cum Eccleſia, de qua Paulus ad Ephes. 5. Sacramētum hoc magnum eſt,

Ego.

Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Quarto per ipſum fit iniuria alteri coniugi: quoniam furtiue & iniuſtiſſime ſubtrahit ſibi fidem matrimonij, dicente beato Paulo 1. Cor. 7. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: & e contra. Vnde ſubdit: Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi. Nec alter coniugum poteſt dare talem poteſtatem alteri, & hoc propter naturæ inſtitutum, & Chriſti ordinationem. Et licet Sara dederit ancillam ſuam in ſinum Abrahæ viri ſui, eo quòd ipſa eſſet ſterilis Gen. 16. dicit tamen beatus Ambroſius lib. de patriarchis, quòd non fecit niſi diuina diſpenſatione: nõ enim in legem commiſit, quæ nondum erat: nec contra legem naturalem, qa non affectu implendæ libidinis hoc egit, ſed quærendæ poſteritatis, & multiplicationis humani generis: nec peccauit contra ius rationis, vt ibi dicit Ambroſius: ex quo ſtudium poſteritatis erat tempore illo religionis, ne quis non reddidiſſe videretur debitum naturæ. Si dicatur, quòd Deus ante legem non damnauerat adulterium, reſpondet dominus Alexander de Ales par. 3. q. 35. mem. 2. quòd eſt damnatio quantum ad culpam, & quãtum ad reatum pœnæ æternæ: & eſt damnatio quantum ad crimen, & reatum præſentis pœnæ. Verum eſt differentia inter culpam & crimen: quia culpa eſt peccatum quodcumque: crimen vero non niſi illud, quod eſt accuſatione & præſenti punitione dignũ. Primo enim modo adulterium ſemper fuit damnabile: altero autem modo ſolum a tempore legis, qua præcipiebatur puniri adulterium. Vnde beatus Ambroſius: Nondum ante legem interdictum adulterium videbatur pœna criminis, ſed ex tempore legis, quæ crimen inhibuit: ante. n. legem nulla eſt damnatio, ſed ex lege. Quinto per adulterium violatur iuſiurandum legitime interpoſitum, quo ſibi mutuo ſancte ac publice adiurarunt fidem matrimonialem: vnde periuri & infames ſunt omnes, qui ſe polluunt adulterio. Sexto per adulteriũ fit quaſi iniuria prolibus, quæ concipiuntur ex adulterio: quandoquidem ſecundum iura pro nothis reputantur, nec ſucceſſione bonorũ gaudere poſſunt in vindictam criminis paterni, de quibus Salomon Sapien. 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas: nec ſtabile firmamentum collocabunt: & ſi in ramis in tempore germinauerint, a vento commouebuntur, & eradicabuntur. Vnde adulterium conturbat adeo pacem reipublicæ, vt vix poſſet aliud crimẽ magis conturbare: Ex eo enim zelotypia, inuidiæ, odia, decoctio bonorum, infamia, perſecutio, traditio, homicidia, veneficia, vxoricidia, cæcitas cordis, obſtinatio. Adulterium caput amputauit Ioannis Matth. 14. Miſit Ioſeph caſtitatis ſpeculum in carcerẽ Gen.

39. Strenuum militem Vriam manibus hoſtium morti tradendum obiecit 2. reg. ij. Sampſonem fortiſſimum in poteſtatem Philiſtijm tradidit viribus deſtitutum,& cæcitate deformem. Salomonem omnium ſapientiſſimum idololatrare fecit: & Dauid iuſtitiæ & manſuetudinis ſpeculum multorum reum fecit homicidiorũ. In lege ꝓpter ſui grauitatem (præter æternam mortem, quæ eſt ſtipendium omnium mortalium criminum) a Deo adulteris tam viris, quàm mulieribus, ſupplicium mortis corporalis taxatur Leuit. 20. Nec iſto ſatisfacta lex, ſed maledictionem adiecit adulteranti Deut. 28. de quo dicitur. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ &c. ſi videlicet non cuſtodies mandatum hoc. In hoc tamen præcepto, vt inquit diuus Bonauentura vbi ſupra, non modo prohibetur adulterium, ſed omnis illicitus coitus, & membrorum genitalium abuſus extra legem matrimonij: Omnis enim ſeminis effuſio deliberatiua, præter dictas matrimonij leges, eſt illicita, & intelligitur hic per adulteriũ ꝓhibita.

Adulterium vxoris non facit, vt illa viri innocentis deſierit eſſe vxor. Cap. XXII.

PRO declaratione ſupradicti tituli, videlicet, an adulterium vxoris ſit in cauſa, vt illa viri innocentis deſinat eſſe vxor, præſupponimus tanquam verum & manifeſtum, quòd aliqua ex cauſa liceat viro dimittere vxorem, & vxori dimittere virum, quæ tangitur Matth. 5. vbi Saluator ait. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari. Et beatus Hieronymus ſuper 19. cap. Matth. Cum mulier vnam carnem in aliam diuiſerit, & ſe fornicatione a marito ſeparauerit, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente ſcriptura prouerb. 18. Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens. Indubitatum igitur eſt, quòd ob fornicationem liceat viro dimittere vxorem, & vxori virum adulterantem. Vnde Dominus Marci 10. dixit: Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur: & Apoſtolus Paulus pri. Cor. 7. His qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem a viro nõ diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Late iſtud proſequitur beatus Auguſtinus lib. 1. de adulterinis coniugijs, c. 3. cui inquit: Dixiſti Apoſtole, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam: licetne diſcedere, an non licet?

licet? Si omnino non licet, cur præcipis diſcedenti, vt maneat innupta? ſi autem licet, profecto eſt aliqua cauſa, qua licet: hæc autem inquiſita, non inuenitur niſi fornicatio. Quis enim eſt, qui dicat, ſi diſceſſerit mulier a viro non fornicante, innupta permaneat, cum ei niſi a viro fornicãte diſcedere omnino nõ liceat? Hoc igitur ſuppoſito tanquam indubitato, quòd ſecundum Euangeliũ ob fornicationem dimittere quis poteſt vxorem: probandum modo eſt, quòd poſt diuortium, ſiue dimiſſionem, nullo caſu liceat chriſtiano aliud matrimonium contrahere viuente vxore, cum qua ante legitime contraxerat: nec vxori, viuente primo marito. Et licet Philippus hæreſiarcha libello quodam tractãs de poteſtate eccleſiaſtica, hanc inter ceteras erroneam afferat aſſertionem, licere videlicet facto diuortio parti alterutræ nouum coniugiũ: & Eraſmus in ſua paraphraſi ſuper 5. Matth. dicat, quòd deſinit eſſe vxor, quæ ſe miſcuit alteri viro: nemini tamen dubium eſt, Chriſtum noluiſſe his verbis, videlicet. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorẽ ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur: exprimere, talẽ mulierẽ adulterio contaminatam deſinere eſſe vxorem: ſed contrarium probatur ex verbis eius ſic. Illa ob perpetratum adulterium deſinit eſſe vxor, ergo qui ducit dimiſſam, non adulterat: quod tamen eſt contra euangelium, dicens. Et qui dimiſſam duxerit mœchatur. Si ergo nullus committit adulterium, niſi commiſceatur vxori alterius, & vt dicit, deſinit eſſe vxor: per conſequens qui dimiſſam ducit, non mœchatur propter rationẽ prædictam, quod eſt expreſſe falſum. Etſi calumnijs præfati hæretici hanc prætendãt eludere rationem, concedendo eum non mœchari, qui repudiatã duxit in vxorem: nec Chriſtum his aduerſari dictis, cum innuere videatur dumtaxat eum incidere in mœchiam, qui abſque ulla fornicationis aut adulterij nota dimiſſam duxerit: oſtendimus tamen id nõ poſſe fieri: nam qui matrimonij iugo vinciũtur, ſciunt leges ſibi a Deo eſſe præſcriptas, vt illibatam & integram matrimonij fidem obſeruent. Senſus ergo huius loci euangelici eſt, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur, hoc eſt, & qui dimiſſam etiam ob teterrimum adulterij vitium duxerit in vxorem, mœchatur. Audi quid de hac re dicat Apoſtolus ad Rom. 7. Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir, ſoluta eſt a lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Niſi igitur toto cælo quis oberret, fatebitur virum illius vxoris, quantum ad torum, ſiue cohabitationem carnalem repudiatæ, viuere, modo e vita non deceſſerit. Sed libenter inquiramus, cur vocatur adultera?

Certe niſi ob eam cauſam, quòd cum adhuc ſit vinculo coniugali ligata, alteri facit copiam ſui corporis: non enim vocaretur adultera, ſi eſſet a lege viri ſoluta. Vnde beatus Paulus 1. Cor. 7. inquit: Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorē a viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: & niſi ſe reconciliauerit, debet manere innupta. Vnde Auguſtinus libro 2. de adulterinis coniugijs, c. 4. & 5. abunde tractans hanc difficultatem: Vide, inquit, quàm ſit abſurdum, vt ideo non ſit adulter, quia ducit adulteram: immo vero quod eſt monſtruoſius, nec ipſa mulier erit adultera: quoniam non erit poſteriori viro vxor aliena, ſed ſua. Soluto enim per adulterium priori coniugali vinculo, cuique iam nupſerit coniugem non habenti, non adultera cum adultero, ſed vxor erit potius cum marito. Quomodo ergo erit verū, inquit Auguſtinus, Mulier alligata eſt, quādiu vir eius viuit? Ecce vir eius viuit, quia nec de corpore exceſſit, nec fornicatus eſt, quod pro morte vis deputari, & tamē mulier ei alligata iam non eſt. At ſi vir eius eſſe iam ille deſtitit, non vtique viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſed nullum habens virum, nubendo erit cum ſuo viro. Deinde ſubdit Auguſtinus: Noli dicere mortuum virum, vel mortuam vxorem hoc loco debere intelligi etiam fornicantem: & in c. 4. Nullius viri poſterioris mulier vxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: & in c. 5. ad ſuadendū vinculum coniugale per adulterium non eſſe ſolutum, ponit talem venuſtiſſimam ſimilitudinem. Sicut, inquit, manente in ſe ſacramēto regenerationis excommunicatur quis reus criminis, nec illo ſacramento caret, etiam ſi numquam reconcilietur Deo. ita manente in ſe vinculo fœderis coniugalis, ſi vxor dimittitur ob cauſam fornicationis, non carebit illo vinculo, etiam ſi numquam reconcilietur viro ſuo: carebit autem ſi mortuus fuerit vir eius. Idem Auguſtinus tractās verba Apoſtoli ad Rom. 7. videlicet, Quæ ſub viro eſt mulier &c. Hæc verba Apoſtoli, inquit, toties repetita, vera ſunt, viua ſunt, ſana ſunt, plāna ſunt, nullius viri poſterioris mulier eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: eſſe autem prioris deſinet, ſi moriatur vir eius, non ſi fornicetur: licite itaque dimittitur coniux ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris: propter quod fit reus adulterij, qui dimiſſam duxerit etiam ob cauſam fornicationis. Quem ſenſum verborum Chriſti & Apoſtoli concorditer explicant & ſequuntur a temporibus Apoſtolorum doctores eccleſiaſtici, ſacri canones & Eccleſiæ concilia generalia. Vnde beatus Hieronymus in epitaphio Fabiolæ, quæ reliquerat virum ſuum, & alteri eo viuēte nupſerat: hanc quam laudandam ſuſceperat, excuſare nō poteſt,

niſi per vigoris euãgelici ignorantiam &c. eſt etiã apertiſſima concilij definitio Mileuitani, quod cõfirmauit Innocẽtius primus. Placuit, inquit, vt ſecundum euangelicam & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa a marito alteri coniungatur: ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur: quod ſi contẽpſerint, ad pœnitentiam redigantur. Qui canõ confirmatus eſt eodem prorſus ordine in concilio Africano. Eſt & canon Apoſtolorum 48. & in œcumenico cõcilio Florentino his verbis c. 17. definitur. Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonium legitime contractum perpetuũ ſit. Et beatus Thomas in diſt. 35. 4. art. primo ad Tertium inquit, quòd fornicatio vnica cauſa eſt per ſe diuortij perpetui: quia directe eſt contra bonũ matrimonij, cum tollatur per eam certitudo prolis, fides frangatur, & ſignificatio non ſeruetur, dum vnus coniugũ pluribus carnẽ ſuam diuidit: & ideo alia crimina quamuis forte ſint maiora fornicatione, non cauſant diuortium: Sed quia infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, eſt etiam contra bonũ matrimonij, quòd eſt proles educanda ad cultum Dei, etiam ipſa facit diuortiũ. Sed tamen aliter quàm corporalis fornicatio: quia propter vnum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad diuortium, non autem propter vnum actum fornicationis infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur: hæc ille: Quæ omnia confirmantur per ſacros canones Alexandri 3. c. Quæſiuit: Vrbani 3. c. De illa, de diuortijs: & Gregorij 9. c. Mulier, de conuerſ. coniug. Et re uera tutus eſt, qui ſequitur paſtoris ſui iudicium & directionem: quia mandatum Domini eſt, Matth. 23. Omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite. Et falſiſſimum eſt, quod aliqui dicunt, quòd viro licet ducere vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantem: ſed non licet vxori propter fornicationem ſui mariti alteri nubere: quia vir non ita lege cõſtringitur, ſicut mulier: Quia licet in re œconomica debeat vir præfici vxori, vir tamẽ & mulier, quoad ſanctiſſimas matrimonij leges, ſecundum beatum Paulum 1. Cor. 7. pares ſunt. Hieronymus enarrans ſupradictum locum euangelij, plane indicat eam, quæ viuente marito ſe miſcet alteri viro, non deſiſſe eſſe vxorem, vbi inquit. Et quia poterat accidere, vt aliquis faceret calumniam innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: ſic priorem iubetur dimittere vxorem, vt ſecundam prima viuente non habeat. Nec diuerſus eſt a Hieronymo Chryſoſtomus, enarrans illum Matthæi locum. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorẽ ſuam,

excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: dicit, expulſam eius,qui eam expulit,manere vxorem. Albertus quoque Pighius inquit in quæſtione de diuortiatorum, nouis coniugijs contractis cum alijs, & vxorum pluralitate ſub lege euangelica: quòd fuit ab initio Eccleſiæ chriſtianæ toto orbe diffuſæ cōſenſus & communis ſententia, vxorū pluralitatem,& diuortiatorum, inter quos fuerat verum & ratum conſummatumq; matrimoniū, noua coniugia viuentibus prioribus non licere,vt ipſa rei probat euidentia,quæ nemini obſcura eſſe poteſt, quando non eſt vllus inter chriſtianos & orthodoxos inuentus, qui contrafecerit. Quæ ſententia clariſſime explicatur in cap. Gaudemus, de diuortijs, vbi dicitur: Siquis autem in fide plures vxores ſimul habuerit,poſt fidem ſuſceptam,primæ adhærere debet. Quòd ſi ſecundum ritum ſuum legitimam repudiauit vxorem, cum tale repudium veritas in euangelio reprobauerit, numquam ea viuente licite poterit aliam etiam ad fidem Chriſti conuerſus habere,niſi poſt conuerſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo: aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo caſu reſtitutionem petenti, quamuis de iniuſta ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur.

De ſimplici fornicatione. Cap. XXIII.

BEATVS Ambroſius in libro de Patriarchis docet: Non hoc,inquit, ſolum adulteriū eſt,cum aliena peccare coniuge, ſed omne quod non habet poteſtatem coniugij. Porro non habet poteſtatem coniugij,quicquid non eſt ſecundum legitima generationis a natura & Deo inſtituta. Nunc autē incipiendo a ſimplici fornicatione, quæ eſt commiſtio ſoluti cū ſoluta, vtroque alteri conſentiente,dicimus,quòd fornicatio ſimplex mortale peccatum eſt: & non loquimur ſolum de ſpirituali, de qua pſal. 72. Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te: talis enim proprie eſt idololatria, de qua Hieronymus ſuper Ezech. lib. 5. c. 16. Eſt,inquit,fornicatio ſpiritualis, quando deſerentes Eccleſiā hæreticis iungimur, & ædificamus lupanar noſtrū in capite omnis viæ: quibus præcipit ſermo diuinus. State in vijs, & quærite ſemitas domini ſempiternas, & videte quæ ſit bona via, & ambulate in ea, vt in Eſaia,Hieremia,& alijs prophetis &c. In omnibus viarum principijs fabricatur lupanar ſuum, qui ad peruerſitatem doctrinæ teſtimonijs male abutitur ſcripturarum, dicens: Hæc dicit Eſaias,Oſee, vel Moyſes &c.Sed loquimur de illo

actu venereo, qui eſt inter ſolutum & ſolutam: & qui dicitur fornicatio ſimplex. Quòd autem ſit mortale, probatur ſic: nullũ peccatum excludit a regno Dei, vel facit hominem dignum morte æterna, niſi mortale: fornicatio talis excludit a regno Dei. Nam ad Gal. 5. dicit Apoſtolus, nominatis quibuſdam peccatis, & inter cetera fornicatione: Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur: & ad Rom. pri. enumeratis multis criminibus, & inter alia fornicatione, ſubdit: Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed qui cõſentiunt facientibus. Vnde Auguſtinus in c. Meretrices 32. q. 4. dicit: Meretrices eſſe, & ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum venalis eſt turpitudo. Ceterũ pro peccatis mortalibus inuenitur in iure taxata pœna: ſed pro fornicatione habetur taxata pœnitentia, ſcilicet ſeptem annorum, ſicut pro adulterio, homicidio &c. vt habetur 22. q. 1. c. Prædicandum: & hoc vt per pœnitentiam ſeptiformis gratia Spiritus ſancti per peccatum amiſſa recuperetur: ex quo ſequitur, quòd eſt mortale: propter quod ait Apoſtolus primæ ad Theſſal. 4. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos a fornicatione. Deus enim punit ſeuere fornicatores, vt patet per Apoſtolum 1. Cor. 10. Neque fornicemur, ſicut quidam eorum fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia: quando ſcilicet populus Iſrael fornicatus eſt cum filiabus Moab, vt habetur num. 25. Et hoc merito: quia fecerunt de templo Dei domum meretricum, pri. Cor. 6. Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti: ideo proprio ſubiecto nocet per beatum Paulum, vbi ſupra. Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat: & beatus Ioannes in Apoc. 21. c. loquens de fornicatoribus dicit. Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Cum enim ſcriptura nominet fornicarios & adulteros, dicens, Neque fornicarij neque adulteri regnum Dei poſſidebunt, nemini dubium eſſe debet, quin vtrumque in ſua ſpecie voluerit Deus eſſe prohibitum. Et ideo Paulus ad Theſs. vbi ſupra concludit: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos a fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij. Grauius profecto peccat Chriſtianus, ſi fornicetur, quàm ethnicus: quia iſte non expellit a ſe Spiritum ſanctum, ſicut fidelis, nec conſpurcat Dei templum: non fugit a Domino, cuius pretio Chriſtianus emptus eſt: non tollit mẽbrum Chriſti, vt faciat membrum meretricis, ſicut Chriſtianus, cuius in baptiſmo membra templum efficiũtur Spiritus ſancti & xpi. Sed quid dicemus de concubinarijs, qui indeſinenter fornicantur? Beatus Auguſtinus ſermone 243. Coram Deo, inquit, & Angelis

conteſtor atque denuntio, iſta mala & ſemper Deum prohibuiſſe, & numquam ei placita fuiſſe:quia præcipue tẽporibus noſtris Chriſtianis concubinas habere numquam licuit, numquam licebit: ſimilia etiam legere licet apud diuum Ambroſiũ lib. de Patriarchis. Quantum vero pertinet ad concubinatum clericorum, vide decreta Pontificum & conciliorum, & præcipue Innocentij ſecundi 28. diſt. cap. Decernimus, vbi inquit: Decernimus, vt hi, qui in ordine ſubdiaconatus, & ſupra, vxores duxerint, aut cõcubinas habuerint, officio atque eccleſiaſtico beneficio careant: cum enim templum & vaſa Domini ac ſacrarium Spiritus ſancti eſſe debeant & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditijs ſeruire. Vt autem prædictum malum incontinentiæ, potiſſimum concubinatus, expurgaretur a clero, ſtatuit Eccleſia in concilio generali, cui præſedit Innocentius iij. aduerſus negligentiam prælatorum in hunc modum. Prælati vero, qui tales præſumpſerint in ſuis iniquitatibus ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari ſubiaceant vltioni, nempe illi, quæ eadem decretali decernitur aduerſus presbyteros incontinentes tit. de vita & honeſtate clericorum, c. Vt Clericorum.

De ſtupro, altera libidinis ſpecie, raptu, inceſtu, ſacrilegio, peccato contra naturam, & de alijs quæ hoc præcepto mandantur. Cap. XXIIII.

FORNICATIONES non ſunt omnes eiuſdem rationis: quoniam qui laſciuiendo tentat florem virginitatis atque corrumpit, huius fornicatio fit ſtuprum: & eſt tanto grauius, quanto irrecuperabilius eſt ornamentum virginitatis, quod abſtulit. Eſt autem ſpeciale peccatum: quia in eo eſt ſpecialis deformitas, tum ex parte puellæ, quæ ex hoc, quòd violatur nulla pactione coniugali præcedente, legitimum matrimonium difficulter contrahere poſſet, & ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris, qui de eius cuſtodia ſolicitudinem gerit, ſecundum illud Eccleſiaſtici 42. Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiã, nequãdo faciat te venire in opprobriũ inimicis tuis. De hac luxuriæ ſpecie, quæ importat deflorationem virginum ſub cura parentum exiſtentium, loquitur diuus Thomas diffuſe 22. q. 154. art. 6. dicens, quòd aliter in veteri, & aliter in noua punitur lege: vide etiam beatum Antoninum in 2. parte ſuæ ſummæ art. 5. c. 6. Stuprum enim fit

duplo

duplo adhuc grauius, ſiquis vitiet virginem alteri viro iam deſponſatam: quale ſtuprum olim ſupplicio mortis puniebatur Deut. 22. Secundo, quando quis fornicationi addit raptum, contrectans violenter mulierem inuitam, creſcit ſcelus, fitq; crimen morte puniẽdum. Nam ſi filius mortis eſt, qui vim infert bonis temporalibus, multo magis ille, qui de meo corpore, & de ornamento caſtitatis meæ rapinam facit. Fuit olim hoc delictum grauiſſime punitum in Sichem filio Emor principis Sicimorum Gen. 34. quem Deus cum patre ſuo, & tota ciuitate plaga maxima percuſſit, propter Dinam filiam Iacob ab ipſo raptam: item in Amnon, qui vi oppreſſit Thamar ſororem ſuam 2. reg. 13. Vnde raptus eſt illicitus coitus, a rapiendo dictus: & vt dicitur 36. q. 1. raptus committitur cũ puella, quæ violenter a domo patris abducitur, corrupta, vt in vxorem habeatur: de quo S. Thom. vbi ſupra art. 7. inquit. Raptus quãdoque concurrit cum ſtupro, vt quando aliquis violentiam infert ad virginem illicite deflorandam. Quæ quidem violentia quandoque infertur tam virgini, quàm patri eius: quandoque patri, & non virgini conſentienti, vt de domo patris abducatur & corrumpatur: ita quòd ſi fiat vel fornicario coitu, vel matrimoniali, dummodo violentia adſit, ſaluatur ratio raptus. Quandoque inuenitur raptus ſine ſtupro, vt cum quis rapit viduam vel puellam corruptam. Stuprum vero ſine raptu eſt, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginẽ illicite deflorat. Sãctus Thomas ibidem ſubdit, quòd aliud cenſendum eſt in raptu puellarum, quæ ſunt alijs deſponſatæ: quia reſtituendæ ſunt ſuis veris ſponſis: & aliter de raptu earum, quæ nõ ſunt deſponſatæ: quia iſtæ reſtituendæ ſunt paternæ poteſtati, & tũc de voluntate parentum poſſunt eas licite in vxores accipere. Si autẽ aliter fiat, illicite matrimonium contrahitur. Si tamen ſit matrimonium contractum de voluntate puellæ, tenet: quia ſi raptus impediat matrimoniũ contrahendũ, nõ tamen dirimit contractum: hæc Thomas. Contra huiuſmodi raptores habemus c. 6. ſeſs. 24. cõcilij Triden. de reformatione matrimonij tale. Decernit S. ſynodus, inter raptorẽ & raptã, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullũ poſſe cõſiſtere matrimoniũ. Quòd ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illũ in virũ habere cõſenſerit, eam raptor in vxorẽ habeat: & nihilominus raptor ipſe ac omnes illi conſiliũ, auxiliũ, & fauorẽ ꝓbentes, ſint ipſo iure excõmunicati, ac perpetuo infames, omniumq; dignitatũ incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam in vxorẽ duxerit, ſiue non duxerit, decẽter arbitrio iudicis dotare: de qua etiã pœna vide dominũ Antoninũ

vbi ſupra. Tertio, quãdo quis libidini ſuæ adeo nullum ponit modum, vt nec ſanguinis, nec affinitatis, aut publicæ honeſtatis rationem habeat, huius libido vocatur inceſtus: & quandoque tã enormis, ut Apoſtolus propter eundem tradiderit inceſtuoſum Corinthum ſatanæ ad interitum carnis, pri. Cor. 15. grauiter coarguens Corinthios his verbis: Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Inceſtus iſte, qui eſt alia ſpecies luxuriæ, conſiſtit in cõmiſtione carnali cum coniuncta conſanguinitate, affinitate, vel ſpirituali parentela: & eſt grauior adulterio, vt dicit dominus Antoninus vbi ſupra, c. 5. Per hoc enim uitium ſuffocatur ratio, & fiunt homines deteriores animalibus. Vnde Ariſtoteles in 8. de animalibus refert, quòd quidam equus pulcherrimus cum fuiſſet deceptus, quia ſcilicet fuit poſitus pannus ante oculos eius, ut non uideret equam matrem ſuam, ſed cum ea commiſceretur, quæ etiam pulchra erat, poſt cõmiſtionem, amoto panno, vt perpendit factũ, adeo exhorruit, quòd ſeipſum præcipitauit. Quantum vero hoc vitium Deo diſpliceat, ex eius animaduerſione patet. Rubẽ enim, quia carnaliter cognouit vxorem patris ſui, diminutus fuit in primogenitura Gen. penul. Et in libro de benedictionibus duodecim Patriarcharum legitur, quòd Ruben infirmatus eſt ad mortem propter huiuſmodi crimẽ, & infirmitatem iliacam incurrit. Amnon quoque, quia violauit ſororem ſuam, interfectus fuit ab Abſalon 2. reg. 13. Glorioſus Ioannes Baptiſta adeo hoc facinus abhorruit, vt in faciẽ reprehenderet Herodẽ, & ſibi diceret: Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui, Mar. 6. & ꝓpter hoc fuit carceratus & decapitatus. Multa alia pertinẽtia ad hoc crimẽ habes in dicta ſumma beati Antonini vbi ſupra, & ꝓ̃cipue de gradibus conſanguinitatis, affinitatis, & ſpiritualis parentelæ: qui gradus non modo impediunt cõtrahendum, ſed dirimũt contractum. Porro ſi monachus, ſacerdos, vel epiſcopus ſe polluit libidine cum ſcorto, huius fornicatio ſacrilegium vocari poteſt, eo quòd rem Deo ſacram contra votum, vel contra inſtitutionem eccleſiaſticam in ſcelere turpitudinis profanauit, faciens Chriſti templum vile membrum profani ſcorti. Duplo quidem ſceleratius ſacrilegium eſt, ſi ipſe operetur cum virgine Deo ſacrata. Virgines enim veſtales apud gentes violantes votũ caſtitatis, ſupplicio mortis puniebantur. Aduertendum tamen eſt, ſecundum ſanctũ Thomam 22. q. 154. art. 10. quòd actus vnius virtutis, vel vitij, qui ordinatur ad finem alterius, aſſumit ſpeciem illius: ſicut furtũ, quod committitur propter adulterium, tranſit in ſpeciem adulterij. Manifeſtum eſt autem, quòd obſeruantia caſtitatis ſecundũ quod or-

dinatur ad cultum Dei, tranſit in actum religionis, vt patet per diuũ Auguſtinum in lib. de virginitate: & ſic per conſequens luxuria, ſecundum quod violat aliquid pertinens ad cultum diuinum, pertinet ad ſpeciem ſacrilegij. Præter hæc autem inuenitur in libidinibus & alia ſpecies, quam vocant peccatum mutũ, eo quòd tam ſit offenſiuum piarum aurium, vt de illo ne loqui quidẽ fas ſit ad promiſcuam plebem. Clamat enim in cælum magnitudo huius ſceleris, horroreq; concutit naturam, & ſtupere facit circunſtantes parietes, vincens turpitudine omnem immunditiam, ſcelere omnem iniquitatem: adeoq; obcæcans, vt vir contra omnem inſtitutũ naturæ in virum, fœmina in fœminam, homo non numquam in beſtiã ſcelus operetur. Vbi enim perfidia, vbi apoſtaſia, vbi idololatria, vbi gẽtes longius aberrauerint a Deo, eo magis huic nefando malo inuoluuntur, vt ſatis luculenter tradat Apoſtolus, dicẽs. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, quæ connumeratur inter peccata contra naturam: vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ, potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula: Amẽ. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ: nã fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis, in inuicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Scelus hoc contra naturam factum eſt ſpectaculum mundi, cum Deus propter illud ſubuerterit Sodomã & Gomorrhã ciuitates nobiles cum vniuerſis oppidis & vicis, omniq; anima viuente, quæ in ipſis erat, pluens ignẽ & ſulphur de cælo, donec concremaret & in profundum demergeret Gen. 19. Qua autem pœna punierit lex vetus eandem abominationem, habetur ſupra in quinto mandato. Non modo enim prohibetur in hoc mandato ſupradictæ ſpecies libidinis, ſed & immunditia, inebriari vino, in quo (vt inquit Apoſtolus) eſt luxuria ad Ephes. 5. Turpiloquiũ, ſcurrilitas, oſcula impudica, cantiones lubricæ, choreæ, luſus, tactus, & quæcumque præparant viam ad illicitum vſum carnis, non ſunt quidem hæc adulteria, attamen per hos actus cõſtruitur in immundis hominibus adulterij ludus. Tu igitur fili fugies propter mandatum Dei non ſolum eius, quæ eſt in carne, concupiſcentiæ corruptionem, ſed & vniuerſa illectamenta in eadem. Dulcis qui-

dem

dem amor, & veneris vſus: verùm nouiſſima ipſius amara, quaſi abſynthium, ignis vſque ad conſumptionem deuorans, & omnia perdens, nempe famam Eccleſiaſtici 9. ſubſtantiam Luc. 15. cor Oſeæ 4. corpus Iudic. vlt. animam ac totum denique hominem 1. Cor. 6. & ad Gal. ac Eph. 5. Quodq; omnium peſſimum eſt, conuerſionem cordis ad Deum prorſus retardat, faciens Dei ac cæleſtium memoriam homini grauem, propheta dicente Oſeæ cap. 5. Non dabũt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum. Nec poſſunt incontinentes excuſari dicendo, quòd continere nõ poſſint, cùm beatus Paulus ad Philip. 4. dicat. Omnia poſſum in eo, qui me confortat: & Iacobi c. primo ſuæ canonicæ. Deus dat omnibus affluẽter, & non improperat. Et licet nihil poſſimus ex nobis, poſſumus tamẽ omnia, & mundum vincere, & iuſtos eſſe, & continenter viuere in eo, qui nos confortat ſuarum gratiarum auxilio: quiq; orationum inſtantia pulſatus dat cito: datq; omnibus petentibus affluenter. Si quis igitur indiget ſapientia, poſtulet a Deo, inquit beatus Iacobus: poſtulet autem in fide nihil hæſitans: quaſi diceret, nemo non habet, niſi qui vult non habere. Indubie Dei donum eſt continentia: nec poteſt quiſquam continere, niſi Deus dederit: porro Deus rogatus, ſiuè poſtulatus in fide, dat omnibus affluenter. Non tamen credas propter hoc, quòd ex ſolo Deo, ſed etiã quòd ex nobis pendet continentia noſtra: quia donis Dei ſæpe vel non vtitur, vel abutitur peruerſitas humana. Quamobrem qui negat recte dici hodie, nos Dei auxilio adiutos omnia poſſe, negat Euangelij vocem dicẽtis: Omnia poſſibilia ſunt credenti. Vnde ſicut nemo prohibetur, ita nemo iubetur hoc præcepto matrimonium contrahere: neque ſe ſubducit vocatione ſua contra Dei voluntatem, ſiquis vitam cælibém agere firmiter deliberatũ habuerit: Quamuis enim qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, tamen qui non iungit, melius facit 1. Cor. 7. Ad id ergo quod melius eſt, vocati ſumus: tum per ipſum Chriſtum dicentem, Matth. 19. Qui poteſt, hoceſt qui vult, capere capiat: tum per Apoſtolum eius ſcribentẽ ad Corinthios, vbi ſupra. Volo autẽ omnes eſſe ſicut meipſum, hoc præcipue tempore: quod cum breue ſit, etiam qui habent vxores, vult Apoſtolus eſſe tanquam non habentes, vt in Deo colendo poſſint accuratius occupari: neque propterea Deũ tentat (vt dicunt nonnulli hæretici) qui Dei fretus auxilio cælibatum vouet. Vnde Ambroſius lib. 1. de viduis, contra eos, qui propter infirmitatem putabant vouendam non eſſe continentiam, ne quis forte nõ præſtet, quod vouiſſet: Ergo nemo militet, inquit, ne aliquando vincatur:

nec

nec pedis vtatur obſequio,qui gradiendi periculũ reformidat: nec oculi intendat officio,qui cõcupiſcentiæ timet lapſum. Quid? ipſi coniuges nunquid omnes caſtitatem ſeruant coniugalem? etiam in ipſo coniugio adulteriũ committi poſſe illa Sixti ſentẽtia a Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum,& Auguſtino lib. 2. contra Iulianum producta nos docet. Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior: non propterea tamen ſequitur,nõ eſſe honorabile coniugium,& torum immaculatum Nec præterea peccat, ſi quis fidem ſuam coniugi obſtringit, ſi corporis ſui poteſtatem penes coniugẽ tantũ fore promittit: etiam ſi nõ paucos reperire liceat, qui quod promiſerint, non præſtent. Et hæc de ſexto mandato ſufficiant.

De ſeptimo præcepto,videlicet,Non furtum facies. Cap. XXV.

PRO ſeptimi mandati plena intelligentia habenda, ſunt notanda verba Scoti diſt. 15. 4. q. 2. dicentis, quòd rerum dominia non ſunt diſtincta de lege naturæ, vel diuina: immo lege ipſa omnia ſunt communia ſecundum beatum Auguſt. homil. 6. in Ioannem: & habetur 8. diſt. cap. 1. Quo iure defendis villas Eccleſiæ, diuino, aut humano &c? Iure ergo humano dicit,hæc domus mea, hæc villa mea eſt. Tolle iura Imperatoris,quis audet dicere,hæc villa mea eſt? & paulo poſt. Per iura regia poſſidẽtur poſſeſſiones &c. & rationem adducens inquit. Quia vſus rerum ſecundum rectam rationem ita debet competere hominibus, ſicut congruit ad pacificam conuerſationem & neceſſariam ſuſtentationem. In ſtatu verò innocentiæ communis vſus ſine diſtinctione dominiorum vtroque modo plus valuit, cum nullus tunc occupaſſet, quod fuiſſet alteri neceſſarium:nec etiam fuiſſet opportunũ illud ab ipſo per violentiam extorquere: ſed quilibet, quod primo occurriſſet neceſſariũ, occupaſſet ad vſum: Sic etiam maior fuiſſet ſufficientia ad ſuſtentationem, quàm ſi alicui præcluderetur vſus alicuius rei per appropriationem factam alteri. Illud autem præceptũ iuris naturalis de habendo omnia communia, poſt lapſum reuocatum eſt: & rationabiliter propter duo prædicta, videlicet, propter pacificam conuerſationem, & neceſſariam ſuſtentationẽ: quia poſt lapſum communitas rerum eſſet contra quietam conuerſationem: cum mali & cupidi occuparent ea, quæ ſibiipſis & alijs eſſent neceſſaria, & non ſine aliorum iniuria: ſicut patet de Nemrod, qui fuit robuſtus venator coram Deo, ideſt oppreſſor hominum Gen. 10. Fortiores etiam bellatores priuarent alios rebus neceſſarijs, & terra redige-

retur

retur in ſolitudine,cum nemo ita diligenter communicaret in labore communi, ſicut in communi fructuum perceptione . Qua de cauſa politia Ariſt. 2 . Polit. quòd non ſint omnia communia, melior eſt, quàm politia Socratis de habendo omnia cõmunia,ſecundum illũ ſtatũ, quem Ariſt. reperit tẽpore ſuo. Prima igitur diſtinctio dominiorũ, quatenus iuſta fuit, introducta eſt per legem poſitiuam iuſtam,ſiue lata fuerit a patre, ſiue a principe, ſiue a communitate iuſte regnãte : ſicut probabile eſt factũ fuiſſe poſt diluuium , quando Noe filijs ſuis diſtinxit terras,quas ſinguli occuparunt pro ſe,filijs ſuis,& ſua poſteritate. Et hæc auctoritas dicitur paterna , ſicut illa,quæ eſt a principe,ſiue cõmunitate, dicitur politica, in qua quis iuſte poteſt ſe ſubmittere vni perſonæ,vel communitati in his, quæ non ſunt contra legem Dei : in quibus ipſe poſſet melius dirigi per ipſum,cui ſe cõmittit,quàm per ſeipſum. Hi ergo apud quos reſidebat auctoritas politica, poterãt cõdere leges iuſtas,ordinantes,quod expediret pro pacifica cõuerſatione,& cõmuni ſuſtentatione.Vnde quicquid ſecundũ leges huiuſmodi iuſtas determinãt, iuſte poſſidetur : quod vero cõtra eas, iniuſte.Tranſlatio etiam rerum ſecundũ eundẽ doctorẽ,poteſt eſſe quantũ ad dominium, vel quantũ ad ius vtendi retento dominio .Tunc .n. transfertur dominiũ, quãdo alter habet eandẽ poteſtatẽ in re ipſa, cuius dominium trãsfertur,quã habuit dominus rei, a quo trãſlata eſt vtẽdi,donãdi, vel alienãdi poteſtas .Ex quo patet,quòd in mutuo trãsfertur dominiũ: nam mutuatã pecuniam diſtrahere poteſt mutuũ accipiens, & alienare .Sed vſus tantũ conceditur alicui, quando datur ſibi facultas,vt re aliqua vti valeat, non tamen quòd poſſit eam alienare, corrũpere,ſeu quoad ſubſtantiam,mutare : vt in locatione domus, vel accõmodatione equi,aut inſtrumẽti artis. Trãſlatio dominij iuſta poteſt fieri vel auctoritate publica legis,vel principis: aut auctoritate priuata domini immediate poſſidẽtis: & hoc bifariã.Vel per actũ mere liberalẽ, quando transferẽs nõ expectat aliquã redditionẽ , vt in donatione,ad quã requiritur liberalis & volũtaria donatio ex parte donãtis,& volũtas recipiendi ex parte illius,cui fit donatio: ſimiliter & ꝙ nulla lege ſuperiori,vel per actũ alterius a quo depẽdeat ille vel iſte in translatione, prohibeatur ille donare,& iſte recipere. Propter defectũ primi monachus nõ poteſt dare ſine Abbatis licentia, nec filiusfamilias ſine parentis volũtate. Propter defectũ ſecundi nõ poteſt quis donare pecuniã fratri minori, ex quo non poteſt eſſe pecuniæ dominus . Propter defectum tertij, viſitatus nõ poteſt dare aliquid viſitatoribus:immo ſi recipiãt munuſcula,tenentur duplum reſtituere : vel nõ abſoluuntur a maledictione,

quam

quam eo ipſo incurrunt, vt habetur in c. Exigit de cenſibus lib. 6. Aut per actum ſecundum quid liberalem, vt quando transferens expectat ſibi aliquid reddi, vel æquiualens: & iſte modus dicitur ꝓprie contractus, quia ibi ſimul trahuntur voluntates partium propter commodum vtriuſque. Quorum contractuum quidã eſt rei vtilis pro re vtili immediate, ſicut vini pro blado, & huiuſmodi, qui dicitur permutatio. Alter rei vtilis pro numiſmate, vel e conuerſo: & dicitur emptio vel venditio. Poſtremus eſt commutatio numiſmatis pro numiſmate, & dicitur mutui datio. In quibus generibus contractuum vltra conditiones ad translationem dominij requiſitas, generaliter iuſtitia in hoc conſiſtit, vt fiant ſine fraude, & ſeruetur æqualitas ſubſtantiæ, qualitatis, & quantitatis. In commutatis vero quęlibet ſpecies contractus requirit aliquod ſpeciale, vt ſit iuſta, de quo Biel. diſt. 15. 4. In trãslatione tantum vſus proportionabiliter iuſtitiã attenditur, ſicut in his, in quibus dominium tranſfertur.

De reſtitutione in genere nonnulla ſubnectuntur, antequam de ſingulis furtorum ſpeciebus differamus. Cap. XXVI.

RESTITVTIO ſecundum Aſtenſem lib. 5. tit. 29. c. 1. eſt iterata immiſſio alicuius in poſſeſſionẽ vel dominium rei ſuæ: vel generalius, eſt iuſta recompenſatio damni iniuſte illati: & hoc cui eſt illatum. Ex quibus infero, quòd reſtitutio damni iniuſte dati eſt de neceſſitate ſalutis: eſt enim præcepta per illud, Nõ furtum facies, quo prohibetur omnis vſurpatio rei alienæ, qua damnificatur proximus. Nam damnum datum tandiu manet, donec recompenſetur: ceſſat vero & extinguitur, quando recompenſatur. Et hæc reſtitutio debet fieri quàm citius, niſi dominus rei vellet, aut velle deberet, eam rationabiliter detineri. Et hoc primo, quando reſtitutio eſſet in præiudicium communitatis, vel domini eius: cum quis magis debeat velle bonum commune, quàm proprium. Secundo, quando reſtitutio eſſet in præiudicium famæ reſtituentis, cum quilibet magis debeat diligere famã proximi, quàm incommodum ſuum ad tempus in bonis tẽporalibus. Tertio, quãdo ex reſtitutione ſequeretur maius incommodũ reſtituenti, quàm illi, cui facienda eſſet reſtitutio. Quarto, quando dominus rei ſpõte conſentiret in dilationem reſtitutionis, vel ſponte remitteret debitum. Si quæratur, quid ſit reſtituendum, ad id in genere reſpondetur, quòd occupatum vel iniuſte detentũ, inuito rei ablatæ domino:

mino : & hoc domino propinquo aut remoto , vt ſunt rapta , furto ablata, aut alio modo vſurpata, in quibus non transfertur dominium . De hoc genere reſtitutionis & caſibus particularibus,limitantibus dictam generalem reſtitutionē, habes diffuſe a domino Biele in 15. diſt. 4. q.2. Pro eo vero,qui habet reſtituere,ponitur talis cōcluſio Scoti vbi ſupra : Quòd omnis obligatio ad inſolidum (ideſt totum ablatum reſtituendum) reducitur ad auferre , vel detinere . Et hoc,vel vt cauſa principalis ſuperior præcipiendo:vel vt cauſa ꝓxima immediate auferendo,vel detinendo: vel vt cauſa coadiuuās, vtputa vel in re ablata participando, vel conſentiendo,aut receptādo : vel vt cauſa conducens, ſi conſulit, fauet , aut adulatur :vel qa non impedit, nec facit reſtitui , dum id ſibi ex officio competit , & manifeſta eſt iniuria, & ſine periculo perſonæ poteſt : ſed diſſimulat aut tacet in iudicio requiſitus , vbi poſſet ſententialiter res ſuo domino reſtitui : præcipue quia dicendo veritatem nōn immineret ſibi periculum ſtatus vel perſonæ . Et hoc intelligendum eſt,quando propter illa,ſeu aliquod illorum,poſitiue ſeu priuatiue aufertur,vel detinetur res aliena . Secus ſi illis non exiſtentibus,nihilominus res auferretur a raptore vel fure, aut ablata detineretur : quia tunc nō tenentur prædicti ad reſtitutionem , eo quòd proprie non præſtant cauſam, cum cauſa ſit, qua poſita ponitur effectus, & ea non poſita non ponitur . Veruntamen vno reſtituente omnes alij liberantur a debito reſtituendi : alij tamen tenentur pro rata portionis, quæ eis contingit illi, qui pro omnibus ſatisfecit . Si quæratur, cui facienda ſit reſtitutio, reſpondet dominus Bienſis vbi ſupra , quòd regulariter damnificato, ſi iuſto titulo poſſideat, ſi noſcitur, ſi eius præſētia haberi poteſt, aut res ablata poteſt ei mitti ſine maioribus expenſis , quàm res valet : ſi rerum ſuarum adminiſtrationem habet , ſi reſtitutio ei facienda non eſt interdicta eccleſiaſtico vel imperiali edicto, vt patet 3. q. 1. c. Redintegranda,& de reſt. ſpoliatorū quaſi per totum , vbi additur , ſi iuſto titulo poſſideat : quia ſi furtum aut ſpolium aufertur furi vel raptori,reſtituendum eſt domino rei, & non furi . Siquis etiam bona fide poſſideret, licet non eſſet verus dominus, ei eſſet reſtituenda, & non vero domino,niſi de voluntate poſſidentis. Additur, ſi noſcitur: quia ſi ignoratur cuius res fuerit ablata,poſt diligentem inquiſitionem debet reſtitui pauperibus vel Eccleſiæ , aut in pios vſus conuertenda . Et notanter dicitur , ſi eius præſentia haberi poſſit : quia forte mortuus eſt , aut ignoratur vbi ſit : & tunc reſtituenda eſt hæredibus, aut cui vult ſua reſtitui in teſtamento, ſi ſciuntur : alias pauperibus, vt ſupra . Subditur , ſi rerum ſuarum adminiſtrationē habet, propter pupillos aut furioſos:

tunc enim reſtituenda eſſet procuratori eorum. Dicitur vltimo, dũmodo non fuerit interdictum &c. vt quando aliquid acceptum eſt ex turpi cauſa, in quo reſtituere tenetur: non debet reſtitui ei, qui dedit, ſed Eccleſiæ, aut pauperibus: ſi tamen ille, qui dedit, potuit alienare: alioquin ei, qui habet adminiſtrationem, reddendum eſt: vt ſi ob cauſam turpem monachus aliquid daret aut vxor, reddendum eſt Abbati vel marito, tacita tamen perſona quæ dedit. Sic in acquiſito per ſimoniam, aut dum acceptum eo ipſo applicatum eſt fiſco, non eſt reſtituendum danti, ſed Eccleſiæ vel fiſco, & non pauperibus. Si petatur, per quem fieri debet reſtitutio, reſpondet Biel vbi ſupra, quòd reſtitutio certis facienda, cognitis & notis fieri debet per eos, qui rem abſtulerunt, aut qui detinent: & hoc per ſeipſos, vel per interpoſitas perſonas. Sed ſi delinquens in ablatione rei eſt occultus, fiat per alium caute, ne publicetur actor, & ne mediator ſibi retineat rem reſtituendam, cùm nõ eſſet propter hoc liberatus. Sed de reſtitutione facienda in pios vſus, vel pauperibus, quando videlicet ignoratur dominus rei ablatæ, aut ignorantur hæredes, variæ ſunt opiniones. Prima Hoſtiẽſis & Ioan. Andreæ, quòd videlicet per eccleſiaſticos prælatos, rectorem, & moderatorem diuini cultus incerta diſpenſanda ſunt. Vnde 87. diſt. c. Diuinæ, dicitur: Diuinæ retributionis memor, ad pontificalem conſcientiam non ambigas pertinere egentium commodis piam ſolicitudinem non negare. Archidiaconus aſſerit ſententiam Hoſtien. eſſe veram, dum nullus deputatus eſt a teſtatore, qui hoc exequatur: ſed vbi certa perſona deputata eſt, ad illam ſpectabit executio 12. q. 2. c. De laicis, vide ad hoc c. Cum tu, de vſuris, & in glo. c. Sicut dignũ, de homicidio: vbi huiuſmodi reſtitutio pauperibus facienda imponitũr iniuſte poſſidentibus. Et quando allegatur ſupra capitulum, Diuinæ, reſpondetur, quòd quamuis epiſcopi & prælati ſint diſpenſatores rerum datarum Eccleſijs, non tamen omnium, quæ ſecundum Deum ſunt in diuinum cultum & pauperes eroganda: ſed eorum ſolum, quæ iam ſunt in diuinum cultum ordinata, vt ſunt eccleſiarum reditus & huiuſmodi. Huic ſecundæ opinioni concordat Scotus 15. 4. q. 2. dicens: Si quæris, per manus cuius reddi debent pauperibus bona incerta, nõ inueni quis determinatus ſit neceſſario mediator in diſtribuendo iſta pauperibus: adducit tamen quendam doctorem dicentem, quòd confeſſor, aut alius de cuius fidelitate non dubitet. Videtur tamen ſibi, quòd per ſeipſum, conſilio tamen alicuius boni viri poteſt iſta diſtribuere pauperibus. Vbi enim lex diuina vel eccleſiaſtica non ligat perſonam, ſequenda eſt ratio naturalis, quæ dictat, quòd perſona, quæ tenetur, magis

reſtituat per ſeipſam, quàm per aliam, non excludendo tamen cōſilium alterius boni viri. Ponit tamen Angelus in ſua ſumma quatuor caſus, in quibus poteſt ſe Epiſcopus intromittere de reſtitutionibus incertorum. Primus, quando mortuo debitore, nullus relictus eſt hæres, vel executor ad reſtituendum. Secundus, quando is, qui tenetur reſtituere, non vult, & in iudicio agitur contra eum. Tertius, quando reſtituens male diſpenſaret: poſſet enim tunc Epiſcopus ſe intromittere, vt legitime diſpenſet. Quartus caſus, quando talia incerta poſſidentur a manifeſto vſurario: quia tunc ex diſpoſitione iuris diſpenſatio deberet fieri per epiſcopum, vel eius auctoritate, vt in c. Quanquam de vſuris lib. *6*. Sed nunquid Epiſcopus poſſit ſibi reſeruare incertorum reſtitutionem, & per ſtatuta ſynodalia prohibere, ne alius ſe intromittat, eoſq; excommunicare, qui cōtra huiuſmodi ſtatutum diſpenſent pauperibus: Reſpondet Angelus tit. Reſtitutio 2. §. 14. & Ioannes de Lignano in dicto c. Cūtu, & nonnulli alij: quòd Epiſcopus non poteſt de iure ſacerdotes excommunicare, qui ſe intromittunt de diſpēſatione incertorum: & addit, quòd multo minus religioſos exemptos, cum non ſit caſus ſuus: nec poteſt ſibi de iure reſeruare, niſi in quatuor caſibus prædictis. Satisfacit ergo detinens, ſi per ſe vel per alium reſtituēda in pios vſus, hoc eſt Eccleſiæ vel pauperum, eius ordinatione fideliter diſtribuantur: & cautius agit, ſi de conſilio alicuius prudētis & boni viri hoc agat: excipitur tamen quartus caſus prædictus, in quo debet accedere auctoritas diœceſani. Congruit tamen, vt inter pauperes eligantur pauperiores: & inter æqualiter pauperes, meliores: cum non tam paupertas, quàm religio attendenda ſit in ſimilibus: Et cōuenit, vt dentur pauperibus illius loci, in quo ablatio facta eſt, cū ſic citius peruenire poſſent ad manus veri domini: & magis præſumitur verum dominum in caſu voluiſſe reſtitutionē fieri pauperibus loci ſui, quàm alieni. Quando autem reſtitutio eſt facienda, & quando confeſſor poſſit concedere dilationem obligato ad reſtitutionem, tractatur in dicta diſt. 15. q. 2. præfati domini Bielis, dubit. 5. ſimiliter & de ordine reſtitutionis. Si enim habet aliquas res non ſuas, illæ ante omnia ſuis dominis ſunt reſtituēdæ, vt rapta, furta &c. ex quo numquam fuerunt ſua: ideo in alium vſum non poteſt ea conuertere. Inter autem res reſtituendas, quarum habet dominium, certa ſunt præponenda incertis, & certis p̄ponendus eſt, qui iure eſt potior: ſi autem ſimul veniunt creditores, ſecundum ratam ſingulis, quantum fieri poteſt, fiat ſatisfactio: in incertis præferendi ſunt pauperes alijs pijs vſibus. Et prædicta ſufficiant pro generali reſtitutione.

De furto prout eſt ſeptimum præceptum ab alijs diſtinctum. Caput. XXVII.

SANCTVS Bonauentura 37. diſt. 3. in dubijs circa literam inquit, quòd in præcepto de furto intelligitur prohiberi omnis illicita vſurpatio rei alienæ. Sãctus Auguſtinus in lib. 9. Exodi, inquit: quòd poteſt fieri vel per violentiam vel per fraudem: & hoc vel ſimpliciter, vel in re conſecrata. Prohibetur enim hic furtum ſimplex, & ſacrilegium, quod eſt furtum perpetratum circa rem ſacrã, vel locum ſacrum: & rapina, quæ fit per violentiam, vt vſura, prò eo, quòd in vſura eſt quædam violentia, & quædam fraudulentia in hoc, quòd vendit homini rem ſuã. Tenetur enim vnuſquiſque ſubuenire proximo in mutuo ex diuino mandato: dum ergo vendit illud, quod tenetur ei facere, ipſum fraudat & decipit. Rurſus dum pactione aliquid ab eo exigit, quodammodo ad id, quod non debet, ipſum compellit: vnde omni tempore vſura fuit prohibita, ſicut & furtum, vt innuit Magiſter in litera. Quantum ad ſacrilegiũ ſubdit, quòd circunſtantia loci & perſonæ bene poteſt transferre ad aliud genus peccati, ſicut violatio ſanctimonialis ratione conſecrationis transfertur in nouũ genus peccati, videlicet ſacrilegij: Ita in propoſito intelligendum eſt: quod enim eſt accidens actioni in genere naturæ, poteſt eſſe complementum in genere moris. Si vltra dicatur, quòd vſurarius non contrectat rem alienam inuito domino, immo domino volente, vt patet: Reſpõdet, quòd eſt voluntas abſoluta, & conditionata. Et quando dicitur, quòd contrectat res, quas recipit vltra ſortem volente domino: ait, quòd eſt verum de voluntate conditionata, ſed tamen inuito quoad abſolutã: magis enim vellet, quòd impenderetur ſibi mutui gratia ſine mercimonia. Si obijciatur, quòd tunc vſurarius concurreret cum fure, ſi vſura continetur ſub furto: dicendum, quòd ſiquis ſoluit vſuras præter neceſſitatem, nõ eſt immunis a culpa: cum vero ex neceſſitate vſuras ſoluit, non peccat, cum licitum ſit vnicuique redimere iuris ſui vexationem. Vnde ſicut ille, qui dat veſtes ſuas latroni, antequam permittat ſe interfici, nõ dicitur concurrere cum latrone: ſic qui ſoluit vſuram in neceſſitate, non dicitur concurrere cum fure. Quam neceſſitatem debeat quis expectare, hoc eſt rationis rectæ determinare, pro eo quòd ſecundum diuerſas cõditiones perſonarum, diuerſimode neceſſitates debent compenſari. Et ſi dicatur, quòd licet dare pecuniam pro accõmodatione domus, vel veſtis, & etiam gratis: dicendũ, quòd non eſt ſimile, quia vbi pecunia

datur liberaliter extra omnem pactionem, eſt ibi liberalis donatio, & non illicita contrectatio : non ſic autem eſt vbi interuenit illicita pactio. Similiter non eſt ſimile de alijs poſſeſſionibus & de pecunia, ex triplici cauſa. Prima, quia in mutatione pecuniæ transfertur pecunia in dominium alienum : & huius ſignū eſt, quia non tenetur illam eandem numero reddere, ſed illi conſimilem : in accommodatione vero domus vel equi dominium non transfertur. Alia ratio eſt, quia pecunia dum in vſum vertitur, nō conſumitur, nec deterioratur : non ſic eſt de alijs rebus, quæ ſecundum quod diutius eis vtimur, magis tendunt ad defectū. Tertia ratio eſt, quia pecunia quantum eſt de ſe, per ſeipſam non fructificat : non ſic autem eſt de rebus, quæ ex ſeipſis afferunt fructum & vtilitatē : ideo non eſt ſimile. Notandum ad hæc, quòd in genere eſt duplex furtū, vt dicit Biel vbi ſupra, q. 3. ſcilicet manifeſtum, vt eſt quando cum eo fur deprehenditur, priuſquam veniat ad locum deſtinatum : & non manifeſtum, cum quo videlicet fur non deprehenditur. Sunt etiam quædam furta, quæ ſpecialia ſortiuntur nomina, vt ſacrilegium, quod eſt furtum rei ſacræ vel rei non ſacræ, de loco tamē ſacro. Committitur ſacrilegium vel in perſonā, vt cum læditur perſona eccleſiaſtica : vel in locum, vt cum immunitas eccleſiæ vel cœmeterij læditur : vel in re, vt cum res aliqua ſacra de loco ſacro, aut res ſacra de loco non ſacro aufertur, vt habetur in c. Siquis contumax, 17. q. 4. Sic furtum commiſſum in re religioſa vel in republica, dicitur peculatus : & ſi diſperſo grege inde furetur, dicitur abigeatus. Furtum hominis liberi venditi vel empti ſcienter, dicitur plagiatus. Eodem modo ſolicitatio ſerui alieni, vel aſportatio ad aliam regionem, dicitur furtiua ductio : cetera furta retinent generale nomen furti. Ex prædictis patet, quòd duplex eſt differētia inter rapinam & furtum. Prima, quia furtum fit occulte, rapina manifeſte : & hanc innuit Philoſophus 5. ethic. c. 4. Secunda, quia furtum fit doloſe, rapina vero violenter. Si etiam rapina ſumatur propriſſime, vt diſtinguitur contra prædationem, reſpicit res immobiles, deprædatio vero mobiles. Iuxta hoc etiam varijs modis committitur rapina, ſcilicet manifeſte, vt a latronibus & publicis raptoribus ac viarum inſidiatoribus, qui vagantur, & vndecunque poſſunt, rapiunt : fit etiam in naufragijs, in pedagijs, in quæſtibus, talijs, & ſimilibus : fit in bellis, & uarijs tam dominorum, quàm officialium extorſionibus. Si igitur furtum vel rapina fiat de rebus ſacris, vt dictum eſt ſupra, vocatur ſacrilegium : continet enim in ſe violationē rei ſacræ cum iniuria Dei, cui pleno iure dicata eſt. Vnde ſacrilegi ſunt omnes, qui templa demoliuntur, qui ſupellectilem

domus Dei furantur, qui prædia Eccleſiæ diripiunt, qui clericos & religioſos ſuis domicilijs excludũt,ſtipendijs priuãt, decimis fraudant,quos merito terrere deberet Dei vindicta in Heliodorum,(2. Machab. 3.) qui voluit Hieroſolymis templum deſpoliare,& multa caligine obrutus ſemiuiuus de templo eiectus eſt. Vindicta quoque Dei in Antiochum tyrannum manifeſtat peccati huius grauitatem, quem viſcerum putrefactio,& fons vermiũ de corpore ſcaturiens, adeo intolerabilẽ reddiderunt ,vt fœtor eius & dolor etiã exercitum grauarent,eo quòd templum ſpoliare tentauerat 2. Machab. 6. & 9. Nec minus manifeſtum exemplum ſpectatur in Balthaſare Aſſyriorum rege Daniel 5. Sacrum enim dicitur quicquid mancipatum eſt cultui diuino, vt eccleſiæ,& eius res. Quapropter etiam ſacrilegi ſunt,qui recipiunt beneficia, hoceſt decimas, aliaq; emolumenta eccleſiæ, conſecrata Deo in ſtipendium diuini officij: minime tamen aut per ſe,aut per alium muneri adepto ſatisfaciũt. Tales enim grauiſſime delinquunt facientes contra hoc mandatũ, inferentes iniuriam Deo,fundatoribus, & idoneis miniſtris, quos excludunt: & eccleſiæ,quæ ſuo fraudatur officio.

De altero furti genere videlicet ſimonia, ex qua eliciũtur nõnullæ cõcluſiones, per quas cognoſci poteſt, vbi nam committatur, & vbi nõ cõmittatur dicta furti ſpecies. Cap. XXVIII.

PRO criminis ſimoniacæ hæreſis declaratione beatus Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam inter alia ſcitu digna ad mores ſpectantia, inquit: Cauete ab omni ſpecie auaritiæ: deteſtabilior vero cunctis eſt ſimonia: ad quam e medio tollẽdam Dominus per Michæam prophetam cap. 3. dicit. Iudices eius in muneribus iudicabant, ſacerdotes eius in pretio reſpondebant, prophetæ eius in pecunia diuinabant: iccirco Syon quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi cuſtodia pomœrij erit. Vbi beatus Hieronymus: Nemo ambigat Hieruſalem propter huiuſmodi ſcelera fuiſſe ſubuerſam, vbi loquitur expreſſe de ſimonia. Dominus etiam noſter per ſeipſum contra ſimoniacos (Ioan. 2.) loquitur, dicens: Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Vocat domum patris ſui Eccleſiã,quæ per ſimoniam fit domus negotiationis, dum ſpiritualia, quæ traduntur in ea, fiunt venalia. Certe enim ſi prophetarum, ſi totius ſacræ ſcripturæ repetuntur annalia, nullum reperiemus hominum genus, quod Deus vehementius arguat,magis perterrefaciat,& crudelius puniat,quàm ſimoniacos:in cuius rei ſignũ

fecit flagellum de funiculis, & eiecit vendentes & emẽtes de templo. Nullibi enim legitur ſic feciſſe. Beatus quoque Petrus grauitatem huius criminis arguit per illam ſeueram ſententiam latam contra Simonem magum, Actuum 8. dum ei dixit. Pecunia tua tecum ſit in perditione: exiſtimaſti enim donum Dei pecunia poſſideri. Donum Dei eſt Spiritus ſanctus, qui per modũ doni & dati procedit æternaliter a patre & filio: ſimiliter gratia informãs animam, ſacramenta, ſacramentalia, & cetera ſpiritualia, (de quibus diffuſius infra) quæ a Deo nobis gratis & ex dono dantur. Sed vt euidentius pateat grauitas huius criminis, ſimiliter & vbi perpetratur, videndum eſt, quid ſit ſimonia: dicit enim Tullius de officijs lib. 1. Omnis enim, quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur. Simonia, vt volunt dominus Alexãder de Ales, ſanctus Thomas, Biel, & alij nonnulli doctores, eſt ſtudioſa voluntas vendendi vel emendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexũ. Vbi voluntas non ſumitur pro rationali potentia volente, quæ eſt libera per eſſentiam, & ad oppoſita contrarie & contradictorie, ſed pro actu volendi, eo modo quo de illa loquitur beatus Auguſtinus lib. 1. retract. c. 22. dicens. Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas, ideſt quàm ipſe actus volendi, vt exponit Scotus 7. diſt. 2. & 16. & 18. q. quolibetorum. Et ratio eſt: quia omne peccatum actuale actu voluntatis committitur. Dicitur ſtudioſa, ideſt deliberatiua: nam ſola voluntate, deliberatione præuia, committi poteſt ſimonia: licet ab Eccleſia nõ puniatur, niſi procedat in opus extra. Nomine emptionis & venditionis ſecundum beatum Thomam 22. q. 100. intelligitur omnis contractus nõ mere gratuitus, cum omnis talis, quo commutatur, vel datur ſpirituale pro temporali, poſſit eſſe ſedes ſimoniæ: non enim gratis datur, ſicut gratis fuit acceptum. Dicitur emendi & vendendi: Simon enim magus emere voluit gratiam conferendi per impoſitionem manuum Spiritum ſanctum, vt operationes ſuas vendere poſſet alijs: & ſic voluntatem emendi & vendendi habuit. Giezi vero famulus Eliſei a Naamã Syro recepit munera ꝑ ſanitate ei collata ad preces domini ſui 4. reg. 5. Vnde ſicut dici poſſunt a Simone emẽte & vendẽte ſimoniaci: ita & a Giezi vendente giezitæ. Dicitur ſpirituale, non phyſicum, quod eſt indiuiſibile, ſed theologicum: & hoc vel per eſſentiam, vt virtutes infuſæ, dona Spiritus ſancti, character ſacramentalis &c. Vel per efficientiam, vt ſacramenta cauſantia gratiam ex opere operato, (id enim conferunt, vt dicit decretum Eugenij in doctrina pro Armenis, quod ſignificant) & ſacramentalia cauſantia

gratiam ſaltem diſpoſitiue ex opere operantis, inueſtitura, iuriſdictio eccleſiaſtica, poteſtas ſpiritualis, & ad hæc antecedentia, comitantia,& conſequentia. Aut per actualitatem, vt effectus procedentes a poteſtate ſpirituali,ordine, vel iuriſdictione eccleſiaſtica. Aut actus, qui fluunt non modo a ſpiritu increato, ſed a creato, vt ſcientia, virtutes acquiſitæ, & id genus. Dicit enim Dominus Alexander de Ales in 2. par. q. 187. art. 3. quòd Spiritus ſanctus nõ ſolum habetur, vt calor inflammans affectum per virtutes infuſas & ſacramenta Eccleſiæ, ſed etiam vt lux illuminans intellectũ per ſcientiam &c. Ad hæc Albertus magnus diſt. 25. 4. pro clariori dictorum intelligentia diſtinguit,quòd quadruplex eſt ſpirituale. Quoddam, quod pro ſua ſpiritualitate nullo modo vendi poteſt, cum nihil communicet cum corporalibus: & ideò non poteſt tranſire in dominium alterius, vt ſunt dona Spiritus ſancti,virtutes infuſæ,beatitudines,& ſimilia. Quoddam licet ſit eſſentialiter & totum ſpirituale, eſt tamen in corporalibus datum, vt gratiæ ſacramentales: quod quamuis ex ſui natura & de iure venale non ſit, venditur tamen ſæpe ex parte illa, qua eſt corporale, quod in poteſtate miniſtrorum eſt: numquam hoc tamen fit abſque ſimonia. Tertium eſt ementi corporale, perſonis tamen ſpiritualibus attribuitur ad ſuſtentandas eas in ſpiritualibus exercitijs,vt præbendæ,& alij prouentus eccleſiarum: iſta tamen ſi vendantur,committitur in eis ſimonia ratione ſpiritualitatis, cui attributa ſunt. Vltimo dicuntur ſpiritualia, corporalia inanimata, quibus traduntur quædam ſpiritualia, vt vaſa decoris domus Dei, videlicet calices, turibula, cruces, libri, & ſimilia. Et de his ſolum verum eſt, quòd vendi poſſunt ſine ſimoniæ nota, ſed differenter: quia aut eccleſia vendit alteri eccleſiæ, & tunc integra vendi poſſunt, non accepto pretio pro cõſecratione vaſorum: aut venduntur perſonis laicis,& tunc prius cõfringi debent a ſacris perſonis, præmiſſa oratione pro indulgentia fractionis. Poſtremo,ſcilicet in definitione ſimoniæ dicitur, aut ſpirituali annexum, vt ius recipiendi decimas, quod annectitur ordini clericali: ſimiliter & ius patronatus, quod eſt annexum ſpirituali, videlicet beneficio eccleſiaſtico, & præſentationi ad idem, ſecundum Alexandrum vbi ſupra, de quibus a Biele 28. lect. ſuper can. miſſæ diffuſe tractatur. Aut dicitur ſpirituali annexum, quia in ſpirituali fundatur, & non poteſt de iure competere niſi ſpirituali, aut clericali ſtatui, vt patet ex Ricardo. Cum autem dicitur pro vſu ſpiritualis poteſtatis, ordinis videlicet, vel iuriſdictionis, ſpiritualia dari pro temporalibus, ſeu intuitu commodi temporalis ſecundũ Bielem vbi ſupra,de mente Petri de Aliaco Cardinalis Cameracen-

ſis, & Gerſonis in tractatu de ſimonia, quadruplex poteſt eſſe intuitus ad commodum temporale in datione vel adminiſtratione ſpiritualium. Primo poteſt ferri intuitus ad commodum temporale, tanquam ad pretium rei ſpiritualis, quaſi ſit adæquatio in valore vnius ad alterum, ſicut eſt in emptione & venditione in ciuilibus, vbi datur pecunia pro mercede, tanquam rationabile eius pretiū: & ſic talis intuitus eſt vere ſimoniacus, humano & diuino iure prohibitus. Et ſi concurrat error in intellectu, ita quòd credatur hoc licite poſſe fieri, incurritur hæreſis proprie dicta, præcipue ſi adſit pertinacia, de qua beatus Gregorius in regiſtro. Altare, decimas, Spiritum ſanctum emere vel vendere, ſimoniacam hæreſim eſſe nullus fidelium ignorat. Si vero quis ex cupiditate commutare vellet ſpirituale pro temporali, non tamen credens hoc licite poſſe fieri: hic licet eſſet ſimoniacus, non tamē hæreticus. Secundo poteſt ferri intentio ad commodum temporale, tanquam ad motiuum principale dandi vel miniſtrandi ſpiritualia, vel tanquam ad finem mouentem ad opus, ſine quo omnino non fieret opus, in quo etiam ſiſtat intuitus ſpiritualia conferentis vel recipientis: ſic ſimonia eſt. Vnde ſanctus Thomas quolib. 8. art. ij. quærit de ituro propter diſtributiones temporales ad eccleſiam: & concludit, quòd ſi principalis finis ingreſſus in eccleſiam ſint diſtributiones, ſimonia eſt. Si vero ſint finis ſub fine, & principalis ratio ingreſſus ſit Deus ipſe, cui vt commodius, & ſyncerius ſeruire poſſit, ſuſtentationem recipit neceſſariam, ſimonia non eſt. Tertio modo poteſt ferri intuitus ad commodum temporale, tanquam ad motiuum minus principale, vel tanquam ad finem ſubordinatum ſub vltimo fine, ſiue tanquam ad cauſam allicientem aut trahentem ad donandum aliquid libere intuitu beneficij ſuſcepti vel ſuſcipiendi, ſiue ante, ſiue poſt: hoc modo ſublato ſcandalo, a quo per beatum Paulū pri. ad Theſſal. 5. abſtinendum eſt, & a ſpecie mali, vnde ſumi poſſit ſuſpicio ſimoniaca, ſimonia non eſt. Quarto & vltimo, poteſt ferri animus ad commodum temporale, tanquam ad rem iure diuino debitam pro ſuſtentatione miniſtri aſſiſtentis pro nobis Deo, & miniſtrantis nobis ſpiritualia, ſiue a ſponte, ſiue ab inuitis: & hoc modo dantur prælatis Eccleſiæ beneficia, vt officium ſuum gratis exoluere poſſint. Dignus eſt enim operarius mercede ſua Matth. 10. & 1. ad Tim. 5. Hoc titulo, qui dicitur iuſta miniſtri ſuſtentatio ſecundum Gerſonem lect. 4. de vita ſpirituali animæ, omnis moderata receptio temporalium pro ſpiritualibus ſaluari poteſt, maxime ſi aliunde nō habeat, vnde viuat. Ex quibus omnibus concludimus, quòd omnes conſtitutiones patrum ad hoc tēdunt, vt in dicto vſu ſpiritualis po-

teſtatis

teſtatis ſpirituale non commutetur cum temporali: vt pretium adæquatum, ſiue in ratione principalis motiui: ſed tantum ferri debet animus ad temporale, tanquam ad aliquid organice deſeruiēs ad ſuſtentationem & ſtipendij ſolatium, non autem ad appretiationem ſpiritualis cum temporali, cum ſtricta obligatio per conuentionem legalem ſiue per commutationem ſpiritualis pro temporali ſecundum Scotum 20.q. quolib. ſit ſimoniaca: & recipientes nō debent ſe exhibere ſuſpectos, immoderate iura ſua exigendo, & vltra quam ſit eis debitum & neceſſarium. Vbi autem non ſit pactio, & principalis intentio in collatione ſeu receptione ſpiritualium nō ſit ad temporalia, ſed gratis & eleemoſynaliter detur ad ſuſtentationem naturæ, vel propter ſalarium officialium, aut ad ſeruandā laudabilem & approbatam conſuetudinem locorum: licite tunc & ſine ſimonia dari & accipi poſſunt. Et hæc præcipue vera puto (vt dictum eſt ſupra) ſi aliunde non habeant, vnde ſecundum gradum & ſtatum ſuum honeſte viuant.

Vt autem in hac ardua materia emergentium caſuum clara notitia habeatur, tria per ordinem videnda ſunt, videlicet: quid ſit res ſpiritualis, quid emptio vel venditio extrinſeca, & quid emptio vel venditio interior: et primo, quid ſit res ſpiritualis. Cap. XXIX.

RES ſpiritualis appellatur a Spiritu ſancto, vt eſt ſpiritualis ratio vitæ, qua in Chriſto viuimus, ſentimus intelligimus, & operamur: in cuius ſignum ſimonia eſt vitium eccleſiaſticum, non habens locum in ꝓfanis. Res igitur vel ſunt mere ſpirituales, vt dona Dei gratuita, quæ ad vitam Eccleſiæ ſpectant, virtutes, gratiæ gratiſdatæ, poteſtas ſpiritualis tam ordinis, quàm iuriſdictionis, ſacramentales effectus, ius ſpirituale quodcumque ét viuendi ex altari & recipiendi decimas, beneficia eccleſiaſtica, & ſimilia. Vel cōpoſitæ ſūt ex ſpirituali & corporali, licet formaliter & principaliter ſint ſpirituales, vt omnia Eccleſiæ ſacramēta, ſacramētalia, ſicut ſunt conſecrationes uirginū, benedictiones nubentium, miſſæ, orationes uocales, eccleſiaſticus cultus, prædicatio, oleum ſanctum, chriſma, eccleſiaſtica beneficia, & id genus. Vel compoſitæ ſunt ex ſpirituali & corporali, ſed principale in illis eſt corporale, ut calices, cruces, officia eccleſiaſtica, officium iudicis, doctoris, ſacriſtæ, œconomi: ex quibus eliciuntur ſex regulæ. Prima regula, nulla res ſpiritualis, ut talis, licite uenalis eſt, aut maioris pretij ra-

tio: & ita nec poteſt uendi nec emi: res uero cōpoſita ex ſpirituali & corporali ex ea parte, qua eſt ſpiritualis, nullo modo eſt uenalis, tametſi eius ſpiritualitas ſit minima. Item ſi res aliqua ſic compoſita uendi aut emi licite poſſit, ut calix conſecratus, officiū docendi &c. Non tamen poteſt pluris æſtimari, nec pluris uendi, aut locari ratione ſpiritualitatis, ſed ſolummodo tanti, quantum ualet ratione rei corporalis: alioquin ſimonia committitur. Secunda regula, nulla res compoſita ex ſpirituali, & corporali, cuius ſpiritualitas eſt principalis, poteſt emi uel uendi abſolute. Vnde ſi ſimpliciter & abſolute ſub pretio poneretur, intelligeretur uēdi ſpirituale: cum unumquodque, cum abſolute tractatur & iudicatur, intelligitur tractari & iudicari ſecundum ſuum principale: unde cum tractatur de homine, tractatur de eo, ſecundum quod eſt rationalis. Ex qua regula habes, quòd non licet prædicatori pro prædicatione, ſacerdoti pro celebratione, ordinatori pro collatione ordinū paciſci, aut hæc ſub pretio abſolute ponere. Tertia regula, res quæcumque ſic compoſita, ut in eadē principale ſit corporale, poteſt abſque ſimoniæ uitio uendi uel emi abſolute, niſi ex poſitiuo iure inhibeatur. Et ratio eſt: quia ex eo quòd principale eſt corporale, non intelligitur uēdi niſi corporale, cum abſolute venditur: dummodo non pluris æſtimetur ratione ſpiritualitatis: ſed pure tāti vendatur, quantum corporalis res valet. Si tamen iura diſponerent ibi interuenire ſimoniam, non quia ſecundum ſe ſit, ſed quia prohibita, oportet parere iuri: ſicut de multis officijs iura canonica ſic diſponunt, vt ſunt œconomi, caſtaldi &c. Quarta regula, ſtipendium ſuſtentationis exercentium ſpiritualia, licitum eſt velle, & accipere: & in neceſſitatis articulo etiam paciſci. Prima pars patet ex doctrina domini in Euangelio Lucæ x. & Pauli Apoſtoli pri. ad Tim. 5. Et ratio eſt: quia hoc non eſt vendere ſpiritualia, nec locare operas pro mercede, ſed velle habere neceſſaria ad vitam corporalem, ſine qua non poſſumus ſpiritualia exercere. Secunda probatur, videlicet, quòd in articulo neceſſitatis licitum eſt deducere in pactum ſtipendium: quia articulus neceſſitatis tūc ſupplet, quod iuſtitia deberet efficere apud populum recipientem ſpiritualia, cū teneatur ſuſtentare miniſtros ſpiritualia miniſtrantes: ad quod etiā ſuperiorum auctoritas deberet cogere populum. Et licet hoc licitum ſit, quia tamen habet ſpeciem mali, & prohibitū eſt ex iure poſitiuo regulariter paciſci in huiuſmodi: ideo non eſt faciendum. Habes tamen ex hac regula, quòd licitum eſt cogere ad ſubuentiones ſtatutas auctoritate ſuperiorum, vel conſuetudine, exhibendas in conſecratione eccleſiarum & virginum, in benedictione nuben-

tium, in uiſitationibus &c. quia hæc in ſubſidium miniſtrorum intelliguntur ſtatuta,ſicut decimæ,& prouentus alij eccleſiaſtici. Debent tamen prælati & eorum officiales prius exhibere gratis ſpiritualia hæc: & poſt cogere ad ſeruandas laudabiles conſuetudines, ne nomen clericorum blaſphemetur tanquã auarum, ac quaſi venalia ſpiritualia reputantium. Quinta regula, locare operas ſuas ad exercitia, quæ principaliter ſunt ſpiritualia, non eſt licitum, niſi per accidens: vbi ſciendum, quòd tribus titulis res qualitercũque ſpirituales contingit afficere. Primus eſt emptionis & venditionis: ſecundus ſuſtentationis miniſtrorum: tertius eſt locationis & conductionis operarum ſuarum. Primus,qui comprehẽdit ſub ſe omnem contractum debiti legalis, eſt totaliter prohibitus. Secundus eſt ſecundum ſe totaliter licitus. Tertius, qui ſecundum rem ſpecies eſt venditionis & emptionis,(cum locare ſit quoddam vendere, & conducere quoddam emere) & qui nõ refertur ad ſpirituale, nec vt res locata, nec vt ratio locãdi, ſed refertur ad operas humanas concurrẽtes ad exercitationem ſpiritualium, venit in quæſtionem, vtpote medius, de quo duo in regula dicuntur. Primũ,quòd locatio operarum non habet per ſe locum in exercitationibus ſpiritualibus, quæ principaliter ſunt ſpirituales,vt ſunt miſſæ,prædicationes,conſecrationes virginum,eccleſiarum,collationes ſacramẽtorum,orationes,& huiuſmodi: intelligeretur enim tunc tractari ſecundum ſuum principale, quod eſt ſpirituale: & ex conſequenti locari & conduci ſpirituale,vel vt res conducta,vel vt ratio conducendi: & ex conſequenti appretiarentur opera ex ſpirituali: quod conſtat eſſe ſimoniacum. Secundum eſt,quòd per accidens,hoceſt propter adiunctum uinculum, locum habet in iſtis locatio operarum conſueta,& approbata ab Eccleſiæ conſuetudine. Multi enim ſacerdotes locant operas ſuas ad officiandum aliquam eccleſiam per menſem,vel annum,toties celebraturi in hebdomada: Quamuis enim non liceat ſacerdoti locare operam ſuam ad celebrãdum miſſam, (quia hoc eſſet locare ſpirituale, nam miſſa ſecundum ſuum principale eſt quid ſpirituale) licet tamen eidem locare libertatem ſuam,cõtra quam toties debet occupatum ſe tenere. Et breuiter tot concurrũt temporalia in iſtiuſmodi annuis hebdomadarijs obligationibus, vt intelligatur non ſpiritualem rem aliquam, ſed temporalem locari & conduci. Vltima regula, locatio operarum in illis exercitijs ſpiritualibus,quæ principaliter ſunt corporalia, locum habet abſque ſcrupulo conſcientiæ: vt patet de officio vicarij, ſacriſtæ, iudicis, doctoris, theologi, & ſimilibus, de quibus debentur certa ſtipendia: & poſſunt in iſtis interuenire conuentio-

nes

nes & pacta de quantitate ſtipendij: quia de corporali ac veniali opere pactio fit, non de ſpirituali, iuſtitia, veritate &c. Et hoc intellige ex parte operarij: ita quòd ille, qui in vicarium aut iudicē &c. petitur, poteſt locare operas ſuas ad huiuſmodi officia. Et ſimiliter is, cui eſt dandum officium, poteſt illud conducere ſub certo ſtipēdio: & non intelligas hoc ex parte prælati, quaſi ipſe poſſet locare huiuſmodi officia ſub certo pretio: quoniam hoc eſt vendere officia ſpiritualia: & expreſſe prohibitum, ne prælati committant vices ſuas ſub annuo cenſu. Et hæc de primo.

De duobus alijs videndis pro notitia habenda huius ſimoniacæ hæreſis, quæ ſunt extrinſeca & mentalis emptio & venditio. Cap. XXX.

PRO plena notitia habenda ſimoniæ ab Eccleſia punitæ eſt ſciendum, quòd tam emptio, quàm venditio ex tribus conſtat, videlicet intentione, conuentione, & executione. Ex eo enim, quòd humanus actus eſt, intentionem ſui requirit ad hoc, vt per ſe fiat, hoc eſt, vt intendat quis vendere, vel emere. Ex eo vero, quòd voluntaria eſt, oportet conuenire vtrinque de pretio. Ex eo enim, quòd actus talis exterior ad alterū eſt, exigitur ad ſui conſummationē datio & acceptio rei, quæ venditur, & pretij: non enim conſummata eſt venditio, niſi res, quæ venditur, conferatur. Et ſimiliter non eſt conſummata emptio, niſi detur pretium: quia neutrum ab altero conſummate transfertur, niſi tradatur: & ſimiliter neutrum conſummate acquiritur, niſi habeatur: Conſtat autē per emptionem & vēditionem conſummatā debere transferri hinc rem, inde pretium: & ſimiliter acquiri hinc pretium, inde rem. Vnde iuxta hæc habeto pro regula, quòd ad ſimoniam, quæ ab Eccleſia punitur, exiguntur duo: vnum ex parte venditoris, videlicet venditio conſummata rei ſpiritualis: alterum ex parte emptoris, videlicet conuentio implicite vel explicite de pretio, aut traditio eiuſdē. Vbi notanda ſunt quinque. Primo notanda eſt differentia partium penes hoc, quòd ex parte rei ſpiritualis exigitur actus conſummatus ad hoc, vt Eccleſiæ cenſuris ſubſit: ex parte vero pretij non exigitur actus conſummatus: ita quòd ſi ſimoniaca conuentio inter aliquos ſit de ordine, beneficio, ſepultura, miſſa &c. pro tali pretio, ſi ordo, beneficium, & breuiter res ſpiritualis non datur, etiam ſi pecunia pro pretio fuerit data, nō incurritur ſimonia ſubiecta cenſuris Eccleſiæ, quāuis incurratur crimen ſimoniæ. Et ratio eſt, quia

non eſt conſummata vēditio rei ſpiritualis,ſed inchoata;& in mente, & in conuentione : pœnæ ſiquidem reſtringendæ ſunt ad conſummatos actus. Secundo diſiunctiua ſiue alternatiua æquiualens ex parte pretij penes traditionem,vel conuentionē pretij : ita quòd ex parte emptoris æquipollet pactio vel traditio pretij. Vnde licet ſimonia punita ab Eccleſia exigat conuentionem ſeu pactum, tamen ſi concurrit traditio pretij,æquipollet cōuentioni, immo ibi eſt pluſquam pactio : quia ipſa traditio pretij claudit in ſe conuentionem, vtpote conſummationē illius : nam conſummata emptio cōuentionem explicitam vel implicitam adimplet. Tertio formalis locutio de pretio : cum .n. dicimus traditionem pretij includere pactionem,loquimur de pretio, inquantum pretium,hoc eſt ſub ratione pretij : Poteſt enim multis modis tradi aliquid temporale, ſcilicet : vel per modum liberalis doni : vel per modum ſuſtētationis : vel per modum reuerentiæ,aut oblationis : vel debiti ex lege, aut conſuetudinis laudabilis : vel per modū pretij : & hoc ſolo vltimo modo vocatur pretium & traditio pretij. Quarto notandū eſt ei, qui timoratam habet conſcientiam, quòd licet sacerdos minus benefaciat exigendo id, quod ſecundum laudabilem conſuetudinem dari ſolet, præcipue ſi ante collationem ſpiritualium exigat, aut ſi negat aut differt ſpiritualium collationem, vt illud habeat : non tamen propterea ſimoniacum iudices : quoniam ſi, vt ſe indemnem conſeruet, cognoſcens quòd poſtea oportebit eum litigare, hoc facit, ſimoniacus non eſt ſecundum rem,cum non vendat ſpirituale : Nec huiuſmodi exactio inducit modum pretij, quoniam non mutat modum debiti, quamuis ſpeciē quaſi ſimoniæ habeat huiuſmodi præuentio & cautela : & propterea reprehenditur. Quinto & vltimo notandum eſt, quòd eſt triplex muneris genus, ſcilicet a manu, vt pecunia,& alia bona mobilia, vel immobilia: ab obſequio, vt ſeruitia : & a lingua, vt laus, adulatio, preces &c. Ad hoc vt ſimoniā ab Eccleſia punitam conſtituat, exigitur, quòd pretij rationem habeat,alioquin ad venditionem ſpiritualem non ſpectabit, vt emptio. Et propterea ſi laus, adulatio, preces &c. nō niſi per modum laudis, adulationis,precū concurrunt, quantuncūque ſint illicitæ,& crimina, ac pro indigno, etiam ſi adeo efficaces ſint, vt inducant prælatum ad dandum beneficium, & ad conferendum ordinem, ſimonia vere & proprie non incurritur : quia nulla hic eſt venditio aut emptio niſi mentalis, ſi intentio adulantis & prælati eſt adulationem vt pretium ponere : & ſic de alijs. Pro notitia habēda de tertio, videlicet de mentali emptione vel vēditione,notandum, quòd ſimonia mentalis conſiſtit in intētione pretij : eo enim

ipſo,

ipſo, quòd homo intendit ſub pretio ponere,ſiue emẽdo, ſiue vendendo, rem ſpiritualem,vt venalem rem,aut vt rationem appretiãdi, ſimoniam mentalem incurrit: & hoc eſt quandocunque intẽdit pro ſpiritualibus temporalia habere, aut e contrario: ita quòd hæc præpoſitio (pro) pretium denotet: & ſimiliter quãdocunque principalis intentio ad temporale habendũ ex collatione ſpiritualis tendit, aut e contrario. Qui enim temporalia ex ſpiritualibus intendit, non vt pretium, ſed vt ſuſtentationem neceſſariam miniſtrorum Eccleſiæ liberaliter, ſeu eleemoſynaliter, aut ſtatutam laudabilem conſuetudinem, ſimoniam mentalem non incurrit. Similiter e contrario, qui ex temporalibus ſpiritualia intendit, non vt ex pretio debita,ſed vt ex his excitata aut prouocata, ſimonia nulla in animo eſt:quia gratis dandum ſpirituale expectatur, & temporalia non vt pretium intenduntur. Poteſt autem mẽtalis ſimonia tripliciter inueniri. Primo ex eo,quòd in ſolo actu interiori conſiſtit: & ſic ſimonia mentalis eſt deliberata voluntas emendi vel vendendi rem ſpiritualem. Secundo ex eo, quòd exterius imperata latet intus, vt cum aliquis ſeruit, aut munus offert pro ſpirituali conſequendo, vel ſpirituale dat pro temporali conſequendo,non tamen declarat ſuam prauam intentionem,videlicet,quòd intẽtione emẽdi ſeu vendendi hoc facit. Tertio ex eo,quòd non eſt conſummata ex parte rei ſpiritualis, vt cum cõueniunt ſimoniace aliqui, non tamen mãdatur executioni promiſſum ſpirituale: hæc enim ſimonia, quoad crimen, exterior eſt: quo vero ad pœnas cenſurarum, inter mentales collocatur,cum non ſit ſimonia conſummata. Sed ſi pecunia in hoc caſu,vt pretium recepta fuiſſet,reſtituenda proculdubio eſſet, prout rationi magis conſonat,emptori vtpote adhuc ipſius: cum non plene ſit abdicata ab eo, pendente conſummatione contractus ſimoniacæ emptionis & venditionis: & hoc intellige, quantum eſt ex parte illius, qui accepit. Nam ſi auctoritas iuris vel iudicis interuenerit,non crederemus ei reſtituendam,ſed in pœna ab illo tollendam, & pro Chriſti honore expendendam. Aduerte ſimoniacos non teneri ad reſignationem tam ſpiritualium, quàm temporalium,quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrinque acquiruntur: quoniam pro huiuſmodi ſimonia ſufficit delinquentibus per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori: textus eſt clarus, & vniuerſalis, ac vniuerſaliter intelligendus extra, de ſimonia, cap. vlt. Et hinc habes vnde infinitas quæſtiones de ſeruitoribus, de precibus carnalibus &c. ſoluas: quia hinc clare patet non teneri ad reſignationem beneficiorum ſic adeptorum abſque pacto aliquo, nulla facta differentia inter manum,obſequium,linguã,

&

& quicquid aliud temporale interuenire poteſt: & ſimiliter nulla facta differentia ſpiritualium: hucuſque Caietanus. Quæ hic inſerere voluimus, vt ex illis poſſis & inſtructionem & conſolationem timoratæ conſcientiæ, vbi caſus circa hanc materiam ſe ingerunt, ad manum habere.

Conſequenter dicendum eſt de vſura, quæ non modo palam fit, ſed clanculum. Cap. XXXI.

VSVRA eſt lucrum ex mutuo principaliter intentũ: lucrum ponitur loco generis. Nam omnis vſura lucrum eſt, non e contra: vt patet de lucro iuſtæ negotiationis. Lucrum etiam eſt incrementum pecuniæ, vel pecunia mẽſurabile, ſiue ſit munus a manu, ſiue a lingua, ſiue ab obſequio, quod quis habet ex voluntaria cõmutatione vltra ea, quæ prius ſua erant: quæ etiam dicuntur ſors. Eſt enim ſors res iuſte poſſeſſa, vel debita qualitas mutuatæ rei in materia occurrenti. Vnde ſi de meo mutuo proximo decem libras, decem libræ dicuntur ſors. Ita accipit eam beatus Ambroſius de vinea Naboth, dicens: Quicquid accedit ſorti, vſura eſt: vbi ſors ſumitur pro capitali. Vſura non committitur ſolum in pecunia, dicẽte beato Hieronymo ſuper Ezechielem, cap. 18. Putant quidam vſuram tantum eſſe in pecunia: quod præuidens ſcriptura diuina, omni rei aufert ſuperabundantiam, vt plus non recipias, quàm dediſti: ſolent in agris frumenti, milij, vini, & olei, ceterarumq; ſpecierum vſuræ exigi &c. Et Ambroſius libro de Tobia cap. 14. Plerique reſtringentes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vſuras exigunt, ſed de mercibus eorum tãquam vſurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat: Neque, inquit, vſuras eſcarum accipies, neque omnium rerũ. Eſca vſura eſt, veſtis ſimiliter: & quodcumque accidit ſorti, vſura eſt: & quod velis nomen imponas, vſura eſt, ſiue illud vinum ſit, ſiue oleum, ſiue triticum, ſiue quodlibet aliud: ſi pluſquam dediſti expectas, fœnerator es, vt inquit beatus Auguſtinus ſuper pſal. 36. conc. 3. Quibus addit beatus Hieronymus, dicens: Alij pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula diuerſi generis accipere, & non intelligunt vſurã appellari & ſuperabundantiã, quicquid aliud eſt, ſi eo, quod dederint, plus acceperint: hoc tamẽ intellige quaſi ex mutuo, uel ꝓ mutuo. Et vt melius prædicta intelligas, ſint tibi ꝓ indubitatis regulis ea, quæ tradit Caietanus in ſua ſummula vitiorũ, ſub hoc ꝑambulo, videlicet, quòd ad lucrũ vſurariũ ſufficiunt duo. Primum

mum vt id, quod vltra ſortem accipitur, ſit aliquid pecunia æſtimabile. Aliud, quòd non ſit ſuum, ex quibus colliguntur infraſcriptæ regulæ. Prima, ſiquis mutuat ad hoc, vt ille ſit ſibi amicus, non eſt vſura: quia amicitia nō eſt pecunia æſtimabilis: ibi enim nulla poteſt conuentio ciuilis interuenire: quia amicitia res eſt, cui repugnat obligatio ciuilis, cum ſit interior amor ſpontaneus: obligatū autem ciuiliter eſt neceſſitati ſubiectum, ita quòd velit nolit teneàtur exhibere illud. Secunda regula, ſiquis mutuat, vt rehabeat ſuū, quod eſt apud petentem mutuum quomodolibet occupatum, non eſt vſura: quia nihil lucratur. Tertia regula, ſiquis mutuat, vt redimat vexationem ſuam, non eſt vſura: vt ſi mutuat alicui commināti ſibi, aut ſuis, vt mutuādo exuat ſe a multis ſumptibus, quos oporteret ad ſui tutelam facere. Quarta regula, ſiquis mutuando deducit in pactum, vt ſoluatur ſibi vltra ſortem ſuum intereſſe, quod incurrit ex mutuo, vtputa quia accepit ſub vſuris, vt mutuet illi, vel quia minoris vendit rem ſuam pro habenda pecunia ad mutuandū illi, nulla ibi eſt vſura, cum ibi non ſit lucrum ex mutuo: decet enim mutuantem ſeruare ſe indemnem. Quinta regula, ſiquis pecuniā, quam veraciter parata iam negotiatione eſſet expoſiturus, mutuet petenti, deducens in pactum, vt vltra ſortem ſibi perſoluatur damnum lucri ceſſantis, non eſt vſura, ſi mutuans impediatur vere a lucro. Si enim haberet aliam pecuniam præter mutuatam, qua poſſet idem in eadem negotiatione lucrifacere, iam ex mutuo non impediretur a lucro: & ſi totum lucrum ſperatum ex illa negotiatione non deducatur in pactum, cum lucrum in potentia nondum ſit, nec tantum valet, quantum in actu, cum multipliciter poſſit impediri: poteſt ad arbitrium boni viri aliqua pars lucri ceſſantis taxari, vt ſit contractus licitus. Sexta regula, ſiquis mutuat alicui ex pacto, vt remutuet ſibi, quando ipſe indigebit, vſura eſt: quia obligatio iſta, pro quanto eſt ciuilis, eſt pecunia æſtimabilis. Quamuis enim accipiens mutuum teneatur ex debito morali ad remutuandum, quando opus erit, & poterit: non tenetur tamen ex debito ciuili, quale debitum oritur ex pacto. Vnde cum obligatio iſta ſit pecunia æſtimabilis, non poteſt ex mutuo in lucrum duci abſque vſura. Septima regula, ſiquis mutuat ſub pacto, vt veniat ad molendum in mola ſua, aut ad emendum ex officina ſua, vſura eſt: quia tales obligationes vendibiles ſunt: Ideo non licet ex mutuo, hoc lucrum alienæ obligationis reportare. Octaua regula, ſiquis mutuat alicui domino temporali ſub pacto, vt concedat officium prætoris, vſura eſt: quia talis conceſſio vendibilis eſt. Diſcerne tamē in proximis præfatis regulis duo lucra, alterum vſurarium, alterum licitum. Primū

eſt

eſt obligatio ad remutuandum, obligatio ad molendum in hac mola, obligatio ad emendum ex hac officina, obligatio ad concedendum tale officium. Alterum vero licitum, quod eſt merces debita pro mola, pretium rerum venditarum, prouentus officij &c. quia iſta lucra non ſunt ex mutuo, ſed alijs contractibus, ſeruitijs, induſtrijs, officijs &c. & ideo ex huiuſmodi vſuris non tenetur, qui ſic mutuauit, ad reſtituendum mercedem molæ, pretium venditarum rerum, ſtipendia officij &c. quia iſta lucra non ſunt ex mutuo, ſed alijs contractibus, ſeruitijs, induſtrijs, officijs &c. & ideo ex huiuſmodi vſuris non tenetur, qui ſic mutuauit, ad reſtituendum mercedem molæ, pretium venditarum rerum, ſtipendia officij &c. Sed tamen vltra pœnitentiã de peccato vſuræ, tenetur & ad relaxãdum obligationis vinculum de continuanda mola, officina, vel de continuanda manutenentia in officio: quia huiuſmodi obligatio eſt lucrum vſurarium: & ad recompenſandum illi pro illa obligatione, quæ vendibilis erat, quamuis ipſe noluiſſet eam vendere. Ad arbitrium igitur boni viri ſpectat determinare, quantum pro huiuſmodi obligatione reſtituendum ſit. Nona regula, ſiquis mutuat domino, vel communi eo pacto, vt donec ſibi reſtituatur mutuum nõ ſoluat gabellas, vſura eſt: cum ex mutuo reportet lucrum exẽptionis a iuſta ſolutione gabellarum. Conſtat autem, quòd hæc exemptio pecunia æſtimabilis eſt: & tenetur ad reſtitutionem de toto retento, cum lucrum vſurarium ſit. Decima regula, ſiquis mutuat alicui centum ea ratione, vt emat a mutuante quædam ſua iura inutilia, vt agrum ſterilem, aut aliquid huiuſmodi, vſura eſt peſſima: cũ quia mutuum infert damnum proximo annexæ malæ emptionis, tũ etiam quia ſi res, quæ venales proponuntur, eſſent vtiles valde, cõtra tamen naturam contractus mutui eſt, quòd is, cui mutuatur, obligetur ciuiliter ad emendum &c. Vndecima regula, ſiquis mutuat ſuper pignore ea ratione, vt habeat tres pro centenario, non quaſi lucrum ex mutuo, ſed quaſi ſtipendium neceſſarium ad cuſtodiam pignorum, & purgationem eorundem &c. vſura eſt: quoniã iſte in veritate non mutuaret, niſi hoc lucrum expectaret. Ex hoc tamen non ſequitur errare illos, qui pignora oneroſa bona fide accipientes, volunt indemnes ſe ſeruare: ſicut enim fructus pignoris ſunt computandi in ſortem, ita expenſæ qualitati pignoris annexæ imputandæ ſunt domino pignoris. Duodecima regula, ſiquis mutuat nauiganti mille ea ratione, vt cum ipſo eodem mutuante fiat contractus aſſecurationis dictorum mille, ſoluendo eidem mutuãti tot pro centenario, vſura eſt: vera quidem, quia mutuans vltra ſortem vult obligationem ad ſubeundum contractum aſſecuratio-

nis : & præſumpta, quia mutuum ad hoc lucrum tēdere videtur, & ideo damnatur in c. Nauiganti de vſuris. Aliud præambulum eſt, quòd vſura eſt lucrum ex mutuo non aliunde : & ideo, ſiquis non mutuat, ſed accommodat, ſeu locat, aut vendit pecuniam cū pacto recipiendi aliquid plus, non eſt vſura : ſed liciti ſunt huiuſmodi contractus, dummodo pacta ſint moderata iuxta qualitatem tēporum, & aliunde quàm ex mutuo ſuperueniat lucrum. Ex quibus eliciuntur infraſcriptæ regulæ. Prima, ſiquis accommodat pecuniā alicui ad oſtentationem faciendam, & exinde vult lucrum aliquod, non eſt vſura: quia non ex mutuo, ſed quaſi ex locatione lucrum habet. Secunda regula, ſiquis locat numos aureos ad ponendum in balneo vel potione aliqua medica, accipiens inde moderatū lucrum, non eſt vſura. Tertia, ſiquis numos aureos vendit pro argenteis, & inde moderatum lucrum exigit, non eſt vſura : & ratio eſt, quia pecunia ex iſtis contractibus non mutuatur: ſed res quædā accommodatur, locatur, venditur : ſicut licite in ſimilibus caſibus aurum non monetatum, gemmæ, iocalia, & huiuſmodi poſſent accommodari, locari, aut vendi cum honeſto lucro. Quarta regula, cum lucrum venit ex mora debitorum, ita quòd poſtquam debitor non ſoluit tempore debito, poteſt creditor duo lucrari, ſcilicet pœnam conuentionalem, & aliquid pro intereſſe tam damni emergentis, quàm lucri ceſſantis, nullum huiuſmodi excretum eſt vſurarium, cum non ex mutuo proueniat, ſed ex mora debitoris : & hoc intellige, ſi & quandiu contra voluntatem creditoris contracta eſt & durat mora. Nam ſi creditor prorogaſſet terminum, aut eſſet contentus de mora continuanda, vſura eſſet: quia ex mutui cōtinuatione ſeu conſeruatione lucrum proueniret, & non ex mora: non enim eſt in mora, qui conſentiente creditore moratur, ſed ſolus, qui inuito creditore differt ſolutionem. Et hæc ſufficiant de vſura ex mutuo explicite contracta. De vſura conſurgente ex interpretato mutuo, quale ſæpe reperitur in contractibus emptionis & venditionis, aſſignantur infraſcriptæ regulæ. Prima eſt, ſiquis vendendo pluris, non pio, ſed rigoroſo pretio vendit, quia expectat tēpus, quo ſibi ſoluendum eſt, vſuram committit : quia quaſi mutuū eſt expectatio temporis. Quando autem venditor ſeruaturus erat res in aliud tempus vendendas, poteſt vendere pluris, quàm nunc valeant iuxta ambiguum veriſimile pretium futuri temporis. Et ſimiliter ſiquis expectans tempus futuræ ſolutionis vendit pluris iuxta veriſimile medium, ſeu dubium pretium tempore ſolutionis futurum, excuſatur : vt ſi piper nunc valet ſex, & in Iulio creditur valiturum octo : ſi vendo nunc pro octo ſoluendis in Iulio, excuſor a

decretali c. In ciuitate, tanquam emptio non intelligatur conſummata vſque ad Iulium, quo emptio erit in opere, quæ nunc in ſolo. contractu:quaſi venditio cum correſpondente ſibi emptione nunc inchoetur,& in Iulio conſummetur. Hæc prima regula licet videatur a contractu vſurario aliena,ſecurius tamen eſſet ſeruare conſilium Alexandri tertij in dicto capitulo,dicentis. Licet autem contractus huiuſmodi ex tali forma non poſſint cenſeri nomine vſurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, niſi dubium ſit, merces illas plus minuſue ſolutionis tempore valituras. Et ideo illi, ad quos ſcribit, bene ſibi conſulerent, ſi a tali contractu ceſſarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeunt occultari. Secunda regula, ſiquis emit minoris, quàm res valeat, ex eo quòd nunc promptum pretiũ numerat,vſura eſt: quia ex tempore pecuniæ ſolutæ, plus habet,quàm pecunia valeat. Tertia regula, ſiquis debitor alicuius ad annũ,minus ſoluit nunc, quia anticipat ſolutionem, ſine dubio vſura eſt: quia ex tẽpore ſolutionis anticipato lucrum reportat. Quarta regula, ſiquis emẽdo frumentum aſſignandum ſibi tempore collectionis frugum,quia prius dat pecuniam, minoris emit, quàm æſtimetur honeſtum pretium tempore aſſignationis frugũ, vſura eſt ex ſupradicta radice. Quinta regula,ſiquis emit minoris iuſto pretio,cum pacto de retrouendendo, interim quaſi locãs venditori,& recipiens ad rationẽ quinque pro centum pretij dati, vſura eſt: cum non ſit ibi vera emptio, ſed mutuum palliatum ſub dictis contractibus: patet ex eo, quia emitur longe minoris, quàm ſit iuſtum pretium. Secus eſſet, ſi ſuper domo vel agro conſtitueretur perpetuus cenſus ad rationem tot pro centenario iuxta patriæ morem,cum pacto,quòd poſſit debitor cenſu ſe liberare. Sexta regula, ſiquis pecunias ſuas dat artifici, ſeu numulario, volens capitale ſibi ſaluum, & tantum lucri abſolute, etiam ſi certum ſit, quòd numularius ſeu artifex multo plus inde lucrabitur, vſura eſt,non ſocietas, nec innominàtus contractus: quia capitali ſaluo, ſtatur lucro,& non damno: & quaſi ex mutuo lucrum expectat. Septima regula,ſiquis emit rem non extãtem, tanquam ſi eſſet, puta agrum,domum,vel argentum,& locat venditori, vt det quaſi pretium locationis ſeu cenſum ſingulis annis tot aureos,vſura eſt: cum ſint contractus ficti ad palliationem vſuræ. Octaua regula ſimilis ſupradictæ,ſiquis Romæ pecunijs egẽs accipit a numulario mille aureos ad rationem cambij pro Lugduno, & tamen Romæ reddendi ſunt, vſura eſt: quia cambium eſt fictum ad palliandum mutuum ſub vſura. Nona regula ſimilis eſt, ſiquis cum egente pecunijs palliat multos contractus ſimul latos,

putá dicit ſe vendere tot pannos mille aureis reddēdis octauo mē-ſe: & ſe emere ab eodem pro octingentis aureis nunc ſoluendis, & ſic dat nunc 800. & fit contractus pro mille hinc ad octo menſes, vſura eſt. Nec excuſatur ex eo, quòd ipſe non eſt deterioris conditionis, quàm alter: quia emeret illos pannos pro 800. tum quia interuenit pactum de retrouendendo ſibi perdendo 200. quod non interuenit cum alio: tum quia iſte in ueritate non venderet illi, niſi propter hoc lucrum. Hæc de vſuris dicta ſufficiant, ad cognoſcendum quis ex hac parte peccet contra hoc mandatum: nam omnis, qui vſuram facit ex mutuo, furtum committit. Contingit denique furta & rapinas committere cōtra iuſtitiam diſtributiuam per eos, qui præſunt reipublicæ, dum ex bono publico peculiū faciunt, cō-uertētes res regni, ciuitatis, vel exercitus ad propriam vtilitatem, vt ædiles, xenodochiorum gubernatores, prælati eccleſiaſtici, & ſimiles. Item per collationes beneficiorum, ſi conferendo non prouideant Eccleſiæ: ſi enim aliud ſpectauerint, non ſunt boni & fideles diſpenſatores. Quapropter qui conferūt conſanguineis, quia conſanguinei: aut miniſtris ſuis, quia inſeruiunt: aut nobilibus ratione nobilitatis: aut alijs, quia muneribus repleuerunt manus: ſimiliter & quacumque alia ratione, quàm vt eccleſiæ prouideant, fures ſunt & latrones. Peccant igitur contra hoc mandatū, vt ſummatim dicam, fures, raptores, peculatores, abigei, plagiarij, incendiarij, impoſtores, adulterantes monetam publicā & merces, fraudantes mercedem operariorum, & ſerui infideliter operātes, ſimoniaci, vſurarij, poſſeſſores iniuſte acquiſitorū, non reſtituentes alienum, negociantes in diuerſo pondere ad deceptionem, & quicumque contra iuſtitiam commutatiuam vel diſtributiuam fraudem faciunt, aut damnum inferunt.

De octauo præcepto, quod eſt, Non falſum teſtimoniū dices contra proximum tuum: & quomodo mendacium, præcipue pernicioſum, ſit graue peccatum. Cap. X X X I I.

MENDACIVM ſecundum Auguſtinū in libro cō-tra mendacium c. 12. eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallēdi, quod determinatur per tres differentias: quia quoddam eſt mendacium pernicioſum, quod obeſt: quoddā officioſum, quod prodeſt: & quoddam iocoſum, quod delectat. Pro quo notandum, quòd contingit mentiri ex libidine veniali, quæ eſt appetitus inordinatus ſenſualitatis vel rationis, quo nimis diligitur aliquod temporale,

tamen

tamen ſub Deo. Similiter & ex libidine mortali, quæ ab Auguſtino recte definitur vt ſupra, quòd eſt appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Pernicioſum mendacium regulariter eſt ex libidine mortali: officioſum & iocoſum poſſunt eſſe tā ex libidine veniali, quàm mortali. Tunc eſt ex libidine mortali, cum aliquis propter ſeruandā vitam alicuius mentitur ex amore præſentis vitæ illius ſupra Deum. Iocoſum vero ex libidine mortali eſt, cum ex amore delectationis ioci, quam diligit aliquis ſupra Deum, mentitur. Ex libidine vero veniali, eſt mendacium officioſum, quod fit ex amore vitæ ſub Deo: ſimiliter iocoſum, quod fit ex amore ioci etiam infra Deum. Secundum hoc igitur proprie in hoc præcepto, Non falſum teſtimonium dices, eſt prohibitum omne mendacium pernicioſum, ſimiliter officioſum & iocoſum, vt ex mortali libidine procedunt: non autem officioſum, vel iocoſum, quando prouenit ex libidine veniali, cum proprie etiam in alijs præceptis nō prohibeatur culpa venialis proprie, ſed mortalis. Beatus Auguſtinus in libro de mendacio c. 14. dicit, omne mendacium eſſe illicitum: & adducit octo mendaciorum genera. Primū, quod fit in doctrina religionis & fidei, vt hæreſis & infidelitas. Secundum, quod obeſt alicui, & nulli prodeſt, vt mendacium falſi teſtis in cauſa criminali. Tertium, quòd alicui obeſt, & prodeſt alij, vt mendacium in cauſa pecuniaria. Quartum, quod fit ſola mentiēdi fallendiq; libidine, quod merum mendaciū eſt. Quintum, quod fit placendi cupiditate, vt mendacium adulationis. Sextum, quod nulli obeſt, & prodeſt pecuniæ alicuius conſeruandæ: velut ſi quiſpiam pecuniam alicuius tollendam, ſciens vbi ſit, neſcire ſe mentiatur. Septimum, quod nulli obeſt, & prodeſt vitæ alicuius conſeruandæ: vt ſiquis nolens hominem ad mortem quæſitum prodere, mentiatur. Octauum eſt, quod nulli obeſt, & prodeſt caſtitati alicuius conſeruandæ: vt ſiquis quæſitam ad ſtuprandū ſciens, ſe neſcire dicat: caſtitas in bonis animi pudicitiæ corporis præfertur: & concludit, quòd in nullo iſtorum eſt mentiēdum. Sanctus quoque Bonauentura in 38. diſt. 3. q. 2. dicit de mente eiuſdem beati Auguſtini, quòd abſque dubio omne mendacium eſt peccatum: & adeo eſt ipſi mendacio eſſentiale eſſe peccatum, vt nullo pacto, nullo fine, nulla diſpenſatione nec humana, nec diuina, poſſit bene fieri. Quod probat ſic, præſupponendo quòd aliquid dicitur dupliciter malum: aut ex genere actus, cum tranſit ſuper materiam indebitam: aut ex malitia intentionis. Primo modo adhuc dupliciter, vel reſpectu Dei, vel proximi. Si reſpectu Dei, ſic eſt malum in ſe, & ſecundum ſe, nec vllo modo poteſt bene fieri, ſicut eſt odium Dei, ſi

odiri poſſit, vel blaſphemia eiuſdem. Si reſpectu proximi, ſicut eſt inferre nocumentum proximo in perſona aut in rebus, ſic eſt malum in ſe, ſed nō ſecundū ſe, cum poſſit aliquo fine bene fieri: quia poteſt recta intentio ſupraucnire ex diſpenſatione. Cum vero aliquid eſt malū ex malitia intentionis, ſiue ſit reſpectu Dei, ſiue proximi, ſimpliciter malum eſt: & nullo fine poteſt bene fieri, cum dicat priuationem debiti finis. Vnde facere hoc malum eſſe bonum, nihil aliud eſt facere, quàm facere aliquid ſimul eſſe bonum & malum. Tale autem eſt mendacium, quòd non ſolum dicit malū actū tranſeuntem ſuper materiam indebitam, ſed etiam ex intentione indirecta: vnde ad eſſe mendacium duo concurrunt, videlicet dicere falſum, & intentio fallendi. Primum eſt malum in ſe, & poteſt bene fieri ab eo, qui ignoranter dicit falſum. Secundum eſt malum ſecūdum ſe, quod nullo fine poteſt bene fieri, nec circa ipſum poteſt diſpenſari: ſicut nullo modo poteſt bene fieri, quòd aliquis cognoſcat alienam intentione adulterandi, ſiue ex improbitate voluntatis: & q. 3. concludit, quòd non omne mendacium eſt mortale, ſed ſit tale vel ratione materiæ circa quam, vel ratione contēptus, vel ratione nocumenti, aut libidinis mentiendi, quæ faciunt mendaciū pernicioſum. Vnde Scot. diſt. 38. 3. q. vnica cōcludit, quòd quicumque cum intentione decipiendi illum, cui profert oppoſitum eius, quod ſcit vel credit eſſe verum, & ſic dicendo intendit nocere illi, cui loquitur vel de quo loquitur, dicit falſum teſtimonium contra proximum. De officioſo & iocoſo conceditur communiter, vt tamen ſunt ex libidine infra Deū, quòd non ſunt mortale in viris imperfectis: quia neutrum eſt contra charitatem, nec contra aliquid de ſe requiſitum ad ſtatum talium perſonarum. Sed in viris perfectis dicit ſanctus Bonauentura vbi ſupra q. 4. vtrūque eſſe peccatum mortale: quia auferunt ab eis auctoritatem, ne credatur eis: in quo etiam faciunt ſtatum ſuum vileſcere audientibus, & præſtant offendiculum. Hanc opinionem Scotus limitat diſtinguēdo, quòd quædā eſt perſona perfecta in ſtatu perfectionis exercendæ, ſicut prælatus: quædam in ſtatu perfectionis acquirendæ, vt religioſus. De prima poteſt concedi, quòd exercendo actus, qui competunt ſibi ratione talis ſtàtus perfectionis, puta, docere, iudicare, prædicare, purgare, illuminare, perficere, vtrumque mendaciū, videlicet officioſum & iocoſum, eſſet in eo peccatum mortale: quia aufert auctoritatem doctrinæ, quam prædicat, iuxta illud Auguſtini in epiſtola ad Hieronymum. Si ad ſcripturas ſacras admiſſa fuerint quantuncunque iocoſa mendacia, quid remanet in eis ſoliditatis? quaſi dicat nihil. Vnde ſi prælatus prædicās miſceat mēda-

cium iocoſum, nihil auctoritatis remanet in doctrina illa. Poteſt enim quilibet dubitare de quocumque dicto ab eo, ſicut de mēdacio: vel qua ratione nō aſſentiret illi mendacio iocoſo, pari ratione nec alij dicto ab eo: & ita periret auctoritas doctorum in docendo, & vtilitas populi in audiendo: conſimiliter periret auctoritas in iudicio ſollemni: dummodo illud mendacium non percipiatur eſſe dictum ſeorſum ab actu docendi vel iudicandi. Dum enim aliquis ſedet ad iudicandum, poteſt aliquam trufam miſcere, quæ ex modo loquendi ſcitur non eſſe de iudicio: videtur etiam ſibi, quòd vti talibus mendacis in alijs ſcilicet cōmunibus colloquijs extra officiū paſtoris, non eſſet peccatum mortale, niſi forte ratione ſcandali. Sed de religioſo, qui habet ſtatum perfectionis acquirendæ, videtur aliud dicendum: quia talis non videtur obligatus ad aliqua, quæ ſunt perfectionis plus ceteris, niſi ad illa, quæ vouit: non enim aſſumpſit ſtatum curæ paſtoralis: & ex conſequenti nec actum pertinentem ad talem perſonam. Talis igitur, ſi non exerceat actus perfectionis, cuiuſmodi ſunt docere, prædicare, & huiuſmodi, non videbitur plus peccare in mendacio iocoſo vel officioſo, quàm alius chriſtianus, niſi forte propter ſcandalum: quia imperfecti poſſet magis ſcandalizari de mendacio talis perſonæ, quàm perſonæ communis. Facta tamen non debent iudicari talia, qualia ſunt ex ſcandalo conſequente, vel non conſequente. Vniuerſaliter enim ſecūdum legem euangelicam vitanda ſunt quæcumque ſcandala puſillorum ſecundum illud Matth. 18. Veh homini illi, per quem ſcandalum venit. Scandala autem Phariſæorum non data, ſed accepta, non ſunt vitanda. Veruntamen ſi recta ratio dictat, quòd actus religioſi vnicus vel frequentatus ſit ſcandalum audientibus, quamuis conſimilis actus in alio non eſſet ſcandalizatiuus, tenetur ille ex charitate proximi vitare ſcandalum: ſicut tempore perſecutionis tenetur paſtor non fugere quandoque, iuxta illud Ioan. 10. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem, & fugit. Alius autem, qui eſt in ſtatu perfectionis acquirendæ, nō tenetur ex neceſſitate non fugere: bene tamen tenetur non ſcandalizare proximum fugiendo. Fuga enim eius quandoque proximo poteſt eſſe offendiculum, quando fuga infirmi, & non religioſi, non præberet ſcandalum: Iudicarent enim proximi ex fuga eius, quòd ex quo talis, qui tam arctam vitam elegit, non exponit vitam ſuam pro fide defendenda, non eſſet vita exponenda pro tali fidei negotio, vel quòd bene non ſentiret de fide. Quale crimen ſit mendacium, præcipue pernicioſum, ex eo colligi poteſt, quod ab Auguſtino tract. 42. in Ioannem ſcriptum eſt, videlicet, quòd ſicut Deus

pater genuit filium veritatem, ſic diabolus lapſus genuit quaſi filiũ mendacium. Vnde qui veritatem loquitur, Dei, qui veritas eſt, filius eſt: qui vero mentitur, diaboli: de quo dicit veritas Ioan. 8. quòd mendax eſt, & pater eius, ſcilicet mendacij. Scriptura etiam, quàm graue ſit hoc peccatum, demonſtrat Sapien. 1. dicens: Os, quod mentitur, occidit animam: & pſal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mẽdacium: & licet omnis mentiens peccet, grauiſſime tamen peccat, qui perniciem affert proximo. Obſeruandum tamen eſt, poſſe eſſe tripliciter mendacium pernicioſum citra culpã mortalem: vel quia fit ex ſurreptione quadam, vt in primis motibus: vel quia non infert notabile nocumentum proximo: nã quod minimum eſt, pro nihilo reputatur: vel quia accidit præter omnem intentionem nocendi: quod intellige, niſi propter enormitatem nocumenti peccatum redeat in naturam ſuæ formæ, eo quòd non ſufficienter præcauit iacturam proximi, vbi, & quando, & quantum p̃cauere debuit. Sanctus Ambroſius in ſermone habito in dominica de Abraham, addit: quòd mentitur non ſolum in falſis verbis, ſed etiam in ſimulatis operibus. Mendacium enim eſt ſe chriſtianũ dicere, & opera chriſtiani non facere: mendacium eſt, Epiſcopum, ſacerdotem, vel clericum ſe profiteri, & contraria his ordinibus operari. Et beatus Auguſtinus ad Caſulanum presbyterum, inquit: Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mẽdacium dicit: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. Cõcludimus igitur, quòd omne mendacium peccatum eſt: verũ non omne (vt dictum eſt ſupra) eſt mortale. Vnde ſi in hiſtorijs ſcripturarum inueneris aliqua mendacia fuiſſe ab aliquibus prolata, vt in hiſtoria Iudith cap. 10. & 11. libri eius: in hiſtoria Ioſue de Raab meretrice Ioſue 2. in Exodo de obſtetricibus, in Gen. de Abraham, Iſaac, & Iacob Gen. 12. 20. 26. certe multa prorſus & facile excuſabis, declarata veritate hiſtoriæ: vti Abraham reprehenſus mendacij a Pharaone, iuſte ſe excuſauit Gen. 12. dicens de vxore ſua. Nam vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non matris meæ. Erant enim iuxta ritum gentis omnes filij Iſrael inter ſe fratres & ſorores. Quædam vero excuſabis hac ratione, quòd animus ſic agẽs quaſi ex ſe totus ſeruiebat ductibus Spiritus ſancti in myſterio. Vbi vero non poteris omnino excuſare, vt in Raab, & obſtetricibus, ac Iudith, admitte mendacia fuiſſe, ſed officioſa: quia vt iuuabant afflictos, ita ab omni nocendi propoſito alieniſſimæ erant: nec mirum, quòd in sãctis patribus talia minima fuerint mendacia, in quibus etiam fuiſſe crimina, teſte ſcriptura, conſtat, de quibus Auguſtinus in libro cõtra mendacium, cap. 11. Si tamen ſupradicta tibi non ſatisfaciant,

vide Scotum 38. diſt. 3. in reſponſione ad argumenta principalia, qui aliter de nonnullis ſentit. Et vt paucis me expediam, ſummatim ſubnectam transgreſſores huius mandati: qui ſunt, ſcilicet falſi teſtes tam in iudicio, quàm extra, falſi iudices, detractores, & qui accommodant aures ſuas detractoribus, infamatores, ſuſurrones, iactatores ſuiipſius, criminatores, contumelioſi, hypocritæ, nequiter ſe humiliantes, aut fictis actionibus ſanctitatem mẽtientes, adulatores, ſuſpicioſi, temerarie iudicantes apud ſe de proximis, de ſãctis, de diuinis ſcripturis: mendaces, & qui falſa ſpargunt dictis vel ſcriptis in perniciem proximi, & præpoſitorum Eccleſiæ, maxime ſi in præiudicium fidei, aut religionis fingant, quæ non oportet, vt pſeudoapoſtoli, ſeductores, hæreſiarchæ, magiſtri ſubdoli, falſi interpretes ſcripturarum, blaſphemi in Sanctos, in ſacramenta Eccleſiæ, deriſores virtutum ac pietatis. Omnes enim præfati prohibentur hoc octauo mandato, de quo latius vide diuum Bonauenturam 38. diſt. 3. per totum.

De nono præcepto & decimo, videlicet, Non concupiſces vxorem proximi tui, nec omnia quæ illius ſunt: & quomodo præceptũ de non concupiſcendo, dum viatores ſumus, ſimpliciter in hac vita implere nõ poſſimus. Cap. XXXIII.

NONVM præceptum eſt, non deſiderabis vxorem proximi tui: Decimum, nec omnia quæ illius ſunt. In quorum primo prohibetur concupiſcẽtia carnis, in ſecundo vero concupiſcentia oculorum. Poſſet tamen dubitari circa primum duorum mandatorũ dictorum, an ſolo facto quis mœchari poſſit, de quo ſupra in ſeptimo præcepto: an etiam is, qui oculis parum pudicis intuetur vxorem alterius, & eam interna libidine deprædatus eſt, paratus venereo amplexu frui, nec tamen aut per occupationes, aut per occurrentia præpedimenta potuerit, mœchari dicatur. Facile huic dubitationi Chriſtus reſpondet Matth. 5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Quem locum enarrans beatus Hieronymus dicit: Dominum non dixiſſe, omnis qui viderit mulierem, eam mœchatus eſt, ſed qui viderit mulierem, vt concupiſcat, vbi anima titillata libidini cõſentit, & vbi homo colligit concupiſcentiam videndi curioſe. Nec malum eſt intueri mulierem: ſicut nec malum eſt ſimpliciter concupiſcere:

cupiſcere : ſed malum eſt videre mulierem ad concupiſcendum, & habere aſpectum concupiſcentiæ iunctum : nec propterea deſinit peccare, ſi non peruenerit ad opus laſciuum. Nam nō peruenit,qui non potuit, quod ſi potuiſſet,vt dicit ibi Theophylactus,perpetraſſet. His conſentit Hilarius dicens ad hunc locum explicandū, motum libidinis in mulierem alterius æquari adulterio. Adde, quòd Auguſtinus lib. 1. de ſermone domini in monte cap. 23. inquit:Iuſtitia minor eſt, non mœchari corporum coniunctione : iuſtitia vero maior eſt regni Dei, non mœchari in corde. Videt autem quis mulierem ad concupiſcendum, cum hoc fine attendit,vt concupiſcat. Et lib. 1. de libero arbitrio c. 3. dicit : Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit, id eum cupere : & ſi poteſtas detur,facturum eſſe:nō minus reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur. Hinc colligi poteſt facta exteriora nō adaugere internam culpam ratione eſſentiali, bene tamen accidentaria : nam ſolet voluntatis conatus & feruor factis intendi & augeri. Hoc diui Auguſtini dictum magnum præſtat munimentum ſolidæ veritatis defendendæ ijs,qui teſtantur actum exteriorem non addere bonitatem nec malitiā actui interiori. Quo non obſtante opus externum,præcipue in venereis, primo conſummat atque intendit concupiſcentiam cordis: deinde & corpus tuum proprium, quod etiam cordi cooperatur, dehoneſtat,non citra iniuriam Chriſti & Spiritus ſancti, cuius eſt templum. Tertio opus externum inducit ſeductionem comparis,iniuriā quoque proximi, quando vel ipſe maritus , vel ipſa vxor eſt alterius. Quarto tranquillitatem publicam legibus Dei & hominum ſancitam conturbat. Vltimo famam vtriuſque operantis in diſcrimen adducit. Beatiſſimus Paulus ad Romanos 7.inquit: Nō enim quod volo,hoc ago: ſed quod odi, illud facio. Pro quo ſciendum, quòd vita iuſti in hoc corpore bellum eſt (de quo beatus Iob cap. 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram) & non triumphus. Vnde Apoſtolus ponit & vocem belli, & vocem triumphi. Belli, ibi ad Rom. 7. Non quod volo,hoc facio: & iterum ibidem. Velle adiacet mihi, perficere bonum,non inuenio. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Quando audis captiuantem, bellum agnoſcis : vox triumphi futura eſt, de qua idem beatus Paulus pri. Cor. 15. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem , & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem,& corruptibile hoc induerit incorruptionem &c. ibi eſt vox triumphi. Vbi eſt mors contentio

tua? Prius igitur illud recolite, quod ſcripſit ad Gal. 5. loquens fidelibus, loquens baptizatis, loquensq; illis, quibus in baptiſmo ſunt remiſſa peccata, ſed tamen pugnantibus. Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis. Non dixit, ne feceritis, ſed ne perfeceritis. Quare hoc? quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & e contra: hæc enim ad inuicem aduerſantur, vt non ea quæ vultis, faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Quid eſt duci ſpiritu, niſi ſpiritui Dei iubenti conſentire, non carni concupiſcenti? tamen concupiſcit, & reſiſtit: & vult aliquid, quod non vis tu: perſeuera, vt nolis tu. Deſiderium tamen tuum ad Deum tale eſſe debet, vt in te non ſit ipſa concupiſcentia, cui reſiſtas: reſiſtis enim, & non conſentiendo vincis. Sed melius eſt hoſtem non habere, quàm vincere: quando enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, hoſtis iſte non erit. Vnde eleua animum ad vocem triumphi, & vide ſi erit hoſtis. Vbi eſt mors contentio tua? certe non erit. Vbi eſt mors aculeus tuus? quæres locum eius, & non erit. Ergo ne concupiſcentias carnis perfeceritis: ſed melius eſſet implere, quod lex dicit, Rom. 7. Non concupiſcas: Sed iſta eſt plenitudo virtutis, perfectio iuſtitiæ, palma victoriæ, ſcilicet ne concupiſcas: in hac certe vita hoc impleri non poteſt. Impleatur igitur illud eccleſiaſtici 18. Poſt concupiſcentias tuas non eas: melius tamen eſſet eas non habere: ſed quia modo ſunt, noli poſt eas ire. Rebellant, rebella: pugnant, pugna: expugnant, expugna: ſed vide ne vincant. Sed quoniã cum aliquibus concupiſcentijs nati ſumus, aliquas conſuetudine fecimus, conſuetudini repugnandum eſt: Quia ipſa concupiſcentia, cum qua nati ſumus, finiri non poteſt, quandiu viuimus: quotidie minui poteſt, ſed non finiri: per illam dictum eſt, hoc noſtrum corpus mortis corpus. De illa dicit Apoſtolus, Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Tunc nata eſt lex carnis, quando transgreſſa eſt prima lex, illa ſcilicet quam in paradiſo accepit homo. Nudi erant, & nõ confundebantur: quia nondum erat lex in membris repugnans legi mentis. Fecit homo factum puniendum, & inuenit motum pudendum: manducauerunt contra interdictum, & aperti ſunt oculi amborum. Prius tamen non erant cæci, cum Adam cunctis animalibus impoſuerit nomina: & de muliere dicitur, vidit lignũ. Oculos igitur apertos habebant, & nudi erant, & non confundebantur. Aperti igitur ſunt oculi eorum ad aliquid, quod prius numquam ſenſerant: & quia ſenſerunt pudendum motum, curauerũt tegendum. Ecce vnde trahitur originale peccatum, ecce vnde nemo naſcitur ſine peccato. Sed Dominus non ſic voluit concipi, quem Vir-

go concepit,& peperit : ſoluit illud, qui venit ſine illo. Non ergo quod vult agit Apoſtolus : quia vult non concupiſcere, & tamen concupiſcit. Nunquid illa concupiſcentia mala trahebat Apoſtolum ſubiugatum ad concupiſcendum? ad fornicandum? Abſit, luctabatur, non ſubiugabatur. Sed quia nolebat concupiſcentiam habere, contra quam luctaretur, dicebat. Non quod volo ago : concupiſcere nolo, & concupiſco: ſed tamen concupiſcentiæ non conſentio. Aliter non diceret ad Gal. 5. Concupiſcētias carnis ne perfeceritis, ſi eas ipſe perficeret. Sed conſtituit tibi ante oculos pugnam ſuam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixiſſet Apoſtolus, quando videres moueri concupiſcentias in membris tuis, cui tu non conſentires, deſperares forſan de te, dicendo : Si ad Deum pertinerem, ſic non mouerer. Vide Apoſtolum pugnantem, & noli te facere deſperantem. Video, inquit, aliam legem in membris meis, contrariam legi mentis meæ : & quia nolo vt repugnet, caro enim mea eſt, ego ipſe ſum, pars mea eſt, non quod volo ago : ſed quod odi malum, hoc ago, quia concupiſco. Quòd ergo bonum ago, hoc eſt, quia concupiſcentiæ malæ non conſentio, ago bonum: ſed non perficio bonum, vt omnino non concupiſcam. Sed hoſtis meus quomodo agit malum, & non perficit malum? Agit malum, quia mouet deſiderium malum : non perficit illud, quia me non trahit ad malum : in quo bello eſt tota vita Sanctorum. Quid dicam de immundis? niſi quòd non pugnant, ſed ſubiugati pertrahuntur, quia libenter ſequuntur. Hæc enim eſt pugna Sanctorum : & in triumpho illius victoriæ, quid dicitur? Vbi eſt mors contētio tua? Quæ eſt vox triumphantiū. Vbi eſt mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis eſt peccatū, cuius punctione facta eſt mors. Peccatum quaſi ſcorpius eſt, pupugit nos, & mortui ſumus. Et quando dicitur, vbi eſt mors aculeus tuus? quo aculeo facta es, non quem feciſti : vtique non erit aculeus, quia peccatū non erit. Contra peccatum data eſt lex : quomodo virtus peccati lex ſubintrauit, vt abundaret delictum? quomodo hoc? Quia fuit ante legem homo peccator, data lege atque tranſgreſſa, factus eſt præuaricator : peccato tenebantur omnes rei, lege data præuaricatione ſunt facti rei. Vbi ſpes? niſi in eo, quod ſequitur, Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia : & ideo Paulus dicit. Video aliā legem, legem fœdam, legem miſeram, vulnus, tabem, languorem. Subiungit, Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? & gementi ſubuentū eſt, & quo? Gratia Dei, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, cum corpus mortale induerit immortalitatem. Modo quid? Audi, ego ipſe mente ſeruio legi Dei : carne au-

tem

tem legi peccati. Mente ſeruio legi Dei, non conſentiendo: carne autem legi peccati concupiſcendo, (contra nonum, in quo agitur de concupiſcentia carnis, & contra decimum mandatum, vbi tractatur de concupiſcentia oculorum) & mente legi Dei ſeruio, qua delector in victoria, quia non vincor: titillat, inſidiatur, pulſat, trahere conatur. Miſer quis me liberabit de corpore mortis huius? Nollem ſemper vincere, ſed aliquando ad pacem venire. Teneamus igitur hunc modum, vt mente ſeruiamus legi Dei, non concupiſcendo nec vxorem, nec res proximi deliberate: licet carne ſeruiamus legi peccati ex neceſſitate, quia concupiſcimus, non quia conſentimus. Aliquando iſta concupiſcentia ſic inſidiatur bonis, vt faciat dormientibus, quod nequit vigilantibus. Vnde omnes acclamaſtis, quia omnes agnouiſtis: pudet hic immorari, ſed non pigeat inde Deum precari, vt non dominentur, nec in nobis regnent concupiſcentiæ præfatæ, carnis videlicet, & oculorum. Cum ergo tam in nono, quàm in decimo præcepto dicatur, Non concupiſces, prohibetur liberum arbitrium ab appetitu illicito ſecundum veritatem præcepti: quamuis ſecundum carnalem intelligentiam Iudæorum, prout inquit dominus Alexander de Ales in 3. parte ſuæ ſummæ, coartaretur, & diceretur concupiſcentia, quæ aliquibus ſignis & actibus poterat indicari. Sed hoc intelligitur de concupiſcentia, quæ poterat puniri per iudicium legis: & non prout eſt crimen puniendum a Deo, qui non modo peccata punit oris & operis, ſed & cordis. Quare autem prohibitio concupiſcentiæ arctetur hic ad illa duo præcepta, eſt, quia ad illa duo maxime inclinatur natura corrupta: licet ſecundum regulam beati Auguſtini per ſinecdochen referatur ad omnia præcepta & prohibitiones decalogi. Vnde cum dicitur, Non concupiſces, intelligitur vniuerſaliter prohiberi concupiſcentia voluntatis, quamuis ad aliqua determinetur: ſicut quando dicitur, Non mœchaberis, prohibetur omnis illicitus coitus: & in Non furtum facies, omnis contrectatio rei alienæ &c.

De primis motibus in dictis duobus mandatis prohibitis: & in quibus conſiſtat peccati conſummatio. Cap. XXXIIII.

VT habeamus clariorem notitiam duorum præfatorum mandatorum, de primis motibus volui aliqua de mente domini Alexandri de Ales par. 2. q. 125. ſupradictis addere, cum ex eorum origine & occaſione peccemus contra ſupradicta mandata. Primus motus,

motus,eſt motus ſenſualitatis ſecundum impulſum fomitis, tendens impetuoſe ad fruitionem delectabilis creaturæ. Per hoc,quòd dicitur ſenſualitatis, tangitur cauſa materialis: ſenſualitas enim eſt ſubiectum,in quo eſt primus motus. Dicta tamē ſenſualitas, quandoque mouetur ſecundum regimen rationis ad ſuſtentationem naturæ,qui motus non eſt inordinatus. Aliquando ſecundum impulſum fomitis, qui eſt primus motus, & inordinatus. Pro differentia illius motus, qui fit ſecundum regimen rationis ad ſuſtentationem naturæ,additur ſecundum impulſum fomitis,in quo tangitur cauſa efficiens: per hoc vero quòd dicitur tendens impetuoſe, tangitur cauſa formalis, quæ eſt improbus impetus libidinis. Per illud vero,quod ſequitur, ad fruitionem creaturæ &c. notatur cauſa finalis. Vlterius notandum, quòd ſicut ſe habet ſenſus ad rationem ſecundum vim cognitiuam, ita ſe habet ſenſualitas ad vim rationabilem, ſiue voluntatem, aut liberum arbitrium ad vim motiuam. Vnde cognitio, quæ eſt ſecundum ſenſum, præcedit eam, quæ eſt ſecūdum rationem: ita motus ſenſualitatis prior eſt,quàm motus voluntatis: & ideo recte dicitur, quòd primus motus eſt ſenſualitatis. Senſualitas etiam cum ſit nomen vis ſenſibilis ordinatæ ſub ratione, ſolum eſt in homine: ſenſibilitas vero in brutis. Et licet dicatur, quòd lex carnis vel membrorum eſt primus motus, dicitur per cauſam: cum lex carnis vel membrorum ſit cauſa primorum motuum. Nota etiam,quòd ſenſualitas corrupta in homine per originale,& inordinata delectatio vel libidinoſa, quæ ex eâ prouenit, inquantum corrupta, dicitur primus motus & peccatum: deberet enim eſſe ſubdita rationi, & tamen mouetur modo indebito præter rationem: & attingitur aliquo modo a ratione non faciente, ſed permittente, & radicem eius non opprimente. Dicimus vltra, quòd licet poſſit vitari primus motus, vtputa iſte & ille, & ſic de ſingulis: non tamen omnis,quantum eſt de ſe. Voluntarium etiam eſt duplex:quia vel eſt a voluntate faciente,vel ab eadem permittente, ſiue radicem non comprimente. Primo modo non eſt voluntarius primus motus, ſed ſecundo modo. Eſt etiam duplex conſenſus, videlicet factiuus,ſine quo eſt primus motus: & permiſſiuus, cum quo conſiſtit: & licet non ſit conſenſus actu, eſt tamen habitu: quia eſt in poteſtate noſtra, vt iſte vel ille non ſurgat: ſed non quin aliquis ſurgat. Si interrogetur quis, a quo habet, vt ſit peccatum primus motus: reſpondet idem Alexander vbi ſupra, quòd ratione originis, & ratione inordinationis ad finem. Vnde fomes poſt baptiſmum, licet ſit pœna tantum, nihilominus poteſt ex huiuſmodi corrupta radice progredi motus,

qui eſt peccatum. Cum hoc enim, quòd fomes eſt pœna, remanet quædam procliuitas ſeu inclinatio ad culpã, ratione cuius motus ille,q eſt in potẽtia cõiunctus radici,& exit a tali radice,peccatũ eſt. Gloſſa ſuper illud ad Rom. 7. Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces, inquit: legem omnium illicitam concupiſcentiam nolle: ſed aliter nolle concupiſcentiã, quæ eſt in primo motu: aliter concupiſcentiam delectationis & conſenſus. Illã quippe non vult, ideſt reprobat, & deteſtatur, & peccatũ eſſe oſtẽdit: hanc vero non tantum oſtendit eſſe peccatum, verum etiam per duo vltima præcepta decalogus prohibet. Ex his ergo habetur, quòd nõ proprie dicitur lex prohibere primum motum,ſed nolle, ideſt deteſtari & reprobare. Prohibetur enim, ne concupiſcentia ducatur ad effectum. Sed nota prout dictum eſt ſupra, quòd illud præceptum negatiuum,Non concupiſces, non poteſt omnino impleri in via, quantum eſt de poteſtate liberi arbitrij in ſe: quod dicitur propter venialia peccata,quæ licet non prohibeantur directe, tamen mala eſſe oſtenduntur: & cauenda ſunt ſecundum poſſibilitatem humanam. Sed dubitatur, an ratio peccet non reprimendo primos motus? Reſpondet idem Alexander vbi ſupra, quòd ratio non tenetur reprimere primos motus mortalium peccatorum, ne ſurgant, ſed ne perducantur ad conſenſum ſuperioris partis: hoc eſt tenetur non conſentire ſecundum ſuperiorem partem rationis, vel etiam ſecundum inferiorem, cum iam peruenitur ad iudicium ipſius definitiuum. Nota etiam, quòd inferior pars rationis ita ordinata eſt ad ſuperiorẽ, quòd ſubijcitur ei. Senſualitas vèro ex pœna ordinata eſt,vt repugnet: & ideo licet teneatur ratio ſuperior ad cohibendum delectationes illicitas inferioris partis rationis, non tamen tenetur ad cohibẽdum delectationes illicitas inferioris partis ſenſualitatis. Inferior enim pars rationis vno modo ſubiecta eſt ſuperiori, alio modo non. In hoc autem eſt ſubiecta,quòd non poteſt conſentire ſenſualitati ad perficiẽdum peccata abſque ſuperiori. In hoc autem non eſt ſubiecta, quòd condelectari poteſt ipſi ſenſualitati ſine conſenſu rationis: propterea inſeparabilis eſt vis matrimonij inter inferiorem partem rationis, quæ eſt ad modum mulieris: & ſuperioris, quæ eſt ad modum viri. Non autem eſt matrimonium inter rationem & ſenſualitatem, ſecundum quod ſenſualitas tenet locum ſerpentis: & licet teneatur ſuperior pars rationis cohibere inferiorem, inferior tamen non tenetur cohibere ſenſualitatem. Si quæratur, quid opponitur primis motibus: Reſpondet idem doctor vbi ſupra, quòd gratia, non quæcumque, ſed gratia in tantum virtuoſa, vt poſſit liberare a lege peccati, ne ſcilicet motus

inſurgant, aut ſi ſurgant, ſtatim decidant. Vnde dicit Apoſtolus ad Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? ſubdit gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Et licet gratia nõ ſit in eodem ſubiecto primo, effectus tamen eius extenditur vſque ad ſenſualitatem, quæ eſt ſubiectum primi motus. Reformata enim ratio per gratiam, quandoque reformat ipſam ſenſualitatem. Primus etiam motus eſt peccatum, & punitur tantum temporaliter, quantum eſt de ſe: & eſt pœna ſecundum Auguſtinum dicentem, quòd omnis motus inordinatus pœna eſt &c. Scimus enim ex p̃ſcriptione legis eam concupiſcentiam, qua homo ſcienter & voluntarie concupiſcit, eſſe peccatum illi ad culpam imputabile. Eam vero, quæ ſurgit a carne, vel contra legem Dei, vel contra ſpiritum, aut charitatem proximi, eſſe quidem de genere malorum, non tamen homini chriſtiano imputari debet ad culpam, aut damnationẽ, quãdiu eſt citra conſenſum rationis. Quandiu enim luctatur voluntas aduerſus concupiſcentiam, tandiu condelectatur homo legi Dei: & licet carne ſeruiat legi peccati, mente tamẽ ſeruit dictæ legi Dei: quod laude & remuneratione tanto eſt dignius, quanto incentiuũ concupiſcentiæ erat ardentius. Homini igitur prohibitum eſt, vt non concupiſcat vxorem proximi, ac ſua fortunæ bona: non autem carni, non ſenſualitati, non fomiti.

Non omnis concupiſcentia in dictis duobus mandatis prohibetur. Cap. XXXV.

RATIO autem quare non prohibeatur in prædictis duobus mandatis omnis concupiſcentia eſt, quia ſpiritus noſter ſuas habet, ſed moderatas concupiſcentias, honeſtas, & ſanctas, inſitas deſuper a Spiritu ſancto, iuxta illud ad Gal. 5. Spiritus concupiſcit aduerſus carnem. Habet & homo ratione & iudicio præditus ex naturæ qualitate ſuas concupiſcentias non illicitas. Concupiſcimus omnes vſum rerum noſtrarum: et tales concupiſcentiæ, ſi ratione moderatæ fuerint, nihil habent mali. Quæ tamen in ſacris literis non intelliguntur proprio nomine concupiſcentiarum, ſed nomine concupiſcentiæ intelligitur proprie praua illa inclinatio naturæ corruptæ, quam nos fomitem, Apoſtolus vocat peccatum in carne habitans, aut legem membrorum. Ex ſupradictis elicio tria. Primum, nos renatos manere in ea miſeriarum neceſſitate, vt perpetuo in nobis ipſis circunferamus fomitem peccati, & concupiſcentias. Secundum, dictas concupiſcentias nos pati

potius,

potius, quàm facere & operari, quandiu diſſentimus, & nolentes ſumus. Homo enim non dicitur facere niſi ea, quæ ex ea parte facit, qua homo eſt, hoceſt iudicio & ſpontanea voluntate. Tertium nihil damnationis, hoceſt culpæ, aut offenſionis contra iſta mandata nobis ineſſe propter inſurgentes a carne concupiſcentias, etiam vehementes, & diuturnas, quandiu non ambulamus ſecũdum carnem, ideſt noſtro iudicio & voluntate non ſequimur tractum carnis, conſentiendo in id, quod concupiſcit caro, ſiue malum habitãs in carne. Sicut enim ambulare ſecundum Chriſtum, eſt ſequi veſtigia eius: ambulare ſecundum ſpiritum, eſt ſequi aut facere id, ad quod inuitat ſpiritus; ſic ambulare ſecundum carnẽ, eſt ſequi carnem, ſiue id facere, ad quod inclinat caro, aut proſequendo opus, aut ſaltem delectando ſe in operis meditatione. Cogitatio enim quantuncunque turpis non polluit, ſi ratio humana non conſentit. Tria enim ſunt, in quibus impletur vel completur peccatum. Primum ſuggeſtio, quæ fit per memoriam, & corporis ſenſus: his enim ſuggeritur homini, quod illicitum eſt, aliquando volenti, & aliquando nolenti: & ibi eſt initium tentationis. Secundum eſt delectatio ſiue affectio eius, quod ſuggeſtum eſt, cum ſcilicet concupiſcentia abſtrahit & illicit hominem ad cogitandum de fruitione eius, quod in ſe concepit per ſenſum: & ibi eſt perfecta tentatio, de qua Apoſtolus Iacobus c. 1. Vnuſquiſque tentatur, a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Tertium eſt conſenſus, cum homo aduertens & bene deliberatus conſentit in id, quod ſuggeſtio propoſuit, & concupiſcentia iam appetit: & tunc eſt conſummatio peccati. Peccatum enim conſummatum per liberum arbitriũ conſentiens generat mortem, diuidens inter Deum & hominem ꝓpter tranſgreſſionem: inter gratiam quoque, quæ vita eſt animæ, & ipsã animam, inducens in eam mortem &c. Nota etiam, quòd delectatio moroſa nõ eſt ſine conſenſu ſaltem interpretatiuo: quia cũ poteſt, ſe non auertit: quæ hoc modo generatur. Si enim manſeris in otio, ſi luſerit tecum circa hæc cogitatio tua, dum es in lecto: & ſi in principio fueris nolens, toties tamen recurret ſuggeſtio, & nouus pruritus, donec de nolente faciat volentem: Et ſi forte abhorreas opus externum propter periculum infamiæ, quod eſt in illo, tamen quod intra te ſecreto fieri poteſt, incipies velle, deinde pertractare: & diſcurrente cogitatione cordis de hoc in illud, de modo ad modum, fiet interior delectatio moroſa, quæ vt dictum eſt, non eſt ſine conſenſu ſaltem interpretatiuo, nec ſine peccato. Vt igitur & huic præcepto & huic tractatui imponamus finem, concludimus, quòd concupiſcentia vxoris alienæ, aut rerum non ſuarum,

quæ ineſt citra conſenſum, non eſt transgreſſio huius mandati, ſed tentatio alliciens hominem ad malum, & ad peccatum, quam ſi reprimat ratio conſentiens legi Dei, iam meritum naſcitur ad cumulum gloriæ, non peccatum. Beatus igitur vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe &c. Circa duo vltima præcepta errauit Lutherus dicens, Deum præcepiſſe nobis impoſſibilia: qui pro ſua aſſertione ponit duo exempla, primum de præcepto dilectionis Dei, ſecundum de præcepto non concupiſces: quæ duo, vt ipſe inquit, dum ſumus viatores, obſeruare non poſſumus. Non primum, quia neceſſe eſt, vt in hac vita exiſtentes aliqua propter Deum amemus: quod cum facimus, iam ſecũdum eundem Deum ex toto corde non amamus: & ſic primum præceptum, quod inculcat talẽ dilectionem, non obſeruamus. Neque ſecundum, videlicet, Non cõcupiſces: & ratio ſecundum eundem eſt, quia concupiſcentia, quæ in baptiſmo relinquitur, eſt peccatum proprie dictũ, & transgreſſio huius præcepti. Quæ opinio, videlicet, quòd obſeruantia præceptorum non eſt nobis poſſibilis, eſt erronea: quod oſtenditur per illud Deut. 30. vbi dicitur. Mandatum hoc, quod præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illud. In proximis enim præcedentibus verbis ſermonem fecerat de mandato dilectionis Dei ex toto corde. Beatus Baſilius in regula monachorum cap. 83. de dilectione inimicorum, ait: Numquam autem præciperet hoc iuſtus & clemens Deus, niſi vtique etiam poſſibilitatem nobis donaſſet. Et diuus Hieronymus ad Damaſum: Execramur etiam eorũ blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata non a ſingulis poſſe ſeruari: quomodo autem intelligatur præceptũ dilectionis, vide ſupra in hoc noſtro tractatu cap. 5. Ex ſcripturis enim ibi oſtenditur & cõuincitur, eum ambulare in toto corde, qui omnia mandata implet. De alio autem præcepto, videlicet, Non concupiſces, patet etiam Lutherum erraſſe: ad quod clarius oſtendendum aliqua proferemus ſacrorum virorum teſtimonia. Prius tamẽ lectorem admonebimus, quòd hæc dictio peccatum in ſacris literis eſt æquiuoca, eo quòd quandoque ſumitur pro hoſtia, quæ offertur pro peccato, quo modo ſumit eam Apoſtolus 2. Cor. 5. cum

ait:

ait: Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis, ſcilicet cæleſtis pater, peccatum fecit, hoceſt hoſtiam pro peccato, ab iſta peccati ſignificatione numquam aliquis dicitur peccator. Quandoque vocatur peccatum cauſa alliciens aut impellens ad peccatum, vel pœna peccati: quo etiam modo appellauit Paulus peccatum, cum dixit ad Rom. 7. Si autem quod nolo malum, hoc facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: Vbi Apoſtolus vocat peccatum carnis concupiſcentiam, quæ ſemper ad malum impellit: vel quia in pœnam primi peccati data eſt: a qua etiam peccati ſignificatione nullus dicitur peccator: de quo beatus Auguſtinus in commentarijs ad Galatas ait. Aliud eſt peccatum habere, & aliud peccare. Vltimo hæc dictio peccatum ſumitur pro culpa & Dei offenſa, quam voluntas noſtra transgrediendo Dei præcepta committit, propter quam dicta voluntas ſic peccans rea efficitur alicuius pœnæ infligendæ: et hæc eſt propria illius dictionis ſignificatio, qua etiam frequentius ſacræ literæ vtuntur, & a qua proprie dicitur aliquis peccator. De hac peccati ſignificatione loquẽdo dicimus, concupiſcentiam carnis aut fomitem non eſſe peccatum, nec eſſe prohibitam per præceptum illud, non concupiſces. Vnde Ricard. de Sancto victore libro ſecundo de Emanuele cap. ultimo, oſtendens excellentiam beatæ virginis Mariæ ſuper omnes alios Sanctos, ait: Ceteris Sanctis in cõmune præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum non regnet: ſoli iſti ſingulariter datur, vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet. Non regnet (inquit Apoſtolus) peccatum in veſtro mortali corpore: Ecce præcipitur, vt non regnet, ſed non vt non inhabitet. Attẽde, quod idem Apoſtolus ad Rom. 7. dicat: Si enim quod nolo malum, id ago: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Et Auguſtinus in primo libro ad Bonifatium contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 13. inquit: quòd ipſa carnis concupiſcentia in baptiſmo ſic dimittitur, vt quanquam tracta ſit a naſcentibus, nihil noceat renaſcentibus. Et libro primo de nuptijs & concupiſcentijs ad Valerium per multa capita hanc eandem docet ſententiam. Hanc hæreſim iuxta vtramque illius partem Alphonſus de caſtro in ſuo tractatu contra omnes hæreſes, titulo præceptum, diffuſe & ſubtiliter confutat: lex igitur iuſta, & mandatum bonum. Sanctus enim Bonauentura in primo ſermone de decem præceptis, diſſerens quæ ſint illa, quæ mouere nos debent ad obſeruantiam dictorum præceptorum, ponit inter cetera quatuor. Primum eſt auctoritas mandantis, ſecundum obſeruationis mandatorum vtilitas, tertium tranſgreſſionis periculum, quartum irreprehenſibilitas

mandatorum. Quando igitur ille, qui mandat, eſt magnæ auctoritatis, & obſeruatio mandatorum eſt magnæ vtilitatis, & in transgreſſione eſt magnum periculum, & irreprehenſibile eſt mandatum, tunc nullus habere poteſt excuſationem de non obſeruatione mandatorum. Primo namque debet nos mouere ad obſeruandum mandata, Dei auctoritas mandantis: quia ille, qui mandat, ſcilicet Deus, magnæ auctoritatis eſt: quod patet ex tribus. Primo, quia ipſe ſua magna potentia nos creat: de qua Iob decimo. Manus tuæ Domine fecerunt me: & Deut. ij. Oculi veſtri viderunt omnia opera domini magna, quæ fecit, vt cuſtodiatis vniuerſa mādata illius. Secundo, quia mira ſua ſapientia nos gubernat: de qua Eſai. Ego Dominus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas, vtinam attendiſſes mandata mea: & ps. 118. Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua. Tertio, quia ſua munifica beneuolentia nos ſaluat. Vnde in Deut. 10, Et nunc Iſrael quid petit Dominus Deus tuus a te, niſi vt timeas ipſum, ac diligas ipſum, & ambules in vijs eius, & cuſtodias mandata eius? Dominus qui te creauit, Deus qui te gubernat, tuus qui te ſaluat. Secūdo principaliter mouere nos debet ad obſeruandum mandata Dei, eorum vtilitas: in ſeruando enim mandata Dei eſt multiformis vtilitas. Prima eſt impetratio diuinorum chariſmatum, de qua Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea ſeruate: & ego rogabo patrem meum, & alium paraclitum dabit vobis. Secunda eſt intelligentia ſanctarum ſcripturarum, de qua in ps. 118. Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui. Modum, quo perueniemus ad intelligentiam ſcripturarum, docet Gregorius: vnde ſuper illud, Diſcipuli quando viderunt dominum Ieſum, ipſum non intellexerunt, ſed quando loquebatur, tunc ipſum intellexerunt: dicit, quòd audiendo Dei præcepta diſcipuli illuminati non ſunt, ſed ea exequēdo. Quare? quia non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Propter hoc dicit Iacobus in canō. ſua: Eſtote factores verbi Dei, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos: quia ſiquis auditor eſt verbi Dei, & non factor, hic cōparabitur viro conſideranti vultū natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Tertia vtilitas in ſeruando mandata Dei, eſt aſſecutio præmiorum cæleſtium: vnde prouerb. 7. Serua mandata mea, & viues: & legem meam quaſi pupillam oculi. Hæc eſt ratio, quare homini exiſtenti in paradiſo Deus dedit obſeruantiam mandatorum. Tertio debet nos mouere ad obſeruantiam mandatorum periculum transgreſſionis: homo enim qui transgreditur mandata, incidit in multa pericula: vnde leuitici 26. Si non audieritis vocem meam, & non feceritis omnia mandata mea, viſitabo vos in ege-

ſtate

ſtate & calore, qui conficiet oculos veſtros, & conſumet animas veſtras. Dicit viſitabo vos in egeſtate, quæ eſt priuatio omnium bonorum: & calore,qui conficiet oculos veſtros,& conſumet animas veſtras: quia auferet affectum boni, & intellectum veri. Dicti etiam transgreſſores in nefanda flagitia ruunt: vnde in Daniel 3. dixerunt pueri in fornace ignis ardentis. Peccauimus, inique geſſimus, & præuaricati ſumus: & ſequitur eorum ignominia, cum dixerunt, Et traditi ſumus in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & regi iniuſto & peſſimo ſuper terram. Transgreſſores poſtremo incidunt in magna pericula: quia æterna ſupplicia promerentur, de quibus pſ. 119. Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Maledicti, quia dicetur eis, Ite maledicti in ignem æternum Matth. 25. Ecce obſeruationis mira vtilitas, & transgreſſionis mira calamitas. Vnde Dominus per Moyſen Deut 11. inquit: En tibi propono benedictionem & maledictionem: benedictionem,ſi mãdata mea feceris: maledictionem,ſi non feceris. Quarto & vltimo mouere nos debet ad obſeruandum mandata Dei irreprehenſibilitas mandatorum: eſt enim mandatum ſanctum & bonum, quia non continet aliquod impoſſibile, nec aliquod oneroſum, nec iniquum. Primo dicimus,quòd non continet aliquid impoſſibile, vt videre licuit in præcedenti capitulo. Vnde primæ Ioan. 5. Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: habenti enim charitatem mandata ſunt facilia, ſed non habenti eandem videntur difficilia, & quaſi impoſſibilia. Et ponit Auguſtinus exemplum de aue ſine plumis, & de aue cum plumis. Aui habenti plumas facile eſt volare, ſed non habenti difficile. Similiter homini peruerſæ voluntatis difficilia videntur mandata: ſed habenti charitatem facilia ſunt,vt oſtenſum eſt ſupra per verba Deut. cap. 30. Dicimus vltra, quòd mandata Dei ſunt ſuauia, cum non contineant aliquid oneroſum: vnde Eccleſiaſtici 23. Nihil melius eſt, quàm timor Dei: & nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini: et pſ. 18. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum,& dulciora ſuper mel & fauum.Gaudium eſt iuſto ſeruare iuſtitiam, ſed palato infecto cibus dulcis videtur eſſe amarus: ſimiliter homini peruerſæ voluntatis Dei mandata videntur difficilia, licet ſint ſuauia. Poſtremo mandata Dei ſunt irreprehenſibilia,quia non continent aliquod iniquum: vnde Apoſtolus ad Rom. 7. Lex quidem ſancta eſt, & mãdatum ſanctum & iuſtum & bonum. Propter hoc dicit idem Apoſtolus primæ ad Tim. 6. Præcipio tibi in Deo,qui viuificat omnia,vt ſine macula ſerues mandatum irreprehenſibile. Coniungamus igitur iſta quatuor inſimul, ſcilicet quòd ſumma auctoritas

nobis

nobis præcipit, magna potentia nos creat, mira ſapientia nos gubernat,& munifica beneuolentia nos ſaluat. Et videamus,quòd vtilitas obſeruationis mandatorum impetrat diuina charismata, reuelat ſenſum ſacrarum ſcripturarum, & promittit æterna præmia: quòd transgreſſores multa bona perdũt, in nefanda flagitia ruunt, & æterna ſupplicia promerentur: & quòd irreprehenſibilitas mandatorum non continet aliquod impoſſibile, nec oneroſum, nec iniquum: ſi enim iſta bene expenderimus, non erit quiſpiam immunis ab obſeruatione mandatorum. Epilogando ſupradicta decem legis præcepta ſcire debemus,quòd quanquam dicantur quædam præcepta affirmatiua, & quædam negatiua,omnia tamen affirmationem & negationem in ſe continent: Quia quãdo Deus prohibet aliquid in vno mandato, præcipit ex eodem contrarium: & quando præcipit vnum, prohibet eius oppoſitum. In primo mandato, ſicut præcipitur humilis adoratio diuinæ maieſtatis, ita prohibetur etiam idololatria. In ſecundo præcipitur fidelis & vera aſſertio diuinæ veritatis, & prohibetur conſequenter periurium. In tertio ſicut mandatur deuota & ſyncera dilectio diuinæ bonitatis, ita prohibetur indeuotio. In quarto præcipitur pietas ad parentes, & cauetur inhonoratio. In quinto & præcipitur manſuetudo, & prohibetur iracundia. In ſexto mãdatur pudicitia, & cauetur mœchia. In ſeptimo præcipitur largitas,& prohibetur furtum. In octauo non minus præcipitur veritas, quàm prohibeatur mendacium. In nono præcipitur liberalitas cordis non minus, quàm prohibeatur concupiſcentia oculorum. In decimo & prohibetur concupiſcentia carnis, & præcipitur caſtitas mentis. Si facimus, quod Deus præcipit, & vitamus quod prohibet, conſequimur vitam & bonum: ſi vero non faciamus & non vitemus, incurrimus malum & mortem. Ex legis obſeruantia conſequimur benedictionem, ex transgreſſione vero maledictionem. Ex obſeruantia prædicta efficimur reuerentes, fideles,deuoti, pij, manſueti, pudici, largi, veridici, proprijs contenti,& corde impolluti. E contrario ex trãſgreſſione legis efficimur idololatræ, blaſphemi,indeuoti,impij, homicidæ, adulteri, fures, mendaces,carnales,& cupidi.

FINIS PRAECEPTORVM.

SEQVITVR BREVIS ET VTILIS TRACTATVS eiuſdem Clementis Moniliani Cardinalis Aracæli de peccatis in genere, de diuiſione & definitione eorundem, ac de diſcrimine peccatorum mortalium & venialium inter ſe.

Et primo de quibuſdam præambulis conducentibus ad notitiam dictorum peccatorum. Caput Primum.

ANTEQVAM de venialium & mortaliũ peccatorum diſcrimine, ſimiliter & de ſpeciebus eorundem diſſeramus, duo, quæ faciunt ad dictorum peccatorum plenam cognitionem, præſupponimus. Primum quorum eſt, quòd ſicut per Ariſt. 8. ethi. c. 2. triplex eſt bonum humanum, videlicet honeſtum, vt virtutes, quæ per ſeſe expetibiles ſunt: iucundum ſiue delectabile, vt bona corporis: & vtile, vt diuitiæ ſiue ea bona, quæ fortunæ dicuntur, quæ (non obſtante quòd dici poſſent abſolute bona, eo quòd ei, qui virtute præditus eſt, ad honeſtas actiones exequendas inſtrumenta ſunt, non ſecus atq; inſtrumentum muſicũ, quod abſolute ad muſicas operationes muſico homini congruit) ob aliud communiter expetendæ ſunt, eo quòd alterius gratia vtiles ſint: Ita pari modo triplex eſt malum, videlicet culpæ, pœnæ, & damni. Primum quorum bono honeſto, ſecundum iucundo ſiue delectabili, tertiũ opponitur vtili. Prætermiſſis ergo malis pœnæ, & dãni, de quibus aliqua in tract. de p̃ceptis tetigimus, de malo culpæ in p̃ſenti tractatu locuturi ſumus, de quo Ieremiæ 2. dicitur. Vide quàm malum & amarum ſit, reliquiſſe te dominum Deum tuum. Secundum præſuppoſitum eſt, quòd malum ſupradictum prima ſui diuiſione diuiditur in malum ſiue peccatum originale & in actuale. Originale proprie non eſt concupiſcentia ſecundum determinationẽ Eccleſiæ, vt habetur in concilijs Arauſicano c. 2. & Tridentino ſeſs. 5. circa finem decreti de peccato originis, cum ipſa non ſit in nobis ꝓprie peccatum, ſicut nec tale in Adam fuit: ſed tantum peccatum dici poteſt, eo modo quo de illa loquitur beatus Paulus ad Romanos 7. dicens. Si autem quod nolo malum, hoc facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Vbi Apoſtolus peccatum vocat concupiſcẽtiam ſupradictam, eo quòd ſemper ad ma-

lum impellat, & ad illud alliciat. Illa enim verius peccati pœna dici poteſt, quàm peccatum ipſum. Hæc autem ad malum pronitas, ſiue lex carnis, aut membrorum, vel fomes, ſiue carnis ſtimulus, aut concupiſcentia, ut inquit diuus Aug. in lib. de nuptijs, & concupiſcentijs cap. 25. manet in regenerato, in quo vniuerſorum facta eſt remiſſio peccatorum: non tamen eidem ad peccatum imputatur: manet dico, donec ſanetur omnis noſtra infirmitas. Vnde & ſi non fit quod ſcriptum eſt, Non concupiſcas, fiat ſaltem quod alibi legitur, Poſt concupiſcentias tuas non eas, ſiue eiſdem ne conſentias. Peccatum autem originis proprie & formaliter nihil aliud eſt ſecundum beatum Anſelmum de caſu diaboli c. 16. & de conceptu virginali c. 26. quàm carentia iuſtitiæ debitæ, & nõ qualitercunque debitæ: ſed debitæ, quia acceptæ in primo parente, & in ipſo amiſſæ. Propter quod Adam non habuit peccatum originis, cũ debitum ipſum habendi iuſtitiam originalem non fuerit ad eũ traductum per aliquem parentem, ſed ipſe eandem in ſe accepit, & ꝓ ſuo actuali peccato amiſit. Dictum autem originis peccatũ de cõmuni lege eſt in omnibus propagatis per copulam carnalem, ſicut & priuatio iuſtitiæ originalis: quæ ſecundum ſanctum Thomam in quæſtionibus diſputatis de originali peccato, erat donum ſupernaturale, per quod ſuperior pars animæ non modo Deo ſubdebatur & iucundiſſime coniungebatur, verum & inferioribus viribus pacifice & delectabiliter imperabat, in tãtum quòd natura inferior nõ mouebatur contra iudicium ſuperioris: et ſi mouebatur, poterat a ſuperiori regulari & ordinari ſine difficultate ſuperioris, & ſine triſtitia inferioris. Dictum originale peccatum vnum numero eſt in homine vno, & æqualiter de communi lege in omnibus, vt inquit ſanctus Thomas pri. 2. q. 82. art. 4. & eſt in voluntate, vt in ſubiecto: & in omnes homines ex Adam ſecundum ſeminalem rationẽ deſcendentes, traducitur. Propter quod, vt inquit diuus Bonauẽtura 30. diſt. 2. q. 2. anima cuiuſlibet hominis a natiuitate peruerſa eſt & inordinata: propter quod ſicut ordinatio & rectitudo in homine iuſtitia eſt, ſic peruerſitas & inordinatio culpa eſt. Quod manifeſtant viſionis Dei priuatio, rationalis erubeſcentia, & concupiſcentiæ prædominatio. Nullus enim æterno bono, ad quod creatus eſt, priuari debet, niſi in ſe habeat aliquid, per quod indignus ſit diuino præſentari conſpectui, quod non poteſt eſſe niſi culpa. Cum igitur omnes, quot quot ſunt, viſione dei priuentur, niſi per baptiſmum fluminis, ſanguinis, vel flaminis renaſcantur, planum erit, quòd ijdem omnes contrahunt ex ſua origine culpam. Erubeſcentia quoque rationis hoc oſtendit: nullus profecto erubeſcit de paſ-

ſionibus,

ſionibus, quas habet a natura, niſi inſint ei per aliquam culpam.Cũ igitur erubeſcat homo ex genitalium membrorum motu, colligitur, quòd quilibet in ſeipſo non tantum pœnaliter, ſed & culpabiliter eſt corruptus, quantum ex ſua origine. Prædominantia etiam concupiſcentiæ idem manifeſtiſſime oſtẽdit, cum certum ſit, quòd tunc anima hominis eſt ordinata, quãdo ſpiritus eſt ſub Deo,& caro ac virtutes animales ſubijciuntur ſpiritui, ſequunturq; eius imperium. Ab oppoſitis vero conditionibus eſt inordinata anima, videlicet quando caro & virtutes animales præſunt ſpiritui rationali, originali culpa maculato.

De peccatorum actualium diſtinctione. Caput. II.

POSTQVAM in priori capite diximus de traductione peccati originalis, & compendioſius (vt ſtuderemus breuitati) quàm materia exigebat, conſequenter diſſerendum eſt de ortu peccati actualis, de quo hæc in ſumma tenenda ſunt, videlicet, quòd peccatum actuale originem trahit a libera voluntate vniuſcuiuſque per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum, & operationem, iuxta illud quod dicitur Iacobi primo. Vnuſquiſque tentatur, a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem. Si autem ſuggeſtio & delectatio ſiſtãt citra cõſenſum, veniale peccatum eſt: ſi vero ad ſuggeſtionẽ & delectationem ſequatur conſenſus & opus, in his præcipue quæ diuina lege prohibentur, mortale peccatum eſt & conſummatum. Si vero ſit mentis conſenſus ſine opere, eo quòd vellet in opus procedere, ſed non poteſt, tunc voluntas pro facto reputatur. Si autem non vult in opus procedere, ſed tantum interius in delectatione voluptari, tunc manducat mulier, & non vir: & licet peccatum non ſit plene conſummatum, inter mortalia tamen computatur. Peccatum autem actuale prima ſui diuiſione partitur in mortale & veniale: & ne ignorantia legitimæ acceptionis peccatorum mortalis & venialis confuſionem pariat, commodum erit ſtatuere & firmare, quo potiſſimum ſignificatu his nominibus in præſenti tractatu vtendũ ſit. Porro peccatum mortale ſic appellatur a morte, ſicut veniale a venia: & veniale quidem aliquando ab euentu ſic vocatur, aliquando ex cauſa, aliquando vero ex propria ratione & natura. Ab euentu veniale dicitur quodcumque peccatum quantuncunque graue, ſi veniam habeat, & illius veniam & remiſſionẽ tandem obtineamus:

de quo beatus Amb. inquit, quòd mortalia omnia fiũt venialia per pœnitentiam. Aug. vero 21. de ciuit. Dei c. vlt. venialem iniquitatẽ vocat, quæ eſt remiſſibilis: et de vera & falſa pœnitentia c. 18. ponit eſſe quædam peccata mortalia, quæ propter pœnitentiam efficiuntur venialia. Ex cauſa autem veniale peccatum vocatur: quod ſic fit, vt aliquid habeat ex cauſa ſua, vnde diuinam miſericordiam cõdeceat veniam ei aliquando impertiri. Et hoc modo peccata quæcumque ex ignorantia vel infirmitate cõmiſſa venialia aliquo modo dici poſſunt, ideſt, digna aliqua venia: ſicut peccata Pauli, qui de ſeipſo pri. ad Timoth. pri. dicit. Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Veniale vero ex propria natura & ratione eſt peccatum, quod ſuapte natura leue, exiguum, & minutum eſt, ac rectæ rationi parum diſſonum: neque mortem inferens, ſed dignũ omnino venia. Mortale vero ab euentu dici poteſt, quod numquam habiturum eſt veniam: mortale vero ex cauſa, quodcũque peccatũ ex malitia & de induſtria commiſſum: mortale autem ex propria ratione, quodcumque graue peccatũ rectæ rationi vehementer diſſonum, ac proinde de ſe indignum venia, & mortem animæ inferẽs, ſiue primam, quæ eſt priuatio gratiæ gratumfacientis: ſiue ſecundã, quæ eſt damnatio æterna. Verum priores duas peccati venialis & mortalis acceptiones, quia alienæ ſunt a propoſito noſtro, prætermittimus: vna igitur tertia acceptione, qua ſolum vtuntur doctores, impræſentiarum vtemur. Sic igitur acceptum peccatum veniale, duplex eſt: quoddam eſt veniale ex genere ſuo, vt verbum otioſum, riſus leuis, mendacium officioſum ſiue iocoſum, & ſimilia: & quoddam eſt veniale ex imperfectione operis: et differt hoc a priori, quoniam materia prioris de ſe leuis eſt, & parum diſſona rectæ rationi. Materia vero poſterioris grauis eſt, & vehementer diſſona rectæ rationi: ſed ob imperfectionem operis, actus ipſe tantum eſt peccatum veniale. Et quia hæc imperfectio vel ex paruitate materiæ poteſt contingere, vel ex defectu deliberationis, ideo peccatum veniale ex imperfectione duplex communiter ponitur. Quoddam. n. eſt veniale ex ſurreptione, (quod latẽter ſcilicet ingreditur) ſeu ex indeliberatione, vt motus ſubiti contra præcepta, quos poſſumus facile deuitare. Alterum eſt veniale ex paruitate materiæ, vt furtũ leue, detractio parua, & id genus. Ex quibus patet certiſſimum eſſe, quòd aliqua peccata ſunt venialia, & aliqua mortalia. Vnde quãdo ſancta Synodus Tridentina in decreto iuſtificationis ſeſſ. 6. c. 11. ſtatuit a iuſtis committi aliqua peccata venialia, propter quæ iuſti eſſe non deſinunt: & quòd per quodlibet peccatum mortale gratia iuſtificationis amittatur: oſtendit mortalia eſſe peccata, quæ

diuinam

diuinam dirimunt amicitiam: & venialia, quæ tanta non ſunt, vt iuſtitiam & gratiam Dei a nobis tollant. Et hoc eſt, quod ſcholaſtici tradunt, cum dicunt motus ſeu affectiones prauas, genitas a concupiſcētia, peccata eſſe venialia, ſi moram aliquam in nobis fecerint, & ratio neglexerit eas reprimere: mortalia vero, cum ratio aduertens eis acquieſcit, & volūtas ſuū præbet aſſenſum, vt id ſcilicet velit opere perficere, quo concupiſcentia trahebat. Quia vero neque humani, neque voluntarij motus ſeu affectus cenſentur, non accedēte volūtatis cōſenſu, proprie peccata imperfecta, & incōſummata peccata ſunt: atque ideo nec mortē ſpiritualem nobis inferunt.

De differentia mortalium & venialium peccatorum. Cap. III.

NON ſatis eſt monſtrare, quæ ſit potiſſima differentia inter uenialia & mortalia peccata, niſi etiam vias aliquas aperiamus, quibus poſſint catholici quibusuis in rebus agnoſcere, quæ ſint peccata venialia, & quæ mortalia. Ideo notandum, quòd dum de iſta re magis magisq; cogitamus, ex tribus locis, ex quibus diſtinctionem dictorum peccatorum hauſimus, tres nobis occurrunt commodiſſimæ viæ, quibus illa internoſcere, & diſſeparare poſſumus. Volumus .n. ſcire de aliquo peccato, veniale an ſit, an mortale? recurramus ad ſcripturas, ad doctrinam Eccleſiæ, quæ firmamentum eſt & columna veritatis, & ad lumen noſtrum naturale: hæc nos certos facient, quale ſit & quantum peccatū, de quo requirimus. Ex ſcripturis quidem dupliciter. Quæ enim in illis videris abominabilia dici, execranda, Deo exoſa, digna morte, aut cauſa eiuſdē mortem inferre, excludere a regno cælorum, & quibus vel pœnas æternas, vel ſaltem mortem corporis cōminatur, ea indubitato credere debemus peccata eſſe mortalia. Quæ autem leuioribus pœnis caſtigat, venialia. Et hoc modo colligere poſſumus, omnia opera carnis a Paulo ad Rom. 1. & ad Gal. 5. enumerata, & contumelias graues illatas proximo, peccata eſſe mortalia. Verbum vero otioſum tantum eſſe veniale: quoniā illa digna morte, & excludere a regno cælorum Paulus affirmat: & Chriſtus eiusmodi contumelias reos facere gehennæ ignis tradit. De verbo autē otioſo multo temperantius & mitius locutus eſt. Cum etiā Paulus ad Eph. 5. ſcripſiſſet, Fornicatio autem & omnis immūditia & auaritia neque nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ne eadem lege cenſerentur omnia ſimul connumerata, & venialia confunderentur cum

mortalibus, ſtatim adiecit. Hoc. n. ſcitote intelligẽtes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt Idolorum ſeruitus) non habent hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Expreſſione quippe fornicationis & immũditiæ, & ſuppreſſione ſtultiloquij, & ſcurrilitatis, docuit illa eſſe mortalia, & excludere a regno Dei: hæc vero dumtaxat venialia. Vbi vero nullo ex his modo ſatis pateret ex ſcripturis, vtrum veniale eſſet aliquod peccatum, aut mortale, recurrendum eſt ad ſecundam viam, videlicet ad traditionem Eccleſiæ, & communem conſenſum patrum. Quæ enim vel doctores ſiue patres communi conſenſu tradunt, vt mortalia: vel a pijs & doctis chriſtianis, vt talia vitantur, vel certe talia exiſtimantur, procul dubio habenda ſunt mortalia: quæ vero vt venialia, credenda ſunt ipſa eſſe venialia: Non enim in tanta re permittet Spiritus ſanctus errare Eccleſiam, quam ſemper inhabitat & illuminat. Itaque ſi aliqua peccata communiter creduntur in Eccleſia, nõ eſſe neceſſario confitenda, neque gratiã Dei tollere, immo deleri per aquam benedictam, orationem dominicam, tunſionem pectoris, aut per ſimilia: & eis obnoxij admittuntur ſemper ad ſacramẽta: ex hoc cognoſcere debemus ea eſſe venialia: & ſi contra cõtingat, mortalia. Ex ipſo quoque lumine naturali dignoſci poſſunt tertio venialia a mortalibus differre: et quã viam ab omnibus cuperemus notari, & pro dignoſcendis his peccatis ob oculos vbique haberi, eſt iſta. Quæ enim ex directo & grauiter repugnant charitati Dei, aut proximi, ea cenſeantur mortalia: Quæ vero rationi quidem diſſonant, & a lege nobis tradita exorbitant, non autem tantopere, vt grauiter lædant charitatem, quam Deo & proximis & nobiſipſis debemus, ea exiſtimentur venialia: & hæc eſt via valde commoda ad diſtinguendum in quacumque materia veniale a mortali. Quia ſicut ex lumine naturali conſtat vnam eſſe magnam iniuriam vel ægritudinem, aliam vero paruam: ita etiam conſtat hanc eſſe grauem offenſam, illam autem minus grauem. Neque enim ex alio fonte manauit doctrina illa communis, qua docemur circa quæuis præcepta, dupliciter poſſe contingere peccatum veniale, nempe ex ſurreptione, vel ex paruitate materiæ, pro qua vide diuum Tho. pri. 2. q. 88. art. 2. Cum enim charitas vinculum ſit, quod nos Deo coniungit, ac principiũ formale ſpiritualis vitæ, immo & finis præcepti ſecundum Apoſtolũ pri. ad Timoth. pri. & charitati Dei ac proximi parum officiat vel furtum leue, vel percuſſio parua, vel concupiſcentia alienæ vxoris indeliberata, vel motus infidelitatis ſubitus, ſapientes vt certum & indubitatum tradiderunt, hæc nõ dirimere amicitiam diuinã, neque a Deo auertere, aut a nobis tollere iuſtitiam.

Quamobrem

Quamobrem Ricar. de S. vict. in fine tractatus de differentia venialis a mortali conſtanter affirmat, peccatum mortale eſſe, quod non poteſt a quoquam committi ſine grandi corruptione ſui, aut contemptu Dei, aut læſione graui proximi: reliqua vero omnia eſſe venialia. Inſpiciat igitur qui vult bene diſcriminare venialia a mortalibus, & oculos ſuos in charitatem cōijciat, quæ vna eſt huic propoſito regula certiſſima, & oblata quacūque operatione, aut omiſſione humana, diligenter aduertat, an illa aduerſetur directe charitati, an non: ſi nō aduerſatur nullū peccatū eſt. Si autē aduerſari videatur, rurſus perpendat, an grauiter, an leuiter: ſi grauiter inde lædi charitatem viderit, mortale peccatum ibi ſubeſſe agnoſcat: ſi leuiter, veniale. Sancta enim Synodus Tridētina ſtatuit, quòd mortalia omnia poſſunt a iuſtis cum Dei adiutorio etiā in tota vita vitari, & quòd a multis vitata ſunt: Venialia vero nemo omnia niſi ex ſpeciali priuilegio vitare poteſt.

De notitia habenda venialium. Cap. IIII.

PRO pleniori adhuc notitia habēda de venialibus, eſt notandum, quòd apud omnes catholicos conſtans & indubitatum eſt, & merito, neminem fuiſſe, excepta deipara Virgine, in hac vita, qui toto vitæ ſuæ decurſu omnia effugerit venialia peccata: vt habetur in concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 23. Vnde & de iuſtis dicitur: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus pri. Ioan. 1. Et Salomon Eccleſiaſtici 7. inquit: Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Quamquam enim ſingularis fuerit patientiæ, innocentiæ, & totius ſanctitatis exēplum Iob, & horridas tribulationes & tentationes non propter ſua peccata, ſed propter ipſius perficiēdam & demonſtrandam iuſtitiam, a Deo illatas admirabili patientia pertulerit: tamē, vt Auguſtinus & Gregorius laudum ipſius eximij buccinatores fatentur, culpa veniali non caruit, vt ipſemet cap. 7. ſui libri fatetur. Peccaui, inquit, quid faciam tibi o cuſtos hominum? Magnas quoque laudes pietatis & innocentiæ Samuelis ſcriptura prædicat: & tamen, vt inquit Auguſtinus 2. de pec. me. & re. cap. 16. neque illum, neque Moyſen, neque Aaron omni culpa vacaſſe, ſatis Dauid pſ. 98. indicauit dicens de eis. Tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Gennadius etiam de eccleſiaſt. dogmat. cap. 49. inquit: Nullus ſanctus vel iuſtus caret peccato, nec tamen deſinit eſſe ſanctus: licet enim iuſti in aliqua ſupradicta incurrant minuta vel ve-

nialia peccata, elogium tamen immaculatorum & eorum, qui ſunt mundi corde, non amittunt. Auguſtinus de perfe. iuſti. reſpon. 17. ad præfata addit, quòd aliud eſt eſſe ſine peccato, (quod ſolo vnigenito in hac vita dictum eſt) aliud eſſe ſine querela, quod de multis iuſtis etiam in hac vita dici potuit: et paulo poſt. Legitur homo ſine crimine, legitur ſine querela, at non legitur ſine peccato niſi filius hominis, vnus, idemq; Dei filius vnicus. Et Gregorius 21. moral. c. 9. ait: In hac vita multi ſine crimine, nullus eſſe ſine peccato valet. Quibus non obſtantibus, ſemper verum eſt, quod canon. 23. ſeſſionis præfatæ concilij Tridentini affirmat & aſſerit, Eccleſiam ſcilicet tenere beatam Virginem ſpeciali priuilegio hic vitaſſe omnia et ſingula venialia peccata: quæ laus debebatur eius plenitudini gratiæ atque amori, quo vnice a Deo dilecta eſt, & ſuper omnes exaltata: de qua beatus Auguſtinus de natura & gratia c. 36. ait. Excepta itaque ſancta Maria virgine, de qua propter honorem Domini nullā prorſus, cum de peccatis agitur, volo habere quæſtionem, ſi omnes ſanctos & ſanctas cōgregare poſſemus, vna voce clamarent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Ad quod propoſitum concilium ſupradictum concludit loquendo ſemper de venialibus. Quiſquis autem dicit poſt acceptam remiſſionem peccatorum, ita quemquam hominem iuſte vixiſſe in hac carne vel viuere, vt omnino nullum habeat peccatum, contradicit Apoſtolo Ioanni, qui dicit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. An modo ad tempus vel perpetuo iuſtus per Dei gratiam poſſit vitare omnia venialia? Huic difficili quæſtioni reſpondet reuerendus Andreas de Vega in expoſitione decreti de iuſtificatione lib. 14. c. 20. & 22. ad quem me remitto, præcipue cum noſtra ſit intentio ſtudere breuitati, & pugnas legis deuitare. An vero homo poſſit omnia vitare venialia moraliter, aut potentia logica, ſiue metaphyſica, non multum facit ad propoſitum noſtrum, quo intendimus de facto ponere diſcrimen inter mortale & veniale: & non quid in hoc ex libertate liberi arbitrij, vel particulari priuilegio poſſimus, vel nō poſſimus. Non .n. iudicio noſtro ſub dubio reuocare licet, an Deus, quod deiparæ Virgini cōceſſit præcipue, alijs puris creaturis concedere poſſit, cum non ſit impoſſibile apud Deum omne verbū. Sat eſt, quòd de facto nulli alij a beata Virgine legitur conceſſum fuiſſe illud priuilegium. Et verum eſt dictum beati Iob. cap. 14. dicentis: Quis mundus eſt a ſordibus? Qui ſibi reſpondet iuxta translationem, quam ſecuti ſunt antiqui doctores, nemo: neque ſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram.

Peccata venialia vere ſunt peccata. Cap. V.

PECCATA venialia proprie & ſimpliciter peccata ſunt: tum quia ſunt actus mali ſimpliciter voluntarij circa materiam indebitam, a recta ratione deuiãtes, & pœna ac reprehenſione digni: tum etiam quia ſub nomine peccatorum a Chriſto comprehenduntur, quando dicit Ioannis 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: aliter non ſe extenderent ad eorum remiſſionem claues ſacerdotales: neque eorum confeſſio eſſet ſacramentalis: neque Chriſtus dixiſſet abſolute reddituros nos eſſe rationẽ de omni verbo otioſo, ſi non eſſet illud ſimpliciter & abſolute peccatum. Et cũ Prouer. 10. legimus, In multiloquio non deerit peccatum, neceſſarium eſt dicere, peccatum vocare etiam venialem culpã: de qua expreſſe loquitur beatus Ioannes vbi ſupra, Si dixerimus, quia peccatũ non habemus &c. & niſi ita eſſet, non fuiſſet Pelagius a ſanctis quibuſdam Epiſcopis cuiuſdam cõcilij coactus anathematizare ſequentem propoſitionem. Filij Dei nõ poſſunt vocari, niſi qui omnino fuerint ſine peccato: nam ſolos filios Dei vocari, qui ſunt ſine mortali, veriſſimum eſt, & apud omnes catholicos indubitatum: tametſi quandoque in ſcripturis peccatum pro ſolis mortalibus accipiatur, vt pri. Io. 3. Qui facit peccatum ex diabolo eſt: & omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. Ex hoc fundamento perſpicue ſequi videtur, peccata venialia aduerſari legi Dei & mandatis: peccatum enim ſecundum Aug. lib. 25. contra Fauſtum, eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Vnde enim haberent ipſa venialia malitiam ſuam, ſi non eſſent offenſæ legis? Profecto quæ nulli legi aduerſantur, peccata dici non poſſunt. Venialia etiam peccata contra rectam ſunt rationem: Omnis autẽ recta ratio, cui quis diſſentiens peccat, vim habet legis: erunt igitur & ipſa contra illam legem, quam recta ratio præſcribit. Et nihilominus mortalia non ſunt cenſenda: quia mortalia ita grauiter debent aduerſari mandatis, vt merito dirimant amicitiam inter nos & Deum. Non enim omnia, quæ mandatis præcipiuntur, aut interdicuntur, nobis æqualiter mandantur, aut prohibentur: ſed quædã arctius, quædam leuius, quædam ſub culpa mortali, quædam ſub veniali. Vnde recte diuus Bernardus de præcept. & diſpens. ait: Non pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur: nec pari proinde pœna puniũtur. Sic tamen oportet noſtros intelligere ſermones, vt dicẽtes venialia peccata eſſe contra mãdata, ne quiſ-

piam

piam anſam inde errandi accipiat, explicemus eſſe contra ea, & non perfecte: neque præuaricationes eſſe, aut criminales eorum transgreſſiones, vel inobedientias: ſed iuſtos eiſdem venialibus non obſtantibus, ſiue non impedientibus, ſimpliciter & abſolute ſeruare legem & mandata. Illa enim non impediunt ingreſſum ad vitam: impedirent autem, ſi propter illa diceremur nõ ſeruare mãdata. Ex quo non mentitur, qui ait Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Neque Dei aut proximi dilectioni repugnant: repugnarent tamen, ſi præuaricatores eſſent mandatorum: ſunt enim tam leuia peccata hæc apud Deum, vt propter ea nemo iniuſtus, impius, præuaricator, immundus, transgreſſor, inobediens, aut iniquus iure appellari poſſit. Et forte communis ſchola ſcholaſticorum propter hoc coacta fuit dicere, dicta venialia non eſſe cõtra legem, ſed præter: tametſi opinio ſuperius adducta magis videatur rationi conſona. Vnde ſicut in moralibus nemo filium inobſequẽtem recte dixerit, aut intemperantem, qui leuiſſima quapiam re a parentis voluntate declinauerit, cum in omnibus alijs ſit obſequẽtiſſimus: nemo perfidum aut irreuerentem iure vocauerit ſubditũ, qui in re parui momenti præter fidelitatem & reuerentiam debitã ſuo domino aliquid commiſerit, ſiquidem in omnibus grauibus rebus ſit ei fideliſſimus: neque prȩteriſſe quempiam dicimus leges amicitiæ, ſi in re minutiſſima ab officio amicis præſtando ceſſauerit: Sic ad eundem modum iuſtos facere, & habere peccata, & contra mandata Dei imperfecte ſaltem & leniter operari dicimus, cum venialia peccata committunt. Quæ ſcilicet venialia non eouſque pertingunt, vt iniquos aut impios eos faciant: vel prohibeant, quominus iuſti dicantur, & obſeruatores legis, ac mandatorum diuinorum. Tanta eſt enim, quam iuſti præſtant, præceptorum diuinorũ obſeruantia, vt huiuſmodi leuiculæ eorum transgreſſiones pene nihil ſint: neque obſtent, quominus a maioribus & præſtantioribus fiat denominatio. Vnde illud proficiſcitur, vt non tantum iuſtos, ſanctos, mundos, & factores legis, ſed immaculatos & perfectos eos vocet ſcriptura pſal. 118. non obſtantibus his minutis peccatis. Idq; ꝓpterea, ſicut explicat Auguſtinus in Ioannẽ ſuper illud, Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, Quoniam qui iam a mortalibus peccatis mundus eſt, tantum indiget detergere puluerem venialium peccatorum, adhærentem pedibus, ideſt, affectibus noſtris.

Venialia peccata de ſe non merentur pœnam æternam. Cap. VI.

VENIALE

VENIALE de ſe non obligat ad pœnam æternã, neq; ei ſecundum ſe redditur,ſed tantum ſecundum nõnullos,vt eſt coniunctum mortali,cui ex propria natura debetur pœna æterna. Dum enim homo demeritorie ſeparat ſe per mortale a vita gratiæ, ſubijcit ſe perpetuæ impotentiæ exeundi de culpa. Cuius ratio eſt: quia nemo poteſt a culpa mortali reſurgere niſi per creationem & infuſionem nouæ gratiæ, & nouæ vitæ:quod non poteſt præſtare creatura. Doctor tamen ſubtilis in 4. diſt. 21. q. pri. aliter opinatur, dicens: quòd ſi veniale ſecundum rigorem puniretur vſque ad cõdignum, omnino iniuſtum eſſet pœnam æternã cuiquam pro illo infligere, cum de ſe ſit talis offenſa, vt ſufficienter puniatur pœna temporali. Beatus vero Hier. qui primæ videtur arridere opinioni, ex eo pientiſs. affectu loquebatur,quem & ipſe & alij ſancti in Deum gerebãt, vt fieret, vt leuiſſimas nonnunquã culpas multo grauius & acerbius ipſi deflerẽt, quàm nos grauiſsimas faciamus. Vnde ſi peccatum quodcunque veniale comparetur ad mala pœnæ, vel ad offenſam diuinæ maieſtatis, merito graue malum dici poteſt, & vt tale debet a nobis haberi, & ſolicite vitari: Si vero comparetur ad mortale,leue eſt,& improportionabiliter minoribus pœnis dignũ.Tanta eſt etiam diſtantia venialium a mortalibus,vt numquam venialia etiam multa æquiualeant vni mortali. Ipſum enim lumen naturale (ni prorſus fallamur) manifeſtam docet contradictionem implicare,venialia in aliquo numero æquipollere vni mortali. Et licet beatus Aug. epiſtola 108. ad Felicianum dicat,venialia peccata aliquãdo opprimere & ſubruere iuſtos,& depellere eos a ſtatu gratiæ:hoc tamen non intelligitur per ſe, ſiue ex ſua natura: ſed quia dum cõtemnuntur, & paſſim admittuntur, pertrahunt eos ad aliquod peccatum mortale, iuxta illud. Qui contemnit minima, paulatim delinquet: Quo etiã ad extinctionem feruoris charitatis,& diſtractionem ab exercitijs ſpiritualibus, aliquando tantundem videtur facere, ac vnum graue aliquod peccatum. Veniale quoque fieri poteſt mortale, propter nimiam libidinem & delectationem ſiue mẽtiendi, ſiue aliud ſimile faciendi: ſimiliter & propter contemptum, vt quãdo adeo delectatur quis, vtputa in ebrietate, quòd etſi mortale eſſet, non abſtineret ab eadem. Non tamen ita ſupradicta intelligenda ſunt, vt venialia per eſſentiam fiant mortalia: ſed quòd de veniali fit tranſitus ad mortale per complacentiam & conſenſum, ſiue per libidinem & contemptum, hoc modo. Quia quod placebat ante libidinem & conſenſum citra Dei offenſam, incipiat placere vel delectare ſupra Deum, vel æque Deo: quod eſt ſumma

peruerſitas

peruerſitas ſecundum Aug. 83. q. 30. quia fruitur vtẽdis : quo modo fit mortale per conſenſum & complacentiam, ſiue per libidinẽ immoderatam & contemptum : & hoc eſt, quod dicit idem Auguſtinus, quòd nihil eſt adeo veniale, quod non fiat mortale, dum placet, hoc eſt, dum in eodem quietatur, tanquam in fine vltimo, ex natura rei, vel præfixo, voluntas ſiue rationalis appetitus. Non.n. venialia ipſa operantur naufragium, ſed diſponunt ad illud, tametſi voluntas ipſa, non obſtante tali diſpoſitione ſiue pronitate, ſemper libere moueatur ad ipſum mortale : ſuperueniente enim nouo cõſenſu, ſiue contemptu, nouum fit peccatum: non tamen veniale fit mortale, ſed quod alias fuiſſet veniale, fit mortale.

Confeſſio venialium quomodo vtilis ſiue neceſſaria ſit. Cap. VII.

CONFESSIO venialium vtilis eſt & ſacramentalis : ſed nemini ſimpliciter neceſſaria : nullum eſt enim præceptum de confeſſione venialium. Cum hoc tamen ſtat, venialia eſſe materiam cõfeſſionis, & ad ſacramẽtalem confeſſionem ſpectare : quandoquidem & ſigillum ſiue ſecretum confeſſionis ad ea ſe extendit, & abſolui ea poſſunt a ſacerdotibus, quibus generaliter in omnia peccata poteſtatem eis tradidit Chriſtus, cum dixit. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. Intolerabileq; prorſus eſſet, teneri omnes ad confitenda peccata, de quibus etiam doctiſſimi dubitant, an ſint venialia, an mortalia, & aſſerere venialium confeſſionẽ non eſſe ſacramentalem. Vnde diuus Thomas in quæſtionibus diſputatis de peccato originis art. 11. & 12. inquit: Quamuis de ratione generis venialium non ſit ea confiteri neceſſarium, eſt tamen cõgruum, & de conſilio, præcipue viris perfectis : eo quòd pœna illis debita vi clauium minuitur. In caſu tamen tenetur quis ea confiteri duabus de cauſis. Primo propter dubium, cum quis probabiliter dubitaret, vtrum peccatum aliquod mortale ſit, aut veniale: de quo ſicut iacet in conſcientia, ſi non pœniteret tanquam de mortali, diſcrimini ſe exponeret : iudicio enim ſacerdotis relinquere debet, vtrum veniale, vel mortale ſit. Secundo propter eccleſiaſticum inſtitutum: quia omnis fidelis, iuxta capitulum, Omnis vtriuſq; ſexus, de pœnit. & remiſſ. tenetur confiteri ſaltem ſemel in anno : qui ſi non habeat conſcientiam niſi de venialibus, illa tenetur confiteri : & hoc non propter venialis peccati morbum, ſed propter Eccleſiæ præceptum. Ad prædicta addimus, quòd per veniale quis nõ auer-

titur proprie a Deo, cum talis auerſio importet contemptum Dei, per quem quis incurrit iram Dei, & animæ mortem : quod etiam magis ſecũdum diuum Bona. 42. 2. dicitur cohibitum, quàm prohibitum: & in eo eſt magis quædam elongatio & retardatio a Deo, quàm ſeparatio. Peccata venialia ſecundum dominum Gabr. lec. 7. ſuper canonem Miſſæ, nihil charitatis tollunt: quia tũc per multiplicationem dictorum peccatorum tota tolleretur charitas, & ſic iam effecta fuiſſent mortalia. Dicuntur tamen tollere vel minuere feruorem charitatis, pro quanto ex actibus peccatorum venialium relinquitur quidam habitus in voluntate, & eam impedit, ne poſſit in actum charitatis adeo intenſum, ſicut poſſet dicto habitu circũſcripto: inclinat enim habitus venialium ad ſimiles actus, ex quibus eſt generatus: et propter hoc impeditur conatus volũtatis ad actum oppoſitum meritorium. Secundum igitur omnes doctores, veniale exiſtens in aliquo non prohibet eundem meritorie agere: immo nec impedit gratiæ augmentum per Scotum in 4. ſent. ſed potius per charitatis feruidum vel intenſum actum extinguitur & quoad culpam, & quoad pœnam, quemadmodum aquæ gutta conſumitur a vehemẽti flamma. Beatus Gregorius tale ponit inter veniale & mortale diſcrimen, videlicet: quòd veniale obſcurat, mortale vero obtenebrat: & ad hoc ponit tale exẽplum. Quia aliquando aliqua depicta imago intantum denigratur, vt videri non poſſit: aliquando autem taliter obſcuratur, vt plene videri nõ poſſit: primum facit mortale peccatum, ſecundum veniale. De dictis peccatis venialibus dicunt doctores, quòd licet poſſimus vitare hoc vel illud, non tamen omnia. Quia quandiu hic peregrinamur a Domino, domeſticum hoſtem & inquietum malum in carne noſtra circumferimus: propter quod fit, vt nos in aliqua venialia improuidi aliquãdo labamur, & ſæpe dum vnum vitamus, in aliud incidamus: propter quod catholici coguntur dicere. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

De differentia adhuc venialium & mortalium. Cap. VIII.

PRO clariori adhuc dictorum peccatorũ notitia habenda, ſciendum, quòd quandoque mens noſtra a dicta tyrannide ſeu fomite impulſa, eò quandoque peruerſitatis venit, vt non modo paululum ab aſſidua intentione ſui obiecti, videlicet Dei, deflectat: ſed perfecto & conſummato conſenſu ſe ab eo, quod principium

ordinis

ordinis eſt & vltimus finis, auertat: & tunc haud dubie peccatum mortale committat. Quandoque vero non eo malitiæ delabitur, vt obiectum hoc, ſiue Deum a mente ſua penitus excludat, aut terga vertat: ſed modicum ſe ab aſſidua illa intentione carnis ſurreptione remittat, non tam vt oporteret ſtudioſa, ne quid committat, quod ad Dei laudem non faciat: tunc ſane veniale contrahit. Simile in naturalibus rebus videmus. Si enim peruerſio humorum vſque ad deſtructionē vitalis principij pertingat, ſtatim ſequitur mors: ſin ſaluo manente vitali principio, quædam mala tantū humorum diſpoſitio nos occupet, non mors, ſed languor tātum conſequitur facile curabilis, modo ne contemnatur, & vires ſumat. Mortale autem peccatum corrumpit vitam, tollit efficaciam, dimittit viam, & obligat ad gehennam. Vita autem ſpiritualis conſiſtit in calore, ſicut corporalis, quæ ex defectu caloris naturalis deficit. Videmus enim in morientibus, quòd calor in extremitatibus corporis paulatim deficit, cum prius infrigidentur, & calor ad principium vitæ, ideſt cor, recolligatur: qui cum ex toto ibidem deficit, vita totaliter perit. Ita vita ſpiritualis: quæ non eſt aliud, quàm quidam calor, ideſt diuinus amor, qui habet duplicem faciem, ſiue duplicem aſpectum: vnam, ſecundum quam reſpicit Deum: alteram, quæ reſpicit proximum. Charitas autem nihil aliud eſt, quàm dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum. Quod igitur hunc tollit amorem, mortale peccatum eſt: ſicut facit omnis transgreſſio præceptorum Decalogi. Tollitq; mortale ipſum virtutis efficaciā: cuius ratio eſt, quia ex quo homo in mortale ſe præcipitauit, iā nō poteſt per ſe reſurgere, ſed Saluatoris gratia requiritur. Vnde in pſal. 77. dicitur, Quòd homo eſt ſpiritus vadens, & non rediens, ideſt in peccatum per ſe cadens, ſed nō per ſe reſurgens: ſicut per ſe poteſt quis in profundum ſe puteū proijcere, ſed non inde per ſe exire. Per ſe igitur incurrit homo mortē, ſed non niſi miraculoſe reſurgit, cum ſecundum philoſophum a priuatione ad habitum non ſit regreſſus per naturā. Mortale quoque dimittit viam, quod ſic patet: quia omnis uia ducit ad finem: vltimus autem noſter finis ex natura rei eſt vnus, videlicet Deus benedictus. Quando autem alius conſtituitur, eligitur, ac diligitur, receditur ab hoc vltimo fine. Sed cum finis ſit maxime diligibilis, ille finis per peccantem ſibi præfixus diligitur, plusquàm Deus: quod abſque mortali peccato fieri non poteſt, vt patet in guloſis, qui ventrem ſuum, vt Deum colunt: contra quos inquit beatus Paulus ad Philip. 3. Quorū Deus venter eſt: quod patet ſic. Quia ſi ex vna parte proponatur eiſdem Deus, ex parte altera ciborum

delectatio,

delectatio, eligunt potius per mortale perdere Deum, quàm priuari dicta delectatione:& ſic ſignum eſt,quòd magis charipendant delectationem illam,quàm Deum:eo quòd ſpreto incommutabili bono,per amorem ventri inſeruiunt,& ei tanquã vltimo fini adhærent. Mortale igitur totaliter elongat a via,& retrorſum graditur. Veniale vero a via non abducit, nec ab vltimo ſeparat fine:manet enim cum charitate,nec indiget pœnitētia,vt inquit dominus Roſfenſis in confutatione 2.articuli:eo quòd non neceſſitate ſacramēti pœnitentiæ, (quæ eſt contra naufragium,in quod nō incurrimus per veniale) ſed præcepti,vt dictum eſt ſupra, tenemur illa confiteri, præcipue in caſu, in quo quis non haberet mortalia. Poſtremo dictum mortale obligat ad gehennam, quod non contingit de veniali. Et licet dicta pœna ſit finita in acerbitate, quæ correſpondet mortalium delectationi, quæ fuit in actu peccati, iuxta illud, Quātum ambulauit in delicijs, tantum date illi de tormentis Apoc. 18. infinita eſt tamen in duratione: & hoc propter contemptum Dei, qui eſt infinitus in virtute & eſſentia. Animæ etiam rationali licet nō poſſit inferri mors naturæ, eo ꝙ ipſa ſit immortalis, poteſt tamē ei inferri mors culpæ,ſicut dicit beatus Aug. in lib. de mendacio: quia ſicut corpus viuit ex anima, ita anima viuit ex Deo: et ſicut corpus incurrit mortē,quādo ab eodē ſeparat̃ anima,ita per perpetuā ſeparationē Dei ab ipſa,quod fit per mortale,morit̃ anima æternaliter. Durandus 42.diſt. 2.probans,quòd mortali debeatur pœna æterna,& veniali tēporalis, adducit ad hoc propoſitū infraſcriptū accōmodatum exemplum. Sicut enim in mundana fit ciuilitate,ita ſuo modo & in diuina. In mundana enim ille, qui ex culpa ſua ſimpliciter,quātum in ſe eſt,peruertit pacem & amicitiam ciuium adinuicem, vel obedientiam ad principem,meretur totaliter extirpari a ciuilitate per mortem,exilium,vel perpetuum carcerem: Sic.n. prout poſſibile eſt,recompenſatur per pœnam læſio communitatis, facta per culpam:& quamuis hæc pœna nō ſit ſimpliciter perpetua, eſt tamen perpetua ſecundum capacitatem ſubiecti, & ſecundū intentionem legis, quoad hoc vt in perpetuum ſimpliciter nō reuocetur ad ſocietatem communitatis, contra quam deliquit. Ita ſuo modo eſt in ciuilitate diuina,in qua congregantur homines lege fidei & charitatis, quòd ille, qui ſubuertit, quantum in ſe eſt,ordinē charitatis ad proximum, vel ſubiectionis ad Deum, meretur extirpari totaliter a ciuilitate per mortem,exilium,vel carcerem. Hæ autem pœnæ perpetuæ ciuilitatis diuinæ ſunt mors ſecūda, exilium a patria, & carcer inferni: quia & ſubiectum ſuſceptiuum iſtarū pœnarum perpetuo durabit. Per ſolum autem mortale peccatum fit

talis ſubuerſio in ciuilitate diuina: & ex conſequēti ſoli mortali debetur pœna æterna. Illa vero, quæ inducuntur a lege non tanquam neceſſaria ſimpliciter, quaſi ſine eis nō ſtaret bonum ciuilitatis: ſed tanquam facientia ad perfectionem & decorem ciuilitatis, quorum etiam oppoſita habent aliquam inordinationem, ſed non ſubuertētem ciuitatē: ſic facere contra talia, non eſt mortale in aliqua lege.

Quæ ſunt, quæ complent rationem mortalis peccati. Cap. IX.

TRIA enim ſunt, quibus impletur vel cōpletur mortale peccatum, vt notaui in noſtro cōpendio theolog. inſt. tractatu de præceptis. Primum ſuggeſtione, quæ fit per memoriam & corporis ſenſus, quibus ſuggeritur homini, quod illicitum eſt, aliquando volenti: & ibi eſt initium tentationis. Secundum delectatione, ſiue affectione eius, quod ſuggeſtum eſt: cum videlicet concupiſcētia abſtrahit & illicit hominem ad cogitandum de fruitione eius, quod in ſe concepit per ſenſus: & ibi eſt perfecta tentatio: de qua beatus Iacobus Apoſtolus. Vnuſquiſque tentatur, a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Poſtremo conſenſu, quādo ſcilicet homo aduertēs deliberate conſentit in id, quod ſuggeſtio propoſuit, & concupiſcentia iam appetijt: & tunc eſt conſummatio peccati, quod ſic per liberum arbitrium conſummatum generat mortem. Pro maiori adhuc tamen declaratione prædictorum, eſt ſciendum, quòd octo inueniuntur in peccato mortali commiſſionis. Primum eſt actus peccati, qui eſt actio illa mala, per quam quis peccare dicitur ſiue odiendo proximum, ſiue occidendo, aut modo alio male operando. Secundum eſt culpa, quæ eſt deordinatio in tali actu, prout ipſe deficit a prima regula ſiue lege Dei, cui debebat cōformari. Tertium eſt offenſa, quæ eſt auerſio in ipſo actu, quo peccās a Deo auertitur, & ad creaturam conuertitur, in quo conſiſtit ratio offenſæ. Quartum eſt macula, quæ importat priuationem charitatis, ſiue gratiæ gratumfacientis, qua in anima non exiſtente non eſt anima pulchra, eo quòd caret decore charitatis. Quintum eſt tenebra, quæ eſt debilitas potentiarum animæ per defectum bonorū gratuitorum, quæ tolluntur per peccatum. Sextum eſt reatus, qui eſt ordinatio ſeu deputatio peccatoris ad pœnam, pro peccatis debitam. Septimum eſt pœna ipſa, videlicet æterna, ad quam ordinatus fuit peccator pro peccato in ſatisfactionem illius, prout ſtatuit diuina iuſtitia. Octauum & vltimum, quod eſt in mortali peccato,

eſt

eſt pronitas ad malum, quæ eſt quædam inclinatio, facilitas, propenſio aut diſpoſitio relicta in peccatore ad malum ex freqnẽtato actu peccandi: & quodlibet iſtorum dicitur peccatum ſecundum illas conſiderationes, ſecundum quas a diuerſis doctoribus varie dictũ peccatum deſcribitur, quas breuitatis cauſa prætermittimus. Mortale peccatum diuiditur in peccatum commiſſionis, & omiſſionis. Et ratio diuiſionis eſt, quia iuſtitia duabus conſtat partibus, quæ sũt declinare a malo, & facere bonum, de quibus pſal. 35. & Eſa. pri. dicitur. Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere. De peccato commiſſionis, quod eſt contra præceptum negatiuum, dictum eſt ſupra. Peccatum omiſſionis, eſt per incuriam & ſocordiam carere virtutibus theologicis & cardinalibus, donis Spiritus ſancti, octo beatitudinibus, non vacare ieiunijs ſtatuto tempore & orationi, nõ inſudare operibus miſericordiæ tam corporalibus, quàm ſpiritualibus. Hoc omiſſionis peccato grauiſſime peccant, qui ſuis vocationibus non ſeruiunt, vt ſunt epiſcopi, presbyteri, diaconi, alijq; clerici omnis generis, paſtores, & doctores: eccleſiarum præpoſiti, decani, canonici, vicarij, monachi, ſanctimoniales, & vt vno verbo dicam, cuilibet muneri eccleſiaſtico præfecti, niſi ſtudeant muneribus ſuis ſatisfacere: ſimiliter principes, & magiſtratus ciuiles, parentes, mariti, vxores, liberi, virgines, viduæ, domini, ſerui, ancillæ, ſubditi, ſenes, iuuenes, milites, & id genus: quorum omniũ officia fuſiſſime ſacræ tradunt literæ, & præſertim epiſtolæ ſanctorũ Petri & Pauli: licet nunc (quod dolendum eſt) videamus, quàm parum ſint attenti omnes ad ſua munera explenda, & præcipue illi (quod maxime dolorem auget) quibus eccleſiaſtica munera delegata ſunt. Vtinam his ſemper reſonaret in auribus vox beati Pauli ad Coloſs. 4. quæ inquit, Vide miniſteriũ quod accepiſti in Domino, vt illud impleas. Et vt finem imponamus diſcrimini, quod eſt inter mortale, & veniale, & inter mortale commiſſionis & omiſſionis: dicimus, ꝙ mortale eſt actualis inordinatio voluntatis, & tanta, quòd ordinem iuſtitiæ exterminat, & ab anima ſpiritualem vitam aufert. Ordo autem iuſtitiæ exigit, vt bonum æternum temporali, bonum honeſtum vtili, Dei voluntas propriæ voluntati, & iudicium rationis humanæ ſenſualitati præferatur. Sed quia lex diuina præcipit ſupradicta, & vetat oppoſitum, ideo quando præferuntur bona fortunæ bonis felicitatis æternæ, & bona vtilia ſiue corporis bonis honeſtis ſiue virtutibus, ſenſualitas rationi, & propria voluntas diuinæ voluntati, tunc eſt mortale, niſi ex ſurreptione, vel indeliberatione, & ſine liberi arbitrij conſenſu præfata fierent: quia tunc eſſent venialia tantum. De dictis mortalibus loquitur beatus Am-

broſius dicens, quòd ſunt præuaricatio legis diuinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum. Dicta autem præuaricatio committitur, quando omittitur quod lex præcipit, ſiue eligitur quod lex vetat: propter quam cauſam, vt dictũ eſt ſupra, duplex eſt genus mortalis peccati, videlicet: delictum, & commiſſum: quorum primum eſt transgreſſio præceptorum affirmatiuorum: ſecundum vero negatiuorum, vt inquit diuus Bonauentura in opuſculo de puritate conſcientiæ cap. 19.

De peccato ad mortem, & in Spiritum ſanctum. Cap. X.

HACTENVS de mortali & veniali peccato dictum ſit ſatis, ſi modo admonuerimus, aliud eſſe peccatũ mortale, aliud ad mortem: de quo beatus Ioannes pri. epiſtola cap. 5. ait. Eſt peccatum ad mortem, nõ pro illo dico, vt roget quis. Mortale enim eſt, quod eſt morte dignum: quod tamen pœnitentia tam publica, quàm priuata, & fructibus pœnitentiæ dignis, ieiunio, eleemoſyna, & oratione expiatur. Peccatum vero ad mortem, eſt peccatum in Spiritũ ſanctum, quo quis perpetuæ morti ſe ex malitia obſtringit, quod omnium grauiſſimum eſt. De peccato in Spiritum ſanctum habetur Matth. 12. Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, nõ remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Et Marci 3. Quicumque blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum. Pro cuius peccati notitia eſt notandum, quòd licet omnia, quæ eſſentiam diuinam reſpiciunt, æque conueniant omnibus perſonis, cum tamen hac veritate ſtat, quòd ſecundum omnes doctores Patri attribuitur vel appropriatur potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas. Cum igitur peccata omnia, vel ex humana fragilitate, vel ex ignorantia, vel ex induſtria aut malitia committantur, facile erit videre, ex quo fonte peccatum in Spiritum ſanctum ebulliat: quia certe ex ea malitia, qua manifeſte Spiritus ſancti bonitas contemptim abijcitur. Peccatum igitur in Spiritum ſanctum, vt communiter in Eccleſia accipitur, non eſt illud, quod ex aliqua humana imbecillitate, infirmitate, vel ignorantia, ſed ex deliberata malitia in bonitatem Dei cõmittitur: & quo gratia Spiritus ſancti, quæ deteſtationem peccati & electionem boni ſuadet, ſcienter & pertinaciter reſpuitur, & contemptim abijcitur. Sex igitur ſunt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, videlicet, præſumptio impunitatis peccati, deſperatio veniæ, impugnatio verita-

tis

tis agnitæ, inuidentia ſeu odium fraternæ gratiæ, obſtinatio, & impœnitentia. Prima ſpecie abrogatur à Deo iuſtitia, qui ſecundum ſcripturas iuſtus eſt, & iuſtitias dilexit ps. 10. et qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua ad Rom. pri. Peccatur autem hac ſpecie ab his, qui edocti quidem de iuſtitia Dei, peſſima tamen quadā præſumptione timorem eiuſdem, quo à peccando retrahendi erant, abijciunt: et ſe in deſideria cordis ipſorum & in reprobum ſenſum tradunt, vt faciant quæ non conueniunt ad Rom. pri. non aliter ſecuri in peccatis ſuis, quàm ſi nullum poſt hac reſtaret Dei iudiciū. Tales ſunt, qui blandiuntur peccatis ſuis, & computreſcunt, vt iumenta in ſtercore ſuo Ioelis pri. ex quibus erant Hymenæus & Alexander, qui repellentes bonam conſcientiam circa fidem naufragauerunt, quos tradidit Paulus Satanæ, vt diſcant non blaſphemare pri. ad Timoth. 1. Tales ſunt etiam noſtræ tempeſtatis hæretici, qui ex proſumptione ſpiritus has emittunt voces, videlicet, Sola fides ſine bonis operibus iuſtificat, Nihil excepta infidelitate hominem damnat, opera bona homini nihil proſunt, & mala nihil nocēt: intantum quòd adeo diues eſt chriſtianus, vt etiam ſi velit damnari, non poſſit, niſi credere noluerit. Contra quos habemus canonem 27. ſeſſ. 6. concilij Tridentini, & ſententiam beati Iacobi dicentis. Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum Iacobi 2. Contra hanc ſpeciem peccati ſancti Apoſtoli Dei Petrus, Ioannes, ipſe Iacobus, & Iudas, vt diuus Auguſt. lib. de fide & operibus cap. 14. teſtatur, ſuas epiſtolas conſcripſerunt, huc maxime ſuam dirigentes intentionem, vt docerent fidem ſine operibus nihil prodeſſe. Secunda ſpecie, videlicet, deſperatione veniæ, Dei magna cum contumelia detrahitur miſericordiæ, cuius numquam obliuiſcitur, etiam in ira ſua ps. 77. Vnde de eo dicitur Habacuc 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Detrahitur autem non ex puſillanimitate, ſed ex deliberata quadam malitia, qua inſtar diaboli, ſpem in Deum vnicam noſtræ ſalutis anchoram in totum abijcit, non neſcius quidem Deum miſereri poſſe, ſed ſentiens impijſſime, ſibi miſereri nolens, nec vt miſereatur volens, aut cupiens. Hoc crimine infelix ille Cain ſe primus inuoluit, quando Domino arguenti reſpōdens, ait: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear Gen. 4. Similiter Iudas proditor, qui conſcientia commiſſi criminis deſperans, nō ad Domini miſericordiam, quam omnibus expoſitam ſciebat, recurrit, ſed ad laqueum ſe ſuſpendēs confugit Matth. 27. Tertia ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, eſt impugnatio veritatis agnitæ, de qua Matth. 12. Vbi apertiſſime & inmaniſſime Saluator huius blaſphemiæ Iudæos reos redarguit:

eo quòd opera eius, quæ non poterant intelligere non eſſe opera Spiritus ſancti, principi dæmoniorum ex mera inuidia & obſtinata malitia attribuebant, blaſphemãtes & dicentes, illum in Beelzebub eijcere dæmonia: hi diuinam virtutem in filio blaſphemantes, & in Spiritum ſanctum peccantes, nullam excuſationem habebant. Cuius etiam tam immanis & irremiſſibilis peccati pœnam tam in hoc ſeculo temporalem a Romanis, quàm apud inferos æternam luentes, ſimiles illis facti ſunt, de quibus Paulus 2. Tim. 3. loquitur dicens. Iannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi: hæretici quoque veritati reſiſtunt, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Quarta ſpecies eſt inuidia, & odium fraternæ gratiæ, quæ committitur ab his, qui cum ipſi ſint impij, & ad omne opus bonum reprobi, non modo eos, qui eorum vitæ & moribus contrarij ſunt, calumniantur: ſed & gratiam Dei in eis exiſtentem, creſcentem, & apparentem in mundo inexpiabili inuidia inſectantur. In hac ſpecie peccati primus Cain diabolum eſt imitatus Gen. 4. qui amorem, quo Deus Abel iuſtum diligebat, non ferens, crudeli parricidio fratrem ſuſtulit. Tali quoque ſcelere ſe Saul contaminaſſe videtur, quando virtutum profectibus, quos Dominus non inſcio ipſo Saule operabatur in Dauid, tam acriter inuidebat, vt ſtatueret de occidendo illo, ſicut apparet 2. regum 18. Vbi dicitur, quòd factus eſt Saul inimicus Dauid cũctis diebus &c. Similiter & qui catholicorũ & piorum hominum bonam in Chriſto conuerſationem acerbiſſime calumniãtur: vt quorum oculi nequam ſunt, quia alij boni ſunt, ex mera malitia contra propriã conſcientiam infamant, de quibus Prouerb. 13. Stulti deteſtantur eos, qui fugiunt mala: qui & omnes neruos ſuos huc intendunt, vt omnes ſua peſtilentiſſima doctrina corruptos, tales, quales ipſi ſunt, ſi fieri queat, duplo peiores efficiant. Quinta ſpecies eſt obſtinatio: huic morbo hærent, qui non ignari impietatis ſuæ, multimode admoniti, obfirmant tamen animum in malo: ſecumq; ſtatuunt ab impietate ſua numquam diſcedere, ſed in ea perſeuerare vſque in finem: de quibus Iob 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Tales erant Iſraelitæ ducti in captiuitatem per Salmanaſſar, de quibus 4. reg. 17. dicitur. Indurauerunt ceruicem ſuam iuxta ceruicem patrum ſuorum, qui noluerunt obedire domino Deo ſuo. De talibus dictum eſt ad Ieremiã: Tu noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te. Et beatus Paulus ad Titum 1. Hæreticum hominem poſt vnam aut alteram monitionem deuita:

ſubuerſus eſt enim huiuſmodi, & proprio iudicio condemnatus. Vltima ſpecies eſt impœnitentia, quæ præteritum tempus reſpicit, ſicut obſtinatio futurum. Hac peccati ſpecie peccant hi, quos turpitudo & fœditas peccati non modo a peccando non retrahit: ſed magis ad peccandum inflammat: qui gloriãtur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis,cum propoſito numquam pœnitendi: quorum felicitate peccantium nihil eſt infelicius, qua pœnalis nutritur impunitas,& mala voluntas velut hoſtis interior roboratur. Tales impiiſſimi cõtemptores ſunt patientiæ Dei,eos ad pœnitentiam expectantis, de quorum vno ſcriptum eſt ad Romanos 2. An diuitias bonitatis eius,& patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas eius ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Hæ duæ poſtremæ ſpecies adeo vicinæ ſunt,vt parum differre videãtur: eo vero ſolo differunt, quòd obſtinatio reſpicit futurum tempus, cum includat propoſitũ perſeuerandi in peccato vſque ad mortem: impœnitentia vero præteritũ. Nam includit propoſitũ non pœnitẽdi de pterito peccato: illa conſideratiõe breuitatis eius voluptatis, quæ ex peccato capitur: hæc conſideratiõe fœditatis peccati excludit. Hactenus de ſpeciebus peccati in Spiritũ ſanctũ,quarũ ſola,ꝓprie loquendo, impœnitẽtia finalis,in qua quis diẽ extremũ maniſeſte claudit, dicitur ſimpliciter irremiſſibilis. Pro qua notandum, quòd ſicut perſeuerãtia dicitur bifariã: vno ſcilicet modo, vt dicit propoſitũ perſeuerandi, & ſic eſt in qualibet virtute: altero modo vt eſt continua permanẽtia in bono vſque ad finẽ, quæ includit gratiã finalẽ: ita pari modo & impœnitentia: vno enim modo dicit propoſitũ nõ pœnitẽdi,alio modo cõtinuam perſeuerãtiam in malo vſque ad diem extremum vitæ: & ſecundũ hanc diſtinctiõnẽ peccatum in Spiritum ſanctum claudit in ſe impœnitentiam duobus modis. Primo illam, quæ eſt finalis perſiſtentia in malo, per quam peccatum irremiſſibile ſimpliciter dicitur: eo quòd non poteſt remitti, ſicut finalis gratia non poteſt perdi: quod genus peccati in Spiritum ſanctum nemini eſt attribuendum vſque ad inſtans mortis: ita quòd de illo poſſit vere dici, quòd ſit finaliter impœnitens. Altero modo peccatum in Spiritum ſanctum ſumitur, prout claudit in ſe impœnitentiam, ideſt propoſitum non pœnitendi. Et hoc modo dictum peccatum dicitur irremiſſibile, ideſt inconſuetum remitti: quamuis non ſit impoſſibile, quòd remittatur, cum dictum propoſitũ mutari poſſit: Raro tamẽ & vix remittitur,eo quòd illud claudit viã ad gratiã,

& impedit Spiritus ſancti ingreſſum:tametſi de nullo homine,quouſque hæc vita durat, deſperandum ſit,præcipue quia Eccleſia non claudit gremium redeũti, & quia charitas omnia ſperat 2. Cor. 13. Sententia autem beati Ioannis ſuperius recitata,videlicet quòd eſt peccatum ad mortem,pro quo non eſt orandum, dupliciter exponitur. Primo, vt intelligamus Apoſtolum velle non eſſe orandum vel pro eo iam defuncto ab obitu, qui ad mortem vſque impœnitẽs perſeuerauit: vel quẽ ſpiritu Dei ꝓditus ex ſpeciali reuelatione in Spiritum ſanctũ peccaſſe agnouiſſet,ſicut Paulus Elymã magum.

De ſufficientia ſpecierum peccati in Spiritum ſanctum. Cap. XI.

SVFFICIENTIAM dictarũ ſex ſpecierum,ſeu differentiarũ Spiritus ſancti,ponit diuus Bonauentura in 2. ſententiarum diſt. 43. art. 3. q. prima ſub infraſcriptis verbis, dicens, quòd peccatum in Spiritum ſanctum directe eſt contra effectus Spiritus ſancti,qui eſt gratia pœnitẽtialis. Hæc autẽ gratia ſecundũ quod in ſacramẽto conſideratur,tria reſpicit,videlicet medicũ,ægrotũ,& miniſtrũ. Ex parte medici iſta duo concurrunt,miſericordia, & iuſtitia: miſericordia, per quã remittit offenſam: & iuſtitia, per quã exigit emendam. Cõtra miſericordiã eſt deſperatio,cõtra iuſtitiã præſumptio. Ex parte ægroti duo ſunt etiã neceſſaria,videlicet deteſtatio peccati præteriti,& propoſitum non peccandi in futurum:niſi.n.hæc duo in ſe habeat dictus ægrotus, non eſt idoneus ad hoc, vt gratia Spiritus ſancti habeat in ipſum efficaciã. Contra deteſtationem peccati eſt obſtinatio: contra vero propoſitum non peccandi eſt finalis impœnitentia. Ex parte vero miniſtri duo quoque opportuna ſunt, ſcilicet veritas doctrinæ,per quã peccatorem inſtruat: & ſanctitas gratiæ,per quam ipſum adiuuat & ſubleuat. Cõtra veritatẽ doctrinæ eſt impugnatio veritatis agnitæ: contra ſanctitatem gratiæ eſt inuidentia fraternæ gratiæ. Ex quibus omnibus patet numerus & ſufficientia dictarum ſpecierũ, quæ ſunt tantum ſex, & non plures, neque pauciores. Et ne laboremus in æquiuoco, ſicut ſuperius tacta eſt diſtinctio impœnitẽtiæ,& qualiter nõ omnis talis eſt peccatũ in Spiritum ſanctum: ita pari modo dicendũ eſt de alijs ſpeciebus ſecundũ dictum doctorẽ, vbi ſupra q. 2. et primo de deſperatione. Pro qua ſciendũ eſt, quòd deſperatur quãdoque quis ex puſillanimitate: ita quòd in illa deſperatione nõ inuenit cõplacentiam,ſed dolet,& renitiẽ cõtra ipſam: et tũc nõ eſt dicendũ ibi eſſe peccatũ in Spiritũ ſanctũ,cũ ex tali deſperatione nõ proijciat in profundũ.

Eſt

Eſt & alia deſperatio, qua quis deſperat & diffidit, abſcondens ſe quaſi a facie diuinæ miſericordiæ, ad imitationẽ Cain dicentis Gen. 4. Ecce a facie terræ eijcies me hodie. Et hæc eſt ſemper peccatum in Spiritum ſanctum: quia eſt in contumeliam diuinæ miſericordiæ, cui ſuam præfert iniquitatem, ſicut ſubdidit dictus Cain, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Et tale peccatum ſemper habet coniunctam malitiam: pro eo quòd qui ſic deſperat, in tali culpa vult vitam ſuam finire. Secundo de præſumptione: pro qua notandum, quòd eſt præſumptio de meritis, & eſt præſumptio de impunitate. Præſumptio, qua quis præſumit de meritis ſuis, ſiue de aliquo quod habet in ſe, eſt peccatum ſuperbiæ: præſumptio vero, qua quis præſumit de impunitate, dans totum diuinæ miſericordiæ, & auferens ab ea ſimpliciter rigorem iuſtitiæ, eſt peccatum in Spiritum ſanctum, cum claudat viam ad gratiam, & ampliet ad peccatum. Tertio de obſtinatione: pro cuius declaratione eſt ſciẽdum, quòd obſtinatio bifariam ſumitur: vno modo pro continua perſeuerantia in culpa, & hoc modo non ſumitur hic: altero modo dicitur obſtinatio voluntas complacens ſibi in culpa perpetrata, & priorem culpã non deteſtans, ſed approbans: quo modo dicit actũ procedentem ex malitia: & vt ſic, eſt ſpecies peccati in Spiritũ ſanctum ab alijs diſtincta: et præcipue impœnitentia, quæ eſt reſpectu futuri, cum ipſa ſit reſpectu præteriti, vt dictum eſt ſupra. Quarto dicendum eſt de impugnatione veritatis agnitæ: pro qua notandũ, quòd veritas agnita poteſt tripliciter impugnari, aut propter ipſam veritatem, aut propter dicentem, aut propter effectum conſequentem. Primo modo nullus eam impugnat, cum dicatur in prooœmio Meta. Omnes homines natura ſcire deſiderant. Secundo & tertio modis poteſt impugnari aut ex infirmitate, aut ex malitia. Primo modo non eſt peccatum in Spiritum ſanctum, ſed bene cum quis impugnat eam pertinaciter, ſiue in confuſionem dicentis, ſiue propter excuſationem ſui: quia vt ſic, ſemper habet adiunctam malitiã, præcipue cum veritas ſit de pertinentibus ad ſalutem, vt eſt veritas chriſtianæ religionis. Tunc autem dicimus aliquam veritatẽ pertinaciter quempiam oppugnare, quando ex ſua oppugnatione propter odium dicentis, vel effectus conſequentis, facit vel vult facere præiudicium veritati: ita quòd quamuis non odiat veritatẽ, vt veritas eſt, tamen ratione adiuncti eam abhorret: ſicut aliquis odit Deum ratione iuſtitiæ, ratione cuius odij homo delectatur in contumelijs Dei, & in confutatione veritatis: ex quibus tunc recte dicitur moueri ex malitia & pertinacia. Et licet agnitio veritatis ſicut & veritas ipſa approprietur filio, non eſt tamen peccatum in fi-

lium : quia talis impugnatio nõ procedit ex ipſa agnitione, ſed potius ex malitia voluntatis . Quinto & vltimo dicendum eſt de inuidẽtia fraternæ gratiæ: pro qua ſciendum, quòd dupliciter quis poteſt alienæ inuidere gratiæ : aut quia ex hoc minuitur bonum proprium, cuius promotionem ſingulariter appetit: & vt ſic,eſt peccatum capitale,de quo infra : aut quia viſus animæ ſic eſt deprauatus, vt ſicut non videt in ſe bonum, ſic etiam nolit in alio videre : et tũc eſt peccatum in Spiritum ſanctum , quod non procedit niſi ex magna corruptione : et malitia voluntatis, quæ adeo guſtum eius peruertit, vt bonum faciat apparere malum, & malum bonum.

De quibusdam præambulis pro habenda peccatorum mortalium cognitione. Cap. XII.

ANTEQVAM de ſpeciebus peccati mortalis diſſeramus, ſunt aliqua prænotanda,quæ faciunt ad eorũ mortalium peccatorum plenam cognitionẽ. Et primo, quòd tranſeunte actu peccati remanet in peccatore reatus,qui eſt obligatio ad pœnam , aut temporalem , aut æternam . Obligatio ad pœnam temporalem non ſemper exigit culpam præſentem , ſed ſufficit ad illam obligationem , quòd pœna fuerit præterita, & quòd ſubſecuta fuerit plena emẽda . Obligatio autem ad pœnam æternam fundatur ſuper illam culpam. Culpa autem proprie loquendo non eſt ipſa pronitas , ſed ipſa deordinatio, quæ eſt in actu, vel ſaltem in anima . Deordinatio autem in actu conſiſtit ex auerſione & conuerſione . Animæ autem deordinatio ratione auerſionis dicitur deformitas , ratione vero conuerſionis dicitur macula . Sed quia Magiſter ſent.42. diſt . 2. ponit ſeptem peccatorum diuiſiones, ideo diuus Bonauentura ibidẽ circa literam,declarando multa circa dicta peccata occurrentia dubia, comparat ipſum peccatum ad ſeptem . Et primo ad cauſam, ex qua habet ſuam originem : & ſic diuiditur in actuale & originale . Secũdo ad pœnam, ad quam terminatur : & vt ſic,partitur in mortale & veniale. Tertio comparatur ad motiuum : & hoc quidem vel ad bonum aſſequendum, vel ad malũ fugiendum : & ſic diuiditur in peccatum ex cupiditate ſiue amore male incendente , & in peccatum ex timore male humiliante ſecundum Auguſtinum ſuper illum locum pſal.79 . Incenſa igni & ſuffoſſa. His enim duobus modis dicit omnia mortalia peccata includi per incenſa, intelligens ea, quæ ex cupiditate male incẽdente oriuntur : per ſuffoſſa vero intelligẽs, quæ ex timore male humiliante proueniunt: quod eſt in ſubſtantia,

quando

quando quis cupit non cupienda, vel timet non timenda. Quarto peccatum comparatur ad actum ſubſtractū: & ſic diuiditur in peccatum cogitationis, verbi, & operis, ſecundum triplicem potentiā ſcilicet affectiuam, interpretatiuam, & operatiuam. Quinto comparatur peccatum ad perſonam, quam offendit: & ſic diuiditur in peccatum in Deum, in ſe, & in proximum. Sexto comparatur ad mandatum, cui opponitur: & ſic diuiditur in delictum & commiſſum. Delictum eſt contra præceptum affirmatiuum, (vbi non quæcumque omiſſio cuiuſcumque circunſtantiæ dicitur delictum, ſed illa quæ eſt omiſſio actus debiti) & commiſſum contra negatiuum. Vltimo comparatur ad uitia, quæ ex peccato oriuntur: & ſic diuiditur in ſeptem differentias peccatorum capitaliū. Et licet aliæ peccatorum diuiſiones inueniantur, ad aliquam tamen prætactarū reducuntur, vt illa diuiſio peccatorum, quam beatus Ioannes in ſua canonica ponit. Vbi diuidit peccatum in concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ, quæ reducitur ad diuiſionē, quæ eſt ex parte motiui. Et illa, quam ponit beatus Gregorius ſuper illo verbo Apoſtoli 2. Cor. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, videlicet, quòd peccata diuidūtur in carnalia & ſpiritualia, reducitur ad illam, qua peccatum diuiditur per comparationem ad actus ſubſtractos. In primis tribus diuiſionibus primum membrum, vt inquit ſanctus Bonauentura vbi ſupra, accipiendum eſt cum præciſione: vt ſit ſenſus, quòd peccatū aliud eſt ex amore tantum, aliud ex amore pariter & timore: eodē modo dicendum eſt de alijs duabus diuiſionibus. Si quæratur, an peccatum voluntatis & operis ſint duo, vel vnum tantum peccatū: reſpondet dictus Sanctus vbi ſupra art. pri. q. pri. dicens, quòd dupliciter contingit comparari peccatum operis exterioris & voluntatis interioris. Vno modo, prout hæc duo coniuncta ſunt & ordinata, ita quòd vnum eſt ex altero: & hoc modo voluntas interior cū opere exteriori non faciunt diuerſa peccata: pro eo quòd vnus eſt ibi contemptus, vna auerſio, & conuerſio: Voluntas enim eſt, quæ contemnendo auertitur, dum ad bonum commutabile cōuertitur, & quantum ad actum proprium, & quantum ad actū inferioris potentiæ, qui ei ſubijcitur. Verum etſi ibi ſit tantum vna deordinatio, & ex conſequenti vnum peccatum formaliter, pro quanto coniuncta ſunt, & pro quanto eſt ibi vna ratio deordinandi: plura tamen ſunt ibi deordinata: & ideo plura peccata materialiter ſumpta. Si vero comparemus volūtatem interiorem ad opus exterius, prout ſunt ſeparata: ita quòd vnus peccet voluntate tantum, alius voluntate & opere: ſic peccatum voluntatis & operis ſunt diuerſa peccata,

peccata, non ſolum materialiter, verum etiam formaliter: pro eo quòd actus voluntatis, in quo conſiſtit prima ratio deordinandi, numeratur. Si iterum quæratur, an opus addat aliquid ad malitiam voluntatis: reſpondet idem ſanctus Bonauentura vbi ſupra q. 2. quòd hoc poteſt intelligi dupliciter. Vno modo reſpectu voluntatis, quæ poteſt in opus procedere, ſed tamen nõ procedit: quia nõ omnino plene vult: & reſpectu talis abſque dubio malitia operis addit. Cum enim peccatũ cõſummatur in opere, ſic eſt plenior cõſenſus: & tunc non modo dicitur manducare mulier, ſed etiam vir: ideo tunc peccatum maius & grauius eſt ratione maioris conuerſionis & auerſionis. Alio modo poteſt intelligi reſpectu volũtatis, quæ quidem in opus extra non procedit, non quia nõ velit, ſed qa non poteſt. Et tunc mouetur iſta quæſtio: cum vtrobique ſit plena voluntas, vtrum grauius peccet, qui vult & non poteſt, aut qui vult & facit: eſto, quòd vterque moueatur ex æquali amore. Cui reſpõdetur, quòd vnum peccatum dicitur maius altero tripliciter, aut ratione maioris contemptus Dei, aut maioris libidinis ſiue delectationis peccantis, aut tertio ratione maioris damni reſpectu ꝓximi. Primo modo opus non addit ad iniquitatem voluntatis: quia voluntas plene a Deo auertitur per ſe, ſicut cum eſt operi coniuncta. Quantum vero ad delectationem ſiue libidinem, addit & aggrauat, maxime quantum ad genus peccati carnalis, quo peccat homo in ſeipſum: ſimiliter & quantum ad damnificationem, præcipue quantum ad genus peccati, quo quis peccat in proximum. Quantuncunque enim aliquis velit fornicari, numquam tantum delectatur, ſicut quando voluntas coniungitur operi, ſiue actui exteriori: ſimiliter quantuncunque velit aliquis alterum occidere, non infert tantum damnum, quantum inferret ſi actu occideret. Et quoniam Deus iuſtus iudex in puniendo non tantum conſiderat in peccato magnitudinem contemptus, ſed etiam magnitudinem delectationis & damnificationis, hinc eſt, quòd aliquo modo opus addit ad nequitiam voluntatis. Ad præfata ſubiungimus, quòd tantæ malignitatis eſt peccatum ipſum, quòd corrumpit in peccante modum, ſpeciem, & ordinem. Quod vt melius intelligas, eſt notandum, quòd perfectum dicitur aliquid, cui nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis. Vnde ad hoc quòd aliquid ſit perfectum, neceſſe eſt, quòd habeat hæc tria, modum ſcilicet, ſpeciem, & ordinem, de quibus ſap. 11. Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuit Deus: ad quæ tria reducuntur modus, ſpecies, & ordo. Et ratio eſt ſecundum Auguſtinum 3. ſuper Gen. ad literam, quia menſura omni rei modum præfigit, numerus rei ſpeciẽ præbet, & pondus omnẽ

rem

rem ad quietem & ſtabilitatem trahit. Vnum enim quodque creatum, finitum, & limitatum eſt ad certum terminũ, quem transgredi non poteſt, iuxta illud ps. 103. Terminum poſuiſti, quem non transgredientur: et vt ſic habet modum & menſuram. Eſt quoque diſtinctum habens proprietatem a ceteris diſtinctam: & ſic habet ſpeciem, ſiue modum. Eſt denique ordinatum ad aliquem finem, vel vtilitatem: & ſic habet pondus & ordinem, quo trahitur ad finem. In primo relucet potentia Patris, in ſecundo ſapientia Filij, in tertio bonitas Spiritus ſancti, propter quod omne creatum veſtigium eſt beatiſſimæ trinitatis. Cum igitur anima rationalis ſit quædam natura operãs per voluntatem, vtroque modo in ea habet reperiri modus, ſpecies, & ordo, de quibus tantum impræſentiarũ diſſeremus. Vnde benigniſſimus Deus hæc tria contulit homini, vt rectus & iuſtus ſemper appareret in ſuis operibus: primo menſuram modificationis, vt ſcilicet homo ſic eſſet modificatus in affectu & voluntate, vt nihil appeteret, deſideraret, aut vellet cõtra Dei voluntatem: & ſic menſuram ſeruaret. Sed quando homo peccat, mox corrumpitur modus, ſiue menſura, cum Deus numquam velit peccatum fieri. Vnde Anſelmus in libro de caſu diaboli, inquit, quòd corruptio modi, ſiue menſuræ, nihil aliud eſt, quàm exceſſus voluntatis propriæ, qua videlicet vult contrarium voluntati diuinæ. Secundo contulit ei ſpeciem decorationis: vbi non accipitur ibi ſpecies pro ſpecie prædicabili, ſiue logica, ſed pro morali, quæ eſt pulchritudo actionis, qua ſcilicet placet Deo, & pulchra ac acceptabilis coram eo efficitur: tunc enim actio pulchra dicitur, quãdo regulæ diuinæ legis cõformatur: & ſic ſpecies in anima & eius decor obſeruatur. Sed quando homo peccat, tunc corrumpitur ipſa ſpecies, & anima ac eius operatio deformis efficitur. Vnde ad animam peccatricem dicit Dominus Ieremiæ 2. Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas: & trenorum 4. dicitur, Denigrata eſt facies tua ſuper carbones ignis. Tertio contulit ordinem rectæ intẽtionis. Tunc enim pondus ſiue ordinem dicitur habere homo in ſuis operibus, quando omnia, quæ cogitat, dicit, vel operatur, dirigit in Deum tanquam in vltimum finem: & ea in Dei refert honorem. Hunc ordinem docet Apoſtolus pri. Cor. 10. dicens: Siue manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite: ea omnia ad eundem tanquam ad finem ex natura rei ordinando. Et per hæc anima vnitur ipſi Deo, & in eodẽ quietatur per intentionem. Sed mortale peccatum hunc ordinem corrumpit: quia homo peccando ſuam intentionem deordinat, ponens creaturam finem ſuum, quod eſt ſecundum Auguſtinũ ſumma peruer-

ſitas:

ſitas: eo quòd fruatur vtendis. Omnia enim non ad Dei laudem, ſed ad propriam conuertit, ſuam quærens vtilitatem, non amans Domini voluntatem: & ſic per hoc elongatur a Deo, & ſeparatur. Hinc Eſaias 59. inquit, Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Verum vt hæc omnia corrigantur, neceſſe eſt per pœnam ordinare culpam: vt videlicet corrigat ordinem, quē peruerterat ipſa culpa. Nam omne peccatum eſt actus inordinatus, & omnis peccans contra aliquem ordinem agit: ideo oportet, vt ad eundem ordinem per pœnam redigatur, quem peccando deſeruerat. Et hinc eſt, quòd a tribus, vt inquit beatus Thomas 1. 2. q. 87. art. 1. homo iuſte puniri poteſt: quia a triplici ſubiectione peccans receſſit. Subditur enim homo primo ordini propriæ rationis: deinde ordini exterioris gubernatoris vel ſpiritualiter vel corporaliter, politice vel oeconomice: poſtremo ordini diuinæ gubernationis. Peccans autem hos tres ordines peruertit agendo contra rationem naturalem, contra legē humanā, & cōtra diuinam. Oportet igitur, vt qui talis eſt, triplicem pœnam ſuſcipiat, per quam ad ordinem, quem peruerterat, redigatur. Punitur homo a ſeipſo per remorſum conſcientiæ, ab homine per varia nocumenta, & a Deo in præſenti vel futura vita, vt ſic punitus redigatur ad ordinē: quia illi, a quo pœnam patitur, vel inuitus ſubditur, ſubijci noluit peccādo. Non enim proprie eſt pœna ſine culpa ſecundum Auguſtinum lib. 1. retractationum c. 9. dicentem, Omnis pœna, ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt, quæ ſupplicium nominatur.

De ſeptem capitalibus vitijs in genere, & de quibuſdam attributis aliquibus eorum. Cap. XIII.

SVFFICIENTIA autem capitalium peccatorum & numerus poteſt accipi ſecundum diuum Bonauenturam 42. diſt. 2. circa literam hoc modo. Quia pronitas ad aliquod apparens bonum aut eſt reſpectu boni, quod reſpicit ſpiritum ſecūdum ſe: & hoc quadrifariam ſecundum quatuor conditiones boni, ad quas pronus eſt appetitus noſter: appetit quippe quis bonum aut ſub ratione dignitatis, & hoc per ſuperbiam: aut ſub ratione proprietatis, & hoc per inuidiam: aut ſub ratione ſeueritatis, & iſtud per irā: vel ſub ratione quietis, & hoc per accidiam. Aut reſpectu boni, quod reſpicit ſpiritum in carne: & hoc trifariam ſecundum triplicem conditionem, ſub qua ſpiritus carnalis bonum appetit. Quia aut appetit bonum ſub ratione ſufficientis, & hoc per auaritiā: aut ſub

ratione

ratione demulcentis, & hoc per luxuriam : aut ſub ratione reficiē-tis , & hoc per gulam . Ex quibus patet ſufficientia & numerus vitiorum capitalium, quæ non accipiūtur per oppoſitionem ad virtutes,ſiue ad dona,aut beatitudines, ſed ſecundum pronitates reſpicientes conditiones boni apparentis . Vitia igitur capitalia doctores fere omnes diuidunt in ſeptē ſequētia, videlicet ſuperbiam, inuidiam, iram, accidiam, auaritiam, gulam,& luxuriam . Quæ diuiſio eſt quaſi generis generaliſſimi in ea, quæ immediate ſub ipſo continentur : & in alia, quæ ſub ſe continent, propter quod capitalia dicuntur ; & talia ſunt illa ſeptem ſuperius tacta, in quo ſecuti ſumus connumerationem beati Gregorij 31. moralium . Pro quorum notitia eſt ſciendum, quòd ſicut nomē radicis nō dicitur proprie in peccatis,ſed tranſumptiue:ſic et nomen capitis.Caput enim in homine eſt membrum,ſub quo cetera ordinātur : ſicut enim ſecundum logicos,ſub genere multæ cōtinentur ſpecies,ſic ſub peccatis præfatis multæ continentur peccatorū ſpecies. Peccatum igitur,quod ſic ſub ſe alia continet , dicitur capitale . Sanctus tamen Bonauentura in prima parte centiloquij ſectione 16. ponit diſcrimē inter capitale vitium, initium peccati,& radicem malorum.Ratio autem,quare capitale vitium dicitur aliquid ſecundum eundē, eſt, quia ſicut caput eſt membrum principale,& completū,ac aliorum principium, quantum ad motum & ſenſum : ita vitium,quod dicitur capitale, nominat peccatum completum,a quo alia oriuntur vitia . Initium vero nominat proprie illud,a quo actus inchoatur : radix vero illud,a quo nutrimentum trahit & fomētum . Vnde cum peccatum nutrimentum trahat ex parte appetibilis, & importet receſſum a Deo,hinc eſt,quòd initium peccati attenditur ex parte auerſionis:radix vero ex parte conuerſionis. Sed quia auerſio eſt ratione contemptus,conuerſio ratione cupiditatis & libidinis : ideo ſuperbia dicitur initium omnis peccati : cupiditas vero ſiue auaritia radix omnium malorum . Dicitur autem initium peccati aliquid : aut quia dicit receſſum liberi arbitrij a lege maieſtatis : & hoc modo ſuperbia ſiue contemptus Dei dicitur initium,quia per eandem præceptum transgreditur creatoris,quod a ſuperbia incipit & contemptu . Aut quia dicit receſſum a lege veritatis,& ſic error dicitur initiū peccati: vnde Salomon dicit,Omnis malus ignorans: quia vere ab ignorantia incipit & errore , eo quòd æterna deſerat pro terrenis.Aut prout importat receſſum a lege bonitatis: & hoc modo inſipientia dici poteſt initiū peccati . Vnde Chryſo. ſuper illud ps. 37.A facie inſipientiæ meæ, inquit,quòd omnis peccati initium inſipientia eſt, quæ eſt contraria ſapientiæ, in qua diuina,

bonitas præguſtatur. Ideo merito ab inſipiditate dicitur inchoare: quia potius in malitia peccati, quàm in ſuauitate Dei, eligit delectari. Radix vero peccati ſiue mali, quod circa peccatum importat libidinis pronitatem, eſt triplex, videlicet, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ : de quibus beatus Ioannes in cap. 2. ſuæ primæ Canonicæ : & a quibus omne peccatum ſumit fomentum.

De ſuperbia, quæ eſt primum omnium capitalium peccatorum Cap. XIIII.

PRIMVM capitale vitium eſt ſuperbia, ſic nuncupata, vt inquit beatus Thomas 22. q. 162. art. 1. ꝙ aliquis per appetitum,ſiue voluntatem tendit ſupra id, quod eſt. Vnde Iſidorus in lib. ethymologiarũ, ſuperbus dictus eſt qs,quia ſuper vult videri, quàm ſit. Ratio enim recta habet, vt voluntas vniuſcuiuſque feratur in id, quod eſt ſibi proportionatum. Propter quod, manifeſte patet, quòd ſuperbia importat aliquid, quod aduerſatur rationi rectæ: & vt ſic, peccati habet rationem : quia ſecundum Dionyſium cap. 4. de diuinis nominibus, malum animæ eſt præter rationem eſſe. Eſt igitur ſuperbia peccatum, pro eo quòd tranſgreditur regulam rationis. Hanc ſuperbiam definit Auguſtinus lib. de innocentia, dicens : quòd ſuperbia eſt amor propriæ excellentiæ : & 14. de ciuit. Dei,quòd eſt peruerſæ celſitudinis appetitus : peruerſe .i. imitatur Deũ, atque odit cũ ſocijs ſub illo æqualitatem. Illa enim opponitur virtuti humilitatis. Peccatum ſupradictum ſuperbiæ poteſt bifariam conſiderari. Vno modo ſecundum ſpeciem, quam habet ex ſuo proprio obiecto : & hoc modo eſt ſpeciale peccatum, & habet ſpeciale obiectum, cũ ſit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Alio modo conſiderari poteſt ſecundũ redundantiā quandam in alia peccata : & hoc duobus modis. Vno modo per ſe,in quantum videlicet alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, qui eſt propria excellentia, ad quam ordinari poteſt omne id, quod quis inordinate appetit. Alio modo indirecte, & quaſi per accidens remouendo prohibens, inquantum videlicet homo per ſuperbiam contemnit diuinam legem, per quam prohibetur a peccando,iuxta illud Ieremiæ 2.Confregiſti iugum,rupiſti vincula &c. Huius capitalis vitij beatus Gregorius 27. moral. c. 7. ponit quatuor differentias. Quarum prima eſt, quando homo attribuit ſibi bonum,quod habet: qua ſuperbiæ differentia ſiue ſpecie laborauerunt

runt nonnulli philoſophi,dicentes labia noſtra a nobis ſunt:de quibus beatus Iob c. 11. inquit. Vir vanus erigitur in ſuperbiã, & quaſi pullum onagri ſe liberum natum putat. Ea enim ratione dicitur credere bona ſua habere a ſeipſo, quia ita operatur, ac ſi crederet: & de illis in corde ſuo gloriatur. Contra quos Apoſtolus pri. Cor. 4. Quid habes, quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quid gloriaris, ac ſi non acceperis? Et beatus Gregorius. Non eſt dignus dandis, qui non agit gratias de datis: et non habentem ſimilia contemnit. Contra etiam quos beatus Bernardus loqués Phariſæo inquit: fruſtra inflaris aduerſus publicanum,qui ideo non habet,vt tu,quia nõ accepit, vt tu: gratias agendo,probas te nihil tibi tribuere: ceteros aſpernando, prodis quid in corde locutus ſis. Secunda ſpecies ſiuę differentia eſt, quando licet non attribuat ſibi bonum,quod habet, reputat tamen ſe illud habere ex proprijs meritis.Hæc enim peccati ſpecies contraria eſt gratiæ Dei,cum quodammodo euacuet illã: quia ſi dantur hominibus bona, pro meritis præcipue eorum, quæ gratia Dei erit? Sicut ſi paterfamilias ſoluat operario mercedem, quam ipſe meruit, nullam gratiam ei facit: immo liberaliſſimũ gratiæ gratiarum largitorem reputat venditorem, dum ea quæ dominus ei dat, credit ſe pro meritis emere: in quo magnam Deo facit contumeliam. Tertia differentia ſiue ſpecies eſt,cum quis credit ſe habere, quod non habet: contra quos Eſaias capite 5. inquit. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. Quod vitium obicẽ ponit gratiæ, vt habetur Prouer. 26. Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri, magis illo ſpem habebit inſipiens.Vltima differẽtia ſiue ſpecies eſt, qua quis in æſtimatione ſua præponit ſe alijs eoſdem contemnendo, & affectans præfatis dominari: contra quem exemplum habemus Abrahæ Gen. 18. dicentis. Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. Vbi beatus Gregorius inquit:Aperte cernimus, in quo loco ſe poſuerat, qui ſe puluerem & cinerem, cum Domino loqueretur, æſtimabat. Talis profecto videtur de Deo male ſentire, cum credat, quòd Deus in vno ſolo loco diuitias ſuas poſuerit: ſimiliter & de eius bonitate, cum credat, quòd Deus alijs bonus nõ ſit, ſed ſibi ſoli: ac de proximo ſuo, eo quòd præſumat eum iudicare, in quo non habet iudicium. Contra quem beatus Paulus ad Romanos 14. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat. Vanagloria ſecundum beatum Gregorium coniungitur cum ſuperbia, cum idem ſint in re, licet differant ratione. Quia ſuperbia ſecundum diuum Bonauenturam prima parte centiloquij ſect. 15. dicitur,quando ſibi aliquis magnus apparet intra animum. Vanagloria vero quando aliquis nititur magnus apparere per laudem

dem in faciem aliorũ : & hac de cauſa non ponitur capitale vitium ab alijs diſtinctum. Accidia ſimiliter & triſtitia idem ſunt re, differentia vero ratione. Idem enim motus eſt in vtraque, ſed differunt tantum ratione terminorum. Nam ſecundum auerſionem & receſſum ab arduo graui dicitur triſtitia : ſecundũ vero acceſſum & cõuerſionem ad leuia, dicitur accidia. Quia enim huic graue eſt ſurgere in nocte ad diuinas perſoluendas laudes, triſtis auertit ſe: quia vero leue eſt ei quieſcere, accidioſus conuertit ſe. Superbia abſque dubio mortale peccatum eſt : & rationem adducit beatus Thomas 22. q. 162. art. 5. talem : Quia ſuperbia opponitur humilitati, quæ proprie reſpicit ſubiectionem hominis ad Deum. E contrario vero ſuperbia proprie reſpicit defectum huius ſubiectionis, per quẽ aliquis ſe extollit ſupra id, quod eſt ſibi præfixum a menſura ſiue regula diuina iuxta illud Apoſtoli 2. Cor. 10. Nos autẽ non in immẽſum gloriamur, ſed ſecundum menſuram, quam menſus eſt nobis Deus. Vnde dicitur Eccleſiaſtici 10. Initium ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare a Deo. Non ſubijci autem Deo, & regulæ, ſiue legi eius, habet rationem mortalis peccati : eo quia hoc eſt proprie auerti a Deo. Verum ſicut in ceteris, quæ ex ſuo genere ſunt mortalia peccata, vt fornicatione & adulterio, ſunt aliqui primi motus, qui sũt peccata venialia, vt dictum eſt ſupra, propter ſcilicet imperfectionẽ eorum : vtpote quia præueniunt iudicium rationis, & latenter ingrediuntur : ſiue ex ſurreptione, quia ſcilicet ſunt præter rationis conſenſum : ita etiam & circa ſuperbiam accidit, quòd aliqui motus eiuſdem ſunt peccata venialia, dum eis ratio non conſentit. Superbiæ autem ſecundum deuotum Bernardum ſunt filiæ ſiue gradus duodecim, quibus ſuperbus tanquam quibuſdam paſſibus diligenter ad finem, quem intẽdit, peruenit, de quibus vide 22. ſancti Thomæ, q. 162. art. 4. Primus gradus eſt curioſitas, qua ſuperbus diligenter inquirit rumores, & quid de ipſo dicatur: quæ in hoc conſiſtit, dum quis non contentus terminis cognitionis ſibi conueniẽtibus, ſcire quærit, audire, videre, vel alijs ſenſibus apprehendere quæ non decet : & breuiter quãdo quis vtitur aliquo ſenſu nõ propter aliquam cauſam rationabilem, ſed ſolum vt notitiam habeat de re ipſa obiecta ſenſui : Cum etiam intellectus ſcire quærit, quæ ſibi prohibita ſunt vel noxia, vel quæ ſunt ſupra capacitatẽ ſuã, vt de myſterijs fidei & prædeſtinatione, curioſitas eſt: contra quos eccleſiaſtici 3. Altiora te ne quæſieris, & maiora te ne ſcrutatus fueris : neque in pluribus operibus eius fueris curioſus. Dina enim filia Iacob, quia curioſa fuit in egrediendo domum, vt videret fœminas regionis illius, conſtuprata fuit a Sichem Gen. 34. Secundus

gradus

gradus eſt leuitas mentis, ſcilicet ad iudicandum aliorum facta, ad loquendum, ad proferendum ſententias, cui ſi contradicatur, cõtentiones multiplicat. Quæ omnia procedunt communiter ex nimia ſua æſtimatione, quaſi euangelium ſit omne, quod dixerit, vel ſenſerit, & alij nihil ſciant, ſicut dixit Caiphas in concilio: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis: expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo. Vel leuitas mentis eſt ſecundum Bonauenturã, quãdo leuiter mutatur quis de delectatione ex verbis laudis in triſtitiam, propter verba vituperij. Tertius gradus eſt inepta lætitia: ſicut quando lætatur ex defectibus & criminibus aliorum: de quibus Prouer. 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, deridentes, & ſubſannantes, vel contemnentes pauperes & miſeros: ſicut contempſit diues epulo in conuiuio gaudens ſuper Lazarum mendicum. Quartus gradus eſt iactantia, qua narrat omnia quæ habet, vt ab alijs laudetur. In hunc gradum incidit Simon Magus, qui ſe iactabat mutare poſſe naturas rerum, mortuos ſuſcitare, & in cælum aſcendere: cadens in terram demiſſus a dæmonũ multitudine, qui eum ferebant per aerem, oratione Petri, colliſus confractusq; in profundum deſcendit. Quintus gradus eſt ſingularitas, quando quis præter cõſuetudinem aliqua ſingulariter operatur, vt ſolus appareat & laudetur: de quo poteſt exponi illud pſal. Singularis ferus depaſtus eſt eam, ſcilicet vineam Eccleſiæ. In ſtatu etiam ſpirituali recedere a communi vita regulæ, a communibus conſtitutionibus Patrum, a communibus cæremonijs & obſeruantijs, ſine cauſa vrgente, vel ſpeciali reuelatione, ad ſingularitatem pertinet, & eſt valde periculoſum. Contra hos inuehit Bernardus in ſermone dicens: Quid dicis tu amator ſingularitatis, communia loca, communem vitam, communes obſeruantias quid faſtidis? Sextus gradus eſt arrogantia, qua iactat ſe habere quod non habet: ex hoc quærens alijs poſſe præeſſe, ſubeſſe renuens, æquari ceteris non ſufferens, adulationibus acquieſcens. Contra quos Ieremiæ 48. Sublimitatem, arrogantiam, ſuperbiam, & altitudinem cordis illius, ego ſcio dicit Dominus, ſcilicet ad puniendum. Septimus gradus eſt præſumptio, qua ingerit ſe ad faciendum quod ad eum non pertinet: ſicut Ozias rex Iuda, qui ingreſſus templum Dei, vt offerret incenſum, percuſſus eſt lepra, vt habetur in 2. lib. paralipomenon. Ad præſumptionem pertinet, quòd quis ponat ſe ad diſputandũ cum hæreticis, vel alijs infidelibus, ignarus ſcripturarum & ſolutionum ad argumenta eorum, ex quibus nonnulli inciderunt in hæreſim. Octauus gradus eſt defenſio peccati, quando crimẽ ſuũ & errorem quis defendit, & excuſat manifeſte & aperte,

ac alleuiat. Multis enim modis fiunt excuſationes in peccatis: dicit enim qui ſe excuſat, non feci: aut ſi feci, bene feci: aut ſi malum, non mala intentione: ſed ſi conuincitur, aliena ſe nititur excuſare ſuaſione. Nonus gradus eſt ſimulata confeſſio, qua peccatum ſuũ occulte excuſat, vel oſtendit ſigna magnæ humilitatis & emẽdationis, licet ficte, vt reputetur vere contritus & correctus. Decimus gradus eſt rebellio, qua ſuperioribus obuiat quis, inferiores opprimit, pares moleſtat & perturbat: contra quem Prouer. 18. Impius cum in profundum venerit, contemnit. Vndecimus gradus eſt libertas peccandi, qua nec Deum timens, nec homines reuerens, libere peccat: talis vult effici ſimilis Deo, vt ſcilicet libeat ei facere quod vult: contra quem Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus, Qui vult eſſe liber & nulli legi ſubijci, vult auferre coronam de capite Dei: quia ſolum eſt ei hoc proprium, vt nulli ſubijciatur &c. Vltimus gradus eſt conſuetudo peccandi, qua in profundum cadit malorum, cum conſuetudo ſit altera natura, quæ non minuit peccatũ, ſed auget. Vnde Gregorius inquit, quòd tanto ſunt grauiora peccata, quanto diutius animam infelicem detinent alligatam. Vanagloria, de qua dictum eſt ſupra, quòd idem eſt in re cum ſuperbia, differens ſolum ratione, tres habet materiales differentias, quæ ponuntur Ieremiæ 9. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, dicit Dominus: cum gloria ſit beatiſſimæ trinitati propria. Non eſt igitur gloriandum in ſapientia, quæ appropriatur filio: nec in fortitudine, quæ attribuitur patri: nec in diuitijs ſpiritualibus & temporalibus, quæ attribuuntur Spiritui ſãcto. Inanis gloriæ ſeptem ſunt filiæ ſecundum beatum Gregorium, de quibus diffuſe in ſecunda parte diui Antonini titulo 4. c. 2. quas breuitatis cauſa omittimus, præcipue quia reducuntur ad gradus ſiue filias ſuperbiæ.

De Inuidia altero capitali vitio. Caput. XV.

IN præcedenti capite diximus de initio omnium peccatorum, videlicet ſuperbia: in hoc diſſeremus de ſecundo, videlicet de inuidia, quam Auguſtinus deſcribendo, inquit, quòd eſt odium felicitatis alienæ. Damaſcenus vero in 2. lib. ponit eam eſſe ſpeciem triſtitiæ: Vnde ait, quòd eſt triſtitia in alienis bonis. Obiectum autem triſtitiæ eſt malum proprium. Verum contigit, vt inquit beatus Thomas 2 2. q. 36. art. primo, vt id quod eſt bonum alienum,

apprehendatur,

apprehendatur vt malum proprium:& ſic de bono alieno poteſt eſſe triſtitia:& hoc bifariam. Primo modo, quando quis triſtatur de bono alicuius, inquantum imminet ſibi ex hoc periculum alicuius nocumenti: ſicut exempli gratia, cum quis triſtatur de exaltatione inimici, timens ne eum lædat: & talis triſtitia non eſt inuidia, ſed magis timoris effectus, vt inquit Ariſt. in 2. rhetor. Altero modo, quando bonum alterius æſtimatur malum proprium, inquantũ eſt diminutiuum propriæ gloriæ vel excellẽtiæ: & talis triſtitia eſt proprie inuidia, quæ reſpicit proprie proſperitatem propinquam, ſiue alterius gloriam, in qua homines amant honorari & in opinione eſſe, vt dicit idem Ariſt. vbi ſupra. Inuidia igitur proprie eſt de gloria alterius, inquantum diminuit gloriam, quam quis appetit: quia ad eos tantũ inuidia habetur, quibus homo vult ſe æquare vel præferre in gloria. Et hoc eſſe non poteſt reſpectu multum a ſe diſtantium: eo quòd nullus niſi inſanus vult & ſtudet ſe æquare vel præferre in gloria his, qui ſunt multum eo maiores, vt homo vilis regi. His igitur, qui multum loco, tempore, vel ſtatu diſtant, homo non inuidet: ſed his, qui ſunt propinqui, quibus ſe nititur æquare vel præferre: eo quòd ad eius æqualitatem ſe pertingere poſſe exiſtimat. Vnde ſi fruſtraretur eius conatus, propter exceſſum gloriæ alterius, triſtaretur. Vnde Gregorius in 6. moral. inquit, quòd inuidere non poſſumus niſi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Inuidia eſt mortale peccatũ & capitale, vt inquit beatus Gregorius 31. moral. Vnde ſicut accidia eſt triſtitia de bono ſpirituali diuino, ita inuidia eſt triſtitia de bono proximi. Accidia autem, vt diffuſius dicetur infra, eſt vitium capitale ea ratiõe, quia ex accidia homo impellitur ad aliqua facienda, vel vt fugiat triſtitiam, vel vt triſtitiæ ſatisfaciat, propter quam etiam rationem inuidia dicitur capitale. Capitalia vitia, vt inquit idem Gregorius vbi ſupra, tanta ſibi coniunctione coniunguntur, vt non niſi vnum de altero proferatur: prima namque ſuperbiæ ſoboles inanis gloria eſt, quæ dum oppreſſam mentem corrupit, mox inuidiam gignit: quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit. Non eſt ergo contra rationem vitij capitalis, quod ipſum ex alio oriatur, ſed quòd nõ habeat aliquam principalem rationem producendi ex ſe multa genera peccatorum. Quòd autem inuidia ſit mortale, oſtenditur per illud beati Iob 5. Paruulum occidit inuidia: modo nullus ſpiritualiter occiditur, niſi propter mortale. Eſt igitur ex genere ſuo ſiue obiecto mortale, quæ ratione ſui obiecti contrariatur charitati, quæ eſt ſpiritualis vita animæ, iuxta illud pri. Ioannis 3. Nos ſcimus, quoniã tranſlati ſumus de morte ad vitam:

quia diligimus fratres. Vtriuſque autē obiectum, videlicet & charitatis & inuidiæ eſt bonum proximi. Nam charitas gaudet de bono illius: inuidia vero de eodem triſtatur: & ſic patet, quòd ex ſuo genere inuidia eſt mortale. Verum ſicut dictum eſt ſupra de ſuperbia: ita & in quolibet genere peccati mortalis inueniuntur aliqui incompleti actus, ſiue motus in ſenſualitate exiſtentes, ſiue in ratione inferiori, qui ſunt peccata venialia. Vnde ſicut in genere adulterij primus motus concupiſcentiæ, & in genere homicidij primus motus iræ, ita & in genere inuidiæ inueniūtur aliqui tales motus, etiam in viris perfectis, qui ſunt dūtaxat peccata venialia: vt enim ſunt paſſiones ſenſualitatis, ſunt quid imperfectum in genere actuū humanorum, quorum principium eſt ratio: & talis inuidia non eſt mortale peccatum. Contra hoc vitium loquitur Apoſtolus ad Gal. 6. dicens: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Hæc autē inuidia contingere poteſt quadrupliciter. Primo modo, cum quis dolet de bono alterius, inquantum ex eo timet nocumentum vel ſibi, vel alijs bonis: & hæc, vt dictum eſt ſupra, non eſt inuidiæ peccatū, de qua Gregorius 22. moral. inquit. Euenire plerumque ſolet, vt non amiſſa charitate & inimici nos ruina lætificet, & eius gloria ſine inuidiæ culpa contriſtet, cum & eo ruente, quoſdam bene erigi credimus, & proficiſcente illo, pleroſque iniuſte opprimi formidamus. Secundo poteſt quis triſtari de bono alterius, non ex eo quòd ipſe habet bonum, ſed ex eo quòd nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet: & hæc proprie eſt zelus ſecundum Philoſophum 2. rhet. Et ſi iſte zelus eſt circa bona honeſta, de quibus in principio huius tractatus diximus, laudabilis eſt iuxta illud Apoſtoli pri. Cor. 14. Aemulamini ſpiritualia. Si autem ſit de bonis fortunæ, poteſt eſſe & cum peccato & ſine eodem. Tertio modo aliquis triſtatur de alterius bono, inquantum ille, cui accidit bonum, eſt eo indignus: & talis triſtitia cum ſit ſecundum Philoſophum 2. rhet. de talibus, quæ poſſunt poſſideri a dignis & indignis, iſta triſtitia vocatur nemeſis, & pertinet ad bonos mores ſecundum eundē. Sed hoc ideo Philoſophus dicit, quia conſiderabat ipſa temporalia bona ſecundū ſe, prout poſſunt magna videri non reſpicientibus ad æterna. Verum ſecundum fidei doctrinam temporalia bona ſiue bona fortunæ, quæ indignis proueniunt, ex iuſta dei ordinatione diſponuntur vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: quorum comparatione bona fortunæ quaſi nihil ſunt: & hæc inuidia ſiue triſtitia prohibetur in ſacris literis. Vltimo modo aliquis triſtatur de bonis alicuius, inquantum alter excedit ipſum in bonis: & hæc proprie, vt dictum

eſt

eſt ſupra, eſt inuidia, quæ ſemper eſt mala 2. rhet. quia dolet de eo, de quo eſt gaudendum, videlicet de bono proximi. De eadem inuidia ſecundum beatum Gregorium 31. moral. oriuntur odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis, & afflictio in proſperis. Odium ſecũdum ſanctum Bonauenturam in pri. parte centiloquij cap. 19. eſt voluntas affectans proximo malum, vt careat cõtriſtante bono. Suſurratio eſt voluntas loquendi, ſeminans inter fratres diſcordias, vt perſequatur proximum, propter ipſius bonum contriſtans. Detractio eſt voluntas famam proximorum per verba denigrans, vt deſtruat in aliorum opinione bonum, contriſtans. Exultatio in aduerſis proximorum eſt voluntas procurata in proximi aduerſitate delectans. Afflictio in bonis proximi eſt voluntas procurans malum ſuo deſiderio per euentum proſperitatis, contrarie defraudata. Inuidia aliquando ponitur nomine iræ, ſicut Gen. 4. Vbi ſuper illud, Quare iraſceris, dicit Gloſſa, ideſt liuore torqueris. Quandoque ponitur nomine odij, vt habetur Gen. 37. Oderant eum fratres, ideſt inuidebant. Quandoque nomine æmulationis, primi regum 2. vbi dicitur. Affligebat eam æmula eius. Et poſtremo nomine proprio: quæ ſic definitur ab Auguſtino, quòd inuidia eſt odium felicitatis alienæ: & a Damaſceno, quòd eſt triſtitia de alienis bonis, quæ inuidet ſuperioribus, quia eis non æquatur: paribus, quia in melius proſperãtur: inferioribus, ne ei æquentur. De hoc execrando inuidiæ peccato loquitur magnus Baſilius in homil. 39. dicens. Vitemus igitur fratres inuidiæ affectionem, ne ſocij operum aduerſarij noſtri fiamus, & eodem iudicio condemnemur. Si enim faſtuoſus in iudicium diaboli incidit, quomodo inuidus paratam diabolo pœnam effugiet? Nulla enim pernicioſior affectio animis hominum innaſcitur, quàm inuidia, quæ extraneos minime lædens primum & domeſticum malum eſt poſſidẽti. Quemadmodum certe rubigo ferrum, ſic inuidia animam, in qua eſt, conſumit. Eſt enim inuidia triſtitia ex alieno ſucceſſu oriens: quapropter anxietates & moleſtiæ numquam deſerunt inuidum. Fertilis fuit vicini agellus, abundat omnibus ad vitam degendam commodis domus, non deficiunt homini animi voluptates, hæc omnia alimentum morbi ſunt, & inuido doloris incremẽtum. Fortis eſt quiſpiam, bona habitudine præditus eſt, hæc feriunt inuidum. Alius forma præſtantior eſt, alia eſt hæc inuidi plaga. Ille animæ præſtantia multos excellit, in ſapientia ac dicendi facultate conſpicuus eſt, & ad imitandum proponitur: ille diues eſt, & ſplendide munificus in largitionibus & ſocietate ad egenos, multaq; laus ipſius eſt apud eos quibus benefecit, omnia hæc plagæ

ſunt & vulnera inuido: & in ſumma hoſtis quidem eſt præſentium, amicus autem perditorum. Quid igitur hoc morbo pernicioſius eſſe poſſet? Corruptela vitæ, pernicies naturæ, inimicitiæ eorum, quæ nobis a Deo data ſunt, contrarietas aduerſus Deum, intractabiliſſima inimicitiæ ſpecies inuidia eſt. Etenim eos, qui alias nobis inimici ſunt, beneficentiæ manſuetiores reddunt: in inuidũ autem & malignũ collata beneficia ipsũ amplius irritant: & quãto maiora acceperit, tãto magis indignatur, angitur, ac moleſte fert: plus enim triſtatur ad potentiam benefactoris, quàm gratiam habeat pro his, quæ in ipſum cõferuntur. Quid generoſum illũ Ioſeph ſeruum fecit? non ne inuidia fratrum? Transferamus cogitationem noſtrã ad maximam inuidiam (prætermiſſis multis ſcripturæ exemplis) & ob maxima conflatam, quæ ex Iudæorum contra ſaluatorem inſania orta eſt: cur inuidioſus Iudæorum populus erat? Propter miracula, quæ nulla creata potentia efficere poterat, eorum tamen inuidia morti auctorẽ vitæ tradidit. Sic ad omnia penetrauerunt inuidiæ mala, & vnicis his armis a iactis mundi fundamentis exorſus vſque ad ſeculi conſumationem omnes ſauciat, deijcit, ac ſuperat, peſtis vitæ noſtræ diabolus, qui noſtro interitu gaudet, qui per inuidiam delapſus eſt, & nos ſimul per eandem affectionem ſecum deijcit. Non vides quantum malum ſit ſimulatio & hypocriſis? & hæc inuidiæ fructus eſt. Morum enim duplicitas ex inuidia maxime hominibus ingeneratur, cum odium in profundum detinentes, ſuperficiem dilectione coloratam oſtendant, plane ad ſcopulorum ſub mari latentium ſimilitudinem, qui modica aqua tecti improuiſum malum incautis fiunt. Si itaque & mors nobis illinc velut ex fonte emanat, & delapſus a bonis, alienatio a Deo, legum confuſio, & omnium ſimul vitæ bonorum euerſio, credamus Apoſtolo: & ne fiamus inanis gloriæ appetentes, viciſſim prouocantes, viciſſim inuidentes: ſed potius boni, miſericordes, viciſſim largientes: velut etiam Deus largitus eſt nobis in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo ſit gloria patri cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum: Amen.

De Ira tertio capitali vitio. Cap. XVI.

IRA ſecundum Ariſt. pri. de anima, eſt accenſio ſanguinis circa cor: & ſecũdum Damaſcenum, eſt motus & feruor ſanguinis circa idem, ex euaporatione fellis propter appetitum vindictæ. Beatus vero Gregorius 30. moral. ponit iram inter vitia capitalia: ſed

ſed quia capitale vitium dicitur tale, quia ex eo multa oriuntur vitia, ideo ex ira duplici reſpectu multa oriri poſſunt peccata. Primo ex parte ſui obiecti, quòd multum habet de ratione appetibilitatis, inquantum videlicet vindicta appetitur ſub ratione iuſti, vel honeſti, quod ſua dignitate allicit. Secundo ex ſuo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcumque agenda. Motus iræ poteſt eſſe inordinatus aut ex parte appetibilis, vtpote cum aliquis appetit iniuſtam vindictam: & ſic ex genere ſuo eſt mortale, quia contrariatur charitati & iuſtitiæ. Verum poteſt contingere, quòd talis appetitus ſit peccatum veniale propter imperfectionem actus: quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ præuenit iudicium rationis: vel ex parte appetibilis, vt cum aliquis appetit in aliquo modico ſe vindicare: quod quaſi, vt dicit Thomas 2 2. q. 158. art. 3. nihil eſt reputandũ: adeo quòd ſi actu inferatur, non eſſet mortale. Alio modo poteſt eſſe motus iræ inordinatus quantum ad modum iraſcendi, vt ſi nimis ardenter iraſcatur interius, vel ſi nimis exterius manifeſtat ſigna iræ: & tunc ſi ex vehementia iræ quis excidat a dilectione Dei & proximi, eſt mortale. Si enim aliquis appetit, quòd ſecundum ordinis rationis fiat vindicta, eſt laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelũ. Si vero aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercunque contra ordinem rationis, exempli gratia ſi appetat puniri eum, qui nõ meruit, vel vltra quàm meruit, vel etiam non ſecundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui eſt conſeruatio iuſtitiæ & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitioſus, qui vocatur ira per vitium. De triplici iræ motu vide retro in tractatu noſtro de p̃ceptis c. 38. in principio. Ex ira, vt eſt capitale vitium, in corde oritur indignatio, qua iraſcens indignum putat iniuriantem venia, eo quòd contra eum tale quid fecerit: ſimiliter & timor mentis, quo iraſcens varias vindictæ vias excogitans, animum ſuum huiuſmodi cogitationibus replet: in ore oritur clamor, quo inordinate & cõfuſe quis loquens vehementem iram demonſtrat: ſimul & blaſphemia, qua iratus in verba iniurioſa contra proximum prorumpit. In opere oritur rixa, qua intelliguntur omnia nocumenta facta proximis, illata ex ira. De hoc vitio magnus inquit Baſilius homil. 38. contra iraſcentes, quòd poſtquam omnia conuitia per linguam velut fundam irati excuſſerint, ita deinceps per facta ad vindictam ꝓcedunt. Ira enim excitat contentiones, contentio generat cõuitia, conuitia plagas, plagæ vulnera, ex vulneribus ſæpe mortes ſequuntur. Generale peccatum ira eſt, & eius ſunt tres ſpecies ſecundum Philoſophum 3. eth. Prima acuta, quæ nimis cito & ex leui cauſa

inſurgit : ſecunda amara, quæ iniuria illata & diu in memoria permanente, diuturnam triſtitiam concipit: vltima grauis vel difficilis, quæ non remittit iram quouſque puniat. Ira virtus dicitur per zelum, per quam appetitur vindicta ſecundum ordinem rationis, prout inquit beatus Hieronymus ad Riparium,& habetur 23.q.8.c. Legi ſyromaſten. Patientia opponitur ratione finis iræ, quæ vt habetur Iacobi primo,opus perfectum habet in aduerſis tolerãdis. Ex quibus primo procedit triſtitia,quam moderatur patiẽtia. Secũdo ira,quam moderatur mãſuetudo: Qui.n. patiẽs eſt iras mitigat ſuſcitatas Prouer.15. Tertio odiũ,quod tollit charitas. Quarto iniuſtũ nocumentũ,quod prohibet iuſtitia.Iræ quinque ſunt ſigna,videlicet palpitatio cordis,tremor corporis,inflãmatio faciei,exaſperatio oculorũ,& clamor irrationalis ſecundũ Thomam 22.q.158. art.4.Vnde magnus Baſilius vbi ſupra ait, Quòd appetẽtibus vltionẽ,ſanguis quidẽ circũ cor efferueſcet,velut per ignis vim turbatus & æſtuans, ad ſuperficiẽ vero effloreſcẽs,in alia forma iraſcentẽ cõmonſtrat conſuetam & notam omnibus, velut perſonam in ſcena mutans. Oculi enim illis proprij ac conſueti non cognoſcuntur, perculſus eſt aſpectus,& ignem iam per ſe fert, & acuit dentes more ſuos aduerſarios impetentium. Facies eſt liuida & ſanguine ſuffuſa, moles corporis tumida, venæ dirumpuntur, ſpiritu ab interna tempeſtate commoto. Vox aſpera eſt & ſuperintenta. Sermo inarticulatus & temere prolabens, non particulatim, neque ordinate, neque clare procedens &c. Ira appetit malũ alicuius ſub rationæ iuſtæ vindictæ, odium ſub ratione mali, inuidia ſub ratione propriæ gloriæ. Filiæ iræ ſecundum Gregorium ſunt rixa, quæ eſt audax vindicandi voluntas,in iniuriam facti procedens: timor mẽtis, qui eſt voluntas vindicandi, fugiens aduerſantem propter æſtimatas inimicitias: contumelia, quæ eſt voluntas vindicans per exprobrationem malorum : clamor, qui eſt voluntas ſe vindicans in exaltando vocem per vituperium, ad aliorum aures perueniens: indignatio, quæ eſt voluntas ſe vindicans per ſignum moleſtiæ exterius declaratum : & blaſphemia, quæ eſt voluntas ſe vindicans per opprobrium Deo vel Sanctis illatum. Pro notitia habenda de vltima iræ filia,videlicet blaſphemia,eſt notandum,quòd Hugo de Sancto victore in lib. de fructu carnis & ſpiritus cap. 6. inquit: quòd blaſphemia proprie eſt vituperium aut conuitium cum diminutione diuini honoris: & propter hoc qui iurant per Chriſti mẽbra, aut aliorum Sanctorum pudenda,blaſphemare dicuntur:quia etſi Chriſtus re vera, & Sancti habeant mẽbra illa,& non mentiantur improperantes:illa tamen cũ ignominiam Chriſti & Sanctorum vituperiũ

nominent, blaſphemant: volentes ex ipſo modo pronuntiandi innuere aliquid eſſe in Chriſto & Sanctis vituperabile. Verba igitur illa ex ipſo modo pronuntiandi, qui eſt cum vituperio & irriſione, inducunt blaſphemiam. Hæc autem derogatio honoris diuini aut fit intus in corde, aut extra per voces vel ſigna. Primo modo aut eſt tantum in intellectu, aut tantum in affectu, aut in intellectu & affectu ſimul. Blaſphemia illa eſt tantum in intellectu, per quam quis de Deo intra ſe dicit, quod diuinæ derogat bonitati. Deus autem, vt inquit Dionyſius de diuinis nominibus cap. 1. eſt ipſamet bonitas. Quicumque ergo ex ſua fide dicit aliquid Deo conuenire, quod eius bonitati repugnat, vel dicit ei repugnare quod eſt Deo vel eius bonitati proprium, licet non male afficiatur in Deum, hic intellectu ſolo blaſphemat. Nec dubium eſt, quin poſſit eſſe blaſphemia in intellectu abſque peruerſa voluntate blaſphemandi, vel diuinæ bonitati derogandi: quia licet omnis blaſphemia, inquantum eſt voluntaria, ſit a volnntate mala, non tamen omnis eſt cum voluntate affecta ad derogandum diuinæ bonitati. Sicut enim omne credere eſt a voluntate affecta charitate Dei, ita omnis blaſphemia eſt volũtaria: non tamen omnis eſt a voluntate affecta malignitate, vel voluntate derogãdi diuino honori. Habet enim ſe hæc voluntatis malitia ad blaſphemiam intellectus, ſicut charitas ad fidem: quo fit, vt ſicut fides poteſt eſſe ſine charitate, ita blaſphemia intellectus ſine blaſphemia affectus. Illa igitur blaſphemia eſt in ſolo affectu, per quam quis credens de Deo quod credendum eſt, male tamen circa Deum afficitur. Non enim repugnat, blaſphemiam ſimul eſſe cum fide: poteſt enim quis credere Deum omnipotentem, & dicere intra ſe, vt iniurietur Deo, quòd Deus non eſt omnipotens, & delectari in tali mendacio. Poteſt etiam quis credere Deum eſſe iuſtum & ſapientem, & nolle aliquid eorum Deũ eſſe: eo quòd nollet Deum eſſe tam ſapientem, vt nihil eum lateat, etiam ſecretiſſimæ cordis noſtri cogitationes: aut nollet denique tam iuſtum, vt nullis p̃cibus aut muneribus quis valeat, vel per latum pilum a rectitudine deflectere &c. Hi tales blaſphemiam habent in voluntate, quamuis veram fidem in intellectu. Dæmones enim, vt habetur Iacobi 2. credunt, & contremiſcunt: qui tamen Deum ſemper odiunt & blaſphemant: quia nollent eum eſſe iuſtum, ſapientem, & omnipotentem. Dolent de peccatis, non quòd habeant ea exoſa: ſed quia odio habent pœnas, quas pro illis ſuſtinent: & hoc eſt Deum odiſſe, & blaſphemare blaſphemia, quæ eſt ſola in voluntate, vt inquit Thomas 2 2. q. 14. art. 4. De hac blaſphemia, quæ eſt in affectu ſolo, dicitur Apoc. 16. Aeſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemaue-

runt

runt nomen domini habentis poteſtatem ſuper has plagas: de qua dicit diuus Bonauentura diſt. 43. ſecundi, in dubijs circa literam, quòd vocatur in Euangelio ſpiritus blasphemiæ, qui eſt affectus & deſiderium vituperationis diuinæ: qui ſic ſpirat ad odium Dei, ſicut Spiritus ſanctus ad Dei amorem. Et hunc affectum vituperationis diuinæ dicunt theologi eſſe maximum peccatorum, & irremiſſibile: eo quòd ſecundum dominum Alexãdrum Alenſem prouocat oculos diuinæ maieſtatis ad non remiſerandum vel remittendum. In intellectu & affectu ſimul blaſphemia eſt, per quam quis male et falſo de Deo ſentit: & propterea male illi afficitur, & illum vituperare non veretur: veluti ſi quis crederet Deum non eſſe omnipotentem, & inde audaciam ſumeret ad derogandum illius honori, & illum vituperandum, & in contumeliam illius omnia eius præcepta contemnendum. Hoc genus blaſphemiæ in intellectu & affectu ſimul non eſt tam graue ex ſe, ſicut immediate præcedens: quia ignorantia, quam habet annexam, & vnde maligna illius voluntas oritur, quodammodo excuſat a tanta grauitate peccati: & hæc eſt blaſphemia in filium: præcedens vero in Spiritum ſanctum, quia eſt ex pura malitia. Hactenus de blasphemia interiori. Reſtat modo videre de exteriori, quæ dicitur oris, non quòd in ſolo ore ſit, ſed quia pluribus vicibus per voces, quàm per alia ſigna exterius demonſtratur: nam qui per cõtumeliam ſpueret in imaginem virginis, hic eſſet blaſphemus cenſendus. Vnde Beda ſuper illud 2. Petri 2. Per quos via veritatis blaſphematur, ait: Via veritatis blaſphematur per hæreticos in eis, quos per impuriſſima facta ſua, & ſacrificia, vel myſteria execranda, quæ faciunt in odium Chriſtiani nominis, concitant. Hæc blaſphemia exterior eſt triplex. Prima, quæ a blasphemia ſola intellectus: ſecunda, quæ a ſola blasphemia volũtatis: vltima, quæ ab vtriſque ſimul procedit. Blasphemia, quæ eſt in ſolo affectu, etſi ſit peccatum grauiſſimum, non tamen habet aliquid cum hæreſi vel infidelitate: quia ambo pertinent ad intellectũ. De illa, quæ eſt ſolum in intellectu, eſt dubium: & dicimus, quòd aliud eſt dicere aliquid, & aliud credere. Nam mentiens dicit id, quod tamen non credit eſſe verum: nec refert, ſiue dicat ore, ſiue corde. Et eſt aduertendum, quòd duo ſunt conſideranda in fide. Primum credere omnes articulos, ſecundum ipſos articulos dicere ore, vel corde. Primum ſpectat ad fidem, & hæc vere dicitur fides: ſecundum vero dicitur confeſſio fidei, de quibus duobus ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autẽ confeſſio fit ad ſalutem. Ex oppoſito oportet cõſiderare in infidelitate ſimiliter duo: puta diſſenſum circa illa, quæ ad fidem pertinent: et dicere intus

vel extra aliquid contra fidem. Primum pertinet ad infidelitatem, & eſt hæreſis: ſecũdum eſt vitiũ blaſphemiæ: ita quòd blaſphemia non conſiſtit in credere, ſed in hoc quod eſt dicere aliquid corde vel ore contra Deũ: ſiue credat ita eſſe quod dicit, ſiue non: dummodo illnd dicat hac intentione, vt Deo iniuriã faciat. Ex quo patet blaſphemiã eſſe vitium contra confeſſionẽ fidei, & nõ contra fidem. Blaſphemia autem, quæ habet quandam cum hæreſi connexionem, merito ad inquiſitores ſpectabit, & de illa inquirere debẽt & iudicare: ſicut qui diceret Deum iniuſte punire quempiam, aut non poſſe hoc efficere, vel qnod aliquam rem inſipienter egerit. Et tunc iuxta menſuram delicti animaduertẽt in eum, præcipue quando conſtaret, quòd ex infidelitate, & non ex impatientia, aut paſſione, blaſphemauiſſet. Ex ſupradictis concludimus cum beato Baſilio homil. 38. quòd propter iram fiunt effrænes linguæ, os portam non habens, manus incontinentes: contumeliæ, opprobria, maledicta, plagæ, blaſphemiæ, reliquaq; innumera ex ira, & indignatione, naſcuntur mala. Non enim canicies apud iratos venerabilis eſt, non virtus vitæ, non propinqnitas generis, non progreſſa beneficia, non alia aliqua dignitas. Inſania qnædam breuis, eſt ira. Audiendæ ſunt igitur apoſtolicæ cõmonitiones, videlicet, Omnis ira & indignatio ac clamor auferatur a nobis cum omni malitia. Audiendus eſt etiam Dominus, qui eum, qui iraſcitur temere fratri ſuo, dicit reum eſſe iudicij. Quare ſi magno Baſilio credere vis, contumelias magno animo contemnes, & te viliorem eſſe concedes. Obſcurũ te dixit iratus, & inglorium, & nihil penitus vlla in re? at tu terram te ipſum dicas, ac cinerem: non es præſtantior patre noſtro Abraham, qui ſeipſum ſic appellauit. Indoctum & pauperẽ ac nullius pretij te dixit? at tu vermem te dicas, & ex ſterquilinio originem habere, Dauidis verbis vtens. His adde etiam Moyſis bonitatem. Hic enim ab Aaron & Maria connitijs impetitus, nõ eos apud Deum accuſauit, ſed pro ipſis orauit. Qnorum potius diſcipuli eſſe volumus? beatorumne & Deum diligentium virorum, an ſpiritu prauitatis expletorum? Quid enim triſtius inimico accidere poſſet, quàm quòd videat inimicum ſuum contumelijs ſuperiorem? Ceſſemus ab ira, & relinquamus indignationem, quibus iræ, quæ de cælo reuelatur, periculum effugiamus: imminet enim ſuper omnem impietatem & hominum iniuſtitiam. Si enim prudenti ratiocinatione amaram iræ radicem excindere poterimus, multas affectiones vna cum hoc principio tollemus. Nam & dolus, ſuſpicio, blaſphemia, infidelitas, malignitas, inſidiæ, audacia, & omne talium malorum examen huius vitij germina exiſtunt.

Ne igitur nobiſipſis tantum malum inducamus, animæ ægritudinem, rationis tenebras, a Deo abalienationem, conſortij ignorantiam, belli principium, calamitatum aceruum, dæmonem malum, qui in ipſis animis noſtris generatur, & velut inquilinus impudens interna noſtra occupat, & ſancto Spiritui acceſſum occludit: vbi.n. inimicitiæ, lites, iræ, rixæ, contentiones tumultus non ſedandos inducentes, ibi ſpiritus manſuetudinis non requieſcit. Verũ admonitioni beati Petri obedientes, omnem iram, ac indignationem & clamorem tollamus a nobis cum omni malitia: & fiamus inter nos boni ac miſericordes, expectantes beatam ſpem mãſuetis promiſſam: beati enim mites, quia ipſi poſſidebunt terram.

De Accidia altero capitali vitio. Caput. XVII.

ACCIDIA eſt triſtitia ſic aggrauans mentem, vt nihil boni ei agere liceat: habetq; ſibi annexam & inſeparabilem comitem anxietatem, & animi tædium, torporemq; bene operandi, deijcientem totum hominem langore pigro, & inducentem menti amaritudinem continuam. Hinc ex vehementiori moleſtia naſcitur taciturnitas & defectio vocis, qua adeo abſorbetur animus, & occupatur languida deiectione, vt in vocem depromendam non exeat, ſed ſuiipſius cõfuſione & obnubilatione impediatur detineaturq; cõſtricta, ne in ſermonem efformet: Hanc admodum exitialem animi labem inſectatur ſcriptura Prouer. *6*. vbi dicitur: Vade ad formicã o piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum nõ habeat ducem, parat in æſtate cibum ſibi. Secundum autẽ Damaſcenum lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 14. Accidia eſt quædã triſtitia aggrauans, quæ adeo deprimit animum hominis, vt nihil ei agere libeat: importat enim, vt dicit Gloſſa ſuper illud pſal. 1*06*. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, quoddam tædium operandi. Et ab aliquibus dicitur, quòd accidia eſt torpor mẽtis, bona negligẽtis inchoare. Huiuſmodi autem triſtitia ſemper eſt mala, quandoque ſecundum ſeipſam, quandoque vero ſecundum effectum. Illa ſecundum ſe mala eſt, quæ de eo eſt, quod apparens malum eſt, & vere bonum: ſicut e contra delectatio mala eſt, quæ de eo eſt, quod apparens bonum eſt, & vere malum. Cum igitur ſpirituale bonum ſit vere bonum: triſtitia, quæ eſt de ſpirituali bono, ſecundum ſe mala eſt: ſimiliter triſtitia, quæ eſt de vere malo, mala eſt ſecundũ effectum, ſi ſic aggrauet hominem, vt eum totaliter a bono opere retrahat. Quia vero ſecundum diuum Thomam 22. q. 35. art. 1.

accidia ſecundum quod nominat triſtitiam ſpiritualis boni, eſt dupliciter mala & ſecundum ſe,& ſecundum effectum,ideo eſt peccatum. Triſtitia moderata de malo laudabilis eſt, & de bono immoderata dicit aliquid vituperabile. Propter quod Gregorius 31. moral. diſtinguit accidiã ab alijs vitijs,eo quòd ſit ſpeciale peccatum. Pro quo notandum, quòd in ſpiritualibus bonis eſt quidam ordo: nam omnia ſpiritualia bona, quæ ſunt in actibus ſingularum virtutum ordinantur ad vnum ſpirituale bonum,videlicet diuinum,circa quod eſt ſpecialis virtus, ſcilicet charitas. Vnde ad quamlibet virtutem pertinet gaudere de proprio ſpirituali bono,quod conſiſtit in proprio actu: ſed ad charitatẽ pertinet ſpecialiter illud gaudium ſpirituale, quo quis gaudet de bono diuino. Et ſimiliter illa triſtitia, qua quis triſtatur de bono ſpirituali, quod eſt in actibus ſingularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium ſpeciale, ſed ad omnia vitia. Sed triſtari de bono diuino, de quo charitas gaudet, pertinet ad ſpeciale vitium, quod eſt accidia, quæ hoc modo ſumpta eſt mortale: de qua 2. Cor. 7. Triſtitia ſiue accidia ſeculi mortem operatur: ſed non illa ſecundum Deum, quæ contra triſtitiam ſeculi diuiditur. Et vt hoc melius intelligatur,eſt ſciendũ, quòd ſanctus Thomas vbi ſupra art. 3. inquit: quòd mortale peccatum eſt illud, quod ſpiritualem vitam tollit, quæ eſt per charitatem, ſecundum quã Deus nos inhabitat. Vnde illud peccatum ex ſuo genere eſt mortale,quod de ſe ſecundum propriam rationem charitati contrariatur, ſicut eſt accidia: et ratio eſt, quia proprius effectus dictæ charitatis eſt gaudium de Deo & de bono diuino. Accidia autem eſt triſtitia de bono ſpirituali, inquantum eſt bonũ diuinum: & per conſequẽs ex ſuo genere accidia eſt mortale. Verum in quibuscumque peccatis ſecundum ſuum genus mortalibus eſt conſiderandum, quòd non ſunt talia,niſi quãdo ſuam conſequuntur perfectionẽ: eſt enim conſummatio peccati in conſenſu rationis. Si enim eſſet inchoatio peccati in ſola ſenſualitate, & non pertingeret vſque ad conſenſum rationis,ſiue voluntatis, vel liberi arbitrij propter imperfectionẽ actus,eſſet dumtaxat veniale: ſi tamen peruenitur vſque ad conſenſum incluſiue, ſic eſt mortale. Ita pari modo dicẽdum eſt de hoc vitio, quòd ſi motus accidiæ in ſola ſenſualitate ſit propter repugnantiam carnis ad ſpiritum, tũc eſt veniale. Si vero pertingit vſque ad rationem, quæ conſentit in fugam,horrorẽ,& deteſtationem boni diuini,carne cõtra ſpiritũ omnino præualẽte, tunc manifeſte peccatũ mortale eſt. Accidia præfata ſpecialiter cõtrariatur præcepto de ſanctificatione ſabbati: in quo ſecundum quod eſt præceptũ morale,præcipitur quies mentis

in Deo:cui etiam contrariatur triſtitia mentis de bono diuino. Accidia vero non eſt receſſus mentalis a quocumque bono ſpirituali, ſed a bono diuino, cui oportet mentē inhærere ex neceſſitate. Vnde ſiquis cōtriſtetur de hoc, quòd aliquis cogit eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur, non eſt peccatum accidiæ: ſed quando contriſtatur in his, quæ ei imminent facienda propter Deum. Dicimus vltra, quòd dictum vitium eſt capitale, vt inquit beatus Gregorius 31. moral. Dicitur enim vitium capitale, vt dictum eſt ſupra, ex quo promptum eſt, vt alia vitia oriantur ſecundum rationem cauſæ finalis. Sicut enim homines multa operātur propter dilectionem, vt ipſam conſequātur, & vt ex eius impetu ad aliquid agendum promoueantur: ita etiam propter triſtitiam multa operantur, vel vt ipſam euitent, vel vt eius pondere in aliqua agenda prorumpantur. Cum igitur accidia ſit triſtitia quædam, conuenienter ponitur vitium capitale. Accidia ſecundum beatum Gregorium ſex habet filias, videlicet malitiam, rancorem, puſillanimitatem, deſperationem, torporem, vagationem mentis circa illicita. Malitia ſecundum Bonauenturam in pri. parte centiloquij ſectione 21. eſt voluntas grauedinis impatiens, machinans malum illius, quem æſtimat inferentem. Rancor eſt voluntas ex impotentia repellendæ grauedinis amaricata, amaritudinem intus clauſam per ſignum exterius manifeſtans. Puſillanimitas eſt voluntas immoderate metuens grauedinem in aggreſſu agendorum, ſiue de proprijs viribus immoderate diffidens. Deſperatio eſt voluntas grauedinem reprimens, de adiutorio ad perficienda agenda diffidens, ſiue de remuneratione diuina propter ſuſtinentiam grauedinis, quæ eſt in implendis præceptis, diffidens. Torpor eſt voluntas grauedinis impatiens, tepida vel pigra ad expletionem agendorum inchoatorum. Vagatio mentis circa illicita eſt voluntas interno gaudio deſtituta in rebus exterioribus illicitis, quietem vel conſolationem quærens. Et de hoc quantum ad propoſitum ſpectat ſatis ſit dictum.

De Auaritia altero capitali vitio. Cap XVIII.

AVARITIA capitale vitium eſt, quod oſtenditur a ſancto Thoma 2 2. q. 118. art. pri. quia in quibuscumque bonum conſiſtit in debita menſura, per exceſſum aut diminutionem dictæ menſuræ naſcitur malum. In omnibus vero ordinatis ad finem bonum conſiſtit in quadam menſura, dum ſcilicet homo ſecundum eandem

eandem quærit habere exteriores diuitias, prout ſunt neceſſariæ ad vitam eius ſecundum ſuam conditionem. Et ideo in exceſſu huius menſuræ conſiſtit peccatũ, dum videlicet aliquis ſupra debitum modum vult eas acquirere vel retinere: quod pertinet ad rationem auaritiæ. Quæ ab Auguſtino in libro de ciuit. Dei ſic definitur, quòd eſt immoderata habendi cupiditas: & a Tullio, quòd eſt immoderatus amor habendi: & ex conſequenti peccatum. Vnde importat immoderantiam circa interiores affectiones, quas qs ad diuitias habet, vt eas immoderate amet, deſideret, aut delectetur in eis: & vt ſic, auaritia eſt peccatum hominis in ſeipſum: quia per hoc deordinatur eius affectus, licet non deordinetur corpus, ſicut fit per vitia carnalia: & ex conſequenti eſt peccatum in Deum, ſicut & cetera mortalia, inquantum ſcilicet homo propter bonum temporale contemnit æternum: Eſt & peccatum ſpeciale, de quo ad Rom. 1. Repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia. Peccata enim ſortiuntur ſuas ſpecies ab obiectis. Obiectum autem auaritiæ eſt illud bonum, in quod tẽdit inordinatus appetitus: ideo vbi eſt ſpecialis ratio boni, quod immediate appetitur, ibi eſt ſpecialis ratio peccati. Diuitiæ autem ſecundum ſe habent rationem boni vtilis: ea enim ratione appetuntur, inquantum in vſum hominis cadunt: ideo ſpeciale quoddam peccatum eſt auaritia, ſecundũ quod eſt immoderatus amor habẽdi poſſeſſiones, quæ nomine pecuniæ deſignantur: ex qua ſumitur auaritiæ nomen. Dicimus vltra, quòd auaritia importat immoderantiam quandam circa diuitias: & hoc vel immediate circa ipſam acceptionem & conſeruationem diuitiarum, inquantum ſcilicet aliquis acquirit pecuniam vltra debitum, aliena ſurripiendo, vel retinendo: & ſic opponitur iuſtitiæ, de qua Ezech. 22. Principes eius in medio illius quaſi lupi rapiẽtes prædam, ad effundendum ſanguinem, & auare lucra ſectanda: Vel inquantum importat immoderantiam circa interiores affectiones diuitiarum, vt cum quis nimis amat vel deſiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis, etiam ſi nolit rapere aliena: & hoc modo auaritia opponitur liberalitati, quæ moderatur huiuſmodi affectiones. Ariſtoteles vero quando 5. eth. dicit, quòd auaritia non opponitur liberalitati, loquitur de eadem primo modo ſumpta, de qua paulo ante. Hæc vero liberalitas conſtituit menſuram rationis principaliter in interioribus affectionibus: & ſecundario in exteriori acceptione vel cõſeruatione pecuniarum, aut amiſſione earum, ſecundum quod ex interiori affectione procedũt non obſeruando rationem debiti legalis, ſed debiti moralis: quod attenditur ſecundum regulam rationis. Ceterum auaritia ex genere ſuo ſemper eſt mortale,

tale,

tale, præcipue vt opponitur iuſtitiæ: ſic enim ad eam pertinet, vt aliquis iniuſte accipiat vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam vel furtum, quæ ſunt peccata mortalia: licet in hoc genere (ſicut dictum eſt de alijs capitalibus vitijs) contingat aliquid eſſe peccatum veniale propter imperfectionem actus. Vt autem opponitur liberalitati importat inordinatum amorem diuitiarum: qui amor ſi intantum creſcat, quòd præferatur charitati, ſicut quando quis propter amorem diuitiarum non veretur facere contra amorem Dei & proximi, ſic erit mortale. Sed ſi inordinatus amor infra hoc ſiſtat, vt ſcilicet homo quamuis ſuperflue diuitias amet, non tamen præfert earum amorem amori diuino, eo quòd nollet propter diuitias aliquid facere contra Deum & proximum, tunc auaritia eſt dumtaxat veniale peccatum. Et vt grauitas dicti peccati melius intelligatur, eſt notanda diſtinctio, quam ponit diuus Thomas 2 2. q. 118. art. 5. dicens: quòd ordo peccatorũ attendi poteſt vno modo ex parte boni, quod per peccatũ contemnitur vel corrumpitur: quod quanto maius eſt, tanto peccatum grauius eſt: & hoc modo peccatum, quod eſt contra Deum, eſt grauiſſimum: ſub quo eſt peccatum, quod eſt contra perſonam hominis: & ſub quo etiã eſt peccatum, quo homines in exterioribus bonis ſiue in bonis fortunæ damnificantur, quæ ſunt ad vſum hominis deputata, quod videtur ad auaritiã pertinere. Alio modo poteſt attendi gradus peccatorũ ex parte boni, cui inordinate ſubditur appetitus humanus: quod quanto minus eſt, tanto peccatũ eſt deformius. Turpius enim eſt ſubeſſe inferiori bono, quàm ſuperiori. Bonum externarum rerum infimũ locum tenet inter humana bona: eſt enim minus quàm bonum corporis, & multo minus quàm bonum animæ: maxime autem diſtat a bono diuino, quod eſt ſupremum & infinitum bonũ: & ſecundum hoc peccatum auaritiæ, quo appetitus humanus ſubijcitur exterioribus rebus, habet quodammodo deformitatem maiorem. Sed quia corruptio vel priuatio boni formaliter ſe habet in peccato, conuerſio vero ad commutabile materialiter, magis erit iudicanda grauitas peccati ex parte boni, quod corrumpitur, quàm ex parte boni, cui ſubijcitur appetitus: & ex conſequenti dicẽdum erit, quòd auaritia non eſt ſimpliciter maximum peccatorum. Auaritia etiam licet comparetur idololatriæ, eo quòd ſecundum Apoſtolum eſt idolorum ſeruitus, hoc eſt per quandam ſimilitudinem, quam habet ad ipſam: ſed non quòd ſit grauior ea: quia ſicut idololatra ſubijcit ſe creaturæ exteriori, ita etiã auarus. Dictum etiam auaritiæ peccatum ſecundum beatum Gregorium in 31. moral. c. 31. computatur inter vitia ſpiritualia: eo quòd auarus delectatur

in

in hoc, quòd conſiderat ſe poſſeſſorem diuitiarum. Ratione tamen obiecti medium eſt inter peccata pure ſpiritualia, quæ quærunt delectationem ſpiritualẽ circa obiecta ſpiritualia, & peccata pure corporalia, quæ quærunt delectationem pure corporalem circa obiectum corporale. Ad præfata ſubditur, quòd auaritiam beatus Gregorius vbi ſupra connumerat inter vitia capitalia. Cuius ratio eſt: quia vitium capitale dicitur ex eo, quòd alia vitia oriuntur ab illo ſecundum rationem finis, qui cum ſit multum appetibilis, propter eius appetitum homo procedit ad multa bona vel mala facienda. Finis autem maxime appetibilis eſt beatitudo vel felicitas, qui eſt vltimus finis noſter. Et ideo quanto aliquid magis participat conditiones felicitatis, tanto magis eſt appetibile. Vna autem de conditionibus felicitatis eſt, vt ſit per ſe ſufficiens, alioquin non quietaret appetitum, tanquam vltimus finis: ſed per ſe ſufficientiam maxime repromittunt diuitiæ, vt inquit Boetius in 3. de conſol. philo. Et ratio eſt: quia ſecundum Philoſophum 5. ethi. denario vtimur quaſi fideiuſſore ad omnia habenda. Vnde dicitur Eccleſiaſtici 10. Pecuniæ omnia obediunt. Ideo auaritia, quæ conſiſtit in appetitu pecuniarum, eſt vitium capitale. Differentiæ auaritiæ ſecundũ ſanctum Bonauenturam in prima parte centiloquij ſectione 22. ſunt quinque, ſcilicet beneficij ſubtractio, furtum, rapina, vſura, ſimonia. Subtractio beneficij eſt auaritia retinens beneficium, quod tenetur dare pauperibus in tempore neceſſitatis, vt diues indigenti. Furtum eſt auaritia retinens rem alienam inuito domino. Rapina eſt auaritia per vim occupans rem alienam. Vſura eſt auaritia acquirens per mutuum aliquid præter ſortem. Simonia eſt auaritia ſtudioſe appetens vendere vel emere ſpiritualia, vel ſpirituali annexum. De vſura, ſimonia, furto, & rapina quia diffuſe tractauimus in noſtro compendio theolog. inſtitut. de præceptis, ideo ad illum locum legentes remittimus: ad præfata addentes, quòd ſecundum beatum Gregorium ſeptem ſunt auaritiæ filiæ, ſcilicet, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, obiurgatio mentis contra miſericordiam. Proditio eſt voluntas per deceptionem domeſticorum, acquirendis inhians. Fraus eſt voluntas profectum proximi decipiens propter terrenum emolumentum. Fallacia eſt voluntas per verba decipiens proximum lucri cauſa. Periurium eſt voluntas violans ſacramentum, & iuramentum. Inquietudo mentis eſt voluntas cogitare non ceſſans, qualiter poſſit diuitias congregare. Violentia eſt voluntas per vim aliorum bona rapiens. Obiurgatio mentis contra miſericordiam, eſt voluntas concitata aduerſus poſtulationem indigentis ex nimio ardore pecuniæ

retinendæ. Contra hoc vitium & contra auarũ inquit magnus Baſilius in homil. 35. Miſer eſt ob fertilitatem, miſerabilis ob præſentia bona, miſerabilior ob futura quæ expectat. Non enim reditus fert ipſi terra, gemitus ipſi producit: non enim fructuum fertilitatẽ colligit, ſed curas, mœrores, & grauem deſperationẽ. Ideo exhortatur eundem, dicens: Conſidera o homo eum, qui dedit: memor ſis tuiipſius quis es, quid diſpenſas, a quo accepiſti, cur multis p̃latus es. Boni Dei es miniſter, villicus conſeruorum, ne putes omnia ventri tuo præparata eſſe: velut de alienis ſtatue de his quæ in manibus habes: paruo tempore lætitia afficient, deinde fluxa peribunt. Verũ ratio de his reddenda, exacte a te exigetur. Imitare terram, fructum profer, velut illa: ne appareas deterior inanimata. Illa quidem fructus non ad ſuiipſius fruitionem, ſed in tuum vſum enutriuit. Tu vero quem oſtendere debebas beneficentiæ fructum, tibiipſi hunc colligis: Nam bonorum operum gratiæ ad eos, qui illa fecerunt, reuertuntur: dediſti eſurienti, & tuum fit quod datum eſt, cum additamento reuertens. Si autem diuitias admiraris propter honorem ex ipſis, conſidera quanto conducibilius eſt ad gloriam, innumerorum filiorum patrẽ appellari, quàm innumeros habere in marſupio ſtateres: & pecunias quidem hic relinques, etiam nolens. Verum gloriam bonorum operũ ad dominum deportabis, quando omnis populus coram communi iudice te circunſtans, nutritorem & benefactorem te appellabunt, & omnia humanitatis nomina in te conferent: ſubdit. Sed quid propter aurum ab auaro non machinatur? Frumentum ſibi aurum fit, vinum in aurum congelatur, lanæ ſibi in aurũ mutantur: omnis mercatura, omnis verſutia aurum ſibi affert: Ipſum ſeipſum aurum generat, dum in vſuris multiplicatur: & ſatietas non eſt, & finis cupiditatis non reperitur. Cum igitur terreſtria ſapiat, & Deum habeat pecuniam, audiat conuenientem ſibi appellationem, quam nullus hominum, ſed ipſe Dominus ſibi dedit. Stulte hac nocte morieris, & quæ parata habes, cuius erunt? Maior eſt riſus temeritatis, quàm ſupplicij æterni. Habeat igitur ſi vult horrea domos pauperum, recondat ſibiipſi theſaurum in cælo: quæ illic reponuntur, non depaſcuntur tineæ, non corrodit caries, non prædantur fures: vt audire poſſit verbum illud. Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum a iactis mundi fundamentis vobis paratum: eſuriui, & dediſtis mihi manducare &c. Quod nobis concedat ille, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

De Gula. Caput. XIX.

BEATVS Thomas 2 2. q. 148. art. pri. inquit, quòd gula non nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi, ſed inordinatum. Appetitus autem dicitur inordinatus, ex eo quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis cõſiſtit, propter quod virtuti contrariatur. Cuius ſenſus eſt, quòd verba ſupradicta intelliguntur diſtincte & formaliter: ita quòd iuxta diſtinctionem, quæ fit in communi de ablatione ordinis rationis, tollendo ſcilicet finem, vel ea quæ ſunt ad finem, ſubſumptũ eſt in particulari de gula, quòd quando tollit finem vltimum, tunc eſt mortale. Tunc autem tollit finem vltimum, quando quis delectationi gulæ inhæret vt fini vltimo: ſicut & inanis gloria tunc eſt mortalis, quando quis humanæ gloriæ inhæret vt vltimo fini. Et hanc eandem, quoad uitium, ſententiam habes ex Ariſt. 3. eth. dicente de intemperato, quòd a cupiditate adeo ducitur, vt illam ceteris omnibus anteponat: et hic ſenſus literæ eſt verus & manifeſtus. Et tunc quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem contemnitur Deus, qui eſt ex ſua natura finis vltimus: eo quòd dignitas vltimi finis, ſiue Dei, attribuitur tali delectationi, quæ fit guloſi Deus, iuxta illud ad Philip. 3. Quorum Deus venter eſt. Effectus igitur gulæ, vt eſt mortale, eſt, quòd homo paratus eſt transgredi præcepta Dei per illam: quoniam delectatio illa amatur vt vltimus finis: ac per hoc Dei præceptis anteponitur, & facit hominem transgreſſorem aliorum præceptorum propter illam aſſequendam. Tunc igitur ponit delectationẽ gulæ quis ſibi finem vltimum, quando ſcilicet propter illam adipiſcendam paratus eſt transgredi præcepta Dei, ideſt luxuriari, furari, aut aliud huiuſmodi perpetrare. In diuina enim ſcriptura prohibetur gula Lucæ 21. vbi dicitur: Attendite ne grauentur corda veſtra crapula: & ab Apoſt. ad Rom. 13. Non in comeſſationibus: & ad Gal. 5. de comeſſationibus loquendo, inquit, quòd qui talia agunt regnum Dei non conſequentur. Sed nota, quòd non dicimus vehementiorem appetitum delectationis in gula eſſe mortale, quaſi exceſſus gradualis concupiſcentiæ faciat mortale: ſed dicimus, quòd appetitus delectationis talis vt vltimi finis, eſt mortale peccatum. Multum enim hæc inter ſe differunt: quoniam magis vel minus appetere, ſe tenent ex parte appetentis, & ſunt gradus appetitionis: ſed appetere vt finem vltimum, tenet ſe ex parte appetibilis: et eſt ratio rei appetitæ: amãtur enim ſub ratione finis vltimi. Et ideo quantuncunque remiſſe, deliberate tamen quis appetat delectationem cibi vt finem vltimum, peccat mortaliter. Et

quantuncunque quis intenſe appetat huiuſmodi delectationem, citra tamẽ vltimum finem, cum non ſit propter hoc paratus tranſgredi legem Dei, non peccat mortaliter. Gulæ vitium (vt dictum eſt ſupra) licet ſit mortale, non tamen maximum, cum inter vitia carnalia & minoris culpæ a beato Gregorio ſit connumeratũ. Pro quo eſt notandum, quòd grauitas alicuius peccati poteſt tripliciter conſiderari. Primo quidem & principaliter ſecundum materiam, in qua peccatur: & ſecundum hoc peccata, quæ ſunt circa diuinas res, ſunt maxima: quo modo gulæ vitium non eſt maximum, cùm ſit circa ea, quæ ad corporis ſuſtentationem ſpectant. Secundo autem ex parte peccantis: & ſecũdum hoc gulæ peccatum magis alleuiatur, tum propter neceſſitatem aſſumptionis cibi, tum etiam propter difficultatem diſcernendi & moderandi id, quod in talibus conuenit. Tertio modo ex parte effectus conſequentis: & ſecundum hoc vitium gulæ habet quandam magnitudinẽ, inquantum ex ea occaſionatur diuerſa peccata. Species gulæ a beato Gregorio 31. moral. ſunt recte poſitæ: quia quinque modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando enim indigentiæ tempora præuenit, aliquando lautiores cibos quærit, quãdoque quæ immunda ſunt præparari accuratius appetit, quandoque in ipſa quantitate ſumendi menſuram refectionis excedit, & quandoque ipſo æſtu immenſi deſiderij aliquis peccat. Ponitur gula a beato Greg. vbi ſupra inter vitia capitalia propter rationes, quibus alia ponuntur, eo quòd ex præfato vitio alia oriuntur ſecundum rationem cauſæ finalis, pro quanto habet finem valde appetibilem, videlicet conſeruationem vitæ, quæ ſine cibo conſeruari non poteſt. Inde eſt, quòd ipſe cibus eſt maxime appetibilis, ad quem etiam fere totus labor humanæ vitæ ordinatur, vt dicitur Eccleſiaſtici 6. Omnis labor hominis in ore eius. Filiæ autem gulæ aſſignantur a beato Gregorio vbi ſupra, quinque, quæ ſunt hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, ſcurrilitas, immunditia. Quarum ſufficientiam ponit beatus Thomas vbi ſupra art. 6. dicens, quòd ex quo gula proprie conſiſtit circa immoderatam delectationem, quæ eſt in cibis & potibus, ideo illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi, & potus oriuntur: quæ quidem accipi poſſunt vel ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte animæ quadrupliciter: quia aut quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderato cibo & potu: & quantum ad hoc ponitur filia gulæ hebetudo mentis vel ſenſus: circa intelligentiam propter fumoſitates ciborum perturbantes caput: ſicut e contrario abſtinẽtia confert ad ſapientiam capeſſendam ſecundum illud Eccleſiaſtes 2. Co-

gitaui in corde meo abſtrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam: Aut quantum ad appetitũ, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi & potus, quaſi ſopito gubernaculo rationis. Et quantum ad hoc ponitur inepta lætitia, eo quòd omnes aliæ inordinatæ paſſiones ad lætitiam & triſtitiam ordinantur, vt dicitur 2. eth. Et hoc eſt quod dicitur 2. Eſdræ 3. quòd vinum omnem mentem conuertit in ſecuritatem & iucunditatem. Tertio quantum ad inordinatum verbum: & ſic ponitur multiloquium: quia vt beatus Gregorius in paſtorali inquit, niſi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidie ſplendide dicitur, in lingua grauius non arderet. Quarto quantum ad inordinatum actum: & ſic ponitur ſcurrilitas, ideſt iocularitas quædam proueniens ex defectu rationis: quæ ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores geſtus. Vnde ad Eph. 5. ſuper illud, Aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, dicit Gloſſa, quòd a ſtultis ſcurrilitas dicitur iocularitas, quæ riſum mouere ſolet: quamuis poſſit vtrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare vel ratione ſuperfluitatis, quod pertinet ad multiloquiũ: vel ratione inhoneſtatis, quod pertinet ad ſcurrilitatem. Ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ poteſt attendi ſiue ſecundum inordinatam emiſſionem quarumcumque ſuperfluitatum, ſiue ſpecialiter quantum ad emiſſionem ſeminis. Vnde ſuper illud ad Eph. 5. Fornicatio autem & omnis immunditia tollatur a vobis, dicit gloſſa, ideſt incontinentia pertinens ad libidinem quocumque modo. Iſidorus, vt inquit diuus Bonauentura in prima parte centiloquij ſectione 23. quatuor gulæ differentias ponit, quæ notantur per quid, quantum, quando, quomodo. Quid ad ipſam rem pertinet: quãdo, ſi ante legitimum tempus appetat: quantum ad immoderantiam refertur: quomodo, ſi nimis ardẽter appetat. Quibus addimus magni *Baſilij* in ſermone de abdicatione rerum admonitionem, dicentis: Caue, ne te aduerſarius ſimili atque primum parentem peccato circunueniat, circunuentumq; quamprimum de paradiſo deiiciarum expellat. Nam qui illũ callida eſcæ obiectione ita malitioſe ſpoliauit, & item læſum eodem ſe modo ſupplantaturum ſperauerat, noli dubitare veriturum illum, tibi quoque primam malorum originem propinare. Etenim præſentiſſimum hoc eſſe ille venenum intelligit: ſiquidem gutturis vitium non in eſcarum copia naturæ ſuæ vim poſitam habet, ſed in voluptate atque guſtatu, licet modicis admodum. Hoc tamen nõ obſtante, qui iſtiuſmodi ſunt, hi mẽdaces ſunt, ad iuſiurandum parati, periurioſi, litigioſi, pertinaces, clamoſi,

& qui ſaturi ediſſe ſe pertinaciſſime pernegent: illiberales, qui victu delicato apprime gaudeant, celati indagatores, lucifugæ, totius honeſtæ vitæ de induſtria inimici, qui vt gutturis libidinem obtegant, innumerabilibus ſe alijs vitijs inuoluunt, qui cum ſpecie quidem inter ſaluos eſſe videantur, re uera inter perditos numerandi ſunt. Hæc fuit, quæ Adæ interitum, & poſt ipſum etiam vniuerſæ illius poſteritati exitium apportauit. Gutturis libido ea eſt, per quã ludibrio habetur Noe: per hanc primogenita amittit Eſau, & cum Cananæis affinitate coniungitur. Loth ſe cum filiabus miſcet, idem ſuiipſius gener factus ac ſocer: & qui parens antea modo, vir etiam poſtea efficitur, & auus parens, vtrinque in præſcriptos a natura hominibus fines petulanter proteruus. Hæc Iſraelitas induxit, vt ſimulachrum adorarent: ijſdem cauſa fuit, quamobrem in illa ſolitudinis vaſtitate omnes occubuerint. Hæc Prophetã, qui adeo ad obiurgandũ ſceleſtũ regem fuerat miſſus, feræ beſtiæ deuorandum obiecit: & de quo vniuerſo regio ſuo apparatu Ieroboã rex pœnas ſumere non potuerat, is gutturis fraude implicatus, miſerabili admodum morte cõſumit. Quid Daniel vir deſideriorũ? nonne quòd gutturis libidinem compreſſerit regno potitur Chaldæorũ? Nonne ſimulachra demolitur, & draconem interimit, & leonum pædagogus efficitur, idoneusq; habetur, qui Deum humana ſe forma induturũ prænuntiet, & abſtruſa myſteria palam edat in vulgus? Quid? nonne edomita gulæ libidine tres innocentes illi adoleſcentuli regiã irã pro nihilo duxere? & horrificã illã fornacẽ Nabuchodonoſor regis iuſſu ſuccenſam intrepidi contẽpſere? & ſtatuã illã aureã, quam pro Deo coli ille iubebat, futilem ac nullius prorſus pretij eſſe docuere? et quæ non niſi longo tẽporis ſpatio fabricari potuerat, eam repentino aſportatam, opimũ Domino ſuo ſpolium attulere? ijdemq; effecere, vt rex ipſe infenſiſſimus vnà cum vniuerſo ipſius, quem aduerſus Deum copiarũ inſtruxerat, apparatu, vniuerſaq; rerum natura, mirificis eum laudibus efferrent? Si gulam igitur in officio continueris, paradiſum habitabis: ſin minus, hoc tibi perſuade, pabulum te mortis futurum.

De ſeptimo ſiue vltimo capitali vitio, videlicet luxuria. C. XX.

PRO notitia habenda vltimi capitalis vitij, eſt notandum, quòd ſecundum Apoſtolum ad Gal. 5. luxuria connumeratur inter opera carnis: & ſecundum beatum Thomam 22. q. 153. art. 3. dicimus, quòd quanto aliquid eſt magis neceſſarium, tanto magis opus

opus eſt, vt circa illud rationis ordo ſeruetur: quod ſi non fiat, magis erit vitioſum. Modo cum vſus venereorum ſit valde neceſſarius pro bono cõmuni, ſiue pro conſeruatione generis humani, ideo circa tale maxime attendi debet rationis ordo: & per conſequens, ſi quid circa hoc fiat præter rationis ordinem, vitioſum erit: ſicut fit in vitio luxuriæ, quod ordinem & modum rationis excedit circa venerea: & pro tanto dubio procul peccatum erit. Et licet ſemen ſuperfluum ſit ſecundum Philoſophum in lib. de generatione animalium, ex eo quòd reſiduum eſt operationis virtutis nutritiuæ, neceſſariũ tamen eſt ad opus virtutis generatiuæ. Ex eo igitur quòd aliquis inordinate ſuo corpore vtitur per luxuriam, iniuriam facit Deo, qui eſt principalis dominus corporis noſtri. Beatus Gregorius 31. lib. moral. hoc peccatum connumerat inter vitia capitalia. Cuius ratio eſt: quia vitium capitale eſt, quod habet finem multum appetibilem: & in tantũ, quòd eius appetitu homo procedit ad multa peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio, tanquam ex principali oriri dicuntur. Finis autem luxuriæ eſt delectatio venereorũ, quæ eſt inter corporales maxima: & ex conſequenti maxime ſecũdum appetitum ſenſitiuum appetibilis, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem huiuſmodi cõcupiſcentiæ: propter quod manifeſtum eſt, quòd luxuria eſt vitium capitale. Progreſſus huius vitij per ſeptem gradus fit, quorum primus eſt ſenſualis complacentia. Pro cuius gradus declaratione notandum eſt, quòd quando quis cogitat turpia volũtarie, ſiue ad pœnitendum de his quæ geſſit, ſiue ad intelligendum vel docendum materiam de turpibus, vt deteſtetur, tunc nullum peccatum eſt. Quando vero inuoluntarie occurrit cogitatio turpis de otioſitate mentis, vel curioſitate, aut ex geſtis per eum, vel per ſuggeſtionem dæmonis, & aliqualiter delectatur, & ſibi in ea complacet, cum diſplicentia tamen rationis, ibi eſt peccatum veniale. Vnde Apoſtolus ad Rom. 7. Non quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, hoc facio. Vbi loquitur de malo concupiſcentiæ, & complacentia ſenſualitatis, quod frequenter patitur animus in cogitationibus turpibus: & licet odiat ſecundum rationem, illud tamen patitur in ſenſualitate: & talis complacẽtia ſignificari poteſt per eſum ligni vetiti ab Eua. Quod oſtendit hoc modo Gregorius dicens: Suggeſtio peccati fit per diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum, ideſt rationem. Quia primo ſerpens culpam ſuggeſſit: Eua poſtmodum velut caro ſiue ſenſualitas delectata eſt: & Adam vt ſpiritus conſenſit: & paulo poſt. Cum enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla delectatio peccati ſequa-

tur, peccatum omnino perpetratum non eſt: cum vero caro delectari cœperit, peccatum iam naſci incipit: ſi vero ex deliberatione conſentit, tunc peccatum cōcipitur in animo. In ſuggeſtione peccati ſemen eſt, in delectatione fit nutrimentum, in conſenſu perfectio. Sæpe enim cōtingit, vt quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitationibus, caro trahat in delectationem, non tamen animus, id eſt ratio eidem cōſentiat. Et cum caro ſine animo delectari nequeat, ipſe tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali adeo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat, & ligatum vehementer ingemiſcat. Propter quod idem Apoſtolus dicebat: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Liber erat ex iuſtitia, captiuus ex delectatione, quam portat inuitus: hæc Gregorius. Et habetur diſt. 6. Teſtamentum in palea &c. Hæc perpetua corruptio ſenſualitatis in carne ſecundum beatum Thomam pri. 2. q. 74. art. 3. intelligenda eſt quantum ad fomitem, qui numquam totaliter tollitur in hac vita. Tranſit enim originale peccatum reatu, & remanet actu, quo ſcilicet ad inclinationem ad malum: licet talis corruptio non impediat taliter voluntatem, quin poſſit reprimere inordinatos motus ſenſualitatis diuertēdo cogitationem ad alia. Secundus gradus eſt moroſa delectatio, de qua Iere. 4. Vſquequo morabitur apud te cogitatio noxia? quæ vt dicitur ſapientiæ pri. ſeparat hominem a Deo: nullum modo peccatum ſeparat a Deo, niſi mortale. Vnde Auguſtinus 12. de trinitate inquit, quòd totus homo damnabitur per huiuſmodi, quæ ſine voluntate operādi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, niſi per gratiam Chriſti remittātur. Et vt prædicta melius intelligantur, inquit diuus Thomas vbi ſupra, art. 8. quòd aliquis de vitio carnali cogitans, poteſt de duobus delectari. Vno modo de ipſa cogitatione: alio modo de vitio cogitato. Delectatio de cogitatione ipſa ſequitur inclinationem affectus in ipſam cogitationem. Cogitatio autem ipſa ſecundum ſe non eſt mortale peccatū: ſed quandoque veniale, vt cum quis inutiliter cogitat de ea: et quandoque nullum peccatum, vt quando de ea cogitat, quia vult populo proponere. Eodem modo dicendū eſt de conſenſu in talem cogitationem, quia non eſt mortale peccatum. Quando vero quis de peccato carnali aliquo, vtputa fornicatione delectatur in ipſo actu cogitato ex deliberatione, eſt mortale, vt inquit idem Thomas vbi ſupra. Tertius gradus eſt conſenſus in actum turpem, qui eſt mortale. Vnde Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, fornicationes, adulteria:

ria: & hæc coinquinant hominem macula ſcilicet mortali,vt quando deliberate ſunt dictæ cogitationes. Et tunc ſecundum Auguſtinum dicitur Adam figuratiue comediſſe pomum, ideſt ratioñe ſuperiorem conſenſiſſe. Pro quo adhuc notandum, quòd cum peccatum cogitationis mortale ſit eiuſdem rationis cum opere exteriori perpetrato,licet differant ſecundum imperfectum & perfectum ſecundum Thomam vbi ſupra, q.75. Sicut tenemur confiteri peccata mortalia operis non ſolum in genere, ſed & in vltima ſpecie, (nõ enim ſufficit dicere ſe perpetraſſe luxuriam, ſed oportet quòd exprimat ſpeciem illius,vtputa ſimplicem fornicationem,aut adulterium, vel huiuſmodi) ſic & peccata cogitationis pari modo deliberate. Nec ſufficit confiteri ſe habuiſſe cogitationes turpes cum conſenſu in opus, ſed oportet quòd exprimat materiam ipſarum, videlicet ſi erga coniugatam,aut ſolutam:& idem iudicium habeatur de cogitationibus moroſis, vt videlicet exprimatur qualitas perſonarum, erga quas animus verſatus eſt. Quartus gradus eſt aſpectus libidinoſus, de quo Matth.5. Qui viderit mulierem ad cõcupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Vbi Auguſtinus,quòd ſolo viſu cum turpiter innupta concupiſcitur,adulterium perpetratur, vt habetur 32.q.5.c. Qui viderit; vbi ſumitur adulterium improprie pro ſimplici fornicatione ſecundum gloſ. Vnde Auguſtinus in Regula. Non dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Non dixit ſaluator ſimpliciter, qui viderit mulierem, ſed cum additione, ad concupiſcendum. Nam poteſt quis aſpicere mulieres aut a caſu ſine præmeditatione, aut ex cauſa rationabili: vt ſcilicet cognoſcat eam in effigie, & diſcernat ab alijs:aut vt attentiorem reddat, ſi loquitur de vtilibus: aut vt conſiderans vanitatem ornatus poſſit melius reprehendere: aut ex quodam honeſto amore: & in his omnibus nullũ eſt de ſe peccatum. Aut poteſt eam conſiderare, vt ex pulchritudine creaturæ exurgat in laudem creatoris ſecundum illud Pſal.91.Delectaſti me Domine in factura tua: quod eſt tantum perfectorum: licet imperfectis periculoſum eſſet, vel ex quadam curioſitate,vt ſciat formam eius,vel ornatum earum, quadam ſenſuali complacentia de eius pulchritudine: ſicut mulieres de Aegypto aſcendebant per murum, vt viderẽt tranſeuntem Ioſeph pulcherrimum, quod ſine veniali peccato non eſt. Aut poſtremo vt libidinoſe inardeſcat in cõcupiſcentiam eius: & hoc eſt aſpicere ad concupiſcendum, quod eſt mortale: Et quod dictum eſt de viro aſpiciente mulierem,idem dicendum eſt de muliere aſpiciente virum, Quintus gradus eſt turpis confabulatio,de

quo pri. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Et ad Eph. 5. idem Apoſtolus locutionem turpium appellat ſtultiloquiū: & connumerat inter mortalia, dicens. Omnis autē fornicatio, aut immunditia, aut ſtultiloquium nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: cum tales non habeant hæreditatem in regno Chriſti, a quo nullus adultus excluditur, niſi propter mortale. Et nulli dubium, quin ille, qui dicit verba turpia & laſciua, non ex quadam leuitate ad ſolatium, & abſque proximi ſcandalo, ſed hac intentione, vt ſe vel alium prouocet ad luxuriam, aut vt delectetur voluntarie in locutione & cogitatione turpium extra matrimonium, peccet mortaliter. Idem videtur dicendum de facientibus vel cantantibus cātilenas plenas laſciuijs: & eo magis quando ibi miſcentur nomina Dei & Sanctorum, quod pertinet ad notabilem irreuerentiam eorundem: ſimiliter & de audientibus talia eadem intentione. Mediatores etiam in huiuſmodi turpibus, qui portant ambaſciatas ſiue literas, aut ſimilia perſuadent, peccant eodem modo mortaliter. Quia vt dicit Apoſtolus ad Rom. pri. non ſolum ſunt digni morte, qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus. Sextus gradus eſt libidinoſa contrectatio, quæ fit per oſcula, amplexus, cōtactus manuum, vel aliarum partium corporis, quam Apoſtolus vocat turpitudinem cum ait. Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo nec nominetur in vobis: vbi gloſ. turpitudo in oſculis, amplexibus, & huiuſmodi: quæ omnia ſunt mortalia, quando ſcilicet fiunt ex libidine extra matrimonium, cum tales non habeant hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Et pro maiori prædictorum declaratione dicit ſanctus Thomas 22. q. 154. art. 4. quòd aliquid poteſt eſſe mortale peccatum dupliciter. Vno modo ſecundum ſpeciem ſuam: & hoc modo oſculum, amplexus, vel tactus ſecundum ſuam rationem non ſunt mortalia, cum poſſint fieri abſque libidine & peccato propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, vel propter rationabilem cauſam. Propter conſuetudinem patriæ Iacob patriarcha oſculatus eſt Rachelem adoleſcētulā amore caſto, & vt conſanguineam. Neceſſitas etiam quandoque compellit medicum in infirmitate tangere etiam ſecreta naturæ. Cauſa quoque rationabilis excuſat, vt quādo datur pacis oſculum in Eccleſia: & hæc omnia de ſe peccata non ſunt, ſed ſolum per accidēs ex mala ſcilicet intentione. Alio modo dicitur aliquid peccatum ex ſua cauſa, vt in illo qui dat eleemoſynam, vt inducat aliquem in hæreſim, qui mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Cum igitur dicta oſcula, amplexus, & tactus fiunt propter delectationem extra matrimoniū habēdam, ſunt mortalia: & qui permittit

talia

tália ſibi fieri ab eo,quem credit ad hoc moueri libidinoſo amore, etiam mortaliter peccat. Vnde Beda ſuper illud, Qui viderit mulierem &c. inquit,quòd viſus ſumitur ibi pro omni motu ad delectationem veneream, ſcilicet extra matrimonium. Et vt Vlricus concludit in ſua ſumma,tenendum eſt omnino,quòd iſta ſint mortalia,non tanquam opinio, de qua aliter ſentire liceat,ſed tanquam veritas ad fidem pertinens, ſicut omnia quæ pertinent ad bonos mores. Et qui pertinaciter aſſereret contrarium, eſſet hæreticus, cum faceret contra ſcripturam a Sanctis expoſitam. Vltimus gradus iſtius vitij eſt libidinoſi operis conſummatio: de quo Apoſtolus ad Gal.5.Manifeſta ſunt opera carnis,quæ ſunt fornicatio,adulterium, immunditia, impudicitia, luxuria: de quibus paulo poſt concludit, quòd qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Figuratur autem hoc opus luxuriæ, ſicut & quodlibet aliud mortale opere commiſſum,per adoleſcentem mortuum extra portam delatum. Operi autem peccati addit beatus Auguſtinus aliū gradum, ſcilicet aſſuefactionem, figuratam per Lazarum ſepultum, de pœnitentia diſt. 2. c. Sicut: Et beatus Gregorius in moralibus, alium, ſcilicet obſtinationem in ipſo peccato: et hoc per excuſationes ſuas, & adulationem aliorum, figuratum per quartum mortuum Chriſto nuntiatum, ſed non reſuſcitatum. Hoc capitale vitium multa cauſatur incommoda. Primo enim conſumit temporalem ſubſtantiam, iuxta illud Prouerbiorum 29. Qui nutrit ſcortum, perdet ſubſtantiam. Exemplum habemus Lucæ 15. de filio prodigo, qui diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe. Secundo lædit mundi gloriam & famam. Vnde beatus Gregorius in moralibus inquit,quòd carnalia peccata ſunt magis infamia,quàm cetera peccata. Vnde Salomon, qui adeo glorioſus & famoſus in mundo fuit, vt omnes deſiderarent videre vultum eius, per luxuriæ tamen vitium deturpauit & offuſcauit omnem famam ſuam:de quo Eccleſiaſtici 43. Inclinaſti femora tua mulieribus: poſuiſti maculam in gloria tua. Tertio perdit vitam: vnde quidam ſapiens dictum vitium deſcribens,inquit. Luxuria eſt inordinata carnis petulantia,dulce venenum, importuna lues, pernicioſa potio, quæ corpus humanum debilitat,& virilis animi robur eneruat. Et Seneca, Plures occidit voluptas, quàm gladius. Amon enim ex amore turpi luxurioſo infirmatus eſt grauiter ſecundi reg. 13. Filium ſimiliter præfecti romani, qui ob libidinem quam ſequi volebat, ſuffocatus eſt a diabolo, reſuſcitauit Agnes ſanctiſſima, vt ſcribit beatus Ambroſius in legenda dictæ ſanctæ. Quarto tollit mentalem intelligentiam,de qua Pſal. 57. Supercecidit ignis, (ſcilicet lu-

xuriæ)

xùriæ) & non viderunt ſolem, ideſt lumen rationis. Vnde de ſenibus luxurioſis dicitur Danielis 13. quòd auerterunt oculos ſuos, ſcilicet mentis, ne viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. In cuius figura ſcribitur Iudicum 16. quòd Sampſon poſtquā adamauit Dalidā deceptus ab ea, excæcatus eſt. Vnde Seneca in prologo declamans, ait: Nihil eſt tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria. Siquidem rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, & hominem quaſi beſtiam facit. Philoſophus enim in 6. eth. dicit, quòd intantum actus ille venereus rationem abſorbet, quòd impoſſibile eſt aliquid clare & diſtincte intelligere in tali delectatione. Quinto perdit quietem mentis & munditiam. Vnde Hier. contra Iouinianum: Amor formæ mulieris rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus, minimeq; conueniens animo ſapientum, altos & generoſos ſpiritus frangit, & de altiſſimis cogitationibus ad humillimas detrahit, queruloſos, iracundos, temerarios, dure imperioſos, & ſeruiliter blandos facit: & cum fruendi cupiditate inſatiabili flagrat, plura tempora lachrymis & quæſtionibus perdit, corporis munditiam tollit. Quod inſinuat Apoſtolus pri. Cor. 6. dicens: Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus ſuum eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat propter immunditiam & hebetudinem mentis. Sexto priuat gratia: tollit enim gratiam omnis virtutis, gratiam ordinis, gratiā gratis datam. Non requieſcet, ait Dominus Noæ, ſpiritus meus, ideſt gratia Spiritus ſancti, vnde procedunt virtutes in homine in æternum: quia caro eſt, Geneſis 6. ideſt, carnalis & luxurioſus. In cuius figura præcepit Dominus, quòd ſcabioſus non accederet ad miniſtrandum in templo: quod exponēs Gregorius dicit, ſcabiem ſignificare luxurioſum corpore: Scabies enim procedit in corpore ex ardore nimio interiori: & hernioſum luxuriam mentis: tales enim non debent ordinari, diſt. 49. cap. Hinc etenim. Vnde Gregorius in lib. dialogorum inquit: quòd cum prædicantibus veritatem fidei fuiſſent abſciſſæ linguæ a Gothis infidelibus, ita miraculoſe loquebantur, ac ſi habuiſſent linguas ipſas. Vnus tamen eorum propter lapſum carnis, ſubito tale amiſit donum. Vltimo perdit animam, & corpus in perpetuum ignem collocat, niſi de immunditia in vita pœniteat. Vnde Apoc. penultimo dicitur: Fornicarijs, mendacibus, veneficis, & homicidis pars illorum in ſtagnum ignis & ſulphuris. Et beatus Iudas cap. 1. Subintroierunt quidam homines impij, gratiam Dei noſtri in luxuriam transferentes: quorum ciuitates factæ ſunt in exemplū, ignis æterni pœnā ſuſtinentes.

ſuſtinentes. Et pri. Cor. 3. dicitur: Qui violauerit templum Dei, ideſt animam per luxuriam, diſperdet illum Deus, & tradet in gehennam ignis. Et quia de ſingulis ſpeciebus eius in tractatu noſtro de præceptis diffuſe diſſeruimus, ideo eas hic prætermittimus. De ſimplici fornicatione vide vbi ſupra cap. 23. de adulterio cap. 22. de ſacrilegio, inceſtu, ſtupro, & raptu, & vitio cõtra naturã cap. 24. in tractatu noſtro de eiſdẽ p̄ceptis. Sãctus Bonauẽtura in tractatu de reformatione mentis ponit 7. remedia, ſine quibus continentia diu non poteſt ſubſiſtere. Primum eſt, vt vir fœminarum, & e conuerſo fœmina virorum incautam familiaritatem deuitet. Vnde Ecci. 42. A ueſtimento procedit tinea, & a muliere iniquitas viri: Diabolus enim cum duos carbones coadunauerit, afflat, donec eos accẽdat. Vnde Bernar. Cum fœmina ſemper eſſe, & fœminam non cognoſcere, hæc ego magis reputo, quàm mortuos ſuſcitare. Diabolus enim in principio incautæ familiaritatis occultat laqueos tentationis carnalis. Vnde dicit Scriptura: Nunquid aliquis poteſt ambulare ſuper prunas, & non comburentur plantæ eius? aut ignem ponere in ſinu ſuo, & non comburentur veſtimenta eius? Mulier & vir ſunt tanquam ignis & palea, ideo ſi approximentur, ſequitur combuſtio. Super quæ verba dicit beatus Hier. quòd nũquam efficieris victor, niſi fugiens. Secundum eſt vitare ſocietatem & contubernium luxurioſorum, ne exemplo eorum ad ſimilia pertrahatur. Vnde Ecci. 19. Qui ſe iungit fornicarijs, nequam eſt. Et hæc eſt præcipua cauſa, quare multiplicata ſunt mala in Eccleſia, mala ſcilicet conformitas, dum quilibet vult alios imitari, cum non audeat aliter viuere, quàm illi, cum quibus conuerſatur: ex malo pudore timens alijs videri diſſimilis: quia tepor & carnalis libertas gaudet ſe habere occaſionẽ & quandam excuſationem apud homines agendi quodlibet, etiam ſi non liceret. Tertium eſt corpus non delicate nutrire. Terra enim corporis noſtri, quæ ex prima maledictione ſpinas & tribulos vltro ſatis germinat, ſi fuerit impinguata delicijs, tanta erit ſpinarum denſitas, quòd ſemen verbi virtutis in nobis penitus ſuffocabitur. Vnde Prouer. 29. dicitur: Qui delicate nutrit ſeruum ſuum in ſua iuuentute, poſtea ſentiet eum contumacem. Vnde Gregorius ſuper illud Matth. 6. Sufficit diei malitia ſua, inquit, concupiſcentiæ ſcilicet naturalis: quæ ſi ceperit accipere adiumenta ab his, qui perpetuum ſuſcipiunt bellum aduerſus eius oblectamenta, fiunt duo contraria vni, vt innata carnis concupiſcentia, & prouocatrix voluptas deliciarum. Vnde Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſaturitas panis, otium &c. Hoſtem enim ſuum armat, qui carnem ſuam fouet

delicijs

delicijs vltra neceſſitatem debitæ ſuſtentationis: quod autem hoſti præſtas, tibi nocet. Quartum eſt otium fugere, quod eſt præcipuus animæ inimicus, de quo Ecci. 33. Multam malitiam docuit otioſitas. In deſiderijs eſt enim omnis otioſus: occupatus ab vno dæmone impugnatur, otioſus autem innumeris dæmonibus vaſtatur: quia quot cogitationes & deſideria mala in corde verſat, tot inimicorum iaculis vulneratur. Otia enim ſi tollas periere Cupidinis arcus. Quintum eſt exteriores ſenſus ab illicitis cuſtodire, qui ſunt quaſi feneſtræ animæ, per quas mors peccati intrat, quaſi fur vel corruptor continentiæ noſtræ. Dauid enim non reſpexit vxorem Vriæ, quia eam prius concupierat: ſed ideo eam concupiuit, quia eam incaute reſpexit. Dina etiam quãdo curioſitatis gratia egreſſa eſt videre mulieres regionis illius, corrupta eſt Gen. 34. Sextum remedium eſt, interius reprimere cogitationes prauas, & affectiones carnales, quæ ſunt inimici domeſtici: quorum fraude vrbs mentis hoſtibus traditur, ſi non bene cuſtodiatur. Vnde ſapientiæ 1. dicitur: Peruerſæ cogitationes ſeparant animam a Deo. De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria &c. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem Matth. 15. Et hac de cauſa dicitur Prouer. 4. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. Septimum & vltimum, eſt frequens ſtudium orationis & deuotionis. Vnde ſapiens ait ſapientiæ 8. Vt ſciui, quia non poſſum aliter eſſe continens, niſi Deus dederit, adij dominum, & oraui ex totis præcordijs, & exauditus fui. Et ideo ſemper orandum eſt, (cum ſine ipſius auxilio nihil poſſumus facere) vt ratione gratiæ ſuæ extinguat in nobis ignem concupiſcentiæ. Vnde diuus Bonauentura vbi ſupra inquit, quòd ipſa orationis virtus eleuat mẽtem ſupra ad Deum, purificat eius affectiones, deſideria caſtigat, mentem illuminat, & Dei amorem infundit: qua etiam generatur quidam horror peccati & deteſtatio carnalis voluptatis, & voluntas roboratur contra tentationes, & ipſæ tentationes debilitantur, vt facilius deuincantur. Vnde Bernardus ad ſororem ſermone 22. de mente ſancti Iſidori ait: Quidam in iuuentute luxurioſe viuentes in ſenectute continentes fieri volunt: & tunc eligunt caſtitatem ſeruare, quando eos luxuria ſeruos habere contempſit: tales non habent præmium, quia non habuerunt laboris certamen. Eos vero expectat gloria, quibus fuerunt glorioſa certamina: caſtitatis enim fructus eſt ſuauitas. Caſtitas eſt pulchritudo inuiolata ſanctorum, caſtitas ſecuritas eſt mentis & ſanitas corporis. Luxuria vero carnem debilitat, fractaq; celeriter ducit ad ſenectutem: longa caſtitas pro virginitate reputatur. Continentes autem & caſte viuentes

tes Deo in ſemetipſis præparant habitaculum : de quibus Apoſtolus ait, quòd caſte viuentes templum Dei ſunt, & Spiritus ſanctus habitat in eis. Vnde virgines principalem locum tenent in regno Dei, & non immerito. Quia contempſerunt præſentem mundum, ideo peruenerunt ad cæleſte regnum: ad quod nos perducere dignetur ille, in cuius ſeruitio corpus noſtrum & animam conſecrauimus.

FINIS.

DIFFERENTIARVM PECCATORVM.

IN PRAECEDENTIBVS NOS CLEMENS PRAEfatus Cardinalis Aracæli abſoluimus tractatum de peccatis & differentijs eorundem ab inuicem:In hoc vero diſſeremus de euangelicis conſilijs:primo in generali,quo modo diſtinguantur a præceptis:poſtremo vero de ſingulis eorundem in ſpeciali.

CAPVT PRIMVM.

CONSILIVM prout diuiditur contra præceptum,eſt perſuaſio melioris boni, ad quod de neceſſitate nō tenemur. Vnde Ambroſius lib. 10. epiſtola 82. inquit: Conſilium inuitat voluntarios: præceptum vero aſtringit etiam inuitos. Vbi præceptum eſt, ibi lex: vbi conſilium, ibi gratia. Quibus aſſipulatur Hieronymus libro primo contra Iouinianum,& ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, dicens: Vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: vbi præceptum, neceſſitas eſt ſeruientis: maioris (inquit) eſt mercedis,quod nō cogitur,ſed offertur. Lex vetus dat præcepta: euangelium vero ſuperaddit conſilia.Conſilium etiam ad perfectos pertinet: præcepta ad perficiendos: permiſſio ad imperfectos: prohibitio ad peruerſos. Præcepta quoque ſeparant nos ab illicitis,conſilia vero a conceſſis. Per præcepta declinamus peccata, per conſilia vero occaſiones peccatorum. Per præcepta præcipue negatiua pœnam vitamus, per conſilia præmium nobis cumulamus. Conſilia obſeruata mercedem afferunt: ſed non obſeruata nullum adducunt ſupplicium. Ad præcepta obligamur ex debito, ad conſilia non niſi ex voto. Conſilium per votum fit præceptum,ſicut ait beatus Auguſtinus. Vnde licet vouere ſit voluntatis, reddere tamen eſt neceſſitatis. Melius eſt enim nuda præcepta ſeruare cum deuotione, Eccleſiaſtes 5. quàm ſe ad conſilia obligare, & in his obſeruandis negligentem ſe exhibere. Pro quo notandum, quòd in lege Moſaica Exo. 18.Leuit. 10. & Deut. 4. fuerunt iudicialia, cæremonialia, & moralia. Lex autem euangelica iudicialia temperat, partē auferendo: figuras euacuat,rerum veritatem exhibendo: præcepta conſummat, adijciendo. Adijcit autem tria, inſtructionem videlicet documentorum, promiſſionem præmiorum, & perfectionem conſiliorum Matth. 5. lex enim euangelica in multis legi Moſaicæ anteponitur ſecundum dominum Alexandrum Alenſem. Addita enim lege Moyſi ad naturalem,non erat ſufficiens hominis ordina-

tio. Et ratio eſt, quia in lege erat elementum ſermonis Dei ad ordinandum hominem: in euangelio eſt ſermo perfectus, ad Hebræos 5. Indigetis, vt doceamini quæ ſunt elementa exordij ſermonis Dei. Et Hugo de Sancto victore in libro de ſacramentis hæc tria diſtinguit, videlicet elementum, exordium, & ſermonem. In elementis eſt ſonus, ſed non ſenſus. Dictiones exordia ſenſuum ſunt: vnde & dictiones dicuntur quaſi iam aliquid dicentes: & ſunt primæ orationis partes, in quibus eſt ſenſus incompletus. In ſermone vero ſenſus eſt perfectus. Cum ſcriptura inquit, quòd caro porcina non eſt comedenda, hoc eſt elemẽtum. Cum poſt addit, Non mœchaberis, exordium. Nouiſſime cum ſubdit, Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo Matth. 5. eſt completio. Præcepta igitur ad tempus ſuperaddita, elementa fuerunt: præcepta decalogi, exordia: mandata vero euangelij, ſermo. De hac euangelij lege habetur expreſſe Deut. 18. Suſcitabo prophetam in eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Idem habetur Ierem. 31. Et licet in lege ſit præceptum de dilectione, non tamen eſt ibi ſecundum perfectam amoris rationem, cũ in ea ſit amor debitus, in euangelio vero gratuitus.

An lex Euangelij ſit eadem cum lege naturæ, & cum lege Moyſi. Cap. II.

QVOAD primum, videlicet, an lex noua ſit eadem cum antiqua, reſpondemus ſecundum ſententiam D. Alexandri in 3. parte ſuæ ſummæ, quòd ſicut natura ordinatur ad gratiam, ita lex naturæ ad legem euangelij: & adueniente euangelio non aufertur lex naturalis, ſed perficitur. Verbi gratia, lex naturalis dicit, quòd diligendus eſt Deus, quia beneficus, & quia creator: euangelium vltra hoc docet eum eſſe diligendum, quia bonus & redemptor. Lex naturalis dictat, quòd eſt diligendus proximus, quia homo, & in ſpecie conformis: lex vero gratiæ dictat eum diligendum, quia filius, & Dei imagine inſignitus: ſimiliter quia nobiſcum ab eodem redemptus. Ex quibus patet, quòd non eſt omnino eadem lex naturalis, & euangelium. Prima tamen ordinatur ad euangelium, ſicut ad ſuam perfectionem. Si dicatur, quòd videntur eadem, ſaltẽ in hoc, quòd eodem modo lex euangelica ſcripta eſt intus in corde, ſicut naturalis ad Rom. 2. reſpondetur, quòd verum eſt, ſed differenter. Eſt enim inſcriptio debiti faciendi ſecundum dictamẽ

inditum conſcientiæ & rationi ab ipſa conditione, eadem apud omnes: & eſt inſcriptio impreſſa cōſcientiæ ex fide ſeu iuſtificatione apud credentes. Prima eſt lex naturalis, ſecunda euangelica. Prima eſt a natura indita, ſecunda ex gratia ſuperaddita, ad Rom. 1. Euangelium eſt virtus Dei, in ſalutem omni credenti. Sicut igitur lex naturalis eſt eadem apud omnes homines, ita & euangeliū apud omnes credentes. Quantum ad ſecundum, videlicet, an euangeliū ſit idem cum lege Moyſi: reſpōdetur, quòd eſt idem in ratione generali & vniuerſali: diuerſum in ratione propria. Vnde Auguſtinus contra aduerſarium legis & prophetarum lib. 1. cap. 17. inquit. Qui recte colit Deum, profecto vtriuſque teſtamenti inuenit vnum Deum, & eiuſdem vnius Dei in vtroque diligit bonitatē, & in vtroque metuit ſeueritatem. Ratio communis eſt in comparationem ad efficientem, ad finem, & ad ſenſum. Vnus eſt ergo legiſlator legis & euangelij Deus Iacobi 4. vnus finis, ſcilicet Chriſtus. Vnde Auguſtinus vbi ſupra lib. 2. cap. 7. Finis legis quis eſt? Ad hoc non ego, ſed ipſe Apoſtolus reſpondeat. Finis (inquit) legis Chriſtus ad iuſtitiā omni credenti ad Rom. 10. Finis perficiens, non interficiēs. Finis quippe dicitur, propter quem fiunt omnia, quæcumque aliquo fiunt officio. Nam inter officium & finem hoc intereſt: quòd officium eſt in his, quæ facere debemus: finis propter quem facimus. Vnus eſt etiā ſenſus, quia vna vniuerſalis veritas. Vnde Gregorius ſuper illud Ezechielis, Rota erat in rota, ait: Quod enim prædicat lex, euangelium exhibet. Sunt tamen in proprijs rationibus leges diuerſæ: & hoc multipliciter, videlicet, vel per comparationem ad efficientem, vel per comparationem ad finem, vel ad ſententiam. Per comparationem ad efficientem: quia lex data eſt per hominem purum: euangelium per Chriſtum Ioannis primo: lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Per comparationem ad finem etiam differunt: quia finis illius eſt declinare a malo per timorem: finis euangelij principalis per amorem. Vnde Auguſtinus vbi ſupra: Teſtamentum nouum differt a veteri: quia ibi vetus homo formidinis coarctatur anguſtijs: in euangelio vero ſpatiatur homo latitudine charitatis. Differunt tertio per ſententiam: quia ibi veritas in figura eſt & vmbra: hic in exhibitione. Vnde Auguſtinus de concordia Euangeliſtarum, ait: Quod lex & prophetæ prænuntiarunt, hoc completum in euangelio demonſtratur. Ceterum ibi eſt veritas per inchoationem, hic ſecundum perfectionem, Matth. 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Ex ſupradictis concludimus, quòd vtraque lex vnū ſunt in ratione com-

muni,differunt in ꝓpria:& hoc,quia illa data eſt populo carnali,iſta ſpirituali : illa paruulis,iſta perfectis : de quibus beatus Auguſtinus in libro de vera religione cap.7. Sapiens medicus alia præcepta dat infirmo per miniſtros, alia per ſe:ita Deus alia mandata dedit per Moyſen, alia per ſeipſum in euangelio.

Lex & Euangelium multis alijs etiam differunt modis. Cap. III.

PRO maiori declaratione differentiarum, quæ ſunt inter legem antiquam & nouam,eſt notandũ, quòd ſecundum Apoſtolum ſex aſſignantur differentiæ inter legem & euangelium. Prima ſecundum rationem virtutis, quæ eſt ſecundum forte & infirmum. Lex enim infirma eſt, Euangelium virtuoſum, ad Rom. 8. Quod impoſſibile erat legi,in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum miſit. De euangelio vero dicitur ad Rom. pri. quòd virtus Dei eſt in ſalutem animarum. Iuxta hanc differentiam ſumuntur nonnullæ aliæ: quia ratione virtutis euangelium dicitur iuſtificans: lex vero ratione infirmitatis minime, ad Rom.3. Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Vnde gloſ. ſuper illud ad Rom. 8. In quo lex infirmabatur, inquit: Infirmabatur lex per carnem, ideſt carnales obſeruantias,quæ non poterant iuſtificare. Et licet Dominus Hugo de Sancto victore videatur dicere, quòd in ſacramentis antiquæ legis eſſet ſanctificatio : hoc tamen ſecundum dominum Alexandrum de Ales ſic exponitur : quòd aliud eſt ex illis eſſe ſanctificationem, aliud in illis. Ex illis enim dicit cauſam,in illis vero concomitantiam. Et concludit, quòd non ex illis, ſed in illis erat ſanctificatio. Et quando idem Hugo ſubdit, quòd in illis erat virtus ſanctificationis, diſtinguit idem dominus Alexander, quòd eſt duplex ſanctificatio, quædam carnalis,& quædam ſpiritualis.Prima eſt liberatio a pœna peccati, quam quis incurrebat, ſi præceptum contemnebat: Spiritualis vero ſanctificatio & emundatio a macula peccati, erat in anima. Carnalis igitur erat in ſacramentis legalibus.Vnde gloſ.ad Hebr.9.ſuper illud,Sanguis vitulæ aſperſus ſanctificat ad emundationẽ carnis, inqt : Inquinatos cõtactu mortuorum ſanctificat: quia a peccato mũdat,ideſt a pœna,valẽs ad emundationem non animæ,ſed carnis. Lex etiam Moyſi dicitur lex literæ:& hoc propter infirmitatem, qua demonſtratur peccatum : ſed non confert adiuuãtem ſpiritum,vt inquit beatus Auguſtinus. Lex vero euãgelij,dicitur lex ſpiritus ratione virtutis:quia præſtat adiuuantem ſpiritum,hoceſt gratiam ad euitandum peccatum, & ad fa-

ciendum

ciendum bonum,ad Rom. 8. Lex ſpiritus vitæ, vbi gloſ. lex Chriſti liberauit me. Duæ igitur leges bonæ ſunt: lex fidei, quæ peccatum tollit: & lex Moyſi, quæ peccatum oſtẽdit. Lex quoque Moyſi propter infirmitatem dicitur lex oneris & difficultatis, in cuius figura Exo. 17. dicitur, quòd manus Moyſi erant graues. Lex euangelij ratione virtutis dicitur lex ſuauitatis & leuitatis, Matth. 11. Iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue. Epilogando igitur dicimus,quòd ex infirmitate legis eſt, quòd per ipſam non eſt iuſtificatio a culpa,non præſtatur adiuuans gratia,& cũ difficultate fit operatio bona. E contrario ex virtute euangelij eſt iuſtificatio a peccato, præſtatur adiuuans gratia, & cum facilitate operatur bonum. Secunda differentia principalis inter legem & euangelium, eſt ſecundum veritatem: quia in lege eſt veritas velata, in euangelio reuelata, ſecundæ Cor. 3. Velamen in lectione Moyſi manet non reuelatum, quod in Chriſto euacuatur: vbi ſubditur. Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculãtes, in eandem imaginẽ transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini ſpiritu. In lege etiam fuit veritas vt vmbra: in euangelio vt imago, ad Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum, non ipſam imaginem. In lege quoque erat veritas promiſſionis, in euangelio vero exhibitionis. Vnde Gregorius ſuper primum Ezechielis ſuper illud, Rota in rota, dicit: Quod prædicat lex,hoc exhibet euangelium. Et Auguſtinus in quæſtionibus noui & veteris teſtamẽti: Ante promiſſio erat, videlicet in lege: poſt vero fit gratia in euangelio. Verum lex dicitur eſſe velata quoad malos, habet vmbrã quoad bonos perficiendos,& veritatem in promiſſione quoad perfectos. Tertia differentia legis & euangelij, eſt in ratione ſeueritatis: quia illa dicitur lex iræ, euangelium lex miſericordiæ,ad Rom. 4. Lex iram operatur: gloſ. vt reos faceret temporali pœna. Samaritanus vero infudit vinum & oleum: vinum, auſteritatem ſcilicet legis: oleum vero, miſericordiam & lenitatem euangelij: & iuxta hanc differentiam lex Moyſi dicitur lex timoris, euangelium vero amoris. Vnde Auguſtinus contra Adimantum cap. 17. Breuiſſima differentia legis & euangelij,timor & amor. In hac etiam conſideratione lex Moyſi dicitur lex ſeruitutis, lex vero euangelij lex libertatis, ad Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum. Eſt ergo lex Moyſi lex iræ in comminatione ſeu pœnarum determinatione, lex timoris in affectione, & lex ſeruitutis in executione. Quarto differunt lex & euangelium in ratione bonitatis: quia lex Moyſi eſt lex imperfectioris boni, lex euangelij perfectioris, ad Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex:

& Matth. 5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere : vbi glos. implet Chriſtus legem, dum præmiſſis ad inchoationem vitæ agendæ ſuperaddit plura ad perfectionem moralium præceptorum. Item lex Moyſi eſt lex factorum, euangelium vero lex fidei ad Rom. 3. & ſecundum hunc reſpectum lex dicitur litera occidens, euangelium ſpiritus viuificans, vt habetur ſecundæ Cor. 3. vbi beatus Auguſtinus in de ſpiritu & litera cap. 14. ait, quòd Paulus per literam, quæ occidit, intelligit ipſum decalogũ in illis duabus tabulis ſcriptum : cum lex ſubintrauerit, vt abũdaret delictum ad Rom. 5. Dicitur quoque legem cõtinere præcepta non bona Ezech. 20. euangelium vero includit mandata ſancta. Vnde Iſidorus in libro differentiarum : Præcepta legis bona non ſunt euangelio comparata : quia in eis quædam inutilia infirmioribus ſenſibus agẽda permiſſa ſunt, vt libellus repudij. In tribus igitur maxime oſtenditur imperfectio legis : tum quia nõ prohibet mali cauſam, ſcilicet voluntatem : tum etiam ex hoc, quia inde imperfecti occaſionem ſumebant mali, propter quod dicitur litera occidens : tum poſtremo propter malorum quorũdam permiſſionem. Contraria vero ſupradictis oſtendunt euangelij perfectionem. Quinto differunt lex & euangelium in ratione remunerationis : quia in lege eſt promiſſio temporalium, in euangelio vero æternorum, ad Hebr. 7. Melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Chriſtus: vbi glo. melius eſt teſtamentum nouum, quàm vetus : quia meliora bona promittit, ſcilicet æterna : vetus vero temporalia, de quo Eſa. primo. Si audieritis me, bona terræ comedetis. In euangelio vero vita æterna Matth. 3. & 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum : & Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Vltimo ratione lationis differunt lex & euangelium : quia hoc eſt lex vniuerſalis, lex vero Moyſi particularis. Lex enim Moyſi ſemini Abrahæ data eſt ad Gal. 3. Abrahæ dictæ ſunt repromiſſiones, & ſemini eius. Euangelium vero datum eſt omnibus gentibus, Marci vltimo. Prædicate euangelium omni creaturæ : Et Matth. 18. Ite & docete omnes gentes.

Euangelium continetur in lege Cap. IIII.

PRO notitia habenda huius dubij, videlicet, an lex noua contineatur in veteri, eſt ſciendum : quòd eſt cõparatio euãgelij & legis ſecundũ figuralia, & ſecũdũ moralia. Primo modo, ſicut figuræ & figurati, ſeu ſigni & ſignati: ũde ſicut figuratũ eſt in figura, ſic

euangelium

euangelium eſt in lege. Vnde ſicut dictum eſt ſupra, ſecundum beatum Auguſtinum contra aduerſarium legis & prophetarum, nouũ teſtamentum in veteri eſt figuratum, & vetus in nouo reuelatum. Beatus quoque Gregorius ſuper illud Ezechielis, Rota in medio rotæ: Quid eſt enim, inquit, quòd Adam dormiente Eua formatur, niſi quòd Chriſto moriente Eccleſia formatur? Secundo modo ratione moralium: & ſic eſt comparatio legis ad euangelium, ſicut herbæ ad fructum, & perfectibilis ad perfectum. Vnde ſicut dicitur fructus eſſe in herba poteſtate, & non actu: ſic euangeliũ eſt in lege quantum ad moralia. Iſta ſimilitudo trahitur ex illo Marci, vbi dicitur: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi iaciat homo ſemen ſuper terram, & illud germinet & creſcat: vltimo vero terra fructificet, primo herbam, deinde ſpicam, poſtea plenum fructum in ſpica. Ita lex naturalis eſt ſicut ſemen, lex Moyſi ſicut herba ſupercreſcens, euangelium fructus. Et hoc eſt quod dicit gloſ. ſuper illud ad Rom. 5. Lex ſubintrauit &c. Data eſt lex in adiutorium humanæ naturæ: vt quia naturæ inſerta ſunt quodammodo iuſtitiæ ſemina, adderetur lex, cuius auctoritate & miniſterio ingenium naturale proficeret ad fructum iuſtitiæ faciendum. Semen ergo eſt, Non facies alteri quod tibi non vis fieri: ex quo ſupercreſcit velut herba illud, Nõ occides: fructus vero perfectus, Nõ iraſceris, Non videbis mulierem ad concupiſcendum eam. Credenda enim continentur in lege implicite; perfectio vero vt lex ſcripta, non eſt in inchoatione, ideſt in lege naturali actu, ſed poteſtate. Euangelium vero dicitur addere legi quantum ad literam legis, non quantũ ad ſenſum. Vnde Auguſtinus ſuper illud Matth. 5. Dictũ eſt antiquis &c. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: Non aliud voluit Saluator, quàm quod lex in ſenſum habet. Mutatis ergo Saluator verbis docuit, quòd ſaluti prodeſſet, vt ſenſum legis impleret: & vt qui timore legis ſalui eſſe nõ poterãt, per patientiam victi emundarentur, ſeſe corrigẽtes. Differũt etiã tenebra & vmbra. Tenebra enim eſt priuatio lucis: vmbra autẽ diminutio eiuſdem ex obiecto alicuius corporis. In lege enim eſt cõgeries figurarũ velut corpus quoddã, ad quã ſequebatur diminutio lucis legis, ideſt notitiæ veritatis: ideo dicitur vmbra. Sicut enim habenti oculos debiles prius conuenit, vt videat in vmbra: & poſtea confortatus, quòd videat in luce: ſic intellectui humano adhuc debili & nõ valẽti intueri in luce euãgelij, fuit principiũ videndi legis vmbra: vt poſtmodũ confortato viſu fidei per teſtimonia prophetarum, reuelatam gratiã videret in lege euangelij. His tamen non obſtantibus minime aſpernor legem, cum Dei fuerit lex: ſed quod frugalius eſt, quod per-

fectius, quod verius antepono. Lex enim, inquit Iudæus, damnat homicidium: ſed euangelium iram odiumq; funditus euertit. Illa præcipit inimicum diligere: hoc etiam de ipſo optime mereri. Illa vetat periurium: hoc præſcribit omnino nõ iurandum. Illa nocti, hoc diei comparatur. Illa perterruit hominem: hoc exhilarat. In illa vel ſerui, vel liberti fuimus: in hoc adoptionem filiorũ Dei adepti ſumus. Illa præceptis vndequaque vinciebat: hoc amoris vinculo connectit. Illa Deum hominem repromiſit: hoc ipſum dedit. Illa populum manna educauit: hoc vero corpore Chriſti Ieſu & ſanguine nos paſcit. Illa temporalia, hoc æterna pollicetur. Illa tabulis lapideis inſcribitur: hoc mentibus hominum. Illa datur per Angelum: hoc per ipſum Dei filium. Addit lex noua ad præcepta conſilia ipſa euangelica, quæ in perfectiori ſtatu obſeruatores conſtituit, vt luculentiſſime in ſequentibus videre licebit.

De quibuſdam præambulis pro primi conſilij euangelici plenio-ri notitia habenda. Cap. V.

PRO notitia habenda conſiliorum præſuppono ſecũdum Philoſophi ſententiam, quòd conſilium nõ eſt de fine. Quis enim vnquam prudens inquirit, num Deo ſit adhærendum, cum is ſit finis, quo tendimus omnes? ſed eſt de medijs, quibus ad finem peruenitur, & non quibuſcumque: quia non de his, quæ certo determinata ſunt, aut natura, vel præcepto, aut neceſſitate. Quis enim ſapiens conſilio inquirit, num cibo vti, vel parentes colere, aut mortem euadere debeat? cum primum natura, ſecundum præcepto, tertium neceſſitate certo determinatum exiſtat? Nec dicta conſilia dantur de illis, quæ minuta ſunt, ſed de rebus ſerijs: de quibus etiã Apoſtolus in diuerſis ſuis epiſtolis legẽ præſcribit, vt ad Rom. 14. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: & pri. Cor. 8. Nam ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum: & c. 10. eiuſdem epiſtolæ, Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. De illis itaque, quæ neque lege, nec præcepto, nec propriæ voluntatis voto, nec vlla a patribus recepta conſuetudine vetita, aut in alteram partem determinata exiſtunt, ſunt tamen media ad ſalutem inueniendam, quæ licet in neutram partem ſint definita, mire tamen conducunt atque expeditum faciunt, vt totus Deo diuiniſq; obſequijs inhæreat homo, traduntur a Saluatore noſtro cõſilia in euangelio, & præcipue tria.

Primum

Primum ſcilicet de virginitate, aut cælibatu : ſecundum de rerum abdicatione, vt nudi nudum ſequamur Chriſtum : tertium de obedientia,quá propter Deum ſubijcimur,in quibus non tenemur,homini. Primum eſt contra concupiſcentiam carnis: ſecundum contra concupiſcentiam oculorum : tertium contra ſuperbiam vitæ: quæ tria omnibus pie viuere volẽtibus aduerſantur, iuxta illud primæ Io. 2. Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Quibus tribus principalibus abſolutis, ſubijciemus de abſtinentijs ciborumq; delectu conſultis ad corporis mortificationem: & de illa profuſiſſima rerum noſtrarum largitione in pauperes, vt theſaurum nobis recõditum habeamus in cælis:poſtremo de ceteris euangelicis cõſilijs.

De primo conſilio, videlicet virginitate,cælibatu, & viduitate. Caput. VI.

APOSTOLVS Corinthijs ſe conſulentibus ſuper virginitate & viduitate, primæ Cor.7.reſpondet.Bonum eſt homini mulierem non tangere. Et iterũ dico non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permãſerint ſicut & ego. Rurſum ad eoſdem Corinthios: Conſuluiſtis me ſcriptis veſtris ſuper connubio, virginitate, ac cælibe vita. Ecce loco conſilij euangelici vobis reſcribo. Bonum eſt homini mulierem non tangere, hoceſt, prorſus abſtinere a cõgreſſibus carnis :& hoc citra exceptionem ætatis, vel perſonæ. Cuiuis ergo mortalium bonum eſt, non ſoli ſacerdoti, ſicut quidam teſte Theophylacto nugantur : & certe bonum abſolute, hoceſt tale bonum, quòd per ſe eſt appetibile ratione virtutis, honeſtatis, & eminentiæ, quas in ſe continet. Et addit cauſam Apoſtolus dicens : Quia qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori,& diuiſus eſt. Tribulationes tamen carnis habebunt huiuſmodi, ideſt labores, preſſuras, anguſtias, curas, ſolicitudines, quas ſecum affert coniugium, tum coniugis, tum prolis cauſa : adeo vt ſomnum auferant, & vires proſternãt. Vnde beatus Auguſtinus in libro de hæreſibus refert de Ioniniano, quòd quamuis nuptiarum eſſet prædicator, & virginitatis exterminator, noluit tamen coniugij vinculo ſe implicare,ne illius pateretur moleſtias & langores. Pergit Apoſtolus in explicandis rationibus dati conſilij, dicens. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Mulier.n. innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu:

ſpiritu: & alibi concludit. Qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit: qui non iungit, melius facit. Et beatior erit vidua, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſiliū, qui apoſtolus Chriſti ſum. Et licet præfatis verbis Pauli, videlicet bonum eſt homini mulierē non tangere, repugnare videantur verba Geneſis c. 2. dicentia, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi: in veritate tamen non contrariantur. Quia cum ſic diceret Deus, replenda erat terra hominibus: cū vero ſic aſſereret Paulus, replendum reſtabat cælum animabus ſanctis. Ad quod propoſitum beatus Hieronymus primo libro contra Iouinianum inquit: Siquidē nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum. Vnde vt ruina Angelorum citius reſtauraretur, docuit Apoſtolus continere a congreſſibus carnis, quo hic inciperemus ſimiles eſſe angelicis ſpiritibus. Ex quibus omnibus elicimus, quòd Apoſtolus per ſupradictas ſuas ſententias conſulit, vt omnis vtriuſque ſexus, qui adhuc mente & corpore virgo eſt, permaneat talis in æternum: ſimiliter quòd omnis vtriuſque ſexus, qui ſoluto matrimonio cœpit mente & conuerſatione eſſe viduitati addictus, ſic perpetuo perſeueret: et quòd qui mente & opere hactenus detractarunt iugum matrimonij propter libertatem ſeruiendi Domino, etiam ſi animus aliquando fuerit victus, caroq; per infirmitatem corrupta, nihilominus exinde permaneant ſic, cælibatum potius quàm connubium amplectentes: quia vincere vincentem ſe glorioſum habet triumphum. Ad hæc Dominus noſter Matth. 19. eunuchos commemorat, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei, de quibus dicit. Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt: qui poteſt capere capiat. Vbi manifeſte cælibatus innuitur. Demum beatus Ioannes in ſua Apocalypſi cap. 14. præconia virginum & cæleſtia præmia eiſdem præparata deſcribit, dicens: Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocumque ierit, & ſine macula ſunt ante thronum Dei. Et quamuis nomen illud cælibatus, aut cælebs nuſquam in ſcriptura diuina, quantum ad dictionis ſubſtantiam, inueniatur, ſecundum rem tamen ſignatam ſæpenumero in eadem inſertum occurrit. Exprimuntur enim in ſacris literis alia nomina eiſdem æquipollentia, vt virgo, continens, & ſimilia. Hic enim non de nominibus, ſed de rebus quæſtio agitur.

Cælebs quid in ſacris literis apud ſanctos doctores, ſimiliter & apud profanos ſignificet. Caput. VII.

QVAMVIS

QVAMVIS enim apud profanos auctores & literaturæ ſecularis, vt Quintilianum & conſimiles, in ea ratione ſumatur cælebs, vt oppoſitione quadam relatiua ſe habeat ad maritum,& dicatur qui maritus non ſit:apud ſacros tamen doctores Auguſtinũ, Hieronymum,Ambroſium,& ceteros omnes, cælebs dũtaxat pro continente ſumitur,& abſtinente prorſus ab omni veneris vſu: & cælibatus quoque apud eoſdem tantummodo pro continentia & omnimoda veneris abdicatione accipitur. Idemq; penitus apud eoſdem ſunt cælebs & continens,ſicut iuſtus & æquus idem prorſus ſignificant. Neque hanc acceptionẽ a ratione nominũ illorum alienam quis exiſtimare debet, quandoquidem cælebs a cælo deductitium nomen eſt: & ita dicitur talis (vt inquit diuus Hieronymus) quòd cælo dignam vitam agat, qui coitu careat. Et auctore Priſciano cælebs dicitur quaſi cæleſtium vitam ducens, in ſanctimonia ſcilicet,& puritate. Nec propter cælibatum multorum eſt formidandum aliquod generi humano detrimẽtum: quoniam diuiſiones gratiarum ſunt,& multiformes diuinorum munerum diſtributiones in hominibus. Hi enim gratiam accipiunt ſeruãdæ continentiæ: illi nequaquam,ſed caſti coniugij ſubeundi. Hi propterea a Deo vocantur ad illibatum virginitatis candorem. Alij vero minime, ſed ad humani generis in matrimonio propagationem, quæ ad conſummationem ſeculi vſque eſt duratura. Ad hæc etiam multa admodum præclara in ſacris literis vltra illa, quæ ſupra de teſtamento nouo dicta ſunt, de cælibatu prædicantur: vt apud Salomonem ſapientiæ 3. Felix eſt ſterilis & incoinquinata, quæ neſciuit torum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarũ ſanctarum: et ſpado vel eunuchus, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem,nec cogitauit aduerſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi fidei donum electum,& ſors in tẽplo Dei acceptiſſima. Et apud Eſaiam 56. capite,virtutis illius ita deſcribitur præmium: Non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus eunuchis. Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum,& nomen melius a filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Patet enim de ſe & per expoſitores, quòd non loquitur de eunuchis, qui de matris vtero ſic nati ſunt: nec de illis, qui facti ſunt ab hominibus, cum tales non ſint digni tali præmio: ſed de illis, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum,ideſt ſponte propria priuarunt ſe cõtrahendi libertate. Auguſtinus enim in libro de ſancta virginitate,cap. 23, aſſerit

Prophetam

Prophetam de huiuſmodi expreſſe loqui,& non de præcedentibus. Damaſcenus libro 4. de fide orthodoxa cap. 25. vbi de virginitate diſſerit & perpetuo cælibatu, præclaros nominat Eliam & Eliſæum illius aſſeclam, tres itidem pueros hebræos in fornace babylonica illæſos, & Danielem prophetam Dan. 3. Sanctus quoque Ignatius in 5. ſuarum epiſtolarum, quæ eſt ad Philadelphienſes ex Troia, inter veteris teſtamenti virgines enumerat etiā ipſum Melchiſedech, Ioſue,& Ieremiam prophetam. Ex quibus luculentiſſime apparet, quòd in lege antiqua & apud patres cælibatus non dānabatur. Auguſt. etiam in quæſtionibus vtriuſque teſtamenti inquit, quòd ea vitæ conditio rite obſeruata ſecundum matrimonij leges, etſi nobis hominibus munda ſit, Dei tamen miniſterio comparata, munda non eſt, ſicut lucerna ſecundnm ſe accepta, lucida eſt: ſed in comparatione ad ſolem, tenebroſa. Et hanc immunditiam ex comparatione ſumpta declarat ſcriptura pri. reg. 21. per Achimelech, dicentem ad Dauid. Si mundi ſunt pueri a mulieribus, manducent panes, ſcilicet propoſitionis ab eo poſtulatos. Quem locum beatus Hieronymus ſuper Eccleſiaſten & in hebraicis quæſtionibus, exponit de vxoribus. Idem etiam in primo libro contra Iouinianum ait: Panes propoſitionis, quaſi corpus Chriſti, de vxorū cubilibus conſurgentes edere non poterant. Contemplandum eſt ergo quod dixerit Achimelech, Si mundi ſunt pueri ab vxoribus: quòd ad munditiam corporis Chriſti omnis coitus immundus eſt: hæc Hieronymus. Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus in libro de nuptijs prudenter affirmat per coniugium impediri ſtudia philoſophiæ: nec poſſe quemquam libris & vxori pariter inſeruire. Quod & Cicero romanæ parens eloquentiæ ſuo denique patefecit exemplo: qui rogatus ab Hircio viro apud Romanos inſigni, vt poſt repudiū Terentiæ ſororem eius duceret vxorem, omnino facere ſuperſedit, dicens: Se non poſſe vxori et philoſophiæ pariter operam dare. Ex quibus elicio, quòd ſi in laicis præponenda eſt caſtitas connubio, multo magis in miniſterio Dei ordinatis. Vnde Ambroſius in expoſitione tertij cap. pri. ad Corinthios inquit: Si plebis hominibus ad tēpus abſtinere ſe præcipit Apoſtolus, vt vacent orationi: quanto magis leuitis & ſacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe ſibi commiſſa oportet orare? Mundiores ergo eſſe debent ceteris, quia actores Dei ſunt. Cui arridet Hieronymus in primo libro contra Iouinianum, dicens. Sed & hoc inferendum: ſi laicus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: ſacerdoti, cui ſemper pro officio offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orādum eſt; ergo ſemper carēdum dicto officio coniugali, & ex cōſequenti

matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus,& ab vxoribus ſeparati vinum & ſiceram non bibebāt, quę ſolent libidinem prouocare. Et in epiſtola ad Pammachium: Ecce perſpicue nuptias dicimus concedi in euangelio: ſed tamen eaſdē in ſuo officio permanentes, præmia caſtitatis capere non poſſe. Demum in calce eiuſdem epiſtolæ ſubinfert: Igitur Chriſtus & virgo Maria vtriuſque ſexus virginitatis dedicauere principia. Apoſtoli vel virgines fuerunt, vel ſaltem poſt nuptias continentes. Epiſcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut poſt conſecrationem in æternum pudici perſeuerant. Hæc ille.

De ſenſu verborum Chriſti, dicentis Matth. 19. de conſilio virginitatis, Qui poteſt capere, capiat. Cap. VIII.

VOX autem capiunt, hoc loco idem eſt, ac ſi diceretur, capaces ſunt. Non omnes itaque capiunt verbum iſtud: idem eſt, ac ſi diceretur, nō omnes eius ſententiæ capaces ſunt: quia cum affectibus præpediti ſint, conſilio diuino nullus in cordibus eorum relinquitur locus. Dicens autē Saluator, Non omnes capiunt, ſermone particulari innuit aliquos capere: ſicut bene apprehenderūt olim verbum iſtud Elias, Eliſæus, Ioſue, Ioannes Baptiſta, virgo Maria, ipſemet Chriſtus: ideo ſubdit. Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, ideſt ſponte, aut voto, aut ſui additione ad eum ſtatum, qui non compatitur ſecum generandi vſum: quos illuſtriſſimos reddit virginitatis ſplendor. Ne autem exactum vel imperatum videretur huiuſmodi continentiæ genus, addit Saluator: Qui poteſt capere, capiat. Quæ vox teſte Hieronymo in 19. cap. Matth. eſt adhortantis, milites ſuos ad pudicitiæ præmium concitantis: Qui poteſt capere, capiat: qui poteſt pugnare, pugnet, ſuperet, & triumphet. Non equidem cogo quemquam, ſed tantummodo hortor, liberum relinquens cunctis, vt ſi poſſint ingredi arduam illam perpetuæ continentiæ viam, ingrediantur: nuptias itaque probo, continentiam vero velut magis expediētem præfero. Illud enim dictum Chriſti, Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt &c. vtique dictum eſt de virginibus, de viduis, & alijs cælebibus, quibus innuit mercedē Matth. 19. Nā cū dicerent Apoſtoli: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Reſpondit Dominus inter alia: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios,

aut

aut agros propter nomē meū, centuplum accipiet, & vitā æternam poſſidebit. Relinquere .n. vxorē arduū eſt, dicēte ſcriptura Gen.2. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori ſuæ, quæ tecum vna caro efficitur: ſimiliter & filios, qui aliquid tui ſunt: & agros, ſine quibus non ducis cōmode vitam humanam, magnum quippe eſt. Verum incomparabiliter maior promiſſio eſt: quia centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis. Quod intelligentes olim Martialis Chriſti diſcipulus, & Clemēs Apoſtolorum comes, multa ſcripſerunt in ſanctæ virginitatis laudē: ille epiſtolam ſuam ad Toloſanos: iſte librū ad hoc editū. Poſt hos Ignatius martyr & Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & Tertullianus, ſimiliter Euſebius, & ſanctus Cyprianus edidere libros ſeu tractatus ad encomium virginitatis. Diuus Athanaſius quoque, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus,& Hieronymus plura ſcripſerunt in laudem & defenſionem eiuſdem,& viduitatis: accuratiſſime autē diuus Hieronymus contra latratus Heluidij & Iouiniani nihil præter impuritatem eructantium,idem fecit. In ſcripturis etiam multi claruerūt virginitate,vt dictum eſt ſupra: ſed non minus in eiſdem inueniuntur exempla ſeruādæ viduitatis. Iudith enim vxor Manaſſes (Iudith 8) de tribu Ruben,mortuo viro ſuo,mãſit vidua vſque ad mortem. His adminiculis ad tutelam ſuæ viduitatis vtens: Clauſa (dicit textus) morabatur in ſuperiori cubiculo domus ſuæ cum puellis ſuis, habens ſuper lumbos ſuos cilicium, & ieiunans omnibus diebus vitæ ſuæ, præter feſta domus Iſrael. Huic licet addere inſignis pudicitiæ fœminam Noemi, quæ etiā mortuo uiro ſuo (Ruth.4) quoniam poſt alterum non abijt,digna inuenta eſt, vt ex nuru ſua Moabitide ſuſcitaretur virga Ieſſe, de qua natus eſt Chriſtus. Sanctus quoque Lucas cap.2. ediſſerens de Anna propheti ſſa filia Phanuel de tribu Aſer, dicit, quòd vidua fuerit vſque ad annos 84.quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiēs Deo die ac nocte. Quamobrem & ipſa meruit præ alijs videre & agnoſcere Saluatorem noſtrum in infantia carnis ſuæ:multa alia ſimilia exempla breuitatis cauſa prætermittimus.

Quomodo intelligatur, quòd nemo cōtinens eſſe poteſt, niſi Deus dederit. Cap. IX.

VIRGINALEM, viduale,& coniugalē cōtinentias dona Dei eſſe,citra omnē dubitationem credimus:cum Deus dicat per os Salomonis ſapiētiæ 8. neminē poſſe eſſe continētem, niſi ipſe dederit. Cui veritati arrident verba Apoſtoli dicentis: Sed vnusquiſque

quiſque propriū donū habet ex Deo. Alius quidē ſic: nēpe vt integram incorrupti corporis caſtitatem ſeruet, vel poſt ſolutū matrimoniū, contineat. Alius vero ſic: vt ſanctiones matrimonij inoffenſas cuſtodiens, nullam incontinentiæ maculam admittat. Sed cum hoc ſtat, quòd licet dona Dei ſint, poſtquam tamen ſunt donata, in noſtra ſunt poteſtate. Vbi enim donata ſunt, iam vti illis vel nō vti in noſtra eſt facultate, & noſtra efficiuntur. Vnde Apoſtolus inquit: Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, hoceſt, ſuum ſibi a Deo ad vſum ſalutis in Chriſtianiſmo deputatū: ne putemus vnum atque idem habere omnes. Varia enim ſunt dona Spiritus ſancti, qui diſtribuit ſingulis, vt vult. Tanta autem eſt Dei erga nos munificentia, vt nulli homini Chriſtiano deſit vlla gratia neceſſaria ad peragendam debite functionem euangelio Chriſti comprobatā, dummodo ipſe non defuerit ſibi. Vnde in principio pri. epiſtolæ ad Corinthios: Gratias ago (inquit Apoſtolus) Deo meo ſemper in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu: quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia. Deſit inquam ex parte Dei. Nam qui ſua culpa æger eſt, aut egenus, ipſe ſibimet imputet. Si igitur Chriſti fidelibus deſint dona Dei, ſine quibus impleri nequit, quod ſtatus illorum requirit: non iam homo, ſed Chriſtus culpādus eſſet, docens ſeruandum quod viribus maius eſt: non addens ſimul gratiarum dona, quibus ſeruari poſſit. Inueniretur quoque, Apoſtolum falſum teſtē fuiſſe, cum dixerit: Teſtimonium Chriſti confirmatum eſſe in vobis, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia. Teſtimonium Chriſti eſt illud Ioannis 14. Non relinquam vos orphanos: & illud Matth. 28. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi: et illud Eſaiæ 49. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. An non a Chriſto deſtitutus, & quaſi in obliuionem datus eſt, qui in conditione vitæ probata, aut conſulta, per Chriſtum, caret auxilio Chriſti? In quibus verbis tria tanguntur. Primum eſt, vt iuuandus muneribus in Chriſto maneat: extra enim Eccleſiam non eſt ſalus. Secundum, quòd genus vitæ vel ſuſceptum vel ſuſcipiendum ſit euangelio Chriſti comprobatnm, vt virginitas, cælibatus, abdicatio proprij, & ſuiipſius ſub alterius obedientia ſubmiſſio. Tertium, quòd homo non deſit ipſe ſibi, neque in ſuſcipiendo, neque in proſequendo ſuſceptum, hoceſt, vt faciat homo quantum in ſe eſt, quo digne probatum aliquod vitæ genus ſuſcipiat, atque ſuſceptum ſimili modo proſequatur. Vnde Cyrillus lib. 9. ſuper Leui-

ticum, poſt multa concludit. Nutrimenta ſpiritus ſunt diuina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ: his alitur cibis, his conualeſcit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis: nolite dicere, quia volumus, ſed non poſſumus: volumus continenter viuere, ſed carnis fragilitate decipimur. Tu das ſtimulos carni tuæ: tu eam aduerſus ſpiritum armas, & potentem facis. An neſcitis, quia non poteſt ædificium iſtud Eccleſiæ ex leproſis lapidibus conſtrui? ille. Et ideo hoc pro certo habet omnis fidelis, quia vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur: & ſi in tribulatione, liberabitur: & ſi in corruptione, ad miſericordiam venire licebit.

Votum caſtitatis licitum & ſanctum eſt, non obſtante quòd caſtitas donum Dei ſit. Cap. X.

ETSI ſuis viribus, vt dictum eſt in præcedenti capite, quiſpiam continens eſſe non poſſit: omnes tamen qui voluerint, tales eſſe diuino auxilio poterunt. Id enim dicimus poſſe, etiam in ſalutis negotio, quod Dei gratia Deoq; adiuuante poſſumus. Vnde Paulus ad Philip. 4. inquit: Omnia poſſum in eo, qui me cõfortat. Quid enim magis extra vires noſtras, aut magis eſt in donis Dei, quàm Deo fidem ſeruare religionis? Et tamen profitemur in baptiſmo nos perpetuo adhæſuros Deo per fidem, cum tamen fides & perſeuerantia in fide & omnis religionis obſeruatio donum Dei ſit: quod nemo habet, niſi illo miſericorditer donante. Itaque a ſimili, temerarium non erit vouere caſtitatem, licet eadem donum Dei ſit. Nos igitur fatemur cum Apoſtolo Paulo pri. Cor. 7. quòd vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius autem ſic. Sed cum hoc ſimul fatemur, neminem vmquam corde bono & ob honeſtum finem ſuſcepiſſe ſtatũ aliquem in euangelio probatum, cui defuerit neceſſarium auxiliũ Dei: modo non defuerit ipſe ſibi, hoceſt, modo fecerit quod in ſe erat, & Chriſto vere ſupplex factus fuerit. Fatemur etiã cũ Propheta reddendum eſſe Deo, quod illi voto promiſſum eſt: Et vt liberis hominibus melius eſt nubere, quàm vri: ita ijs, qui voto aſtricti ſũt, melius eſt reddere quod ſacroſanctè promiſerunt, quàm nubere. Si enim poſt votum vrget impetus petulantis naturæ, confugere oportet ad orationem: ſicut beatus Paulus ſuo exemplo docuit 2. Cor. 12. dicens. Ter dominum rogaui, vt diſcederet a me, videlicet carnis ſtimulus. Vnde Apoſtolus informans Timothæum pri.

Tim. 5.

Tim. 5. inquit: Adoleſcentiores autem viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt, habentes damnationẽ: quia primam fidem irritam fecerunt. Vbi fides accipitur pro conſtantia animi in præſtando, quod antea promiſerunt: vt ſit ſenſus. Primam fidem irritam fecerunt, ideſt conſtantiam & fidelitatem, quam debebant voto ſuo in Eccleſia ſuper viduitate ſeruanda. Nam viduæ, quæ tunc temporis recipiebantur in tutelam Eccleſiæ alendæ ſumptibus eiuſdem, voto ſuam viduitatem Domino conſecrabant. Cui ſententiæ eſt conformis determinatio concilij Carthaginenſis quarti, capite vltimo ſuorum decretorum, dicentis: quòd ſi quæ viduę quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ & matura ætate a viro relictæ, ſe donauerint Domino, & veſte laicali abiecta ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, poſtea vero ad ſeculares nuptias tranſierint, ſecundum beatũ Paulum damnationem habebunt: quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam fecerunt. Concilium etiam quartum Toletanum cap. 55. ſimilem habet ſententiam, dicens: quòd duo ſunt genera viduarum, ſecularium videlicet, & ſanctimonialium. Primæ viduæ ſunt, quæ adhuc diſponentes nubere laicalem nõ depoſuerunt habitum. Sanctimoniales ſunt, quæ iam mutato habitu ſeculari, ſub religioſo cultu in conſpectu Eccleſiæ apparuerunt. Hæ ſi ad nuptias tranſierint, iuxta Apoſtolũ non ſine dãnatione erunt: quia cũ ſe primo Deo vouiſſent, poſtea caſtitatis propoſitũ abiecerũt. Diuus quoque Auguſt. lib. de bono viduitatis cap. 9. inquit: Voto a virginibus vel viduis emiſſo, iam non ſolum non capeſſere nuptias, ſed etiã ſi non nubant, nubere velle damnabile eſt. Quantum vero ad virginitatem ſpectat, verba, quæ beata Virgo reſpondit Angelo, hoc ſatis innuunt, quòd ipſa ſuam virginitatem antea Deo dedicauerat, quando dixit. Quomodo fiet iſtud &c. Quod profecto, vt inquit Auguſtinus de ſancta virginitate cap. 4. non diceret, niſi Deo virginem ſe ante vouiſſet. Non enim dubitat de facto, ſed modum requirit, & ordinem: nec enim quærit, an fiet iſtud, ſed quomodo fiet: quaſi diceret, vt dicit deuotus Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt, Cùm ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, quo ordine placebit ei, vt fiat iſtud? Si oportuerit me infringere votum, vt pariam talẽ filium, gaudeo de filio, ſed doleo de propoſito: fiat tamen voluntas eius. Ex orthodoxis etiam patribus idem euidentiſſime conſtat. Nam Epiphanius contra hæreſim vocantium ſe Apoſtolicos, dicit: Tradiderunt ſancti Dei Apoſtoli peccatum eſſe, poſt decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Et Baſilius libro de virginitate:

Adulteros vocat eos, qui prętextu nuptiarum Deo dicatas virgines ſibi copulant, inquiens: Nullus ſeruus ad id impietatis erumpat, vt ſponſam domini contingere audeat. Nemo in tantum temeritatis proſiliat, vt huiuſmodi vltionem ſacrilegis impendere conſiderãs, vaſa animata & viua donaria latronis more ꝓfanis manibus temerare atque inceſtare præſumat: & paulo poſt. Si autem qui dimiſsã a mortali viro ducit, adulter & impius eſt: qui immortalis viri ſpõſam nunquam dimiſſam violare præſumit, multo profecto funeſtius adulter atque impius erit. Et Hieronymus aduerſus Iouinianum lib. pri. Si nupſerit (inquit) virgo, non peccauit: non illa virgo, quæ ſe ſemel Dei cultui dedicauit: harum enim ſiqua nupſerit, habebit damnationem: quia primam fidem irritam fecit. Et Ambroſius libro 2. de virginibus, mirum in modum extollit beatam Theclam virginẽ & martyrem, quòd duplex fuerit certamen profeſſa, & caſtitatis, & religionis. Euſebius quoque lib. 8. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 17. dicit: quòd erat apud Alexandriam Dorothea quædam ſatis nobili orta familia, cui formæ & decoris gloria tanta fuit, vt ſpeciale in ea Dei figmẽtum crederetur. Sed illa, quæ religione animi & honeſtate pulchrior, quàm vultu corporis, eſſe ſtuderet, æquiſſimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines videbatur, id potius Deo conſecrare, quàm vſui humano indulgere ſtatuit, vt virgo Deo ſacrata perſiſteret. Ad hæc refert Sozomenus in 7. libro cap. 4. Eccleſiaſticæ tripar. hoc modo: Igitur Imperator Iouinianus, ſiue (vt alij legunt) Iouianus Iuliani ſucceſſor, prætorianam legem dedit, vt capitali ſententia plecterentur, qui vel ſacrã virginem nuptiali toro violare auderent, vel impudico aſpectu aſpicerent, ne dicam abripere forte tentarent. Quam legem ideo poſuit, quòd Iuliani temporibus quidam huiuſmodi virgines vxores ducere auſi fuerunt. Et hæc ſufficiant pro primo euangelico cõſilio.

De paupertate euangelica, quæ eſt ſecundum conſilium. Caput. XI.

SALVATOR noſter paupertatis conſilium proponens, non coactitio ſermone vſus eſt, neque pœnã non ſeruantibus interminatus eſt aliquam, neque neceſſitatem impoſuit, ſed in hominis arbitrio ſitũ eſſe voluit. Non enim dixit abſolute: Niſi quæ habes vendideris, erogaueriſq; egenis, non intrabis in regnum cælorum. Sed hypotheſi vſus: Si, inquit, perfectus eſſe velis, vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me: & Luc.

14. Qui non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: & Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomẽ meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Varia eſt tamen paupertas. Eſt enim illa quam pateris, & eſt quam eligis. Primam parit vel neceſſitas, vel rerum inopia, contra voluntatis affectum. In ſecundam te inducit volentem ſpiritus fidei, religioſo quodam amore commutandi terrena in cæleſtia. Illa peccati pœna eſt: iſta via ad felicitatem æternam. Illa qui ſtringitur, miſer eſt: iſtam fugientẽ homo pius ſequitur ſpontanea deuotione. Illa inter media vel indifferentia: iſta vero inter eximia bona euangelica eſt collocanda: quam Ioannes Baptiſta viriliter inchoauit, Chriſtus inſigniter verbo factoq; commendauit: Spiritus autem Dei mox poſt primum illapſum viſibilem in corda hominum conſummauit, ac velut in politiam quandam digeſſit, ad ipſam millibus Chriſti fidelium conuerſis: quam recte ſpõtaneam, fidelem, euangelicam appellamus. Si enim voluntaria eſt, non tamen fidelis ac euangelica: hoceſt, propter fidem Chriſti & euangelij prædicationem, aut ſaltem ob ſpem euangelicæ ſalutis non prælecta, parum habet vnde commendari poſſit. Quid enim paupertas Diogenis, aut Cratis Thebani, aut aliorum ſimilis inſtituti, boni ipſis peperit, præter admirationem quandam inter homines, & philoſophandi commoditatem? Illa vero quam ſequimur, accipit non modo fructum centuplicatum, ſed & vitam æternam: de qua beatus Paulus ad Philip. 3. Exiſtimo, inquit, omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti domini noſtri, propter quem omnia detrimẽtum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Igitur cum veriſſima ſit doctrina Pauli & Saluatoris noſtri, vtique per paupertatem ſpiritu fidei & amore Chriſti apprehenſam acquiritur verum ius ſolidaq; actio ad omne illud, quod nomine regni cælorum aut regni Dei intelligitur. Marcus vero aſſignare videtur fructum centuplicatum non modo in Eccleſia triumphanti, verum & in militanti, dum dicit: Centies tantum in hoc tẽpore accipiet. Paulus etiam, dum 2. Cor. 6. inquit: Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes: exprimit diuitem remunerationem paupertatis euangelicæ: quaſi diceret. Nos qui nudi nudum ſectamur Chriſtum, videmur quidem mundi hominibus inſtar mendicantium egere rebus: at locupletes reddimus quàm plurimos, non ſolum bonis ſpiritualibus, ſed & temporalibus. Quis enim pauperum in Hieruſalem ſubleuauit

TT ij inopiam?

inopiam? Nonne ego? Quis autem peperit Eccleſiæ diuitias, quibus opulēter ſuſtentat miniſtros ſuos, nonne ſancta illa primorum credentium paupertas? Nam & tunc temporis, cum nihil videbantur habere Apoſtoli, poſſidebant omnia: poſſidere enim eſt, in poteſtate ſua habere. Aliud tamen eſt poſſidere, aliud rem tanquam ſuam ſibiq; propriam habere. Quàm differentiam Cicero inſinuauit, dicens: Sua eſſe omnia, atque a ſe poſſideri ſicut propria volūt philoſophi. In monaſtica vita omnis profeſſus omnia, quæ monaſterij ſunt, poſſidet: nihil tamen ſuum habet: quia omnibus per votum renuntiauit. Omnia ergo poſſidebant Apoſtoli: quia de omnibus, quātum libuit, in ſua poteſtate habebāt: idq; per ſpontaneam piamq; aliorum communicationem. Omnia nihilominus dimiſerant: quia omnium rerum dominium & proprietatem a ſe abdicauerunt, habentes quæ aliorum ſunt adeo ad nutum, vt nihil eis defuerit.

De adhuc duplici paupertate. Cap. XII.

VARIO modo ſumitur in ſacris literis paupertas: ſcilicet vel pro exteriori, quæ conſiſtit in ſola carentia diuitiarum: vel pro interiori, quæ importat diuitiarum propter Chriſtum contemptum. Prima ex ſe nec bona eſt, nec mala, ſicut nec diuitias externas poſſidere eſt bonum vel malum: eſt tamen aliquibus ipſa rerum inopia bona, aut mala, prout ad bonum finem vel malum ordinatur. Si enim inopiam inuitus ſuſtinet quis, illi erit occaſio multa mala perpetrandi. Vnde Eccleſiaſtici 27. dicitur, quòd propter inopiam multi peccauerunt. Propter quod Sapiens prouerbiorum 30. petiuit a Deo: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, ſed tribue tantum victui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomē Dei mei. In quibus verbis innuit mala, ad quæ conducūt tam diuitiæ, quàm paupertas. Diuitiæ enim ſunt cauſa obliuionis Dei. Hinc eſt, quòd Effraim & Manaſſes fratres erant Gen. 41. Effraim fertilitas, Manaſſes obliuio. Hoc ergo malum eſt in diuitijs, quòd malis ſunt cauſa obliuionis Dei. Et per oppoſitū paupertas facit nos recordari Dei. Paupertas ergo exterior ex ſe (vt dictum eſt) nec bona, nec mala eſt: ſed occaſionaliter illis eſt bona, qui voluntarie eam ſuſtinent. Paupertas vero interior, quæ eſt contemptus diuitiarum eſt perfecta virtus, & inter ceteras magis inſeruit charitati. Vnde licet omnes virtutes eidem famulentur, & ab illa omnes regantur, cum imperet actus omnium virtutum: hoc

tamen eſt peculiare paupertati, quòd ad eã inclinat charitas ſecundum propriam rationem eius. Vnde Scotus in 14. diſt. 4. q. 2. inquit: quòd virtus inclinans ad aliquem actum, inclinat ad fugam actus oppoſiti. Ex quo elicitur, quòd ſicut charitas inclinat ad amorem Dei, ita & ad fugam eius, quod aduerſatur diuino amori. Et quia omne peccatum, ſcilicet mortale, eſt contrariũ diuino amori: ideo charitas inclinat ad fugam omnis peccati. Amor vero terrenorum: cum ſit impedimentum amoris Dei, ex quo nemo Deo & mammonæ ſeruire poſſit: ideo charitas inclinat ad contemptum omnium terrenorum tanquam eorum, quæ minuunt Dei amorem. Vnde Auguſtinus in libro confeſſionum: Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Et in libro 83. quæſtionum ait, quòd nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis, perfectio vero eius nulla cupiditas. Magna eſt virtus paupertas, videlicet hæc interior, quæ nutrit charitatem: tunc enim creſcit charitas, quando ſublatis terrenis anima adhæret Deo. Ideo in pſal. 44. dicitur: Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. Nullus eſt decor animæ noſtræ, quem Deus magis concupiſcat, quàm charitatem. Pater omnium noſtrũ, antequam per baptiſmum renaſcamur, eſt diabolus: vos ex patre diabolo eſtis Ioannis 8. Domus huius patris eſt mundus: vocatur enim a beato Ioanne cap. 12. ſui euangelij, princeps huius mundi. Hanc domum oportet obliuiſci: quod facimus per contemptum eius & omnium, quæ in eo ſunt. Illa enim, quæ parum æſtimamus, cito obliuiſcimur. Contemne ergo & obliuiſcere totũ hunc mundum, qui domus eſt patris tui, & tunc concupiſcet rex decorem tuum. Paupertas exterior iuuat, & auget interiorem. Vnde Auguſtinus in epiſtola 34. ad Paulinum & Theraſiam inquit: quòd terrena diliguntur arctius adepta, quàm concupita: interior autẽ nutrit charitatem. Vnde ſequitur, quòd ad perfectionẽ charitatis habendã, potiſſimũ fundamentũ eſt võlũtaria paupertas, de qua Iob 26. Quis extendit Aquilonẽ ſuper vacuum, & appendit terrã ſuper nihilum? Aquilonẽ vocat Eccleſiam ex gentibus: quoniã ad Aquilonem erant gẽtes eo tẽpore cõuertendæ. Aquilonẽ ſuper vacuum, & terrã ſuper nihilũ fundauit, quando fundamentũ chriſtianæ religionis paupertatẽ voluntariã ponebat, dicens Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorũ eſt regnũ cælorum: & Matth. 6. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: quia ſicut radix omniũ malorum eſt cupiditas, ita radix omniũ bonorũ eſt paupertas & contẽptus diuitiarũ. Vnde beatus pater noſter Franciſcus cõmendans hanc virtutẽ, dicit fratribus ſuis in regula. Hæc eſt illa celſitudo al-

tiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos hæredes & reges regni cælorum inſtituit: pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Patrem vocamus, quia ſub eius inſtituto ab anno 1517. incarnationis dominicæ vſque ad annum 1557. militauimus: quo quidē anno, cum eiuſdē ordinis, nempe obſeruantiæ regularis, generalē miniſtrū ageremus, a Paulo felicis recordationis huius nominis quarto (meritis licet imparibus) ad cardinalatus ordinē aſciti fuimus, futuri ſemper Seraphici inſtituti amatores, & iuſtis in rebus prout diuerſis debemus nominibus, defēſores perpetui. Vnde in religioſis domibus, in quibus per voti emiſſionē hoc celebratur conſiliū, poteſt quilibet dicere illud Gen. 41. Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Duo .n. ſunt, quæ impediūt arboris augmentū, externum videlicet ſpinæ ſimul exortæ, & internū, cum arbor multis extenditur ramis ad diuerſa: ideo vt in altū creſcat, ſolet purgari ramis inferioribus. Terra igitur paupertatis fertilis eſt, cum in ea plantatum cito creſcat, ex quo purgata eſt ab omni eo, quod augmentum impedire ſolet: ſpinæ enim in agro naſcentes (quæ ſunt diuitiæ Matth. 13) cum bono ſemine ſuffocant illud. Et bene ſunt ſpinæ diuitiæ: quia ſolicitudine ſua pungunt, & ſuffocant omne bonum ſemen, quod eſt verbum Dei. Eæ pacem turbāt, & omne bonum confundunt. Sunt tamen quidā, qui diuitias paupertati æquant, vt Iulianus hæreticus: alij præferunt, vt Vigilantius: alij contendunt euangelium nec præcipere, nec cōſulere, a facultatibus diſcedendum, ſi non eripiantur: ſicut nec præcipit, nec conſulit res ſuas in commune conferre: vt illi, qui noſtro tempore vocantur Proteſtantes, non multum diſtantes ab errore illorum, qui tempore beati Thomæ Aquinatis dogmatizabant in ſcripturis, ne laudari quidē paupertatem actualem, ſed tantū habitualem: qua diuitijs etiā ſi affluant, cor nō apponitur: quā qui poſſident, tanquam non poſſidentes ſunt pri. cor. 7. Quibus obijciendum eſt, quod Vigilantio diuus Hieronymus obijcit, nimirum illud Saluatoris. Si vis perfectus eſſe, vade, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurū in cælo: & hoc quoad ſecundū.

De tertio conſilio euangelico, videlicet obedientia. C. XIII.

PRO tertij conſilij declaratione, eſt notandū, quòd obediētia, quæ cōnumeratur inter quatuor virtutes in ſacris literis cōmendatas, importātes ſubiectionē, eſt nobiliſſima omniū virtutū moraliū. Quarum prima eſt legalis iuſtitia, per quā fit homo legi ſubiectus:

iectus : de qua dicitur pro parentibus beati Ioannis Baptiſtæ Luc. pri. Erant autẽ iuſti ambo ante Deũ, incedẽtes in omnibus iuſtificationibus Domini ſine querela : quia ſcilicet legi diuinæ voluntarie erãt ſubiecti. Secũda eſt fides catholica, quæ includit ſubiectionem ad diuinã auctoritatẽ: de qua ſubiectione dicit Apoſtolus 2. Cor. 10. quòd arma militiæ noſtræ, ideſt virtutes & miracula ſecundũ glo. intel. per quæ in prædicatione militamus, non ſunt carnalia, ſcilicet debilitate ſecundum eandem glo. ſed potentia Deo, ideſt per Deũ in captiuitatem redigẽtes omnem intellectum in obſequium Xpi, ideſt captiuos ducẽtes ſecundum præfatam glo. vſque in obſequiũ Chriſti, omnes ſuperbe intelligentes, vt fidei Chriſti, cui ante repugnauerant, humiliter obediant. Tertia virtus eſt humilitas, quæ importat & includit ſubiectionẽ ad eum, cui ſe humiliat: de qua ſubiectione dicit beatus Petrus in ſua pri. canonica cap. 5. Humiliamini ſub potenti manu Dei: de qua dictum eſt Agar ancillæ Gen. 16. Reuertere ad dominã tuam, & humiliare ſub manu eius. Quarta virtus eſt obedientia, quæ directe in ſua formali ratione includit ſubiectionem obtemperantis ad præcipientem: de qua beatus Paulus ad Ephes. 6. Filij obedite parentibus veſtris, & ſerui obedite dominis veſtris. Et diuus Petrus in ſua prima canonica cap. 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: & hæc ſecundum dominum Franciſcum de Mayronis in quolibetis cõſiſtit in ſubiectione propriæ voluntatis alterius voluntati. Qui enim ſubiecit, illud quod ſubijcit, non deſerit, ſed tenet ſubiectum. Dicitur tamen obedientia, abnegatio propriæ voluntatis pro tanto: quia ille, qui promittit obedientiam, licet non dimittat oppoſitum velle, omittit tamen oppoſitum licerè velle ad præcipientem. Obedientia in ſcripturis eſt quintuplex. Prima monaſtica, a monos, quod eſt vnũ: quia iuxta vnam perſonam, ſecundum quam vires inferiores obediunt voluntati, & voluntas dicitur obedire rationi: de qua Sapiẽs Eccleſiaſtici 4. quòd melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victimæ: & iſta non facit ad propoſitum, cum inueniatur in omnibus virtutibus, quæ bene ordinant homines ad ſeipſos. Secunda eſt œconomica, quæ reſpicit vnam domum, quamuis non ſit ad finem diſpenſatiuæ facultatis ordinata: & talis eſt obedientia filij ad patrem, ſerui ad dominum, & vxoris ad virum: de qua beatus Petrus in ſua pri. canonica cap. 3. inquit: quòd Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Tertia eſt politica, quæ reſpicit rempublicam, inquãtum ſcilicet dictat ratio obediendũ eſſe legibus & principibus: de qua loquitur Apoſtolus ad Titum 3. Admone illos, principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe ad omne opus bonũ. Quarta

eſt hierarchica, ſecũdum quam in eccleſiaſtica Hierarchia inferiores ſunt prælatis obedientes: de qua beatus Petrus in ſua pri. canonica cap. primo inquit. In obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: & paulo poſt. Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis. Quinta & vltima obedientia eſt theatica, ſecundum quã quilibet debet eſſe obediens Deo, cuius voluntas omnibus eſt præferẽda: de qua beatus Paulus ad Rom. 5. Sicut per vnius hominis inobedientiã peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius hominis obedientiam multi iuſti conſtituuntur. Et nota, quòd bonũ conſummatum per obedientiam ceteris paribus eſt melius, quàm non conſummatum: quia cum bonum præceptum ſit, iccirco bonum adueniens bono abſoluto, facit illud maius bonũ: quare melior eſt oratio imperata, quàm voluntarie aſſumpta.

De obedientia, quæ eſt tertium conſilium. Cap. XIIII.

POSTPOSITIS tribus obedientijs, videlicet monaſtica, œconomica, & politica. De theatica tantũ & hierarchica diſſeremus: & hoc, vt tertij conſilij euangelici rationem, quod eſt obedire vſque ad plenam ſuiipſius abnegationem, aperiamus. Fons enim talis obedientiæ eſt amor eſtaticus, quo liqueſcit anima in Deum: & quo cunctis, quibus eximie colitur Deus, conglutinatur. Diximus de voluptatibus carnis abdicandis per continentiam: quoniã qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Diximus præterea de bonis externis poſthabendis per ſpontaneam paupertatem. Nunc autem dicendum eſt de abrenuntiatione propriæ voluntatis, quæ fit tum per obedientiã fidei & charitatis, tum per eam, quæ libera eſt vel omnino, vel ſaltem in radice voluntatis ſpontaneæ vouentis, perfectam obedientiam: qua votiua promiſſione accedente, demum fit plena ſuiipſius abnegatio. Saluator noſter inuitans diſcipulos ſuos ſuo ſalutari cõſilio ad ſummam perfectionis, dicit Matth. 16. Siquis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Abneget, inquit, ſemetipſum, non ſua, aut ſuos, ſed ſemetipſum, hoceſt propriam arbitrij ſui voluntatem, qua nihil homini æque ꝓprium. Quapropter recte ſeipſum abnegaſſe dicitur quicũque arbitrij ſui libertatem ſibi adimit, ſtatuens nihil deinceps pro ſua voluntate gerere: ſed in omnibus dicere cum Chriſto, Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat Luc. 22. Et tollat crucem ſuam, non quidem meam, ſed ſuam, hoceſt aduerſitatem ſibi ſuperuenientem

propter ſtudium virtutis æquanimiter ferat: nō tamen ſiſtendo ibi, ſed & ſequatur me per arduam & anguſtam illam puræ obedientiæ viam, pede inoffenſo, animoq; infracto, etiam ſi minæ occurrant & perſecutiones ac flagella. Nam ego hac via atque his exercitamentis præcedo vos verſus portum ſalutis, factus patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vis autem ſcire qualiter abnegauerit ſeipſum filius Dei, vt æternum patris beneplacitum adimpleret? Qui cum in forma Dei eſſet, inquit Apoſtolus ad Philip. 2. non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Abnegatio enim, qua Chriſtus ſemetipſum abnegauit, facta eſt cum ipſius exinanitione ſummaq; obedientia vſque ad ſupplicium mortis: adeo quòd numquam deflecteret a beneplacito patris, ſed ſemper conſtans perſiſteret. Non enim deſcendit de cælo, vt faceret voluntatem ſuam, ſed eius qui miſit eum Ioannis 6. Ad quam filialem obedientiam & perfectionē euangelici conſilij inuitat nos Saluator, dicens: Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Forma dicendi ſub conditione declarat, non debere eſſe per modum mandati, ſed doctrinæ, aut adhortationis: quæ doctrina in ſua plenitudine non proponitur, niſi per modum conſilij & imitationis ijs, qui ſpontanei ſunt ad ardua illa perfectionis euangelicæ cacumina ſeruanda. Porro proſequi antedictam Chriſti ſententiam ſecundum eminentem charitatis gradum, quem ipſemet Saluator præeundo attigit, eſt, vt etiam in licitis tuam abneges voluntatem: nec vlla vmquam carnis repugnātia patiaris animi tui obſequiū diuelli a placitis Dei, etiam ſi tantum cōſulta fuerint. Claruerunt autem hac prætacta obediētia filij prophetarum, in ſcripturis illuſtres effecti: eo quòd abnegata propria voluntate ſubdiderūt ſe per omnia obedientiæ vnius, qui ſpiritu prophetico ceteris clarior erat: idq; in admiranda rerum indigentia & vitæ abſtinentia, vt habetur 4. reg. 4. In nouo teſtamento ante omnes claruerunt hac perfecta obedientia fidei noſtræ duces Apoſtoli, qui dimiſſis omnibus firmiter adhæſerunt doctrinæ Chriſti in omnibus tam conſultis, quàm præceptis. Poſt hos ſurrexerunt ſanctorum Martyrum innumeri, qui velut anteſignani ſponte proſiliebant ad agones fidei: abnegātes vitam propriam, & prorſus omnia, ne dum ſuæ voluntatis libertatem, quo ſanguine teſtimonij ſui & veram religionem illuſtrarēt & falſam obſcurarent. Fuit autem hoc genere abnegationis ſuiipſius ſiue perfectæ obedientiæ mire illuſtrata Eccleſia ſub diuo Baſilio magno in Græcia, ſub diuo Hieronymo in Paleſtina, ſub diuo

Auguſtino in Africa, ſub diuo Benedicto in Italia, ſub S. Martino in Gallia, ſub beato Dominico in Hiſpania, ſub diuo Franciſco in Vmbria, viris ſanctitate, & miraculis claris, vt claris cõſtat hiſtorijs. Et hi quidẽ per votiuã profeſſionem in conuẽtibus monaſticis pulcherrime exprimunt euangelicũ perfectæ obedientiæ conſilium.

De huius obedientiæ proprietatibus. Cap. XV.

AD ea quæ in præcedenti capite dicta ſunt de hoc tertio conſilio addimus, quòd ad excellentiam huius obedientiæ ſex requiruntur conditiones. Debet primo eſſe ſpontanea, & non coacta per viam triſtitiæ aut timoris, ſicut coguntur pueri & homines infirmi ad obediendum timore pœnarum: vel cum triſtitia, quæ diminuunt de voluntario. Vnde beatus Paulus 2. Cor. 9. Non ex triſtitia (ſcilicet eſt obediendum) aut ex neceſſitate. hilarem enim datorem diligit Deus. Serenitas enim in vultu, & dulcedo in ſermone multum decorant obedientiam obſequentis. Secundo debet eſſe feſtina: qui enim ſero operatur, ſignum eſt quòd ad operandũ cogitur: & ex conſequenti non ſponte. Quando autem negotium eſt voluntarium, tunc homo feſtinat ad exequendum. Zachæus enim ad mandatum Domini feſtinans deſcendit Luc. 19. Quam ob cauſam audire meruit: Hodie huic domui ſalus a Deo facta eſt. Tertio debet eſſe intenſa, vt obediens circa illud, quod eſt ſibi præceptum, operetur interius: quia cum voluntas ſit principium operationum talium per actum præuium volitionis, quanto actus elicitus eſt intenſior, tanto imperatus eſt perfectior. Quarto regulata: quia niſi ſit a recta ratione dictata, non eſt iuſta, cũ prudentia ſit regula omnium virtutum moralium. Dicebat enim adoleſcens 2. Machab. 7. Non obedio præcepto regis, ſed legis. Quinto debet eſſe ardua, ad hoc vt ſit excellenter cõmendata: ſi enim ſit facilis, non eſt admirabilis. Talis erat obedientia beati Petri dicentis Act. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Vltimo debet eſſe perſeuerans: qui enim perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit Matth. 10. Supradictas proprietates habuit obedientia Abrahæ. Fuit enim commendata, quando immolare voluit filium: Vnde beatus Paulus ad Hebr. 11. Fide quidem Abraham obediuit in locum exire: & fide obtulit filium ſuum Iſaac, cum tentaretur. Fuit enim in eo ſpõtanea, tum quia Deus nullam pœnam illi præcepto impoſuit, tum quia Abraham in nullo reclamauit. Fuit & feſtina & intenſa, cum dicatur Gen. 22. quòd de nocte conſurgens ſtrauit aſinum, & arripuit gladium: quod factum deſignat actum & feſtinum & intẽſum.

Quinto fuit regulata, cum dicat beatus Auguſtinus: quòd intonante diuino præcepto, non eſt diſputandum,ſed parendum 16.de ciuitate Dei cap. 32. Vltimo obediuit perſeueranter paratus peregrinari in terra aliena peregrinationem difficilem & laborioſam vſque in finem vitæ ſuæ. Quid autem præſtet hæc fidei ac charitatis obedientia,quæ inter conſilia euangelica eſt annumeranda,licet ex ſupradictis ſatis pateat,concluſiue tamen dicimus,quòd ipſa facit hæredem,ciuem,& alumnum regni cælorum: & per eam ſolum impletur Dei patris voluntas,vt pater eſt. Nihil fere commendatur in ſcripturis velut diuina munificētia dignum,adeo atque victimæ, & holocauſtum: attamen melior eſt obedientia,quàm victimæ primi reg. 15. Quia ſecundum beatum Gregorium libro 35. moral. cap. 12. Per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quiſque Deum citius placat,quanto eius oculus,repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Conſilia enim (vt dictum eſt) de ſe neminem ligant: & vouere in noſtra eſt poteſtate. Reddere emiſſum votum, per quod Deo offerimus & arborem & fructum,eſt de iure diuino, vt multis ſcripturæ teſtimonijs probari poteſt: quæ breuitatis cauſa omittimus præcipue cū in tractatu de præceptis multa ad huiuſmodi probationē tacta ſint. Votum ſic definitur,quòd ſit melioris boni Deo facta promiſſio: res votiuæ ſunt, quæ recte vouentur. Quicquid etiam quiſque Deo placere,& ad honorem eius facere exiſtimauit, ſeu ad oblationes,ſacrificia,diuinum cultum,ac Dei ſeruitio pertinens,ſeu etiam ad vouentis ſanctificationem,aut proximorum vtilitati ſubſeruiens,id licite voueri poterat: & votum erat & bonum & obligatorium. Saluator etiam noſter nihil detraxit voto pendente ex lege naturæ: immo vſum magis perfecit, perfectiora proponens hominibus. Vnde nemo recte vouet,quod per ſe illicitum eſt, & Deo non placet: nec etiam licita omnia recte vouemus, cū multa liceant, quæ non expediunt, nec ædificant. Vnde non expedit ſoluto vouere ducere vxorem,etiam quòd poſſit illud facere: quia forte Deus inſpirabit ſibi maius bonum,perpetuam ſcilicet continentiam. Et hæc pro tertio conſilio ſufficiant.

Quartum conſilium eſt de dilectione inimicorum. Cap. XVI.

QVAM breuiſſime poterimus, abſoluemus nouem ſequentia conſilia. Et primo quartum in ordine, quod habet Matth. 5. Diligite inimicos veſtros &c. hoc enim quoad dilectionis affectū, eſt præceptum: quo vero ad dilectionis effectus,eſt conſilium. Sco-

tus tamen in 30. diſt. tertij dicit: quòd inimicus poteſt conſiderari per ſe, vt inimicus: & per accidens, inquantum homo. Si conſideretur vt inimicus, non eſt tantum malus priuatione boni, ſed habitu poſitiuo vitij: ſicut iniuſtus dicitur non ſolum carens habitu iuſtitiæ, ſed habens habitum iuſtitiæ contrarium cauſatum ex actibus iniuſtis, vt inquit Boetius ſuper prædicamenta capite de qualitate. Hoc modo cum amicitia reſpiciat bonum virtutis in amato, & hoc cõueniens actui virtutis in amãte: inimicitia reſpicit malũ diſcõueniens bono, quod eſt in eo, qui eſt inimicus: Inimicus ergo vt talis eſt malus & vitioſus: & per cõſequens nullo modo eſt ſic diligẽdus. Hoc enim modo odiuit inimicum, qui dixit: Deficiant peccatores a terra & iniqui, ita vt non ſint: Non ſint quidem inimici & iniqui: quia verte impios, & non erunt Prouerb. 12. Loquẽdo autem de inimico per accidens, videlicet de hoc homine, qui nunc eſt inimicus, habet quæſtio difficultatem. Et hoc modo poſſumus loqui de dilectione vel poſitiue quaſi per modum actus eliciendi, vel quaſi prohibitiue per modum actus contrarij arcendi. Hoc ſecundum eſt magis neceſſarium, cum præcepta affirmatiua magis obligent, ne contraria eorum fiant. Et hoc modo accipiendo diligere, videlicet pro non odire, diſtinguit: quòd duplex bonum poſſumus non odire inimico, ſcilicet ſpirituale, quo attingit vel natus eſt attingere Deum: vel aliud bonum indifferens, quod poteſt ordinare ad illud, & ad oppoſitum. Exemplum primi, vt ipſum diligere Deum amore amicitiæ, vel vt eſt bonum honeſtum: vel concupiſcere ſibi Deum, vt eſt bonum commodi: ipſum audire miſſam, prædicationem, correctionem, inſtructionem, per quæ conuertitur ad diligendum Deum. Exemplum ſecundi, vt ipſum viuere vita corporali, ſanum, diuitem, fortem &c. Quantũ ad prima bona concludit, quòd non poſſumus illa ſibi odire vel nolle, cum hoc non ſtet cum perfecte diligere Deum, ſcilicet nolle illum condiligi ab alio, cuius amicitia non noſcitur ei diſplicere: & hoc condiligi, tam ratione boni honeſti, videlicet propter ſe, quàm ratione boni commodi eius. Nec pari ratione ſtat cum perfecte diligere Deum, nolle alij illa bona, per quæ inducatur ad condiligendum Deum. De bonis vero indifferentibus, videtur ſibi, quòd poſſimus odire illa proximo: tum quia poſſum ordinate illa mihi odire: tum etiã quia ille poteſt ordinate nolle ea ſibi. Et ratio eſt: quia poſſum ordinate nolle mihi diuitias, ſanitatem, & alia neceſſaria ad vitam corporalem: & hoc vel contemnendo ea, vt ſi fiam pauper voluntarie: vel volente Deo infligere illa mihi propter peccata mea purganda potius hic, quàm in purgatorio: vel voluntate conſequente, ſi ſint inflicta, acceptare

ea gratanter & gaudenter. Et ex conſequenti, quòd poſſumus eodem modo velle inimico paupertatem voluntariam:& ita quòd careat diuitijs, amicis, ac ſanitate: & quòd infligantur ſibi aliqua mala a Deo ad eius correctionem: præcipue ſi crederem eundem per talia commoda ſumere occaſionem magis delinquendi: & quoad hoc conformiter eſt dicēdum de bonis fortunæ,ſicut de bonis corporis. Quid dicendum de vita corporali? an poſſimus eam nolle inimico? Videtur prima facie, quòd ſic: tum quia iudex in cauſa criminali poteſt iuſte ſententiare contra eum:tum etiam quia actor in eadem cauſa poteſt licite agere cōtra eum:Vterque igitur poteſt velle effectum illius ſententiæ, vtputa rei occiſionem. Similiter ſiquis impugnet Eccleſiam, cum talis quantū eſt de ſe, impediat bonum commune, videlicet pacem Eccleſiæ: vt bonū commune ſaluetur, videtur quòd aliquis poſſit ordinate velle tali perſecutori corporalem mortem propter ſupradictam cauſam. Reſpondet tamen Scotus vbi ſupra, quòd non poteſt quis abſolute velle proximo mortē corporalem: quia poſt mortem non eſt pœnitentia, nec cōuerſio ad diligendum Deum, ſicut eſt poſt priuationem diuitiarum, ſanitatis, & huiuſmodi. Immo priuatio talium poteſt eſſe occaſio pœnitentiæ,& vt reuertatur ad cor: non ſic priuatio vitæ corporalis. Poteſt tamen quis ordinate velle proximo mortē ſub cōditione: verbi gratia, vt ſi credat eum finaliter futurum malū:tunc quis ei poteſt optare mortem, vt det locum ſanctis, quos impedit: vel ne accumulet peccata peccatis,propter quæ poſt mortem acrius puniatur. Et illæ duæ cauſæ colliguntur ex verbis legendæ beatæ Anaſtaſiæ, quæ ſcripſit Griſogono de viro ſuo Publio: vt ſi Deus ꝓuideret eum in infidelitate manſurum, iuberet eum dare locū ſanctis:melius eſt enim ei animam exhalare,quàm Dei filium blaſphemare. Et ita nec in iſto caſu,nec in duobus præcedentibus de iudice & tyranno, poteſt quis abſolute velle proximo mortem corporalem, ſed potius oppoſitum. Loquendo autem de actu poſitiuo diligendi inimicum, dicit idem doctor vbi ſupra: quòd ſi appareat alicui euidens neceſſitas inimici, puta quòd ſine ipſo non poteſt habere ſibi neceſſaria ad diligendum Deum: vt ſi ſit infidelis,& ſine eius doctrina non poſſit conuerti ad veritatem: vel ſi eſt malus, & ſine eius correctione non poteſt conuerti ad bonum: ſic tenetur non modo ad velle bonum finale ſpirituale inimico: ſed & bona neceſſaria ſibi ad conſequendum finale bonum: & ea ſibi procurare in effectu, ſi adeſt facultas. Quantum autem ad bona ſpiritualia quilibet tenetur orare Deum pro ſe,& pro tota Eccleſia Dei: & tenetur velle iſtam orationem valere bono & malo ad bonum ſpirituale.

tuale. Sicut enim eſſet malus ſtomachus, qui nollet ſuſtẽtationem ſuam valere conſeruationi manus: ita non eſt bonus in Eccleſia, qui nollet orationem ſuam valere omni membro Eccleſiæ, pro quibus Deus illam acceptat. Pium eſt etiam laborare pro vita proximi ſeruanda, cum ſupponendum ſit, quòd ſi eſt bonus, erit melior: & valebit ſibi & alijs ſua bonitas. Si vero eſt malus ſupponendum eſt, quòd corrigetur: hoc enim eſt pie iudicare, ſcilicet interpretari ſemper melius, quãdo non eſt oppoſitum manifeſtum. Ceterum licet velle inimico gratiam & gloriam ſit neceſſitatis, oſtendere tamen ei ſigna beneuolentiæ, eſt perfectionis & cõſilij: ad quod non omnes tenemur. Sane negare homini ſigna familiaritatis, quando veniam petit, vel neceſſitas expoſcit, vindicta eſt. Similiter quando ille, qui hoſtis erat, ad familiaritatem ſe ingerit, ſi habeatur præſumptio, quòd non ſimulate vel irriſorie faciat, tunc diligendus eſt, & inter amicos computandus. Sed quòd aliquis vltro ſe ad familiaritatem inimici ingerat, hoc perfectionis eſt. Vnde quòd aliquis iniuriam paſſus reconciliationem quærat & amicitiam, nõ eſt debitum neceſſitatis, ſine quo non eſt ſalus: ſed eſt perfectionis & conſilij, quo magnum expectatur præmium. Eadem eſt ratio diligibilitatis in amico & inimico, loquendo de inimico per accidens, inquantum eſt homo & ad imaginem Dei. Et ſi obijciatur illud quod dicitur Matth. 5. videlicet: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: reſpondemus, quòd ſignanter dicit Saluator, dictum eſt antiquis, non ſcriptum, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: quia ſi ſcriptum erat, diliges amicum tuum, non tamen odies inimicum tuum: ſed Iudæi peruertentes ſcripturã, arguebant hoc per locum a contrario, & ita ſeruabãt. Quòd autem male intellexerint, probat Saluator dicens: Si enim tantum diligitis illos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Et hoc de 4. conſilio.

De ſingulis alijs euangelicis conſilijs Cap. XVII.

QVINTVM conſilium eſt manſuetudinis Matth. 5. Siquis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe ei & alteram: quod ſic intelligitur, paratus ſis aliam ſuſtinere patienter iniuriam. Et hoc conſilium eſt patientiæ reſpectu læſionis corporis. Et ad idem pertinet aliud, quod eſt patientiæ reſpectu ablationis rerum, ſicut illud Matth. 5. Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tollere, relinque ei et pallium. Pro quo nota, quòd con-

tingit ſua repetere coram iudice fideli dupliciter: aut cum contentione & fraude: aut cum charitate. Primum nulli licet: ſecundum licet infirmis & imperfectis. Vnde non repetere, conſilium eſt infirmis: perfectis vero præceptum. Illis autem, qui renuntiauerunt proprietati, non licet repetere ſua vt ſua, ſed vt cõgregationis, non propter ſe, ſed propter commune bonum.

Sextum conſilium eſt miſericordiæ & ſupererogationis, vt illud. Omni petenti tribue: & ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus Luc. 6. Pro quo nota, quòd dare ſuperfluum, eſt neceſſitatis in extrema neceſſitate: ſed dare quibus egemus, cõſilij eſt. Vnde Auguſtinus: Melius eſt minimis egere, quàm plus habere. Quod autem dicit Dominus Matth. 6. Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, vos eadem facite illis: ſic intelligendum eſt: quæcumque vultis rationabiliter & dictante charitate, vt faciant vobis homines &c. Vnde ſi peteremus rem aliquam, & non videremus illud eſſe rationabile, non vellemus rationabiliter dari nobis. De hac elargitione multa ſunt dicta ſupra in ſecundo conſilio euangelico.

Septimum conſilium eſt de ſimplicitate verborum: de quo ad complementum dictum eſt ſupra in ſecundo præcepto; ideo hic paucis me expediam. De hoc ſcribitur Matth. 5. Sit ſermo veſter eſt eſt, non non. Cuius ſenſus eſt, ſi affirmatio & negatio eſt in ore, ſit & in corde. Ad hoc conſilium reducitur illud etiam Matth. vbi ſupra: Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non periurabis. Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Vnde nota, quòd iurare, quantum ad infirmitatem pertinet, permiſſionis eſt: non iurare autem, vt ad perfectionem attinet, conſilij eſt. Prohibet etiam Dominus iurare per creaturas, ſcilicet per cælum, per terram, per capillum, propter idololatriam, ne videlicet crederemus aliquid numinis eſſe in illis. Fiunt tamen interdum iuramenta per euangelium & cruces, ideſt per eum, cui hæc ſunt dedicata.

Octauum conſilium eſt de vitanda occaſione peccatorum: quod habetur Matth. 18. vbi dicitur. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Super quo loco inquit Auguſt. Nullũ membrorum erui præcipitur ad literã: ſed occaſio peccandi Poteſt enim occaſio eſſe ex aſpectu, & tunc oculus ſiniſter ſcandalizat: vel poteſt eſſe occaſio ex contactu, & tunc manus ſcandalizat. Poteſt eſſe inſuper occaſio peccandi ex alio: & hoc vel a conſiliario, qui dicitur oculus: vel ab adiutore, qui dicitur manus. Vnde conſiliarius, qui dicitur dextera, eſt adiutor in ſpiritualibus: ſiniſtra in tẽporalibus. Huiuſmodi ſi ſcandalizant, abijciendæ ſunt, cum occaſiones pec-

candi

candi ſint tollendæ. Vnde Diuus Bonauentura in memorialibus, memoriali 24. inquit: Eruendus eſt oculus ſcandalizans, ideſt, occaſiones peccandi vitandæ ſunt.

Nonum conſilium concernit rectitudinem intentionis. Hoc cõſilium eſt de rectitudine finis & intentionis: quod habetur Matth. 6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus:& paulo poſt. Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: rurſum. Sic luceant opera veſtra coram hominibus, vt glorificent patrem veſtrũ. Pro cuius declaratione notandum, quòd cõtingit conſtituere duos fines, temporalem ſcilicet, & æternum. Si æternum, vt finem vltimum, bene licet. Actio autem ſpiritualis, vt prædicatio, non poteſt referri ad finem temporalem, ita quod illud temporale referatur ad Deum, cum non ſint facienda mala, vt veniant bona. De iſtis tanguntur multa in tractatu de præceptis cap. 28. & 29. Et hoc eſt quod dicunt doctores, Non debemus euangelizare, vt manducemus, ita quod manducare ſit finis principalis: ſed manducare, vt euangelizemus. Nota etiam, quòd nos tenemur illos actus referre ad Deum, quorum ſumus domini ex rationis imperio, vt eſt manducare, cogitare, eligere, & ſimilia: & non inobedientes rationi, vt ſunt actus, nutritiuæ, reſpiratiuæ, & huiuſmodi.

Decimum conſilium eſt de conformitate operis ad doctrinam. Iſtud conſilium tangitur Matth. 23. vbi dicitur. Alligant enim onera grauia & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea mouere: & Matth. 7. Hypocrita eijce prius trabem de oculo tuo &c. Pro quo notandum, quòd aliquando in prædicatione aſſeritur veritas generaliter, videlicet de his, quæ ſpectant ad ſtatum ſalutis: & ſic tenetur facere prædicator, quod dicit, cum aſſerit ad hoc teneri omnes. Aliquando vero aſſerit ſecundum ſtatum perfectionis, vtpote religionis: & hoc modo non tenetur, niſi perfectionem ipſam ipſe vouerit. Si quæratur, an malus peccet prædicando: reſpondetur, quòd exiſtens in peccato mortali notorio peccat prædicando, ſiue hoc faciat ex officij neceſſitate, ſiue ex voluntate: quia ſcandalizat. Exiſtens autem in peccato occulto, ſi prædicat & ſtudet ex cõcione ſua compungi, adhuc videtur peccare, cum videatur contemnere, licet minus peccet.

Vndecimum conſilium eſt de vitanda ſolicitudine. De hoc conſilio dicitur. Matth. 6. Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis &c. Et rurſum: Nolite cogitare de craſtino. Pro quo ſciendum, quòd triplex eſt ſolicitudo. Prima laudabilis, vt prouidentiæ ſpiritualis: de qua pri. Cor. 7. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo: & ad Rom. 12. de prælatis dici-

tur. Qui præeſt in ſolicitudine. Secunda eſt tolerabilis,& eſt ſolicitudo quoad corporis neceſſaria: de qua Luc.10.Martha martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Tertia eſt damnabilis,quæ eſt ſuperfluæ theſaurizationis quoad auaritiam.Eccli.2. Peccatori autem dedit Deus afflictionem peſſimam,vt addat & congreget: & hæc eſt vanitas, & caſſa mentis ſolicitudo. Solicitudo prima præcipitur: ſecunda toleratur: tertia prohibetur.

Vltimum conſilium eſt fraternæ correptionis: de quo Saluator Matth. 18. dicit beato Petro. Si peccauerit in te frater tuus &c.Pro quo notandum, quòd fratrem corripere, quãdoque eſt conſilium, vt quando corripitur ſuper venialibus: quandoque eſt præceptum, vt corripere eum de mortalibus. Hoc ſecundo modo ad omnes pertinet, & non obligat ſemper, ſed pro loco & tempore: quando ſcilicet videt, quòd vtilis ſit correctio. Ad hæc addimus, quòd triplex eſt dicta correctio, videlicet amoris,timoris, & pudoris: hunc ordinem fraternæ correctionis docet Dominus vbi ſupra. Primo enim innuit fratrem reuocandum eſſe amore, cum iubet eum ſingulariter corripere, dicens: Corripe eum inter te & ipſum ſolum. Secundo ſi hoc non valet, docet eum eſſe reuocandum timore, vbi ait: Si te non audierit adhibe vnum, vel duos tecum. Tertio ſi adhuc ſe non correxerit,docet eum eſſe reuocandum pudore,vbi ait: Si nec illos audierit dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, ideſt, excommunicari debet, & euitari. Sane prædictus ordo fraternæ correptionis intelligitur tantum de criminibus: quia de culpis cõmunibus ſolent clauſtrales ſe in ſuis capitulis accuſare,non præmiſſa admonitione. Veruntamen accuſans alium caueat diligenter,ne hoc faciat ad diffamandum, ſed ad corrigendum: quoniam ſiquis ex deliberatione contrarium faceret, mortaliter peccaret: & hæc ſufficiant pro notitia conſiliorum habenda.

Supradictis addere voluimus duo capita de permiſſionibus,ad habendam plenam notitiam nonnullarum ſententiarum in ſupradictis tractatibus contentarum.

Caput. Primum.

SAPIENTISSIMVS Deus prudentiſſime hominũ genus gubernandum duxit, non ſolum præceptis, & conſilijs, verum & permiſſionibus,quibus ſane multa aut tolerat, aut indulget, aut de ſeueritate remittendo diſpenſat aliter, quàm ius commune exigit.

Permittere

Permittere igitur eſt tolerare, ſiue non impedire. Deus enim etſi prohibuerit mala, præceperit bona, conſuluerit meliora: multa tamen miſericorditer, plura longanimiter, nonnulla ægre & non ſine magna indignatione permittit. Pro quo notandum, quod Auguſtinus de ſpiritu & litera cap. 33. inquit: quòd infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum eius euangelio non credunt. Multa itaque fiunt contra præceptum, vel prohibitionem Dei: quæ tamen non fiunt contra ſempiternam eius voluntatem. Multa etiam fiunt præter Dei voluntatem, quæ ipſe eſt: quæ tamen non fiunt præter illius permiſſionem, quæ ipſe non eſt, vt hominum peccata. Quæ teſte Auguſtino ſuper pſal. 16. fiunt præter eius voluntatem ſcilicet ſempiternam, quæ ſemper efficax eſt & omnipotens, vt fiat omne quod velit, & nihil fiat quod nolit. De qua verum eſt, quod ſemper impletur aut a nobis, aut de nobis. A nobis quidem, quando bonum facimus: ideo enim facimus, quia Deo placere ſcimus. De nobis quando peccamus: ſiquidem etiam de hoc operatur Deus, quod vult. Nam vult peccantem corrigi, vult pœnitenti parcere, vult perſeueranti in bono gloriam dare, vult & in peccatis perſiſtentem puniri, iudicari, & damnari. Totum itaque hoc ad miſericordiæ & iuſtitiæ ſimul ſuæ oſtenſionem vult. Quia igitur mali fecerunt contra præceptum Dei, quod voluntas eius appellatur, licet improprie: non autem fecerunt cõtra beneplacitum Dei, quod proprie eius voluntas eſt: Hoc enim facere non potuerunt propter eius omnipotentiam: illud vero valuerunt propter permiſſionem ipſius. Et ita per hoc, quòd fecerunt contra voluntatem Dei, hoceſt contra præceptum, de ipſis facta eſt voluntas eius, hoceſt impleta eſt ſempiterna ipſius diſpoſitio, qua tales damnare voluit.

Quotuplex ſit permiſſio. Cap. Vltimum.

AD ſupradicta addimus, quòd permiſſio eſt multiplex. Vnde aliquando permitti dicitur id, quod nõ punitur etiam ſi malum ſit. Sæpe enim mala diſſimulantur, & ſine punitione relinquuntur, vt maius malum euitetur. Vnde in cap. Duo mala, diſt. 13. Licet omne malum ſit vitandum: tamen ſi periculi neceſſitas vnum ex duobus perpetrari compulerit, id debet ſumi, quòd minori nexu noſcitur obligare. De hac permiſſione loquitur Saluator Matth. 19. Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem nõ ſic. Dimidium mali permiſit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permiſit Iudæos dare libellũ repudij: quia

quia melius iudicauit permittente lege matrimonia ſolui, quàm odio compellente homicidium fieri. Permiſit eis facere mala, ne facerent peiora: hæc Chryſoſtomus. Idem beatus Hieronymus in commentarijs ſuper Matth. eadem verba Saluatoris interpretando: Alio modo dicitur aliquid permitti, quia cum poſſit impediri ne fiat, non impeditur. Et licèt ad Rom. 4. dicatur, quòd non ſunt facienda mala, vt eueniant bona: tamen bene poſſunt mala nō impediri, vt maius bonum inde eliciatur, quàm eſſet illius mali prohibitio. Vnde Gregorius in quadam epiſtola ad Paſchaſiū Epiſcopum Neapolitanum: Deus enim permittit multa mala a ſceleratis hominibus fieri: quia illa non impedit, ne fiant: quamuis id facillime efficere poſſet. In his igitur non ideo mala permittere dicitur, quia inulta relinquit: ſed quia ex illis bonum multo maius elicere ſtatuit, quàm eſſet illius mali prohibitio. Et Auguſtinus in enchi. cap. 11. Deus omnipotens, cui rerum eſt ſumma poteſtas, cum ſit ſumme bonus, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis: niſi vſque adeo eſſet omnipotēs & bonus, vt bene faceret etiā de malo. Quod intelligitur, quia Deus pro ſua immenſa bonitate ex illis malis capta occaſione, facit bona: quæ niſi mala præceſſiſſent, nō fuiſſet facturus. Hoc modo Iudith dicit cap. 13. de ſe: Non permiſit me Deus ancillam ſuam coinquinari: quia impediuit Holofernem, ne cum illa miſceretur. Et ad Rom. pri. Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, eo quòd impedire noluit eorum deſideria. Tertio modo aliquid dicitur permitti: quia conceditur, ſiue id communi lege omnibus concedatur, ſiue priuilegio particulari contra communem omnium legem ſit alicui conceſſum: de quo modo loquitur Tullius 4. rhetoricorum ad Herenniū, dicens. Permiſſio eſt, cum oſtendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere, & concedere alicuius voluntati, ſic: Quoniam omnibus rebus ereptis, ſolum mihi ſupereſt animus & corpus: hæc ipſa, quæ mihi de multa ſubſtantia relicta ſunt, vobis & veſtræ condono poteſtati. Luc. etiam 8. Rogabant Dominum dæmones, vt permitteret eos in porcos ingredi: & permiſit illis. Hoc modo Apoſtolus conceſſit nuptias, (pri. Cor. 7) non quia malas, ſed quia nullo iure diuino prohibitas: immo potius per indulgentiam conceſſas. Hoc quoque modo Gregorius Papa Anglis permiſit (qui tunc nouiter ad Chriſti fidem fuerant conuerſi) vt intra quartum conſanguinitatis gradū matrimonia contraherent: vt patet per eius epiſtolam, quam Auguſtino Anglorum epiſcopo de hac re ſcripſit. De primis duobus modis loquitur Innocen. in c. Cum iamdudū, de præbendis & dignitatibus. Multa (inquit ille) per patientiam tolerantur:

quæ

quæ ſi deducta eſſent in iudicium exigente iuſtitia, non deberent tolerari &c. De tertio & ſpecialiter de libero arbitrio, quod Deus nobis hoc modo dedit,& poſuit in noſtra poteſtate, habetur Gen. 4. de quo dicitur. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Et Eccli. 15. Deus ab initio conſtituit hominem,& reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mādata & præcepta ſua: ſi volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manū tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Et hoc liberū arbitrium Deus cōtulit nobis, vt eo bene vteremur. Quod licet per Adæ peccatum fuerit attenuatum, non tamen extinctum, cum per illud vere poſſimus noſtræ cooperari ſaluti. Et poſt præuenientem habitam gratiam, vt pote vocationem diuinam, quæ eſt primum requiſitum ad noſtram iuſtificationem, vt dictū eſt in tractatu de ſymbolo articulo 12. liberum ipſum arbitrium poteſt eidem vocationi aſſentire & diſſentire. Cuius videlicet iuſtificationis licet Deus ſit cauſa effectiua,& pijſſimus Ieſus meritoria, & gratia gratum faciens formalis: liberum tamen arbitrium concurrit vt cauſa præparatiua, ſiue diſpoſitiua ad eandē. Poſt vero adeptam iuſtificationem, liberum ipſum arbitrium a nobis hoc tertio modo permiſſum, ideſt conceſſum & gratis donatum, vna cum charitate ſiue gratia præfata gratum faciente,opera facere poteſt digna de condigno vita æterna: ad quam nos perducat ille, qui ſine fine viuit & regnat in ſecula ſeculorum: Amen.

FINIS

CONSILIORVM EVANGELICORVM

ET PERMISSIONVM.

DIVERSIS NOSTRIS SVPERIORIBVS TRActatibus, Nos Clemens Monilianus Cardinalis Aracæli addidimus tractatum ſequentem, videlicet de Cælibatu exiſtentium in ſacris ordinibus.

CAELIBATVS ſacerdotum, & aliorum, qui ſunt in ſacris ordinibus conſtituti, licet nō ſit in ſcripturis ſacris expreſſus, eſt tamē ab Apoſtolis traditus, & ex ſcripturis ſacris, vt inferius oſtendemus, probabiliter demonſtratus. Vſque enim adeo ipſam dictorum miniſtrorū altaris cōtinentiam cenſemus eſſe accommodam & annexam pulchritudini & dignitati gradus Eccleſiaſtici, vt nullo modo eſſe poſſit ſine ea. Deus enim ipſe, qui ſanctus eſt ſanctorum, a ſanctis & mundis miniſtris, mediante virtute illa, continentiæ ſcilicet, ſyncere colitur: & ſacratiſſima diuini altaris myſteria puritatis atque munditiæ pleniſſima, puris manibus & mundo corde & corpore, cum affectu & reuerentia debitis contrectantur. Et licet ſacerdotibus & miniſtris altaris veteris legis liceret vxores ducere (tunc enim ex ſola tribu leuitica eligebantur miniſtri tabernaculi ad ſacerdotale munus obeundum, vti conſtituerat Deus: & in ſummi ſacerdotij officio filius patri demortuo ſufficiendus erat etiam diuino decreto: propter quod ſi connubio non fuiſſent coniuncti ſacerdotes illius temporis, interijſſet demum tota tribus illa: & ita tādem nullus ad exercendum tabernaculi miniſterium inuentus fuiſſet miniſter, quod eſt abſurdum: de quibus miniſtris leuitici generis Beatus Ambroſius in explanatione epiſtolæ beati Pauli ad Timothæum inquit. Veteribus iccirco hoc conceſſum eſt leuitis & ſacerdotibus, vxores ſcilicet ad vſum habere, quia multum tempus otio vacabant a miniſterio & ſacerdotio: multitudo enim tunc erat ſacerdotum, & magna copia leuitarum, & vnuſquiſque certo ordine ſeruiebat diuinis cæremonijs, ſecundum inſtitutum Dauid, qui vt habetur primi Paral. 24. vigintiquatuor conſtituit claſſes ſacerdotum, vt ſuis vicibus deſeruirent. Vnde Abia octauam claſſem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur ſacerdotio: ita vt tempore, quo illos non contingebat deſeruire altari, domorum ſuarum agerent curam: vbi autem tempus imminebat miniſterij, purificati aliquot diebus accedebant ad templum, vt offerrent Deo) Non tamen hoc, videlicet habere vxores licet ſacerdotibus legis gratiæ, & euangelij: nec exemplum illud de ſacerdotum

connubio trahi debet ad legem nouam, ſecundum documentum in ſimili beati Auguſtini in 3. lib. de doctrina chriſtiana, dicentis. Cauendum eſt, ne forte quod in veteribus ſcripturis pro illorum temporum conditione non erat flagitium neque facinus, ad iſta etiam tempora quis putet in vſum vitæ poſſe transferri, vt de vxorũ pluralitate antiquorum patrum tempore conceſſa, & nunc interdicta, & de ſimilibus ſacerdotum Moſaici ritus: quæ omnia ſine aliquo piaculo aut nota tunc admittebantur. Quod tamen ad vſum vitæ huius temporis, propter mutatas cum lege & nouo vitæ inſtituto ſanctiones in perfectiorem diſciplinam, nullo modo admitti debet. Et ratio adduci poteſt: quia modo non eſt certa delecta cognatio ad altaris officium, neque ſecũdum carnis propaginem fieri debet ſucceſſio in eccleſiaſtica adminiſtratione, vt fiebat in ãtiqua lege: ſed dumtaxat ſecũdum ſpiritum: & eorum, qui idonei ſunt ad tantum munus ſubeundum. Ideo qualitas miniſtri antiquæ legis lõge diuerſa eſt a noſtræ legis inſtituto, præcipue cum beatus Paulus dicat ad Hebręos 7. quòd ſicut translato ſacerdotio, neceſſe eſt. vt legis translatio fiat: ſic e diuerſo translata lege operæpretiũ eſt, vt etiam ſacerdotij fiat translatio. In antiqua autem lege ſacerdotium, quod fuit ad pecorum carnes & ſanguinem offerendum, erat ſecundum carnem: in noua autem lege vbi ſacri corporis & ſanguinis dominici fit oblatio, neceſſe eſt ſacerdotium eſſe ſecundum ſpiritum, pro qualitate ſcilicet meritorum & probitate vitæ.

DVO igitur pro hac materia, & pro ſtatuendo ſacerdotum & aliorum miniſtrorum cælibatu, proponemus dubia. Et licet nonnulli docti viri pro oſtendenda veritate de cælibatu ſacerdotum diſtinguant quinque Eccleſiæ ſtatus, ſiue tempora, quæ ortum habuerunt a principio naſcentis Eccleſiæ, & terminantur in ſeculum noſtrum, in quibus erudite demõſtrant, quid in dictis tẽporibus ſuper dicta veritate Eccleſia ordinauerit, ac quid in vſu & mandato ſemper fuerit: quia tamen in hoc tractatu noſtro, ſicut & in ceteris, magiſtraliter & ordinate procedere intendimus, placuit eundem reducere ad duo dubia principalia: ex quorum diuiſione iudicio noſtro facilę erit videre, quòd cælibatus ſacerdotum & aliorum in ſacris ordinibus conſtitutorum, & ab euangelij exordio fuit in vſu & inſtitutus, & ab Apoſtolis non modo vt verbi Dei præconibus, ſed vt habentibus Eccleſiæ regimen, traditus: vt inferius patebit ex epiſtolis Clementis & Siritij, ac ex nonnullorum patrum teſtimonijs.

Sed antequam duo dicta dubia proponamus, ſub breuitate præmittimus dictos quinquę Eccleſiæ ſtatus, ſiue quinque tempora

ſupradicta: quo facto reſpondebimus ad dicta dubia per patrum & conciliorum ſententias: & oſtendemus dictam altaris miniſtrorum continentiam eſſe non ſolum Eccleſiæ decori accommodam, ſed & neceſſariam: ſimiliter & quo tẽpore floruerunt patres, quos ad hoc propoſitum adducemus: & ſub quibus Pontificibus concilia ſint celebrata, vt omnibus pateat qualiter in quolibet tempore fuerit in vſu cælibatus ſacrorum miniſtrorum.

Primum tempus fuit ætate Apoſtolorum, in quo eccleſiaſtica ſanctorum patrum traditio docet, ipſos Apoſtolos Chriſti ſaluatoris noſtri veſtigia imitantes & ordinem, inter ceteras virtutes continentiam maxime & caſtitatem obſeruaſſe, & ex illis nonnullos perpetuo virgines vixiſſe: ac alios, qui antea coniugati erant, poſtquã ad Apoſtolatum vocati ſunt, vxores de cetero non cognouiſſe. Legimus quoque eorum traditione & imitatione alios apoſtolicos viros, & ceteros qui ſacra miniſteria obibant, veluti ſacerdotes & diaconos, æque ab vxoribus abſtinuiſſe: immo fideliũ multos non præcepto coactos, ſed perfectionis conſilio adductos, perpetuam Deo caſtitatem deſpondiſſe, ac monaſticam vitam deligentes carnales omnes complexus refugiſſe: quæ omnia apud probatos auctores leguntur. Teſtis eſt de monachis diuus Dionyſius de eccleſi. Hierar. c. 6. dicens: Sanctos præceptores ſuos, ſcilicet Apoſtolos ea docuiſſe: cuius rei clarum teſtimoniũ habetur a ſancto Matthæo in ſua hiſtoria:

Secundum tempus fuit poſt Apoſtolorum ſeculum vſque ad Syluestrum Papã, qui fuit anno Domini 320. Poſt enim Apoſtolorum ætatem Pontifices ſanctiſſimi & martyres, qui Eccleſiam rexerunt, ea, quæ de clericorum cælibatu ab Apoſtolis tradita fuerant, nouis conſtitutionibus confirmarunt, innuptis ſacerdotibus coniugium, coniugatisq; illius vſum prohibentes: pœnis etiã ſeueriſſimis adiectis aduerſus clericos caſtitatem violantes, vt ſacerdotis decus puritasq; conſeruaretur.

Tertium tempus fluxit ab anno 3 2 0. videlicet tempore Sylueſtri vſque ad annum 3 8 9. & ad Siritium Papam: quo tempore cum pax eſſet Eccleſiæ medio Conſtãtini & Helenæ ſanctiſſimæ matris eius reddita, vera fides & viuendi diſciplina publice doceri & prædicari cœpit, & continentiæ laus ſummo apud omnes in honore fuit: quo tempore Eccleſia, non ſolum quas antea habuit de cælibatu & traditiones & leges prorſus retinuit, ſed & nouis conſtitutionibus firmauit & auxit: adeo caſtitatem amplectens, vt etiam laicos ꝓhibuerit ad communionẽ accedere, niſi ſaltẽ triduo a proprijs vxoribus abſtinuiſſent, vt ex Elibertino concilio videre liquet.

Quartum tempus incœpit a Siritio Papa, anno videlicet 389. vſque ad beatum Gregorium, & annum 590. Vnde licet ſub Syluestro & Conſtantino Chriſtiana religio florere maxime cœperit, fuit tamen paulo poſt illud tempus Eccleſia multis grauibus hæreſibus agitata: & inſtituta eccleſiaſtica a priſcis moribus ſatis ſunt prolapſa, ſimulq; clericorum continentia non leuiter & violata & relaxata: propter quod diuerſa concilia celebrata ſunt, quæ non modo decretum Siritij & Innocētij primi amplexa ſunt, ſed & grauiſſimis affecerunt pœnis transgreſſores. Quo tempore, quòd ea, quæ a ſuperioribus legibus cauta fuerunt ac vſu recepta, ſint obſeruata in Eccleſia, teſtantur beatus Ambroſius, qui interpretando verba illa, Diaconi ſint vnius vxoris viri in pri. epiſtola ad Timoth. 3. inquit: Neceſſe eſt eos a conuentu fœminæ abſtinere: quia neceſſe eſt eos quotidie p̄ſto eſſe in Eccleſia, nec habere dilationē, vt poſt conuentū legitime purificent: et nōnulli alij clariſſimi viri, de quibus infra.

Quintum tempus incœpit a Gregorio primo anno videlicet 590. vſque ad præſens ſeculum. Nam poſtquam beatus Gregorius ad pontificalem cathedram vocatus fuit, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cui Mauritius Cæſar acriter fauebat, omni ſtudio conatus eſt, vt titulum œcumenici, ſiue vniuerſalis epiſcopi in Eccleſia Chriſtianorum abrogaret: cui cum viriliter Gregorius reſtitiſſet, hinc poſtea orientalis Eccleſia paulatim ſe a Romana proprijs quibusdam inſtitutis ſubduxit: & inter cetera clericorum intemperantiæ largius indulſit. Hiſce temporum ſpatijs multæ peregrinæ nationes, & præſertim Aquilonares, ad chriſtianam fidem primum ſunt conuerſæ, quæ fortaſſe his primis temporibus nō omnem Eccleſiæ diſciplinæ normam apprehenderunt: Ideoq; tunc aliquando non nihil ab vſu catholicæ Eccleſiæ deflexere. Propterea ſecuta ſunt ſubinde varia inter ſummos Pōtifices & imperatores regesq; diuerſis occaſionibus bella: ita vt in eorum prouincijs, quia Romano Pontifici diſſentiebant, multa catholicæ religionis inſtituta, aut repudiata, aut neglecta fuerūt, præſertim ea, quæ de clericorum pudicitia ordinata erant. Verū Eccleſia catholica his quoque temporibus, ea, quæ ab alijs de dicta continentia antea conſtituta erāt, non ſolum retinuit ſemper, ſed ſua auctoritate roborauit. Propter quod cum in aliquibus Eccleſiis varietas, quoad ſubdiaconorum coniugia, introducta conſpiceretur, primus Gregorius conſtituit, vt æque omnes in ſacris ordinibus cōſtituti tam presbyteri, quàm etiam ſubdiaconi amplius non ordinarentur, niſi continētiam promiſiſſent. Cuius exēplum cæteri Pontifices & concilia ab hac ſancta ſede approbata poſtea ſunt ſecuta: quo etiā iure hodie quoque

catholica vtitur Eccleſia. Nec prætermittendum eſt, quòd in hac rituum temporumq; varietate numquam permiſſum eſt apud vllos Chriſtiani nominis ſacerdotes, vt poſtquam ad ſacerdotium perueniſſent, amplius connubium celebrarent. Nec deſunt auctores, qui affirment nullam umquam nationem extitiſſe, nec adhuc exſtare ex his, quæ Chriſtũ profitētur, non modo in Eccleſia latina atque occidētali, verũ etiã apud Indos, Armenos, Græcos, Aſſyrios, Moſcouitas, aut alios quoslibet, quæ contrariũ huic inſtituto vmquã obſeruauerit. Ex quibus abſolute conſtat, interdictum fuiſſe omnibus ſacris initiatis ordinibus nouum matrimonium contrahere, aut vti iam contracto: quod ſanctus Gregorius pluribus in locis atteſtatur, vt lib. 5. epiſt. epiſtola 42. & 50. & lib. 3. epiſtola 43. ſimiliter & in decretis ſuis c. vltimo. Quibus in locis nõ ſolum coniugia ſacerdotum grauiter damnat, ac eos anathema vocat: ſed etiam epiſcopis præcipit, ne quem ſubdiaconum conſecrare præſumant, niſi qui ſe caſtum victurum promiſerit. Ex quibus conſtat, quòd ſuperiores leges in Eccleſia fuerunt ſemper obſeruatæ in hoc quoque vltimo tempore. Nec ex ſanctis patribus aut catholicis ſcriptoribus poſt diui Gregorij tempora, quisquã eſt qui ab hoc diſcrepet, vt patebit in deciſione præfatorum dubiorum, quorum primũ eſt,

AN circa prima naſcentis Eccleſiæ tempora licuerit eis, qui prius vxores duxerant, eccleſiaſticum ſortiri gradũ, vel ſacris initiari ordinibus: ſimiliter & ſuas relinquere vxores, non quidem quantum ad vinculum, aut adminiſtrationem neceſſariorũ: ſed quantum ad officium coniugale.

SEcundum, An poſt conſecrationem alicui in ſacro conſtituto ordine vmquam licuerit coniungi alicui in matrimonio: quæ duo dubia cum ſint ſatis adinuicē colligata, reſponſiones nonnullæ, quæ faciunt pro primo dubio, poterunt ad ſecundum dubium accommodari, & e conuerſo.

AD primum reſpondemus affirmatiue, quòd nuptiæ in principio naſcentis Eccleſiæ concedebantur ſacerdotibus illis, qui antequam conſecrarentur vxoris erant vinculo implicati. Alijs autem eiuſdem temporis viris eccleſiaſticis, qui maluerunt illis expediri nexibus coniugij, ſingulareſq; viuere, perpetua permittebatur: vt de beato Ioanne Euangeliſta teſtatur beatus Ambroſius in libro. Exhorta. ad virgines, & de beato Iacobo diuus Hieronymus contra Iouinianum. Epiphanius etiam contra Valeſios, Iacobum & Ioannē præfatos tradit virgines fuiſſe. Immo poſt cõſecra-

tionem iniungebatur continentia. Et ratio fuit: quia in his euangelicæ legis incunabulis rarus erat profitẽtium fidem chriſtianam numerus: & huiuſmodi paucitas adigebat Eccleſiam ad hanc neceſſitatem, quòd tunc oportebat miniſtros Eccleſiæ aſſumi ex cõiugatis conuerſis a gentilitate vel iudaiſmo ad fidem catholicam: qui vt plurimum ante huiuſmodi conuerſionem habebant vxores, quas propter chriſtianæ legis profeſſionem non licebat abijcere, eo quòd plerumque ipſæ cum ſuis viris ad ſacræ fidei lumen conuertebantur, aut ſaltem conſentiebant eis cohabitare ſine religionis chriſtianæ contumelia. Et ſic ea tempeſtate accipiendi erant miniſtri Eccleſiæ quales poterant tunc haberi & inueniri, ſiue cælibes, ſiue coniugati. Quæ conſuetudo, videlicet vt vxoratus poſſet ordinari, inualuit vſque ad Nicænum concilium, in quo generali decreto ſtatutum eſt, ne aliquis vxorem habens conſecraretur ſacerdos: quod licet non inueniatur, eo quòd teſte Iſidoro multa illius decreta per incuriam, aut Arrianorum malitiam deperdita ſunt, multi tamen ſancti doctores allegant illud tanquam veriſſimum. Vnde Siritius Papa, qui fuit paulo poſt illud Concilium, acerbiſſime reprehendit transgreſſores dicti ſtatuti: vide Alphonſum de Caſtro in lib. de hæreſibus in titulo, ſacerdos. Vnde etſi licebat ante Concilium, vt videlicet vxoratus poſſet ordinari, iam modo poſt Concilium non licet. In quibus primordijs licet habens vxorem poſſet promoueri, non tamen requirebatur ab eo, qui tunc promouendus & conſecrandus erat, vt prius vxorem duxiſſet, aut duceret, cum beatus Ioannes Euangeliſta, vt dictum eſt ſupra, virgo fuerit, ſimiliter & diuus Paulus Apoſtolus, iuxta omnium ſacrorũ doctorum ſententiam, quos tamen cõſtat ſacerdotes fuiſſe & epiſcopos. Verum pro illo ſtatu oportebat, vt is qui ad epiſcopatum promouendus erat, non habuiſſet niſi vnam vxorem, prout interpretantur illud pri. ad Timoth. 3. Oportet epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, Hier. Ambro. Theophylattus, & alij doctores. Intelligebatur ergo ſentẽtia præfata diui Pauli, ꝙ epiſcopus ſit vnius vxoris vir, ſic, videlicet, ꝙ ſi quiſpiã connubio obſtrictus eligeret in epiſcopũ, aut diaconũ, deberet ille vnius vxoris eſſe vir, & nõ bigamus: vt illis verbis Apoſtolus bigamos excludat a gradu epiſcopali miniſterioq; diaconali: quæ expoſitio eſt præcipue de mente diui Ambroſij ſuper dictum 3. cap. ad Timoth. vbi inquit. Quòd hæc ſigna ſunt dignitatis epiſcopalis: ſi quis autẽ potiora ſectatus, & corpus & animam ſuã Deo dicauerit, ne ſe copulet matrimonio, ante ſcilicet ſuſceptum ſacrum ordinem, tanto magis dignus fiet.

Beatus vero Hieronymus, qui floruit inter concilium Nicænũ &

Siritium

Siritium Papam,reſpondẽdo ad ſecundã partem dicti primi dubij in epiſtola ad Iulianum cõſolatoria de beato Petro,ait: Qui in ſeculo primus es,cur & nõ in Chriſti familia primus ſis? An quia vxorẽ habes?habuit & Petrus, & tamen cum rete & nauicula eã dereliquit; Omnes etiam vxorati diſcipuli poſt aſſumptum Apoſtolatum reliquerunt vxores, quoad vſum matrimonij: de quibus idem Hier. lib. pri. contra Iouinianum. Siqui aliorũ præter Petrum vxores habuerint vocati ad Apoſtolatum,quoad coniugale officium reliquerunt quas acceperant,quando euãgeliũ neſciebant: & ſic facti ſunt tanquam nõ habentes eas. Ad hæc addimus,quod legitur apud eundem in noua editione Aldi to. 2. fo. 33. Sacerdotes eò ſanctos eſſe & dici, quòd cælibatu imitentur pudicitiam virginalem: & eodem to. fo. autem 71. Cælibatu teneri epiſcopos, presbyteros, & diaconos, ac leuitas:qui hoſtias offerre non poſſunt,ſi operi cõiugali ſeruiant: præterea fo. 82. eiuſdem to. Cælibatu teneri clericos ſacri ordinis: idq; ſeruatum eſſe in oriente, & Aegypto, atque in Romana Eccleſia: aut enim ibi virgines clericos eligi, aut continentes: aut ſi vxores habuerint, maritos eſſe deſiſtere.

Sixtus etiam Pontifex lib. 1. de caſtitate c. 7. de omnibus inquit: Omnes diſcipuli Domini aut continentes fuerunt, aut virgines: & merito ac rationabiliter propter infraſcriptas rationes. Si enim ſacerdotes leuitici generis pro tempore ſui miniſterij relicta domo & vxoris contubernio, verſabantur in templo,& morabantur ibidẽ in continentia vſque ad officij ſui expletionem: quæ etiam ſequeſtratio diuino fiebat præcepto, cum legatur Leuitici 8. Aaron & filios eius poſtquam conſecrati erãt in ſacerdotes, totos ſeptem dies in tabernaculo diuerſatos eſſe: quare euangelicæ legis ſacerdos, cum quotidianum debeat Deo impendere miniſterium, non debet a coniugali conſortio eſſe ſeparatus? Primi etiam Regum 21. decretum fuit (vt verba Achimelech dicta Dauid & ſocijs oſtendunt) panes propoſitionis a nemine manducandos, niſi a mulierum,ideſt vxorum,ſecundum expoſitores, eſſet contubernio alienus. Cũ igitur ſacerdotes euangelici panem ſanctum & viuum, adumbratum in dictis panibus propoſitionis, quotidie ſint manducaturi, ſequitur quòd potiori iure debent a mulierũ cõmercio ſemper eſſe ſeiuncti. Beatus quoque Paulus pri. Cor. 7. fidelibus vxorio alligatis vinculo ſalutare præbet documentum, quòd ſi attentius vacare velint orationi, abſtineant ad tempus ab officio coniugali. Supra quæ verba inquit beatus Hieronymus in pri. contra Iouinianum: Si laicus & quicumque fidelis orare non poteſt,niſi careat officio coniugali, ſacerdoti, cui ſemper pro officio offerenda ſunt ſacrificia,

ſemper orandum eſt: & ex conſequenti carendum matrimonio. Ex quibus ſequitur, quòd cum pro ſui muneris ratione teneatur ſacerdos ad quotidianas Deo fundendas orationes, quòd ſemper debeat ab vſu coniugij abſtinere, quo ſyncerius oret, & exaudiatur ꝓ populo. Hanc rationem confirmat beatus Ambroſius ſuper 4. cap. primæ ad Timoth. dicens: Si plebis hominibus abſtinere ad tẽpus ſe præcipit Apoſtolus, vt vacent orationi: quanto magis leuitis & ſacerdotibus, quos die noctuq; pro concredita ſibi plebe oportet orare, & diuinis obſequijs intereſſe, præcipue cum legatione pro ea Chriſti vice fungantur? Si etiam in antiqua lege Exo. 12. nullus carnes agni, qui in figura corporis & ſanguinis Domini immolatus eſt, comedere permittebatur, niſi renes accinctos haberet: per quã renum cincturã deſignabatur libidinis refrænatio, cum Dominus in euãgelio caſtitatẽ cõmendans hac vſus ſit ſententia, Sint lumbi veſtri ꝓcincti: vbi inquit beatus Gregorius, Lumbos .n. præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus: quid dicendũ de ſacerdotibus nouæ legis, qui non carnes agni typici, ſed veri, qui tollit peccata mundi, quotidie cõficere, comedere, ac alijs porrigere habent? Mundiores enim debent eſſe ceteris: quia actores ſunt Dei. Si etiam gentilium ſacerdotes, quorum nonnulli, vt inquit dominus Roffenſis in articulo de communione ſub vtraque ſpecie, idolis immolabant, vt mundius ſacrificia offerrent, caſtrabant ſemetipſos, quanto magis ij, qui vero Deo ſacrificaturi ſunt, & non quodlibet ſacrificium, ſed id quod ceteris omnibus excellẽtius eſt, nempe carnem & ſanguinem filij Dei, caſtrare debent ſeipſos? Vnde Virgilius in 6. Aeneidos. Quiq; ſacerdotes caſti, dum vita manebat.

Falſo igitur hæretici Romanos criminantur Pontifices, perinde ac ſi aduerſus euangelium vel Eccleſiam catholicam ſuum ſenſum ſtatuiſſent de cælibatu ſacerdotum: cum ea res non minus euangelio conueniat & ſcripturæ ſacræ, eo ſcilicet modo quo dictum eſt ſupra, quàm ab Eccleſia catholica comprobetur. Vnde Epiphanius (de quo Hieronymus aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani inquit, quòd fuit eruditione & ſanctitate totius orbis teſtimonio inſignis, & qui fuit inter concilium Nicænum & Siritium, anterior tamen Hieronymo, lib. 3. in compẽdiaria doctrina fidei catholicæ, cum de creandis Eccleſiæ miniſtris agit) edocet & affirmat eccleſiaſtici ordinis, veluti fundamentum eſſe ſanctam virginitatem: quam multi ſancte & magna cum laude perpetuo obſeruant. Vnde ſubdit: Sacerdotium, vt plurimum, ex virginibus procedit, & ſi non ex virginibus, at ex ſolitariam vitam degentibus: ſi vero ij non

ſufficiant

ſufficiant ad miniſterium, de illis qui continēt a proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem ſeruantibus. Nam ei, qui ſecundas nuptias contraxit, non licet ſacerdotium ſuſcipere: & ſiqui cõtrarium faciunt, hoc non eſt iuxta canonem, ſed iuxta hominum mētem, quæ per tempus elanguet. Nam quod decentius eſt, id ſemper Eccleſia per Spiritum ſanctum bene diſpoſita obſeruauit.

Socrates in hiſtoria eccleſiaſtica lib. 5. cap. 22. Præcipuos, inquit, maioriſq; auctoritatis clericos in Oriente vxorum conſuetudinem prorſus abiecíſſe. Quæ etiam caſtimonia adeo Theſſalonicenſibus placuit, vt illos tantum ſacra facere permitterent, qui cælibem vitā degerent. Quam conſuetudinem vniuerſam poſtea Græciam vſurpaſſe teſtatur Nicephorus lib. 12. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 34. quæ tamen temporum iniuria hominumq; incontinētia antiquata fuiſſe videtur. Eccleſia tamen occidentalis (quæ ſicut Petri cathedra cæleſti beneficio exornata atque illuſtrata eſt, ita fidei integritatē, pietatis candorem, religionis ſynceritatem, diſciplinæ præſtantiam cumulatius ſemper obſeruauit) familiarem, atque ſacroſanctum ſemper tenuit ſacerdotum, diaconorumq; cælibatum.

QVòd vero clericorum cælibatus ſemper fuerit in more atque inſtituto catholicæ Eccleſiæ, ſatis ex multis prouincialibus ab hac ſancta ſede approbatis, conſtat concilijs. Et primo ex concilio Elibertino in Hiſpania coacto, magno illi Nicæno proximo, immo illius tempore: quod 33. canone decreuit, vt epiſcopi, presbyteri, diaconi, & hypodiaconi a coniugibus omnino abſtinerent, & violatores a gradu deijcerentur. Ex concilio etiam Arelatenſi 2. Syluestri temporibus in Gallia celebrato, tempore concilij Nicæni, can. 2. cauetur, ne ex illis, qui matrimonio coniuncti ſunt, ad ſacerdotium quis aſſumatur, niſi conuerſionem, hoceſt perpetuam caſtimoniam, prius promiſerit. Synodus Agathenſis canone 12. ſtatuit, ſane quod ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato mãſionis cubiculo, religione promiſſa, poſtquam pariter conuerſi fuerint, ordinentur. In Concilio vero Carthaginenſi 2. canone 2. Siritij tēporibus, hoceſt anno a Chriſto nato 394. celebrato, ſcriptũ extat, Aurelium epiſcopum dixiſſe, tres gradus, epiſcopatum, presbyteratum, & diaconatum præſcriptione quadam caſtitatis per conſecrationem annexos eſſe: Qua ratione patres omnes hac inducti lege iuſſerunt, vt tres illi gradus perpetuam continentiam ſeruarent, quo facilius omnia poſſent a Deo impetrare: vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. In concilio Antiſſiodorenſi can. 20. & 21. carnale commercium & li-

berorum

berorum procreatio presbyteris,diaconis,& ſubdiaconis prohibetur. In concilio Bracarenſi, quod refertur a Gratiano c.pri.diſt.27. cauetur, ne diaconus ordinetur, niſi caſtitatem fuerit profeſſus. In Toletano 4. can. 26. ſtatuitur, vt quando presbyteri & diaconi ordinantur, epiſcopo ſuo profeſſionem faciant, ſe pure & caſte victuros. Concilium vero Toletanum 8. can.5. & 6. appellat immundas ſocietates vxorem, & execrabilem contagionem cũ ſacerdotibus & miniſtris. Zacharias Pontifex in epiſtola ad Bonifacium poſt ſuſceptum ſacerdotium dicit, etiam a proprio coniugio abſtinendũ. Vrbanus 2. in concilio Meldenſi præcipit, vt in ſacris tribus gradibus presbyterorum,diaconorum,& ſubdiaconorum caſte viuatur. Concilium etiam Africanum tempore Bonifacij primi, quod fuit coactum inter Siritium Papam & Gregorium, miniſtris eccleſiaſticis interdicit vxorum ſuarum vſum, dicens: Placuit epiſcopos,preſbyteros, & diaconos ſecundum priora ſtatuta ab vxoribus proprijs contineri: quod ſi non fecerint, ab eccleſiaſtico remoueantur officio. Alia multa poſſemus adducere concilia ab hac ſancta Eccleſia approbata in fauorem cælibatus miniſtrorum altaris, quæ breuitatis cauſa prætermittimus. Supradictas ſanctiſſimas leges,integerrimaq; ſtatuta catholica Eccleſia ſemper retinuit, ſtudioſeq; ſeruauit: a qua integritate nulla vmquam potuit principis tenebrarum vi atque potentia conuelli.

Beatus quoque Petrus in ſua canonica,poſtquã epiſcopis & pͥsbyteris dedit præcepta de ſolicitudine paſcẽdi oues,ſubiunxit, Omnẽ ſolicitudinẽ veſtrã proijcientes in eum:ipſi enim cura eſt de nobis. Quæ verba operantur, vt qui habent vxores, ſint tanquam non habentes: & vt inquit Apoſtolus, non quidem ſoliciti quæ mundi ſũt, quomodo placeant vxoribus, ſed ſoliciti tãtum, quomodo placeãt Deo, vt non ſint diuiſi: quod eſt proijcere omnem ſolicitudinem in Deum, cui eſt cura de his, ſub cuius potenti manu ſunt. Vnde nõ dicit proijcientes ſolicitudinem, ſed omnem ſolicitudinẽ:quod non conuenit habentibus vxores, quibus vacent, ſecundum legem coniugij, eo quòd diuiſi ſunt: vt enim incontinentibus tentatio eſt accedere ad alienam: ita conſecratis accedere ad propriam.

Clemens Romanus diſcipulus beati Petri & eius ſucceſſor in 2. lib. de apoſtolicis doctrinis Pauli, interpretans & declarans ea, quę epiſcopos & pͥsbyteros oportet habere, ex quibus caſtitas eſt, inquit. Habeat hæc epiſcopus: quoniam ſi reprehenſione dignus nõ ſit, coget diſcipulos ſuos exemplo ſuæ conuerſationis,eorum,quæ ipſe facit, imitatores eſſe, ſicut ait Oſęe Propheta: Et erit ſicut ſacerdos,ſic & populus. Ad hoc enim poſiti ſunt & cõſtituti epiſcopi

&

& presbyteri, vt ſubditum habeant populum, doceant, arguant, iudicent, offerant Deo pro peccatis eius: denique vt ſint eorũ gloria, & exemplum omnis virtutis: & paulo poſt. Vos ergo epiſcopos & presbyteros oportet ſcopum eſſe ſecularium, ad quem illi colliment, ſicut ſcopus veſter Chriſtus eſt. Quomodo igitur ſcopum virginitatis vel caſtitatis in ſacerdotibus habebunt, ſi eis liceat non eſſe caſtos, aut vxoribus ſuis vti?

Idem Clemens in 2. epiſtola ad Iacobum fratrem Domini de ſacris veſtibus & vaſis, quæ habetur primo tomo conciliorum, ait: Ad dominica myſteria tales eligantur, qui ſi continẽtes eſſe noluerint, ante conſecrationem coniuges ſuas nouerint, vt corrigit cum ratione quidam eruditus doctor: quia ſi poſt ordinationem contigerit miniſtro proprium inuadere cubile vxoris, ſacrarij non intret limina, nec ſacrificij portitor, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocauſta oblationem ſuſcipiat, nec ad dominici corporis portionem accedat, nec aquam ſacerdotibus porrigat ad manus: ſed hoſtia forinſecus claudat, & minora agat officia: nec vrceũ ſiue calicem ad altare ferat. Non eſt igitur, quòd reijciant in hoc tertio ſtatu aduerſarij cælibatus legem, de nouitate eam falſo notantes, quaſi a Siritio Pontifice aut Innocentio primo inſtitutã, quando dictus ſanctus martyr & Pontifex Clemens ex mente beati Petri nobis eam promulgat. Concludit enim in fine epiſtolæ, quòd hanc traditionem a beato Petro tradente audiuit, quæ non ſolum excludit eos, qui volunt ſacerdotes fieri, a contrahendo matrimoniũ, ſed coniugatos ſacerdotes creatos ab vxorum congreſſu: ſubdit enim. Siquis præcepta hæc nõ integra cuſtodierit, ſit anathema vſque ad aduentũ domini noſtri Ieſu Chriſti. Hæc p̃cepta a ſãcto Petro Apoſtolo dicit ſe accepiſſe, quæ tradidit beato Iacobo, vt mãdet omnia ſeruari ſine macula: quem ſiquis audierit, dicit eum futurum vtilem miniſtrũ Ieſu Chriſti, qui vero eum nõ audierit, immo loquentem dominum per eum, ipſe ſibi damnationem accipiet, hæc ille. Et licet nonnulli aſſerere velint hanc epiſtolam non eſſe Clemẽtis, eo quòd vt ipſi affirmant, tẽpore quo ſcripta eſt illa epiſtola, mortuus iam erat Iacobus, ad quem dicta epiſtola eſt directa, quam aſſertionem probant ex tenore omnium literarum dicti Clementis ad Iacobum fratrem domini: Cardinalis tamen ſanctæ Odoſſæ cognomento Deusdedit, inuehit in eos, qui dicunt epiſtolam hanc ad Iacobum non eſſe Clementis, & nititur euidentibus rationibus probare oppoſitum.

Vnde Epiphanius loquens de Nicolao inquit: Nam cum hic haberet vxorem formoſam, & ab ipſa ad imitationem eorum, quos

Deo

Deo addictos videbat, ſe continuiſſet: poſtmodũ cum cognouiſſet eam in Apoc. a Domino damnatur: addicti namque Deo dicebantur qui ſacra miniſtrabãt. Vnde ſubdit idem Epiphanius, quòd hoc primo tempore cœperunt Nicolaitæ, auctore Nicolao ipſo, in cælibatum inuehi, qui licet eſſet in diaconatu cõſtitutus, tanquam canis ad vomitum eſt ad vxorem reuerſus, affirmans a concubitu non eſſe abſtinendũ, ſiquis particeps eſſe vellet vitæ æternæ: quem errorem ipſe euidentibus damnat rationibus.

Athanaſius, qui fuit tempore concilij Nicæni, & qui eidem interfuit, etiam admonet (cum de miniſtris ſacris loquitur ſcriptura, & caſtitatem ab eis requirit & honeſtatem) quòd profecto tantam requirit, quantam miniſterij ſacri & ſacri ordinis ſtatus, natura, ratio, & profeſſio poſtulant, ideſt abſtinere ſemper ab vxoribus ſuis, vt ſoliciti tantũ eſſe debeant, quæ Dei ſunt, quomodo placeant Deo: non autem quæ mundi ſunt, quomodo placeant vxoribus.

Ammonius etiam Alexandrinus, qui floruit inter Nicænum concilium & Siritium Papam in commento Actuum Apoſtolorum docens quales miniſtri altaris eſſe debeãt, inquit: Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, & ſine crimine, ideſt alienum ab omni iniuſtitia, vt Clemens Alexandrinus interpretatur: deinde vnius vxoris virum, non quòd liceat ea vti: immo potius ſi monogamus fuerit, fit non leue præiudicium eius continẽtiæ: ſic .n. Innocẽtius primus epiſtola pri. cap. 9. intellexit, dicens. Vnius vxoris virum, non permanentem ſcilicet in concupiſcentia generandi, ſed propter futuram continentiam. Et cap. 4. eiuſdem epiſtolæ ſanxit, ne clericus viduam duceret, non quidem quòd nõ liceat ſaltem clericis in minoribus vxoribus ſuis vti: ſed ne, inquit, hoc præiudicio impeditus, non poſſit ad ſacerdotium peruenire, in quo ſcilicet ab vxore propria abſtinendum eſt. Sic intellexit doctus Tertullianus in lib. 1. ad vxorem: Diſciplina, ait, Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli non ſinit bigamos præſidere: Aram enim mundam proponi oportet.

Magnus quoque Baſilius, qui floruit inter concilium Nicænum: & Siritium Papam in commento Eſaiæ. Oportere ait, vt ſit presbyter inexpertus muliebris concubitus, aut vnius vxoris vir: quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Oportere, vt presbyter aut ſit virgo, aut ſi non ſit, vt vnam tantum vxorem cognouerit. Iccirco ſtatim ſubiunxit, ſobrium, pudicum: ne dixiſſe ſuſpicaremur, ſic vnius vxoris virum eſſe debere, vt cum illa vna vxore miſceri permitteret: & filios, ait, non generantes, ſed habentes, vt multi ſancti notauerunt, prout Clemens Romanus interpretatur.

Beatus Hieronymus exponens illum Apoſtoli locum contra Iouinianum,

uinianum,inquit: Vide quanta pudicitia ſiue caſtitas exigatur in epiſcopo, vt ſi filij eius generati,ſcilicet antequam conſecraretur, impudici fuerint, ipſe epiſcopus eſſe non poſſit: & ſic offendat Deum,vt offendit Heli,qui corripuerat quidē filios,ſed non abiecerat.

Ceterum ſi miniſterium diaconiſſarum, quod verſabatur, vt ſcribit ſanctus Epiphanius,propter honeſtatem in lauandis mulierum corporibus,& in docendis nuptis adoleſcentioribus, vt ex epiſtola ad Titum intelligi poteſt, eligebatur ab Eccleſia ex virginibus, aut continentibus, ſiue viduis: quanto magis virgines, vel continentes eſſe debent,qui ad miniſterium altaris eliguntur, & qui corpus domini conficiunt, ſumunt,& alijs ſumendum tradunt?

Idem quoque ſanctus Epiphanius ſcribit aduerſus Catharos hæreticos, qui cum digamis non communicabant: dum enim non intelligebant perfectam Dei doctrinam,ad aliā viam errantes ſe conuerterunt: et paulo poſt. Re vera enim ſancta Dei prædicatio poſt aduentum Domini non admittit,poſt primas nuptias mortua vxore,ſecundis nuptijs copulatos: idq; propter excellentiam honoris ſacerdotalis cōſtanter & perfecte ſeruat ſancta Dei Eccleſia. Immo nec eum,qui eſt vnius vxoris vir, ſi adhuc filios ex ea generat, admittit, ſcilicet prædicatio Dei: ſed eum admittit,qui ab vna vxore ſe abſtinet,aut viduus factus eſt: & hoc in omnibus ſacris ordinibus,præſertim vbi ſeruantur eccleſiaſticæ regulæ. Regulam eccleſiaſticam vocat ordinationem Eccleſiæ,ſecundum doctrinam Apoſtolicam: et ſubdit. Sed omnino dices mihi, in nonnullis locis ſacerdotes, diaconos, hypodiaconos dare adhuc operam liberis. At hoc, inquit, non ex canone,ſed ex vitio atque ignauia hominum illius temporis perfectum eſt: hactenus ſanctus Epiphanius.

Euſebius Cæſarienſis, qui interfuit concilio Nicæno lib. pri. demōſtrationum euangel. de veteris & noui teſtamenti coniugijs & continentia differens, inquit: Secundum leges noui teſtamenti non omnino prohibitum eſt dare operam liberis: verum qui ſunt ſacri ordinis & monachi, abſtinere debent ſe a concubitu vxorum. Quicumque ergo non donati ſunt tāto munere diuini cultus, hos ſcriptura laxat.

Idem Gregorius Niſſenus,qui floruit inter concilinm Nicænum & Siritium Papam in elegantiſſimo, quem ſcripſit libro de virginitate capite vltimo loquens de ſacerdotibus, inquit: Quomodo offeres Deo,tametſi ad hoc vnctus ſis,qui non audis legem,quæ prohibet conſecrari non caſtum?

Ambroſius quoque in comment. epiſtolæ ad Timoth. ſcriptnram ſanctam interpretans de diaconis, inquit: Tunc enim poterunt

fieri

fieri digni ſacerdotio, & fiduciã habere apud Deũ, vt ſciãt ſe poſſe impetrare quod poſtulãt, ſi de cetero ab vſu fœminæ ſe cohibuerít.

Arator etiam temporibus Iuſtiniani ſub Vigilio Papa Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus, vt ſcribit Abbas Tritemius, exponens cauſam cælibis vitæ in ſacerdotibus euangelicis & miniſtris altaris, inquit: quòd vna eſt præſtantia & excellentia noſtri ſacerdotij, cuius erat vetus illius vmbra: altera, vt ſacerdos liber & ſolutus ſemper a cura & officio generandi ſecundum carnem, totus eſſet intentus & præſto ad ſeminandum verbum Dei, & generandum filios ſecundum ſpiritũ: ita tamen vt non in omni ſolo ſeminaret, ſed in eo quod aptum & præparatum eſſe videretur, exemplo Pauli, cui vetuit Spiritus ſanctus, ne in Aſia prædicaret, ſed potius in Macedoniam iret.

Sanctus Maximus, qui floruit inter cõcilium Nicænum & Siritium Papam, in reſpõſis ad Thalaſij quæſtiones concludit, quòd ſacerdotibus Chriſti interdictum ſit, quantum ad conſuetudinem corporum miſcẽdorum, habere vxores: Nempe quia ſacerdotium eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, qui nõ ſcribitur habuiſſe vxorem. Hoc idem ſcribit Ephrem Syrus ad quendam monachum, qui pluribus verbis docet minime licere ſacerdotibus & monachis, vt nubant. Vnde legitur in vita ſancti Epiphanij, quòd cũ leprã in fronte cuiuſdam diaconi conſpexiſſet, ſciſcitatusq; cauſam fuiſſet, ille reſpondit, quòd nocte illa dormierat cum vxore: vnde de cetero noluit ordinare vxoratos: quia qui habebant vxores, non erant tanquam non habentes.

Cyrillus ille magnus Hieroſolymitanus, qui fuit temporibus magni Conſtantini in ſeptima Catecheſi inquit: Si is, qui recte ſacerdotio fungitur ac ſacra adminiſtratione, abſtinet a muliere: quomodo Ieſus ex viro & muliere naſci debebat?

Auguſtinus, qui fuit inter Siritium & ſanctum Gregorium lib. 2. de Adulterinis coniugijs ad Pollentiam, inquit: Quando terremur, ne adulterinis coniugijs ſeculares hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, eamq; ſuſceptam vſque ad debitum finem Domino adiuuante, perducunt. Sarcinam impoſitam vocat caſtitatem, quam inuiti ſubeunt qui cõtra voluntatem ordinantur: quæ tamẽ ſemel impoſita velint nolint, ſuſtinenda eſt, ſi ſalui eſſe velint. Si enim, inquit, multi Dei miniſtri repente atque inopinate impoſitum ſuſceperunt onus, ſperantes ſe illuſtrius in Chriſti hæreditate fulgere, quanto magis vos ſcilicet laici adulteria cauendo, viuere continenter debetis?

SI contra præfata adducatur id, quod de Paphnutio & Nicæna ſynodo Socrates eumq; ſecutus Sozomenus ſcripſerunt, paucis reſpondebimus: Quomodo illud excuſari aut diſſimulari poteſt, quod vterque ſcribit de Nicæna ſynodo, ſcilicet reliquiſſe integrum cuique ordini ſacro, quod facere liberet, abſtinere videlicet ſe ab vxore, aut non abſtinere, cum id 3. canoni eiuſdem ſynodi repugnet? qui talis eſt. Prohibuit, inquit, in vniuerſum magna ſynodus, vt neque epiſcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vlli prorſus clerico liceret habere mulierem in domo, niſi forte matrem, aut ſororem, aut materteram, ſiue amitam, aut eas ſolum perſonas, quæ ab omni ſuſpicione alienæ eſſent. Vnde vxores habere permiſit tanquam ſorores tantum: quod ex ſynodo Turonenſi 2. c. 12. clarius intelligi poteſt, ſic enim ait: Cum presbyteri atque diaconi ſublimi dignitatis apice prærogentur, actibusq; omnibus ſeculi renuntient, & ad ſacrum miniſterium electi, quiſquis eſt p̃sbyter atque diaconus diuino munere benedictione percepta, vxoris ſuæ pius frater illico efficitur.

Et quòd ſic intelligatur canon concilij Nicæni, poteſt percipi ex epiſtola magni Baſilij ad Gregorium presbyterum, cui iuſſit huius canonis auctoritate vxorem excludere propter ſcãdalum ſuſpicionis de incontinentia, dicentis. Legi literas tuas patientiſſimo animo, ac miratus ſum quonam modo cum poſſis breuiter ac facile factis ipſis te purgare, velis tamen in eo peccato perſiſtere, quod tibi obijcitur: longaq; oratione coneris excuſare, quæ nullam admittunt excuſationem: neque primi neque ſoli nos o Gregori legem hanc tulimus, ne mulieres habitent cum huiuſmodi viris: ſed lege canonem conſtitutum a ſanctis patribus noſtris, qui fuerunt in cõcilio Nicæno, & inuenies canone illo manifeſte prohibitum, ne qui ſunt in ſacris ordinibus conſtituti, mulieres habeant ſecum habitãtes. Cælibatus enim in hoc habet honeſtatem, ſi a conuictu mulieris ſeparatus ſit. Nam ſiquis nomine caſtitatem profeſſus fuerit, re autem ipſa id faciat, quod qui contubernales habent mulieres, is manifeſte oſtendit, ſe virginitatis honeſtatem appellatione tantum ſequi, non a voluptatis turpitudine abſtinere. Eo autem facilius oportebat te noſtræ admonitioni cedere, quòd dicis ab omni corporea libidine te liberum eſſe: neque enim ſeptuagenarium hominem credo libidinis cauſa cum fœmina habitare, neque hæc ipſa decreuimus, quòd te in aliquo turpi facinore deprehenſum cognouerimus: ſed quoniã edocti ſumus ab Apoſtolo, nõ ponendũ offendiculum fratri, aut ſcandalum. Scimus autem, quoniam quod a quibusdam syncere fit, alijs occaſio exiſtit ad peccatum. Quamobrem

obrem iuſsimus ſequentes conſtitutionem ſanctorum patrum, vt omnino a mulieris conuictu te ſegreges. Quid igitur accuſas Chorepiſcopum, & veteres inimicitias commemoras? quid nobis ſuccenſes? quaſi faciles habeamus aures ad ſuſcipiendas calumnias, ac non potius teipſum accuſas, qui a fœminæ conſuetudine abſtinere non poteris? Eijce igitur illam e domo tua, & conſtitue in monaſterio, ſit illa cum virginibus: tu vero vtere miniſterio virorum, ne nomen Dei blaſphemetur per nos: quandiu vero hæc facis, prætextus multi & excuſationes, quas ſcribis, nihil tibi proderunt: ſed morieris depoſitus, & reddes rationem ſegnitiæ iſtius. Aut ſi auſus fueris non corrigens teipſum, ſacerdotio fungi, eris anathema omni populo: & qui te acceperint per omnem Eccleſiam communione priuati erunt: hactenus Baſilius. Cui ſententiæ arridet, quòd 227. patres, qui poſt Gregorium in Trullo Regij Palatij ſub Iuſtiniano conuenientes canones ediderunt, inter quos & hunc conſcripſerunt, videlicet: Vxor eius, qui ad epiſcopalem dignitatem promotus eſt, ſimul vt is electus & conſecratus fuerit, communi ſui viri conſenſu prius ſeparata monaſterium ingrediatur, quod ab ædibus epiſcopi procul abſit. De fide adhibenda Sozomeno dicit ſanctus Gregorius 6. lib. epiſtolarum, quòd eius hiſtoriam ſedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur. Quare ſi quis huius, aut Socratis, qui ſe Nouatianum aperte profitetur, (in eius enim hiſtoria quàm plurimos errores atque mendacia reperiri, nullus eſt qui ambigat) hanc de Paphnutio & Nicæno concilio hiſtoriam recipit, apoſtolicis traditionibus ac ſanctis patribus contradicit. Non enim ſi vera eſſet illa hiſtoria, alij antiquiores & maiores fidei patres & ſcriptores prætermiſiſſent, vt Euſebius Cæſarienſis, Theodoritus, Georgius Cydrenus, Gregorius Cappadox, qui encomion 318. patrum & hiſtoriam epitomen Nicæni concilij elegantiſſime ſcripſit: & alij quos breuitatis cauſa prætermittimus, præcipue cum non ſit in actis illius concilij, in quibus alioqui extat Paphnutij hiſtoria.

Beatus Dionyſius Areopagita diui Pauli diſcipulus, cum de miſterio Pontificalium conſecrationum tractaret, inquit. Signũ Crucis, quo epiſcopi, ſacerdotes, & miniſtri, diaconi ſcilicet, & hypodiaconi ſignantur, deſignat debere eos prorſus omnes pariter appetitus carnales continere, nec operari illos: quod quidem non ab alio, quàm Apoſtolis didicit, & a Chriſto per Apoſtolos: quos ſic docuiſſe & prædicaſſe dicta ſynodus 2. Carthaginenſis affirmat.

Sixtus Pontifex in lib. 2. de caſtitate, in quo fere totum caput ſeptimũ primæ ad Cor. eruditiſſime explanat: Præcipit, inquit, Apoſtolus

ſtolus coniugibus paruo tempore cōtinentes eſſe, vt maiori ſpatio vacare poſſent: id enim ſignificare ait illud, Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi. Vnde ſtatim poſtquam dixit de abſtinendo ab vxore propria, quia id ab oratione abducat & retrahat, ſubdit: Non admittitur incontinentia ad officium ſacerdotij, ſed potius neceſſe eſt, vt ſacerdotes continentes ſint. Idem Sixtus poſt illa verba, Cœpit Ieſus facere & docere, ait: Omnes eius diſcipuli aut continentes eſſe inueniuntur, aut virgines. Et rurſus cum angelis comparans ſacerdotes, inquit: quòd Deo aſſiſtere & Deo offerre non niſi continentibus licet. Idem dicit Siritius in epiſtola ad Imerium Tarraconenſem, quæ eſt quarta in ordine.

Innocentius quoque primus, qui floruit inter Siritiū & Gregoriū ſanctum, in epiſtola 5. ad Maximum & Seuerum epiſcopos Brutios: Maximilianus filius noſter zelo fidei & diſciplinæ ductus, non patitur Eccleſiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio filios aſſerit procreaſſe: quod non licere exponerem, niſi noſſem veſtram prudentiam legis totiùs habere notitiam. Et ideo fratres chariſſimi libelli, qui ſubiectus eſt, tenore perſpecto, eos, qui talia perpetraſſe dicuntur, iubebitis in medio collocari, diſcuſſiſq; obiectionibus quæ ipſis presbyteris impinguntur, ſi conuicti fuerint, a ſacerdotali remoueantur officio, (quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt) atque alieni efficiantur a miniſterio, quod viuendo illicite polluerunt. Miramur autem hæc eorum diſſimulare epiſcopos, vt aut continere, aut neſcire eſſe illicita iudicentur. Ex ſupradictis omnibus liquet, & ex ſacris literis ſatis luculenter patet, cælibatum & continentiam annexam eſſe ſacris ordinibus, vt inquit cōcilium Carthaginenſe præfatum propter conſecrationē: quomodo autem id factum ſit dicetur infra ex mente diui Bonauēturæ. Vnde can. 2. prout oſtenſum eſt ſupra, ſubdit: Placuit, vt hi tres gradus epiſcopi, presbyteri, & diaconi, vt decet ſanctos, & qui diuina miniſtrant ſacramenta, in omnibus continentes ſint, vt poſſint quod a Deo precantur impetrare: per eos, qui miniſtrant diuinis ſacramentis, intelligens hypodiaconos. Synodus etiam apoſtolorum diaconatum & ſubdiaconatum adinuicem non diuidit, cum ſecundus includatur in primo: non enim poteſt quis diaconus conſecrari, niſi prius ſit hypodiaconus. Diſtinxit tamen eos beatus Ignatius, qui fuit apoſtolorum diſcipulus, & poſt eum infiniti alij patres. Deinde vt intelligeremus hunc Carthaginenſem canonem auctoritatem habere diuinam, ſubiungit. Quod apoſtoli tradiderunt, & a priſcis temporibus Eccleſia tenuit, & nos ſeruemus: &

quo magis intelligeremus quid eſſet in omnibus continentes eſſe, ſubdit. Vt epiſcopi, presbyteri, diaconi, & qui ſacramentis miniſtrant, pudicitiæ cuſtodes ſint, & ab vxoribus ſuis ſe abſtineant, & ſimiliter ab omnibus pudicitia cuſtodiatur. Idem confirmat 3. ſynodus Carthaginenſis celebrata inter Siritium & Gregorium 217. epiſcoporum, quæ canone vndecimo hunc ipſum canonem totidē verbis renouauit: & canone 25. eandem auctoritatem apoſtolicæ traditionis ſecuta, perpetuam abſtinentiam ab vxoribus proprijs miniſtris ſacri altaris his verbis ſanxit, Vt epiſcopi, presbyteri, diaconi, & hypodiaconi ſecundum naturam & proprietatem cuiuſcūque gradus ſacri, ab vxoribus ſuis ſe abſtineant. Idem affirmat Origenes, qui floruit inter apoſtolos & Nicænam ſynodum ſuper 3. caput Iohelis, dicens: Reuertimini in idipſum: quia certum eſt impediri indeſinens ſacrificium his, qui neceſſitatibus coniugalibus inſeruiunt. Vnde mihi videtur, inquit ille, quòd illius ſolius eſt offerre indeſinens ſacrificium, qui indeſinenter & perpetue ſe deuouerit caſtitati. Vide eundem in librum numerorum, & Homil. 23. exponens verba Apoſtoli: Nolite fraudare inuicem.

Chryſoſtomus quoque, qui floruit inter Siritium & Gregorium in Homil. 2. de patientia Iob ſuper illa verba, Vnius vxoris vir: non ea dicit ratione, quòd id nunc in Eccleſia obſeruetur, cum oporteat, quòd omni prorſus caſtitate ornatum ſit ſacerdotiū. Et Homil. 7. in 2. cap. Matth. inquit: Omnia mandata legis nobis ſunt monachiſq; communia, abſque ſola profecto pactione connubij. Hieronymus etiam in primum cap. ad Titum: Si laicis, ait, imperatur, vt propter orationem abſtineant ab vxorum coitu, quid de epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populiq; peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? & contra Iouinianum affirmat, quòd vnius vxoris virum filios generantē, non admittit Eccleſia, ſequens doctrinam Chriſti, & Apoſtoli prædicationem. In hiſtoria tripartita lib. 9. c. 38. legitur: Ego, inquit Socrates, in oriente cognoui clericum, qui cum ante clericatum legitime duxiſſet vxorem, & cum ea poſt conſecrationem mixtus fuiſſet, abdicatus eſt.

Cōcilium Chalcedonenſe, quod celebratum fuit inter Siritiū Papam & Gregorium canone 14. in quibusdā prouincijs pſaltis concedit & lectoribus vxores accipere: & ca. 16. ſiqua virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter monachus, non licere eis iungi nuptijs: ſi vero iuncti fuerint, hoc facientes maneant excommunicati. Eodem modo dicēdum eſt de initiatis ſacris ordinibus, quibus vt infra dicetur annexum eſt caſtitatis votum.

Sanctus Leo qui floruit inter Siritium & Gregorium, epiſtola 43.

inquit:

inquit: Sacerdotum enim tam excellens eſt electio, vt hæc, quæ in alijs Eccleſiæ membris non vocantur in culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cum extra clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati & procreationi liberorum ſit liberum vacare; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec ſubdiaconis carnale connubium conceditur: vt qui habent, ſint tanquam non habentes: & qui non habent, permaneant ſingulares. Et in epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum cap. 3. Lex continentiæ eadem eſt miniſtris altaris, quæ epiſcopis atque presbyteris, qui cũ eſſent laici ſiue lectores, licite & vxores ducere, & filios procreare potuerunt: ſed cum ad prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat ſpirituale coniugiũ, oportet eos nõ dimittere vxores, ſed quaſi nõ habeant, ſic habere, quo & ſalua ſit charitas coniugiorũ, & ceſſent opera nuptiarum. Ambroſius pri. de officijs c. 50. Quomodo autem hortator eſſe poteſt viduitatis, qui ipſe coniugia frequẽtauerit? Inoffenſum autem exhibendum & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis.

Euſebius, qui interfuit concilio Nicæno lib. pri. demonſt. euangel. c. 9. Oportet enim, dicit ſermo diuinus, epiſcopum vnius vxoris virum eſſe. Veruntamen eos, qui ſacrati ſunt atque in Dei miniſterio cultuq; occupati, continere deinceps ſeipſos a cõmercio vxoris decet: qui autem non ad tantum aſſumpti ſunt ſacerdotij munus, ijs idem ſermo diuinus indulget. Et pri. ad Timoth. c. 3. Nunc autem ſeptem diaconos eſſe oportet, aliquantos presbyteros, qui bini ſint per eccleſias, & vnus in ciuitate epiſcopus, ac per hoc omnes a conuentu fœminæ abſtinere debent: quia neceſſe eſt eos quotidie præſto eſſe in Eccleſia, nec habere dilationem, vt poſt conuentum legitime purificentur, ſicut veteres: omni enim hebdomada offerendum eſt, etiam ſi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada: & non deſunt qui prope quotidie baptizentur ægri. Mos igitur fuit apoſtolorum temporibus cuſtoditus, ſacerdotes & epiſcopos oportere ſeruare cælibatum poſt ſuſceptum ſemel ordinem ſacrum, vt docet beatus Hieronymus contra Iouinianum, tradens aliquot apoſtolos habuiſſe quidem vxores, vt etiam affirmat ſanctus Ignatius ad Ephe. 5. ſed quas ante apoſtolatum acceperant, eas poſt apoſtolatum reliquiſſe, quoad coniugale officium, vt dictum eſt ſupra. Euſebius etiam vbi ſupra dicit, quòd excepto Petro nõ eſt manifeſte relatũ de alijs apoſtolis, quòd vxores

habuerint: & cum de vno ſcriptum ſit, & de ceteris tacitum, intelligere debemus ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale ſcriptura ſignificet. Ex quo loco (vt dictū eſt ſupra) elicitur, quòd etiam ſi habuiſſent, cū eſſent ſacrati, continere tenerentur. Si igitur euoluas traditiones apoſtolorum, ſacra concilia, & antiquorum patrum libros, perſpicuū fiet, quòd catholica Eccleſia (quæ ſicut Petri cathedra cæleſti beneficio exornata atque illuſtrata eſt, vt dictum eſt ſupra, ita fidei integritatem, pietatis candorem, religionis ſynceritatem, diſciplinæ præſtantiam cumulatius ſemper conſeruauit) has ſanctiſſimas leges, integerrimaq; inſtituta, religioſe ſemper retinuit, ſtudioſeq; obſeruauit: a qua integritate & miniſtrorum ſuorum continentia nulla vmquam potuit principis tenebrarum vi atque potentia conuelli.

RESPONDENDO ad ſecundum dubium principale, videlicet, an poſt ſuſceptos ordines vmquā licuerit alicui cōtrahere matrimonium: Dicimus, quòd Eccleſia Spiritu ſancto illuminata & directa nūquam permiſit, quòd cōſecratus ſacerdos poſt ſuam conſecrationem duceret vxorem: nec impune ab aliquo vmquam fuit hoc attētatum: & hinc apertiſſime conuincitur effrænata hæreticorum audacia, & petulans eorum libido, qui non verentur poſt ſacerdotium receptum, noua nuptiarum fœdera inire, cum tamen hoc nūquam vſitatū fuerit in Eccleſia: quin potius multis conciliorum decretis cautum ſit, ne quid ſimile fiat. Vnde 27. apoſtolorum canon, inquit: In nuptijs autem qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiāt, ſed lectores & cantores tantummodo. Ex quibus verbis apertiſſime conuincitur, ab ipſis Eccleſiæ primordijs non licuiſſe diaconis aut presbyteris poſt ſuſceptos ſacros ordines ducere vxores. Ad hoc extat lex lata in concilio Agatenſi anno 429. quòd ſacerdotes nuptias non adeant: quia illis nubere prohibitum eſt. Leo 82. epiſtola anno 444. docet carnale connubium illis prohibitum eſſe: idem dicunt de diaconis.

Innocētius primus in epiſtola ad Anaſtaſiū Theſſalon addit, quòd nec ſubdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt et qui habent, ſint tanquam non habentes: & qui non habēt, permaneant ſingulares. In concilio etiam Romano ſub Syluestro can. 19. cauetur, vt nemo presbyter a die oneris presbyterij ſumat coniugium. Alexander iij. ſæpius ſtatuit, ne vllus in ſacro ordine matrimonium contrahat: & ſi contractum fuerit, irritum ſit: & quòd coniugatus

ad ſacros ordines non admittatur, niſi vxor continentiã profiteatur. Innocẽtius iij. addidit, vt ne publice vxorati ad eccleſiaſticas dignitates admittantur c. Cum decorem de cler. coniugatis: quæ omnia nouiſſime a Tridentino cõcilio confirmata ſunt ſeſſ. 24. can. 9. vbi dicitur. Siquis dixerit clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſollemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeq; omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam vouerint, habere donum, anathema ſit: cum Deus id recte petentibus nõ deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus, tentari.

Concilium Neocæſarienſe, quod coactum fuit inter Nicænum & Siritium Papam cap. pri. ſuorum decretorum, inquit: quòd presbyter ſi vxorem duxerit, ab ordine deponatur, ſicut ſuper eodẽ canone Zonatas & Balſamon annotauerunt: quod etiam clare apud Clem. lib. *6.* c. 17. de Apoſtolicis conſtitut. relatum eſt: Sed ſi fornicatus fuerit, aut adulterium commiſerit, extra Eccleſiam abijciatur, & ad pœnitentiã inter laicos redigatur. Ex quibus patet, quòd a principio naſcẽtis Eccleſiæ numquam licuit alicui poſt ſuſceptos ordines ſacros, ducere vxorem: & licet aliquãdo licuerit matrimonio ligatũ promoueri ad ſacros ordines, iam modo non licet: quoniam decretum eſt, vt nullus ad ſacros ſuſcipiatur, niſi prius continentiam vouerit. Vnde Innocentius 3. in c. Cum olim, de clericis coniugatis, refert, quòd orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit: quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in ſuperioribus vtuntur iam contracto. An vero bene faciant non ſe conformando legi diuinæ, & apoſtolicæ traditioni, ſimiliter & Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, ipſi viderint. Gratianus quoque diſt. 28. c. De Syracuſanæ, idem inquit: & hoc dicti Græci indeſinenti obſeruatione, vt ipſe ait, cuſtodiunt: quia poſt adeptum ſacerdotium, defuncta priore vxore, cum qua ſacerdos factus fuerat, ſi alteram duxerit, deponitur. Ex quibus patet, quòd hæretici deteriores ſunt Græcis ipſis ſchismaticis, & Eccleſiæ rebellibus.

Ex ordinatione quoque dictorum miniſtrorũ videre licet, quòd dictum continentiæ votum adeo eſt annexum ordinibus ſacris, vt nullo modo poſt conſecrationem liceat miniſtris altaris contrahere. Vnde ordinator ordinandis ait: Fratres dilectiſſimi ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem promouendi iterum atque iterum conſiderare debetis attente, quod onus hodie appetitis. Hactenus enim

liberi eſtis,licetq; vobis pro arbitrio ad ſecularia vota trãſire:quòd ſi hunc ordinem ſuſceperitis,amplius non licebit a propoſito reſilire,ſed Deo,cui ſeruire regnare eſt, perpetuo famulari, & caſtitatẽ illo adiuuante ſeruare oportebit,atque in Eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos . Non dixit caſtitatem ſeruate, ne mandatum Eccleſiæ exiſtimaretur : ſed caſtitatem obſeruare oportebit. Hæc ſcilicet caſtitas eſt propria ordinis ſacri,& ab ea inſeparabilis, quã lex diuina ab eo requirit quem ſemel ordinis ſacri participem fecit: ſubiungit ordinator . Proinde dum tempus eſt, cogitate : & ſi in ſancto propoſito perſeuerare placet, in nomine Domini huc accedite, quibus placet accedere. Vnde licet non verbis, re ipſa tamen & facto caſtitatem ſecundum naturam & proprietatem ſacri gradus, quẽ ſponte accipiunt, promittunt : ita vt qui deinceps non ſeruauerint, mandati violati & fidei fractæ rei ſint. Eſt enim caſtitatis obligatio ita annexa ordini ſacro, & (vt ita dicam) ſubſtantialiter vnita, vt qui aſcendere ad ordinem ſacrum voluerint, ſtatim ratione dicti ordinis caſtitatem ſeruare lege diuina teneãtur, vt expreſſe dicit concilium Carthaginenſe 2. can. 2. ſub his verbis . Ordines ſacros connexos & colligatos vinculo caſtitatis propter conſecrationẽ dicimus : & paulo poſt ſubinfert . Placuit, vt hi tres gradus epiſcopi, presbyteri, & diaconi,vt decet ſanctos epiſcopos, ſacerdotes,& leuitas,& qui miniſtrant diuinis ſacramentis, in omnibus continentes ſint, vt poſſint quod a Deo precantur, impetrare, prout etiam in primo dubio diffuſe tractauimus.

MOdum,quo dicta caſtitas eſt annexa ſacris ordinibus,ponit diuus Bonauentura in 4. ſent. diſt.37.& 23.ſub infraſcriptis verbis , dicens:quòd apud latinos ab antiquo tempore ordo ſacer impediuit matrimonium contrahendum, & ratione ſtatuti, & ratione voti.Vnde ſicut ordo & regula monachorũ continentiam habet annexam per illum , qui ordinem ipſum conſtituit, & regulam edidit monachalem , ideo qui profitetur & ſuſcipit habitum & regulam ipſam dicitur emittere votum conſequenter : ſic ordo ſacer apud latinos ex eccleſiaſtica cõſuetudine & conſtitutione habet inſeparabiliter continentiam annexam : & ideo qui illum ſuſcipit,ſpontanee ſe obligat: ita quòd illa obligatio procedit ex ſtatuto Eccleſiæ pariter , & ex voto . De voto continentiæ ſollemni ſcribit beatus Thomas, præcipue de voto annexo religioni 22. q. 88. art.11. iuxta Decretalem extra de ſtatu monachorum c. Cum ad monaſterium : Vbi dicitur, quòd abdicatio proprietatis , ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo annexa eſt regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit indulgere. Vnde Leuit.vlt.habetur,quòd illud,quod

ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios vſus commutari. Vnde ſollemnitas voti conſiſtit in quadam conſecratione vouentis: Et ideo non poteſt fieri per aliquem prælatũ Eccleſiæ, quòd ille qui votum ſollemne emiſit, deſiſtat ab eo, qui eſt conſecratus, licet poſſit prælatus ob aliquam cauſam executionem ordinis inhibere. Eſt igitur, vt dictum eſt, debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis, per quem homo abrenuntiat ſeculo totaliter Dei ſeruitio mancipatus, quod non poteſt ſtare cum matrimonio. Ad quem diuus Bonauentura vbi ſupra q. 3. addit, quòd ſtatutum de clericorum continentia fecit Eccleſia, quia potuit, quia decuit, quia expediens fuit. Potuit autem Eccleſia dupliciter, tum propter auctoritatem prælatorum, & maxime Pontificis ſummi, tum propter cõſenſum ſubditorum. Propter auctoritatem namque potuit, quoniam etſi omnia ſacramenta reſpiciant auctoritatem in diſpẽſante aliquo modo, tamen illud ſacramentum præcipue inter alia, in cuius ſignum in ordinis datione loquitur poteſtatem habens, ille videlicet qui ordines confert, dicens, Accipe poteſtatem &c. Et ideo iſtud onus, quod voluit ſummus Pontifex cõformiter ad apoſtolicã traditionem (vt elicitur ex ſupradictis) huic ordini ſiue ſacramento alligare, potuit & ſibi licitum fuit: ſed huic auctoritati & poteſtati ſucceſſit in latinis voluntas obtemperandi: quia tale ſtatutũm ſuper ſe libenter receperunt: & hæc duo fecerunt ſtatutum firmum. Sed Græci dederunt tergum: & quia non conſenſerunt in tam nobile & ſanctum ſtatutum, vt vaſa ſua ſeruarent munda, ablatum eſt ab eis regnum & intelligentia ſcripturarum, & datum eſt genti facienti fructum eius: ſic igitur patet, quòd potuit. Decuit quoque, & hoc propter duo: quoniam in actu carnali, qui eſt vſus matrimonij, vt plurimum eſt libido: & in cohabitatione vt plurimum eſt ſolicitudo. Libido vero ſiue carnalis delectatio reddit fœtidũ & immundum, & ſolicitudo reddit diuiſum. Et quoniam clericum in ſacris ordinibus conſtitutum decet eſſe mundum & caſtum, cum ferat vaſa Domini Iſa. 3. ſimiliter & eſſe ſolicitum & attentum: vt ſolicite & diligenter ſeruiat Domino, & ſtudeat quomodo placeat Chriſto: ideo decens fuit eos ab vxoribus ſeparari, vt per omnia fierent idonei cultores miniſtri altaris. Si enim illi, qui comedebant panes propoſitionis (vt dictum eſt ſupra) vaſa ſancta & munda habere debebant, quanto magis iſti, qui agno immaculato aſſiſtunt & conficiunt, diſpenſant, & ſumunt, omni puritate & ſanctitate debent fulgere? & vaſa ſua cuſtodire in ſanctificatione & honore, non in deſiderij poteſtate? Certe hoc non tantum decens, ſed etiam decentiſſimum iudicabit omnis anima; quæ eſt templum Spiritus ſan-

cti. Poſtremo expediens fuit, & hoc propter duo. Primo propter vitandum irregularitatis periculum: Secundo propter vitãdum latrocinium. Propter vitandum periculum, quia ſi mulier, quæ eſt vxor alicuius, cognoſcat aliũ virum, & ille vir poſt cognoſcat eam, iam irregularis eſt: & ideo ſi vxor ſacerdotis Græci fornicatur, iam amplius nec cum ipſa nec cum alia poteſt rem habere. Sed quia difficile eſt talibus abſtinere, ideo frequenter in irregularitatem inciderent, & cum periculo miniſtrarent, ſi vxores haberent. Secundo vero propter vitandum latrocinium. Si enim epiſcopi & archiepiſcopi nunc filios haberent, omnia bona eccleſiaſtica furarentur, & diriperent: ita quòd pauperibus pauca vel nulla remanerent. Cum enim modo congregent, & ditent nepotes, quaſi gradibus incomputabilibus ab eis elongatos: quid facerent, ſi haberent filios legitimos? Vnuſquiſque attendat, quantum eſſet periculum: ideo Spiritus ſanctus hoc offendiculum auferre voluit: & Dei conſilio hoc ſtatutum fuit in Eccleſia ſancta Dei, vt clerici ad ſacros ordines venientes nullo modo matrimonio poſſent vti.

Ad hæc etiam D. Petrus Domianus Cardinalis Hoſtien. auctor in ſcripturis ſanctis valde eruditus & exercitatus, qui fuit poſt Gregorium ſanctum, & in quinto tempore, in epiſtola ad Combertum Archiepiſcopum Taurinenſem: Permittis, inquit, vt Eccleſiæ tuæ clerici cuiuſcumque ſint ordinis, velut iure matrimonij confœderentur vxoribus: quod ſane quàm eccleſiaſticæ munditiæ videatur obſcœnum, quàm canonicæ ſit auctoritati contrarium, quàm certe cunctis ſanctorum patrum ſanctionibus odioſum, abſit, vt tanta quæ in te eſt, poſſit ignorare prudẽtia: & paulo poſt. Nunc autem, quia ex omni populo Chriſtiano paſſim fit ſacerdotalis electio, & in promotione clericorum non diſcretio generis, ſed prærogatiua dũtaxat exigitur ſanctitatis, ceſſent iura coniugij, dum præcedens aboletur cenſura mandati: de qua beatus Paulus ad Hebræos. c. 7. Reprobatio fit præcedentis mãdati propter infirmitatẽ eius, & inutilitatem. Reprobatio facta non eſt niſi per nouum teſtamentum: præſertim cum paulo poſt dicat, canonem apoſtolorũ eſſe quidem non humanæ, ſed diuinæ legis: quæ autem ab apoſtolis tradita & ſancita ſunt, dubitare non licet. Hoc autẽ propter illos, qui dicunt, quòd ſi ſacerdotibus nubere peccatum eſſet, nequaquam hoc in lege veteri Dominus præcepiſſet. Nos tamen hoc apoſtolicæ ſedis edictum per omnes publice concionamur Eccleſias, vt nemo Miſſas a presbytero, non euangelium a diacono, non epiſtolam a ſubdiacono prorſus audiat, quos miſceri fœminis non ignorat. Deinde doctrinam prædictam Eccleſiæ catholicæ de cælibatu ſacrorum

ordinum multis claris teſtimonijs confirmat, quæ tamen breuitatis cauſa omittimus. At dicunt aduerſarij, habemus auctoritatem Tribarienſis concilij, quæ promotis ad eccleſiaſticum ordinem ineundi coniugij tribuat facultatē. Quibus nos reſpondere poſſumus, quòd concilium quodcumque a nobis non recipitur, ſi decretis Romani Pontificis non concordat: immo ſi & a communi conſenſu patrum, & apoſtolorum prædicatione ac doctrina diſſidet. Scimus quoſdam, alioquin eruditos, ſed magis in ſcientia decretorum, & canonica diſciplina, quàm in ſcripturis ſanctis exercitatos, huius legis de pudicitia ſacrorum ordinum originem non ad apoſtolorum prædicationem, & generalem traditionem, ſed potius ad Pontifices Romanos retuliſſe. Et in cauſa fuit, quia in nouo teſtamento nihil eis de hoc aperte legi, aut reperiri poſſe videbatur. Ad quos dicere poſſumus illud diui Chryſoſtomi in Homil. de obſcuritate prophetarum: quòd aliud eſt aliquid in ſacris literis formaliter reperiri non poſſe, aliud cum difficultate & probabiliter, vt deduximus ſupra ex diuerſis ſcripturæ auctoritatibus, poſſe. Iccirco Dominus ad ſcrutandū ſcripturas hortatur: immo & ſancti prophetæ & apoſtoli, vt ſanctus Maximus in reſponſis ad Thalaſium notauit, dicens: quòd non ſine ſtudio proprio, & quidem multo, neque ſine ardenti deſiderio, præeunte & proſequente Dei gratia, reuelationes Spiritus ſancti capiebant, vt ſanctus Petrus ſignificauit, cum dixit. De qua ſalute exquiſierunt, & perſcrutati ſunt, qui de futura in vobis gratia prophetarunt.

Vmbertus quoque Cenomanenſis Leonis ix. ad Conſtantinopolitanos legatus, qui floruit poſt tempora diui Gregorij, & in quinto tempore ſuperius deſcripto, in libro, quem aduerſus calumnias Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani & Leonis Archidani archiepiſcopi ſcripſit, declarans tertiumdecimum canonem eorum, qui ſextæ ſynodi falſo eſſe feruntur, ac ſigillatim notans, & reprehendens quæ in ipſo continentur, inquit: Quid Romana Eccleſia in gradibus clericorum agat, ſeriatim & aperte proſequamur. Clericos tantum hoſtiarios, lectores, exorciſtas, & acolytos, ſi extra votum & habitum monachorum reperiuntur, & extra continentiæ profeſſionem, vxorem ducere virginem cū benedictione ſacerdotali permittit: non autem viduam aut repudiatā: quia propter hoc ſolum deinceps, neque ad ſubdiaconatum prouehi poterunt: neque laicus non virginem ſortitus vxorem, aut digamus ad clericatum. Quòd ſiquis præfatorum ordinum deſiderat ad ſubdiaconatum aſcendere, nequibit hoc ſine conſenſu vxoris ſuæ, vt de carnali fiat deinceps ſpirituale coniugium nemine eos ad hoc cogente.

Neque

Neque permittitur poſtea vxor iungi eidem ſuo marito carnaliter, neque cuiquam nubere in vita aut poſt mortẽ illius, alioquin anathematizanda eſt: ſicut & ſubdiaconus, diaconus, presbyter, aut epiſcopus deponendus, ſuam repetens, aut extraneam ducens, ut in Neocæſarienſi concilio decretum eſt. Talibus traditionibus vſque nunc ſancta Romana & Apoſtolica ſedes omni mũdo refulſit: neque aliquando apocryphis ſcripturis acquieuit, ſed per primos Apoſtolorũ in ipſo ſummo lapide Chriſto Ieſu fundata, nullis vmquam hæreſibus ceſſit, neque prohibuit vti coniugio laicos, ſed ſacri altaris miniſtros, & apoſtolicam profeſſionẽ profeſſos. Eccleſia vero Græcorum ad ſacri altaris miniſterium, vt dictũ eſt ſupra, ordinandos interrogat, an habeant vxores, quòd ſi reſponderint ſe non habere, compelluntur primo ducere, & ſic impoſitionem manuum accipere, vt noui mariti, & recenti carnis voluptate toti reſoluti & marcidi, inter ſancta & mundiſſima ſacrificia cogitantes quomodo placeant vxoribus, immaculatum Chriſti corpus tractẽt atque populo diſtribuant: indeq; ſanctificatas manus ad tractanda membra virilia mox referant: & ſicut populus, ſic & ſacerdos, vt tandem ruina populi ſint ſacerdotes: hactenus Vmbertus. Et beatus Hieronymus ſuper primum ad Cor. inquit, quòd antiſtites Dei puriores eſſe debent, quàm ceteri: quia Chriſti gerunt perſonam. Nemo enim Imperatori miniſtrat, niſi veſtimentis claris & mundis indutus: Dei autem (qui natura clariſſimus eſt) miniſtros natura magis, quàm veſtibus mundos eſſe oportet.

Siritius Papa poſt Chriſtum natum anno *390*. legem præceptoriã tradidit de ſeruanda a ſacerdotibus omnimoda continentia, quæ vetuerit nuptias ſacris ordinibus in eodem poſſe coniũgi: eundẽq; & coniugem eſſe & ſancti altaris miniſtrũ: vt patet in epiſtola eius ad Cumerium epiſcopum Tarraconenſem, quam, vt ipſe inquit in ſua 4. epiſtola ad coepiſcopos per Africam ſcripta, dare placuit, nõ quòd noua præcepta imperentur, ſed quòd ea, quæ per ignauiam deſidiamq; aliquorum neglecta ſunt, obſeruare cupiamus: quæ tamen & apoſtolica & patrum conſtitutione ſunt ordinata, de qua vide diſt. 82. c. Plurimos.

Idem Siritius ad Himerium c. 7. inquit: Dicat mihi nunc quiſquis ille eſt clericorum ſectator libidinum, præceptorq; vitiorum, ſi æſtimat, quòd ĩ lege Moyſi paſſim ſacris ordinibus a Deo noſtro laxata ſunt fræna luxuriæ: cur eos quibus committebantur ſancta ſanctorum præmonet, dicens Leuit. 20. Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum dominus Deus veſter? cur etiam procul a ſuis domibus tempore vicis ſuæ in templo habitare iuſſi ſunt ſacerdotes? Hac videlicet

delicet

delicet ratione, ne vel cum vxoribus poſſint carnale exercere cõmercium,vt conſcientiæ integritate fulgẽtes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam expleto deſeruitionis ſuæ tempore vxoris vſus ſolius ſucceſſionis cauſa fuerat relaxatus: quia non ex alia niſi ex tribu Leui quisquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti. Vnde & dominus Ieſus cũ nos ſuo illuſtraſſet aduentu in euangelio, proteſtatur Matth. 5. quia legem venerit implere, non ſoluere. Et ideo Eccleſiam,cuius ſponſus eſt ſpecioſus forma, caſtitatis voluit ſplendore radiare: vt in die iudicij cum rurſus aduenerit,ſine macula & ruga eam poſſit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit,reperire. Quarum ſanctionũ ſacerdotes omnes atque leuitæ inſolubili lege conſtringimur,vt a die ordinationis noſtræ ſobrietati ac pudicitiæ,& corda noſtra mãcipemus & corpora. Idem fere Innocentius primus ad Vitricium cap. 9.

SI dicatur, quòd ex quo continenter viuere,eſt ſupra vires noſtras,cum ſapientiæ 8. dicatur, Nemo continens eſſe poterit,niſi Deus dederit: ſancti Apoſtoli & Eccleſia non debebãt ſacerdotes ac altaris miniſtros ad continentiã obligare: Reſpõderi poteſt, quòd & ſi cælibatus vel continentia ſit donum Dei, cum vnusquisque, vt inquit diuus Paulus,proprium donum habeat ex Deo: alius quidem ſic, nempe vt integrã incorrupti corporis caſtitatẽ ſeruet, vel poſt ſolutum matrimonium cõtineat: alius vero ſic, vt ſanctiones matrimonij inoffenſas cuſtodiens,nullam incontinentiæ maculam admittat: cum hoc tamen ſtat,quòd poſtquam donata ſunt,in noſtra ſunt poteſtate. Vbi enim donata ſunt, iam vti illis vel non vti in noſtra eſt facultate,& noſtra efficiuntur. Varia profecto ſunt dona Spiritus ſancti, qui diſtribuit ſingulis pro vt vult. Tãta eſt etiã Dei erga nos munificẽtia, vt nulli homini chriſtiano deſit vlla gratia neceſſaria ad peragendam debite functionem euangelio Chriſti aut Eccleſiæ comprobatam, dummodo ipſe non defuerit ſibi. Vnde in principio primæ epiſtolæ ad Cor. inquit Apoſtolus: Gratias ago Deo meo ſemper in gratia Dei,quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo in omni verbo & omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia, deſit inquã ex parte Dei: nam qui ſua culpa æger eſt aut egenus,ipſe ſibimet imputet. Si igitur Chriſti fidelibus deſint dona Dei, ſine quibus impleri nequit quod ſtatus illorum requirit, non iam homo,ſed Chriſtus culpandus eſſet, docens ſeruandum quod viribus maius eſt,non addens

ſimul

ſimul gratiarũ dona,quibus ſeruari poſſit. Incontinentes igitur excuſari non poſſunt,dicẽdo, quòd cõtinere non poſſunt,cum beatus Paulus ad Philip. 4. dicat:Omnia poſſum in eo,qui me confortat: et diuus Iacobus pri. c. ſuæ canonicæ. Deus dat omnibus affluenter,& non improperat. Et licet nihil poſſimus ex nobis, poſſumus tamẽ omnia, et mundũ vincere, & iuſti eſſe, & continẽter viuere in eo,qui nos confortat ſuarũ gratiarũ auxilio: qui orationũ inſtantia pulſatus dat cito, datq; omnibus afflueter. Indubie donum Dei eſt continẽtia,nec poteſt quisquã continere,niſi Deus dederit:Verum Deus rogatus, ſiue pulſatus in fide,dat omnibus affluenter. Non propter hoc tamen credas, ꝙ ex ſolo Deo,vel ex ſola fide,ſed quòd etiã ex nobis pẽdet continẽtia noſtra. Nam donis Dei ſæpe vel non vtitur, vel abutitur peruerſitas humana: ꝓpter quod dicebat Apoſtolus. Non ego ſolus,ſed gratia Dei mecũ. Quare beatus Ambroſius libro primo de viduis contra eos,qui propter infirmitatẽ putabant vouendã nõ eſſe continentiã,ne quis forte nõ præſtaret,quod voueret, inquit. Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur: nec pedis vtatur beneficio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiſcentiæ timet lapſum. Seruare igitur poſſumus, ſi volumus caſtitatem,vt docet Origenes Homil. 9. ſuper Leuiticum. Chryſoſtomus etiam Homil. 17. epiſtolæ ad Hebræos, ait: Dicere non oportet non poſſum continere, & accuſare conditorem. Si enim impotentes fecit nos, qui iubet accuſandus eſt: multi non poſſunt, quia non volunt. Nempe ſi omnes voluerint, omnes potuerint. Nec eſt miraculum, vt quidem hæretici garrulantur, continenter viuere: eo quòd miraculum proprie dicitur, quod naturæ recte inſtitutæ & diuina adiutæ gratia fines trãſgreditur, exceditq; limites, & ad quod vltra naturã & gratiam bonorum operum adiutricem diuina virtus peculiariter concurrit, vt huiuſmodi opera fiant,ſuper conſuetũ naturæ curſum. Vnde Auguſtinus lib. 2. de meritis,& peccatorum remiſſione c. 17. inquit: Caſti non ſumus, non quia non poſſumus,ſed quia nõ volumus: & ſuper pſal. 131. Nemo ſuis viribus præſumat ſe poſſe reddere quod vouerit: qui te hortatur,vt voueas, ipſe adiuuat,vt reddas. Et Origenes ſuper illud 7. cap. Matth. Qui poteſt capere capiat, quod de caſtitate poſitum eſt: petat credens dicenti, & accipiat, non dubitans de illo, quod dictum eſt: Omnis qui petit, accipit. Et beatus Auguſtinus lib. 6. confeſſ. c. 3. dicebat: Diuũ Ambroſium felicem quẽdam hominem ſecundum ſeculum opinabar, quẽ ſic tantæ poteſtates honorarent, cælibatus tantum eius mihi laborioſus videbatur. Et c. 11. Tam enim ſtultus eram,vt neſcirem,ſicut ſcriptum

eſt,

eſt, Neminem eſſe poſſe continentem, niſi tu dederis: vtique dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolida in te iactarem curam meam: & in lib. de diligendo Deum c. 13. ingenue fatetur tam ardenti ſe libidine diutiſſime deflagraſſe, vt vix tres integros dies continere potuerit: quod tamen malum non nuptijs, ſed precibus atque vigilijs curauit. Quibus, inquit, non datum eſt caſtitatis donum, aut nolunt, aut non implét quod volunt: quibus autem datum eſt, ſic volunt, vt impleant quod volunt. Quare qui nihil eorum prætermittunt, quæ ſunt ad caſtimoniam comparandam neceſſaria, difficile illud ac arduum verbum (capiunt) ipſiſq; cæleſtis continentiæ donum a Deo conceditur, quo feliciter conſeruare queant, quæ pie & ſancte vouerunt. Ad hoc tamen, vt quis Chriſti auxilium experiatur, tria ſunt neceſſaria. Primum, vt iuuãdus muneribus in Chriſto maneat: extra enim Eccleſiam non eſt ſalus. Secundum, quòd genus vitæ vel ſuſceptum, vel ſuſcipiẽdum ſit euangelio Chriſti comprobatum, vt cælibatus, abdicatio proprij, & ſuiipſius ſub alterius obedientia ſubmiſſio. Tertium, quòd homo non deſit ipſe ſibi, neque in ſuſcipiendo, neque in proſequendo ſuſceptum, hoceſt vt faciat homo quãtum in ſe eſt, quo digne probatum aliquod vitæ genus ſuſcipiat, atque ſuſceptũ ſimili modo ꝓſequatur. Vnde Cyrillus lib. 9. ſuper Leuiticum poſt multa concludit: Nutrimentum Spiritus ſunt diuina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ: his alitur cibis, his conualeſcit, his victor efficitur: quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere: quia volumus, ſed non poſſumus: volumus continenter viuere, ſed carnis fragilitate decipimur: ille. In noſtra ergo poteſtate ſicut eſt vouere, ita & victores cum Dei adiutorio fieri: Et ideo hoc pro certo habet omnis fidelis, quia vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur: & ſi in tribulatione, liberabitur: & ſi in corruptione, ad miſericordiam venire licebit. Nam ſi rem etiã accurate expendamus, facile videbimus non minus caſtitatem coniugalem, quàm cælibatum donum Dei eſſe: quin immo plurimos eſſe (Auguſtino auctore in lib. de bono coniugali cap. 27) qui facilius ſe abſtinent, ne vmquam vtantur nuptijs, quàm ſe temperent, vt illis bene vtantur. Quare conferens idem Auguſtinus continẽtiam Ioannis Baptiſtæ cum matrimonio Abraham, inquit: quòd quemadmodũ non impar eſt meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, vt in Ioanne, qui paſſus non eſt: ſic non impar eſt meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios genuit: & c. 27. de ſe fatetur, quòd facilius non vteretur nuptijs, quibus vſus eſt Abraham, quàm ſic illis vti, quemadmodum Abraham vſus

eſt,

eſt. Nec tamen propter hoc ſequitur, quòd ex quo donum Dei eſt continentia ipſa coniugalis, propter hoc ſit impoſſibile illam obſeruare: & ex conſequenti quòd non debeant nuptiæ concedi: ita pari modo dicẽdum eſt de continẽtia annexa ſacris ordinibus. Et ſi iterum dicatur, quòd multa ex rationabili cauſa ſunt inſtituta, quæ tamen cum ex proceſſu temporum expedire non dignoſcãtur, conuenit ea aboleri: quod non modo obſeruari cernimus in humanis legibus, quæ ſecundum varietatem temporum etiam ipſe variantur, ſed & in diuinis. Vnde 4. regum 18. dicitur, quòd Ezechias rex Iuda piiſſimus magnopere commendatur, quòd comminuerit ſerpentem æneum a Moyſe iuſſu Domini fabricatum: eo quòd illius occaſione populus in ſuperſtitionem & vanum cultum trahebatur. Ita pari modo cum lex continentiæ miniſtris altaris impoſita magnum inferat detrimentum eccleſiaſtico decori ac ſtatui ob varias turpitudines & fœdas clericorum incontinentias ex concubinatu: ideo ſatius eſſet illam reſcindere ac prorſus ſuſtollere, illiusq; loco aliam condere ſanctionem: qua concederentur matrimonij vincula miniſtris eccleſiaſticis, nolentibus continentiæ iugo ſua colla ſubmittere. Hac apparenti ratione nituntur aduerſarij ſacrorum altaris miniſtrorum tollere continentiam, ieiuniorum obſeruationem, delectum ciborum, & cetera id genus ſanctas Eccleſiæ regulas, quas dicunt Reipublicæ chriſtianæ exitiales ob multitudinem eorum, qui eas transgrediuntur. Quibus poſſet vnico verbo reſponderi, dicendo, quòd dicta ſacrorum miniſtrorum continentia non eſt lege dumtaxat humana ſancita, ſed ex ſacris literis probabiliter deducta, ac traditione apoſtolica, quæ habet vim diuinæ legis, firmata: ideo nulla ratione poteſt eidem refragari.

VT tamen euidentius pateat, quòd nullius dicta ratio ſit valoris, dicimus, quòd Ezechias non contriuit ſerpentem, quoniam a Moyſe fabricatus fuerat in ſignum futuræ exaltationis Chriſti in cruce, ſed quoniam horum miſteriorum immemor populus Iuda ad ſuperſtitionem pronus, adolebat illi ſerpenti incenſum, diuinosq; impendebat honores. Pari modo dicimus, quòd eccleſiaſtica lex de continentia miniſtrorum altaris, ſi in ſua integritate ab omnibus ſacris miniſtris obſeruaretur, nullum non modo non inferret eccleſiaſticæ Reipublicæ detrimentum, ſed potius ingentem vtilitatem, præclaram honeſtatem, & eximium decorem: Conculcatio vero & præuaricatio legis illius per fœdas libidines & concubinatum ingerit infamiam, dedecus, & notam infandam eccleſiaſtico ſtatui, cuius facies, ſplendor, & ſpecies per has ſordes omnino conſpurcatur. Non igitur ex ſupradicta ratione colligere

poſſunt

poſſunt aduerſarij tollendam eſſe legem continentiæ dictorum ſacrorum miniſtrorum. Inficiandum igitur eſt, ſcandalum, quod ex turpi clericorum concubinatu in Eccleſia Dei cōſpicitur inualeſcere, proficiſci ex regula illa ſanctiſſima continentiæ clericis iniuncta: ſed oboritur dumtaxat ex illius regulæ præuaricatione, & quoniam non ſeruatur ad vnguem ab his, qui ſe illi obſeruandæ ſponte ſua ſubdiderunt. Proinde eæ morum corruptelæ per eos, penes quos eſt auctoritas rem eccleſiaſticam moderandi, diſtrictius ſunt exterminandæ: & regula obſeruandæ continentiæ in miniſtris Eccleſiæ, quæ recta eſt & ſancta, in ſuo vigore ſtabilienda eſt & tenenda. Si enim propter multitudinem eorum, qui rectam aliquam conſtitutionem transgrediuntur ſumi putetur argumentum, quòd illa ſit abrogāda, oportet & legem matrimonij ab hominum ſocietate delere: quoniam plerique eorum, qui legis illius vinculo ſe ſubmiſerunt, alienis irretiuntur amoribus, & adulterio fidem tori violant. Oportet etiam & præcepta Dei de prohibitione vani iuramēti, homicidij, furti, & fornicationis penitus aboleri: quoniam multi inueniuntur aſſumentes nomen Dei in vanum: multi inſuper humana cæde contaminati, fures multi, & fornicatores.

Ceterum licet multiplicatio humani generis fuerit præcepta, hoc ſolum fuit ante propagationem humani generis. Vnde beatus Hieronymus contra Heluidium inquit, quòd pro conditione temporū Sancti veteris teſtamenti aliæ ſubiacuerunt ſententiæ, & aliæ nos in nouo, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Quandiu illa lex de multiplicando genere humano permanſit, & maledicta eſt ſterilitas Deu.7. nubebāt omnes, & nubebātur. Quādo vero lex illa pertonuit: Tēpus breuiatū eſt, reliquū eſt vt qui habent vxores, ſic ſint quaſi non habeant: iam plenus eſt orbis: hæc Hieronymus. Et contra Iouinianum ſubdit: Nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum. Et Cyprianus in lib. de habitu virginum inquit: Prima ſententia creſcere & generare præcepit, ſecunda continentiam ſuaſit. Cum adhuc mundus rudis & inanis eſt, copia fœcunditatis generante ꝓpagamur, & creſcimus ad humani generis augmentum: cum iam refertus eſt orbis & mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt more ſpadonum viuentes, caſtrantur ad regnum. Auguſtinus vero de bono coniugali reſpondet tacitæ obiectioni, dicens: Quid, ſi omnes velint ab omni concubitu abſtinere, vnde ſubſiſtet genus humanum? ait. Vtinam omnes hoc vellent dumtaxat in charitate, de corde puro, & fide non ficta: quia multo citius Dei ciuitas cōpleretur, & acceleraretur terminus ſeculi. Quid enim aliud hortari apparet Apoſtolum pri. Cor.7. Vellem omnes eſſe ſicut me-

ipſum? hæc Auguſtinus: qui cum ſit alias coniugalis boni propugnator, virginitatem tamen matrimonio præferēs optat omnes eſſe virgines. Ex quibus verbis in lib. de opere monachorum c. 4. vna cum Ambroſio, & Hieronymo in epiſtola ad Gerutiam, interpretando illa verba, videtur pro Pauli virginitate pugnare. Obijciunt nobis hæretici beatum Ignatium, qui epiſtola 5. recenſens ſanctos viros coniugatos, inter eos numerat diuum Paulum. Quibus reſpondemus, quòd falſum adducunt: mos enim illorum eſt ſcripturas deprauare, illis addendo, aut detrahendo. Vnde Pauli nomen, quod Ignatius non poſuerat, in illius epiſtola inſeruerunt, vt inquit Alphonſus de Caſtro contra omnes hæreſes, in titulo virginitas: quia vt ipſe aſſerit, Oxoniæ, quæ Anglicana eſt Academia, eſt quoddam collegium Magdalenæ, in quo habentur eæ Ignatij epiſtolæ, antiquis & pulcherrimis characteribus ſcriptæ, & tamen in illa citata epiſtola nulla fit memoria de beato Paulo. Ambroſius ĕt Camaldolenſis dicit ſe vidiſſe exemplaria epiſtolarum ſancti Ignatij optimis, & antiquiſſimis characteribus ſcripta apud regem Matthiam in Vngaria, in quibus etiam nulla fit mentio beati Pauli. Obijciunt alij nobis contra ſupradicta in duobus dubijs 13. canonem ſextæ generalis ſynodi dicentem: ſubdiaconi, diaconi, & presbyteri vicis ſuæ tempore ab vxoribus ſeparentur, quo canone patres tria decernunt. Primo eos, qui vt ordinentur hypodiaconi, diaconi, aut presbyteri digni ſunt a prioribus ſuis legitimis vxoribus nō ſeparari: adijciunt autem eos nō cum ſuis coniugibus coniunctionem indiſcriminatim habituros, ſed ab eis abſtenturos vicis ſuæ tēpore, eo ſcilicet tempore, quo ſacrificant. Secundo decernit deponendos eſſe, qui audeant poſt ordinationem diaconos & ſacerdotes cum prioribus ſuis legitimis vxoribus conſuetudine priuare: & ipſos qui ordinautur ſuas vxores pietatis prætextu expellentes, excommunicandos ſtatuit. Tertio dicunt, Patres ſe id facere cognoſcentes Romanæ Eccleſiæ pro canone traditum eſſe, vt diaconi vel presbyteri in ſua ordinatione profiteantur ſe nō amplius ſuis vxoribus coniungendos. Quibus reſpondetur dictum canonem nec eſſe ſextæ ſynodi, nec alterius oecumenici concilij: quod auctoritate trium teſtiū antiquæ fidei & magnæ auctoritatis probari poteſt. Primus quorum eſt Theophanes auctor Græcus, qui a temporibus Diocletiani Imperatoris vſque ad Michaelem Leonis filium, ideſt vſque ad ſua tempora, annales rectos & ſimplices ſumma fide & diligentia perduxit. Is ergo canones illos vigintiſeptem, aut vigintiocto annis poſt ſextam ſynodum confictos eſſe indicauit, inita ratione annorum, ac notata ſucceſſione tum imperatorum, tum pa-

triarcharum

triarcharum ab eo tempore, quo ſexta ſynodus, quæ eſt Conſtantinopolitana 2. habita fuit, vſque ad annum quo ſcripti ſunt canones ipſi, qui notatus eſt in 3. eorum canone. Secundus eſt Anaſtaſius Vaticanæ bibliothecæ magiſter tempore Adriani 2. Theophanem ſecutus, immo interpretatus. Tertius D. Vmbertus Cenomenſis, ſupradictus, qui vbi ſupra inquit, quòd canon ille 13. fluxit primo ex libidine, & carnali deſiderio auctorum: ſecundo ex canone falſo in ſextum librum Clementis Romani de Apoſt. doctr. immiſſo, qui talis erat: Epiſcopum, presbyterum, & diaconum dicimus, qui vnam habet vxorem, ordinari, quāuis viuant eorum vxores, quamuis defunctæ: Neque licet eos poſt manus impoſitionem innuptos eſſe, neque inſuper ad nuptias ire, aut ſi nupſerint, alias amplecti: ſed ſufficere eis habere illas, quas ante ordinationē habebāt. Hinc Græci impudicam & ſacrilegam conſuetudinem, quam eis idem D. Vmbertus obiecit & exprobrauit, traxerunt, vt qui ordinandi eſſent, prius interrogarentur, an haberent vxores, qui ſi non haberent, cogerentur prius accipere: deinde ordinari. Quidam tamen vir pius & doctus dictum canonē fuiſſe male de Græco in latinum verſum aſſerit, & ipſe ad græcam veritatem ſic transfert: Epiſcopum & presbyterum & diaconum vnius vxoris viros ordinari dicimus, ſiue eorum vxores viuant, ſiue mortuæ ſint, neque licere eis poſt ordinationem, ſi ante non duxerunt, vxorem ducere: aut ſi duxerunt, cum alijs matrimonio copulari: ſed illis contentos eſſe debere, ſi adhuc habebant, cum ad ordinationem venerunt. Canon vero ſextæ ſynodi ex hoc canone græce deprauato, ſiue male tranſlato, manauit: qui cum velit non licere poſt ſacram ordinationem ſine vxore eſſe, conſequens eſt, vt ijs, qui ſacri ordinis ſunt, vxoribus ſuis vti concedatur. Translatio vero præfati doctoris ſic habet, quòd cum his etiam, qui nullam habuerunt, vetet vxorem ducere poſt ſacram ordinationem, conſequens ſimiliter erit, vt ſimul vetet, eis etiam quas ante habebant, deinceps vti, vt ſint tanquam nō habentes. Canon etiam 13. ſupradictus ſextæ ſynodi occaſionem ſumpſit a quinto canone apoſtolorum, qui dicit, quòd neque epiſcopus, neque presbyter, neque diaconus vxorem ſuam prætextu religionis eijciat: quem perperam ſic interpretabantur, quaſi vetaret, ne presbyter, aut diaconus vxorem ſuam carnali conſuetudine priuaret: & non potius iuberet, vt curam illius alendæ & cuſtodiendæ haberet: alioqui quomodo domui ſuæ bene præeſſe ſciret, vxore ſpreta, & inhumane eiecta?

OBijciunt quoque nobis illud, quod obiter ponitur in cap. Quæſito de pœnitentijs & remiſſionibus ex quinto decreto Clemē-

tis tertij, vbi Pontifici proponitur quæſitum, videlicet: An ſacerdotibus Græcis, quibus matrimonio legitimo vti licet, pœnitentia publica ſit imponenda, ſi eam ſibi poſtulent pro filijs oppreſſis iniungi. Ad quòd quæſitum reſpondere non ſatis erat, niſi etiam de ea re nō conſultus Pontifex libidinem Græcorum ſacerdotum approbaret? Neque enim ſi quid Pontifices in decretis ſuis obiter explanant, de quo non fuit expoſitum conſulenti, vt de eo quæreret: neque Pontifici reſpondenti, vt de eo iudicaret: neceſſe eſt id tenere, cum nec id a nobis ipſi poſtulent: immo ſi quid Pōtifex aliquando priuato ſenſu ſanciret, quod cū veritate & iuſtitia plane diſcrepare videretur, (quod euenire poteſt) non tenemur illi cōformari. Cui etiã obiecto beatus Gelaſius ſanctiſſimus & eruditiſſimus Pontifex epiſtola pri. reſpondere nos docuit, quod ipſe reſpondet his, qui obijciebant abſolutionem Petri patriarchæ Alexandrini hæretici a ſuperiori Pontifice factam: vbi negat Gelaſius abſolutum eſſe a Pontifice, aut certe ſi abſolutus eſſet, non fuiſſe abſolutionem legitimam, & canonica auctoritate factam: Si aſſenſus, inquit, Pontificis interfuit, doceatur a quibus & vbi ille ſit geſtus, ſi videlicet ſecūdum Eccleſiæ regulam ſit celebratus, ſi paterna traditione ꝑfectus, ſi maiorum more prolatus, ſi competenti examinatione depromptus: vbi procul dubio requirendum eſt, ſi ſynodali congregatione celebratus: quòd in receptione damnati, & depulſione catholici, quia noua cauſa eſt, fieri certiſſimum eſt. Et quis dubitat, ſi hæc in decretis, & conſultis ſiue de moribus, ſiue de fide faciendis ſeruentur, quin propter prærogatiuam priuilegij pontificalis numquam Pontifex errare poſſit? denique de aſſenſu illo Pōtificis, qui fortaſſe fingebatur, idem Gelaſius: Si aſſenſus, inquit, Pontificis ſecutus eſt, adulationis potius fuit, quàm legitimæ ſanctionis: Zacharias etiam Pontifex epiſtola ſexta, vbi loquitur de diſpenſatione, quæ a beato Gregorio dicebatur facta, ait: Abſit hoc, vt prædeceſſor noſter ita præciperet, cum nihil ab apoſtolica ſede dirigatur, quod contrariū eſſe patrum, ſiue canonum inſtitutis perhibeatur: admonere, adhortari, increpare eos neceſſe eſt frater, quatenus a tali ſceleſto recedant matrimonio, ne in æternum pereant. Ad conſulta etiam Bulgarorum Nicolaus pri. reſpondet, quòd cum interpretatione Clementis iij. pugnare videtur. Conſulendum, inquit, decernitis vtrum presbyterum habentem vxorem debeatis ſuſtentare, & honorare, an a vobis proijcere: In quo reſpōdemus, quòd licet ipſi valde ſint reprehenſibiles, vos tamen Deum conuenit imitari, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: deijcere enim a vobis ideo non debetis, quoniã neque Iudam

Dominus

Dominus cum eſſet falſus diſcipulus, a numero diſcipulorum eiecit: Verum & de presbyteris vobis, qui laici eſtis, neque iudicandum eſt, neque de vita eorum quicquam inueſtigandum: ſed epiſcoporum iudicio quicquid id ſit reſeruandum eſt. Non reprehendit hoc loco Nicolaus Pontifex eos (vt Gratianus opinatur 31. c. Aliter) qui vxores habent facti ſacerdotes: eos dicimus, quos multo ante Synodus 3. Carthaginenſis approbauerat, qui cum vxores haberent, eſſent tanquam non habentes: ſed potius reprehenſibiles eſſe duxit, vtpote quia vxores habebant ad vtendum eis. Vnde Bulgari cum viderent ſacerdotes ſuos dare operã liberis (vt hodie quoque ijdem faciunt) offenſi eorum impudica vita, nolebant eos alere nec honorare, cum tales non viderentur duplici honore digni: ſed potius eijcere. Verũ ſuper hoc Pontificẽ conſulendũ eſſe arbitrati ſunt, quibus Pontifex reſpõdit, quòd ſcilicet non pertineret ad populũ iudicare ſacerdotũ vitã, ſed ad eorũ epiſcopũ. Quomodo igitur probabile videri poteſt, vt Clemens iii. in Græcis probauerit, quòd ante eum grauiſſimus & prudentiſſimus Põtifex Nicolaus primus eos, qui ex Græcis erãt, & Græcorũ ritus ſemper tenuerant, & vſque in hodiernum diem tenent, ſecutus ſcripturas ſanctas ſanctosq; patres & Eccleſiæ doctores, improbaſſet & reprehendiſſet?

Obijciũt iterum alij nobis decretum Stephani Papæ, quod habetur 31. c. Aliter, dicentis: Aliter ſe Oriẽtalium traditio habet, aliter huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: nam eorum ſacerdotes, diaconi, & ſubdiaconi matrimonio copulantur. Sic enim in exemplaribus manu ſcriptis reperitur ſcriptum, vt nonnulli dicunt doctores, & non in matrimonio copulantur. Quia ſicut matrimonio copulari ſignificat aliquam habere in matrimonio: ita in matrimonio copulari videtur declarare, cum ea, quam quis in matrimonio habet, rem habere: & ſecundum hunc ſenſum glo. interpretatur in matrimonio copulari, pro eo quod eſt, copulato vtuntur. Illud ergo non habere ſacerdotes, diaconos, & ſubdiaconos in occidentali Eccleſia licentiam coniugium ſortiendi, non ſignificat non habere ius & poteſtatem in eo gradu accipiendi vxorẽ, quod æque Græcis & Latinis prohibitũ ſemper fuit: ſed potius ſignificat in Eccleſia occidentali non habere licentiam, ideſt non poſſe pro nutu & voluntate ſua eſſe in coniugio ſimul & ſacro ordine, vt permiſſum eſt in Eccleſia orientali. Itaque copulari matrimonio, vt dictum eſt, contrarium eſt eius, quod eſt non ſortiri coniugium, ſiue non contrahere coniugium, quod occidentalis Eccleſia ordinarie, & (vt ita dicam) regulariter ſeruat in his, qui ſiunt ordinis ſacri: Eccleſia verò orientalis non ita.

Si iterum obijciatur nobis decimus canon Ancyranæ ſynodi, qui cōcedit diacono vxorato de permiſſu epiſcopi, vt remaneat in miniſterio ſacro, præcipue ſi ipſe quando conſecrari volebat, dixit ſe non poſſe abſque vxore eſſe: Dicendum videtur, quòd cōcilia prouincialia ſunt, & ſemper fuerunt ſubiecta ſedis apoſtolicæ retractationi, præcipue ſiquid in eis in veritate cum diuina aut eccleſiaſtica lege pugnet, ſicut concilium ſupradictum. Præfato igitur diacono etſi loco beneficij dicta ſynodus conceſſiſſe aliquid videatur, indulſit dumtaxat, vt eſſet in miniſterio altaris: ſed quod deinceps contineret. Errat igitur qui per hunc canonem ſynodi Ancyranæ exiſtimat olim diaconibus, & hypodiaconibus permiſſum fuiſſe ad nuptias poſſe peruolare. Errat ſimiliter Gratianus cum ait diſt. 28. c. Syracuſanæ, nondum fuiſſe tunc introductam cōtinentiam miniſtrorum altaris ſimiliter & cum dicit 35. quęſt. pri. quòd inter conſilia perfectionis ab Eccleſia addita poſt apoſtolorum inſtituta potiſſimum eſt continentia ſacerdotum: & quòd copula ſacerdotalis neque legali, neque euangelica, neque apoſtolica auctoritate prohibetur, ſed eccleſiaſtica lege dumtaxat 26. quęſt. 2. c. ſors, vt patet ex prædictis. Vnde licet aliquando in aliqua prouincia aliquibus copula carnalis matrimonio ligatis poſt cōſecrationem fuerit permiſſa, licentia fuit, & dicenda eſt non legitima permiſſio, vt Gregorius ſcribens ad Leonem epiſcopum Catanenſem 27. quęſt. 2. inquit. Multorum relatione comperimus hanc apud vos olim conſuetudinem fuiſſe, vt ſubdiaconi ſuis licite miſcerētur coniugibus, licite dixit, non quòd approbaret, abſit, ſed potius vt hoc verbo ſignificaret, quòd impune illic fiebat: ſic nobis multa facere licet, quæ tamen non debemus, cum ſecundum Deum non liceat, tametſi poteſtate noſtra (ſi libertatem in occaſionē carnis dare apud homines volumus) facere poſſumus. Obijcient forte alij nobis correctionem Pelagij Pontificis a beato Gregorio factam: Statuerat enim Pelagius (vt ſcribit ad Leonem præfatū vbi ſupra) quòd ſubdiaconi, qui iam vxoribus fuerant copulati, cum vxoribus ſuis non miſcerentur, vt per Siciliam ſolebant, ſed potius vnum ex duobus eligerent, aut miniſtrare nulla ratione præſumerent, aut a ſuis vxoribus abſtinerent: hanc ſanctionem beatus Gregorius diſt. 31. c. ante triennium correxit, dicens, quòd durum erat, & incompetens ei videbatur, vt qui vſum continentiæ nō inuenit, neque caſtitatem promiſit, compellatur a ſua vxore ſeparari. Ideo videtur mihi (vt ipſe inquit) vt a præſenti die epiſcopis omnibus dicatur, quòd nullum facere ſubdiaconum præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit: & præterita mala, quæ propoſito mentis appetita nō ſunt, violenter

violenter non exigantur,ideſt non puniantur,& futura mala caute caueantur. Cum præterita mala dixit, ſatis ſignificauit, quod ante fiebat non licere, ſcilicet miſcere ſe ſubdiaconos cum vxoribus. Eſto,quòd caſtitatem non promiſiſſent,tamen ob hoc ipſum,quòd caſtitatem extrinſecus non promiſerant,leuius hoc malum erat puniendum. Illud ergo beati Gregorij dictum,quòd nullus ſubdiaconus fiat,niſi caſtitatem voto profiteatur: ſic intelligendum eſt: fieri debere, vt hodie fit,cũ ordinator admonet ordinãdos, vt videãt ad quẽ gradũ aſcẽdant: quia non licebit poſtea tranſire ad vota ſecularia: ſed oportebit caſtitatem perpetuo ſeruare: deinde dicit, ſi placet,accedite. Siquis vero ſic monitus diceret, ſe non ſeruaturũ caſtitatem, profecto non admitteretur ad ordinẽ ſacrũ: quia vero tacet, exiſtimatur velle:quod eſt quodammodo profiteri voto facto perpetuã caſtitatẽ. Si poſtremo quis obijciat nobis illud Innocentij iij. ext.de clericis coniug.c.Cum olim,de quodam filio Græci ſacerdotis, quem ille in ſacerdotio genuerat,qui cum apud latinos inter quos conuerſabatur, ordinari vellet, conceſſit Pontifex: Reſpondemus,quòd Pontifex non approbat, quod Græci faciunt, ſed cauet potius,ne huic obſtet ad ordinationem, quòd eum pater in ſacerdotio genuerit. Nunc autem quanquam nati ex profano & ſacrilego concubitu(quale eſt ſacerdotis cum vxore) infames ſint, tamen quia Græci id licere putant,& ita in conſuetudine,licet corrupta,habent, iccirco cõceſſit interim Pontifex,vt huic electo non obſtaret,quòd ex ſacerdote natus eſſet. Et ſi dicatur,quòd nõ magis cælibes eſſe debent ſacri altaris miniſtri,quàm quæ votum caſtitatis emiſerunt: ſed illæ ſi nupſerint, Auguſtinus de bono viduitatis diſiungi vetat:immo eos reprehendit,qui huiuſmodi coniugia adulteria eſſe dicebant: ita pari modo dicendum eſt de illis,qui ante ſacrũ ordinẽ vxores duxerũt,quòd videlicet licebit illis deinceps eis vti, præcipue cum poſt ordinem ſacrũ non dirimatur matrimonium: Reſpondendum,quòd beatus Auguſtinus loquitur de virginibus, ſiue viduis,quæ velatæ nõ ſunt: ſeu de his, quæ caſtitatis votum emiſerunt ſimplex: quod etſi matrimonium impediat (vt dicunt omnes Theologi)contrahendũ,non dirimit tamen contractũ. Peccant igitur iſtæ non ſimpliciter, quia nubũt,(nubere enim malum non eſt) ſed quia nubunt poſt votum caſtitatis: non enim huiuſmodi nuptiæ per ſe iniuſtæ & inhoneſtæ ſunt, ſed propter fidem fracti voti. Et de huiuſmodi nuptijs loquitur canon. 16. concilij Chalcedonenſis,& non de illis, quæ ab epiſcopo cõſecratæ ſunt: de quibus Auguſtinus vbi ſupra.Si viro,inquit,ſuo viuo,quæ alteri nubit, adultera eſt: ſic viuo Chriſto, quæ coniugium eius elegerat, ſi

hominí nubit adultera eſt. Quæ ſimilitudo in his virginibus tãtum valet,que nón modo priuate caſtitatem vouerunt, ſed Chriſto ſunt in Eccleſia hierarchice cõſecratæ & velatæ,& nõ in illis, quæ mutato ſancto propoſito caſtitatis ad nuptias tranſierunt. De virginibus autem,quæ propoſito ſunt virgines & Deo dicatæ, ſed non velatæ, loquitur beatus Cyprianus ad Põponiũ : & de uiduis ſimiliter Deo ſacratis loquitur Gelaſius, quæ ſi forte continere non poterant, nullatenus nubere vetabantur.

EX ſupradictis epilogãdo dicimus,quòd ſi ad probãdam aliquam aſſertionem & veritatem eſſe veram,& catholicã, & oppoſitam eſſe erroneam,vtendum eſt ſecundum doctores pluribus medijs & vijs,quæ ſunt ſacra ſcriptura, canones apoſtolorum,& traditiones eorundem, ac eccleſiaſtica conciliorum ab hac ſancta ſede approbatorum definitio, ſedis præfatæ iudicium, & omnium ſanctorum patrum ac doctorum,qui de illa re ſcripſerunt, communis conſenſus: Pari modo eiſdem medijs & vijs pro concluſione totius huius noſtri tractatus, oſtendimus cælibatum ac continentiam adeo vel per votum, vel ſanctiones eccleſiaſticas, aut apoſtolorum traditiones, ſiue per alias efficaces rationes & media,eſſe neceſſariam omnibus ordinibus ſacris & ſtatui religioſorum , vt nullo modo eſſe poſſit ſine ea . Et primo per ſcripturam,quæ eſt potiſſima omnium, pręcipue quantum ad literalem ſenſum,cum myſticus non ſit adeo validus ad probandam aſſertionem aliquam, ſicut literalis: de quo Hieronymus in 2. lib. commentariorum ſuper Matth. cap. 13. pertractans de fermẽto a muliere abſconſo in farina ſatis tribus, poſtquam repulit quorundam expoſitionem, applicantium parabolam illam ad trinitatem perſonarum & vnitatem eſſentiæ,ſubiungit. Pius quidem ſenſus,ſed numquam parabolæ,& dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere . Senſus literalis multiplici via habetur aliquãdo ex ipſarum vocum nuda ſignificatione : aliquando non ab ipſis vocibus,ſed a re per voces ſignificata. Non enim iuxta primam vocis ſignificationem ſenſus literæ ſemper capitur,alioquin multa abſurda reperirẽtur in ſcripturis,qualia ſunt omnia illa,quæ Deo mẽbra corporalia videntur tribuere : vt cum dicitur Deus agnus,ouis,petra angularis, & ſimilia: quæ omnia dicũtur per ſimilitudinem, & non per proprietatẽ . Et vt paucis abſoluamus hanc rem , vbicunque aut metaphora, aut tranſlatio, aut figurata aliqua locutio inuenitur in ſcriptura, ibi nõ eſt dicendus ſenſus literæ is , quem voces prima ſignificatione exprimunt: vnde Auguſtinus de doctorina Chriſt. lib . 3. c. 5. inquit. In principio cauendum eſt, ne figuratam locutionem ad literam

accipiamus:& c. 10. cõcludit. Iſte modus eſt, vt quicquid in ſermone diuino, neque ad morum honeſtatem, vt dilectionem Dei & ꝓximi: neque ad fidei veritatem, vt ad cognoſcendum eoſdem, proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Senſus ergo literalis eſt prima via ad cognoſcendam aliquam veritatem eſſe catholicam & ab omnibus amplectendam. Hæc via eſt turris illa Dauid, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium: quoniam ex ea ſumenda ſunt arma, quibus contra hoſtes fidei catholicæ pugnare debemus. Hæc eſt etiam torrens ille, vnde Dauid lapides ſumpſit, quibus ſuperbum Goliam acerbiſſimum Iſraelis hoſtem proſtrauit. Vnde Paulus in 2. ad Timoth. c. 3. ait: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonũ inſtructus. Per hanc viam licet demonſtrare non valuimus cælibatum ſacrorum altaris miniſtrorum, aut ex ſcripturis neceſſaria conſequentia elicere: probabiliter tamen eſt ex ſupradictis oſtenſus: quẽ etſi doctores ſancti eliciũt ex multis, præcipue tamẽ ex infraſcriptis. Et primo ex ſacerdotibus leuitici generis ꝓ tempore ſui miniſterij, quo non licebat eis proprium inuadere cubile: & ex panibus propoſitionis, quos non niſi mundi & caſti comedere poterant: ſecundo ex præcepto beati Pauli de abſtinendo ab vſu mulierum tempore, quo vacabant orationi, vt ſyncerius orarent & exaudirentur pro populo: & poſtremo ex vſu agni paſchalis, cuius nullus participare valebat, niſi accinctus eſſet renibus, ideſt caſtus: mittimus alia media, de quibus ſupra diffuſe. Secunda via ſunt canones apoſtolorum per 48. capita digeſti. Dictos canones Iſidorus poſt ſacras literas & in principio conciliorum collocauit: & Clemens Papa & martyr traduxit in latinum: ac Zepherinus & Leo ſummi Pontifices vna cum ſexta ſynodo approbarunt. Quibus tantum tribuit Damaſcenus, vt 18. cap. libri 4. de orthoxa fide videatur eos in numerum canonicorum librorũ referre, per quos manifeſte dictis miniſtris (vt viſum eſt ſupra) iniungitur cælibatus, Ad quæ addimus, quòd multa etiam fuerunt apoſtolorum dogmata, & præcepta de regimine Eccleſiæ, quæ ſcripto minime fuerunt mandata, vt patet in 15. cap. Actorum apoſtolorum: vbi dicitur, quòd Paulus electo Sylla, perambulabat Syriam & Ciliciã cõfirmans Eccleſias, & præcipiens cuſtodire præcepta apoſtolorum. Et cap. 16. dicitur de Paulo & Timothæo: Cum autem pertranſirẽt ciuitates tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Vnde Auguſtinus epiſtola 118. ad Ianuarium: Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus,

dimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, datur intelligi, quòd vel ab ipſis apoſtolis, vel plenarijs concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas) commẽdata atque ſtatuta fuere. Vnde hæc quin ita facienda ſint diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Ex præmiſſis patet, præcipue ex epiſtolis Clementis martyris & Siritij Pontificum, quòd cælibatum in dictis ſacris ordinibus præceptum habuerunt ex apoſtolicis traditionibus: de quibus Ireneus ſanctiſſimus aduerſus hæreſes c. 4. tertij libri, ait. Tantæ igitur oſtenſiones cum ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſſime in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vt omnis, quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus: omnes autẽ reliqui fures ſunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditiones. Quid enim? & ſiquando de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oportet in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum & liquidum eſt? Quid autem ſi apoſtoli ſcripturas non reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quem tradiderunt his, quibus committebant Eccleſias?

Hæc etiam continentiæ lex ex cõſuetudine & traditione vniuerſalis Eccleſiæ habetur, vt patet fere per totum hunc noſtrum tractatum: de quibus idem diuus Auguſtinus in epiſtola ad Caſſulanum presbyterum inquit. In his rebus, de quibus nil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt, & præuaricatores ſicut transgreſſores diuinarum legum, & contemptores eccleſiaſticarum conſuetudinum, coercendi ſunt. Et aduerſus Creſconium grammaticum ſcribens, ait: Proinde quãuis huius rei certum de ſcripturis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ: in nullo enim tempore Eccleſia deſtitit ab obſeruantia dictæ ſanctiſſimæ legis: de qua obſeruantia dictarum ſanctarum Eccleſiæ conſuetudinum loquitur Origenes homil. 5. ſuper librum numerorum, dicẽs. In eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad ſolam orientis partem conuerſi orationem fundimus, ſimiliter quòd Euchariſtiæ ſiue percipiẽdæ, ſiue eo ritu quo geritur, explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptiſmo, verborum, geſto-

rumq;,

rumq; , & ordinum, atque interrogationum, & reſponſionum quis facile explicet rationem? & tamen hæc omnia operta & velata portamus ſuper humeros noſtros, cum ita implemus ea & exequimur, vt a magno Pontifice Saluatore ſcilicet noſtro & eius filijs tradita & commendata ſuſcepimus. Hæc Origenes. Eodem quippe modo, quo ritus omnium ſacramentorum eſt nobis traditus, ita & dictus cælibatus, cuius obſeruantia fuit ſemper cordi Eccleſiæ in ſingulis præfatis temporibus, & erit cum Dei adiutorio vſque in finem ſeculi, cum vſque ad finem illum futurus ſit nobiſcum Saluator noſter in dictæ Euchariſtiæ ſacramento: quod a ſolis mundis miniſtris conficitur, digne ſumitur, & alijs ſine offendiculo adminiſtratur.

Altera via eſt conciliorum legitime celebratorum definitio, quæ quidem in fide errare non poſſunt, cum a Spiritu ſancto, qui illis ſemper aſſiſtit, regātur: quo fit, vt decretis illis, quæ a generali concilio recte cōgregato ſtatuta ſunt, & quæ ex huiuſmodi conſequentia neceſſaria deducuntur, plenam teneamur præſtare fidem, etiam ſi apertis ſcripturæ ſacræ teſtimonijs illa probari non poſſint. Cum igitur multa oecumenica concilia & innumera prouincialia ab hac ſancta ſede approbata, non modo commendent dictorum altaris miniſtrorum continentiam: ſed mandent perpetuo, etiam adiunctis grauiſſimis pœnis, a cunctis obſeruari, & præcipue concilium Tridentinum nuper celebratum, quod ſeſſ. 24. can. 9. inquit: Si quis dixerit clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares, caſtitatem ſollemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validū eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeq: omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam nouerint, habere donum, anathema ſit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus tentari. Sequitur quòd ab omnibus in ſacris conſtitutis obſeruari debet, ac oppoſitum damnare. Quarta eſt ſedis apoſtolicæ iudicium, per quod nomen ſignificamus ipſum ſummum Pontificem, non vt facit aliquid tanquam priuata perſona, aut ex ſuo tantum priuato ſenſu: ſed ex conſilio bonorum virorum & doctorum, quæ ad cathedram ſpectant exequitur. Hoc modo capitur etiā nomen ſedis apoſtolicæ, quotieſcunque in decretis, aut alibi legitur apoſtolicam ſedem nō poſſe errare in fide. Vnde Agatho Papa ait, Sic omnes apoſtolicæ ſedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tāquam ipſius diuina voce Petri firmatæ, vt habetur in cap. ſic, diſt. 19. Sedis ergo apoſtolicæ ſanctiones, ſiue ſententia in iudicio prolata a ſummo Pontifice intelligitur, non quæ occulte, malitioſe, inconſulte

per

per ſolum Romanum Pontificem, aut etiam quæ per ipſum cũ paucis ſibi fauentibus, alijs in fraudem contemptis, ſiue non vocatis, profertur, ſed quæ a Romano Pontifice, ex conſilio plurimorum virorum ſapientum, præſertim DD. Cardinalium plene prius examinata. Quali autem examine apoſtolicæ ſedis ſententia ſit diſcutienda, antequam proferatur, beatus Gregorius declarat ſic;(vt habetur 31. q. 9. c. Apoſtolicæ) Apoſtolicæ ſedis ſententia tanta ſemper conſilij moderatione concipitur, tanta potentia & maturitate decoquitur, tantaq; deliberationis grauitate profertur, vt nec immutari neceſſarium ducat, niſi forte ſic prolata ſit, vt retractari poſſit, vel immutari, ſi ſecundum tenorem præmiſſæ conditionis exiſtat. Hac via luculentiſſime patet cælibatum adeo conuenientem eſſe decori & pulchritudini ſtatus clericalis, vt non modo ſit annexus eidem & neceſſarius, ſed quod nullo pacto poſſit eſſe ſine eo, vt patet per ſuperius allegata: in quibus per diuerſa tempora hæc dicta ſedes & dictis miniſtris mandauit dictam continentiam, & trãſgreſſoribus iniunxit ſalutarem pœnitentiam. Vltima via, per quam poſſumus conuincere aliquam veritatem eſſe catholicam, eſt omnium ſacrorum patrum & doctorum, qui de re illa ſcripſerunt, concors ſententia, atque efficax argumentum. Hac via pugnauit Hier. contra Eluidium: nam vt perpetuam Dei genetricis Mariæ virginitatem contra illum oſtenderet, cum expreſſa ſacræ ſcripturæ teſtimonia pro hac re deeſſent, potiſſimum vſus eſt teſtimonio ſacrorũ virorum, qui illum præceſſerunt: quo etiam modo quinta ſynodus proceſſit contra Macharium Antiochenum epiſcopum, quæ plurimum roboris tribuit teſtimonijs ſanctorum patrum: ſic enim ait. Sequimur per omnia ſanctos patres & doctores Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium theologum, Gregorium Niſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Cyrillum, Leonem &c. & ſuſcipimus omnia quæ de recta fide expoſuerunt. Clariſſimũ modo eſt, quòd per omnes antiquos & celebratiſſimos patres non modo ſupra allegatos, ſed per alios quamplures, quos breuitatis cauſa prætermiſimus: interdictũ fuit omnibus, qui in ſacris ordinibus eſſẽt, epiſcopis, presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis nouum matrimonium contrahere, aut vti iam contracto. Vnde beatus Gregorius, vt dictum eſt ſupra cáp. vlt. ſuorum decretorum, anathema vocat, & grauiſſime damnat præuaricatores dicti cælibatus. Ex quibus omnibus conſtat, quòd ſuperiores ſanctiſſimæ de dicto miniſtrorum altaris cælibatu leges in Eccleſia ſemper fuerũt obſeruatæ, & quotidie obſeruantur. Nec ex ſanctis patribus aut catholicis ſcriptoribus quiſquam eſt, qui ab hoc diſcrepet: Et licet ab aliquibus nonnulla

nulla in oppoſitum adducantur, ſatis per ſuperius annotata videre liquet, eoſdem a veritate aberrare. Si enim Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus in libro de nuptijs prudenter affirmat per coniugium impediri ſtudia philoſophiæ, nec poſſe quenquã libris & vxori pariter inſeruire: quod & Cicero Romanæ parens eloquentiæ ſuo denique patefecit exemplo, qui rogatus ab Hircio viro apud Romanos inſigni, vt poſt repudium Terentiæ, ſororem eius duceret vxorem, omnino facere recuſauit, dicens ſe non poſſe vxori, & philoſophiæ pariter operam dare: Quomodo miniſtri altaris, qui ex officio illis concredito, perpetuo verſantur circa miniſterium corporis Chriſti veri, aut myſtici, poterunt ſuis facere ſatis muneribus, & proprijs vxoribus? Hanc rationem tangit beatus Paulus pri. Cor. 7. poſt illa verba, Bonum eſt hominem mulierem non tangere, dicens: quòd qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Ex quibus elicitur, quòd ſi in laicis ſecundum Apoſtolum, & omnes doctores præponenda eſt caſtitas connubio, multo magis in miniſterio Dei ordinatis, quos illuſtriſſimos reddit virginitatis ſplendor: & quorum præmium eſt opulentiſſimum. Nam cum dicerent apoſtoli, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Reſpondit dominus Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplũ accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Relinquere vxorem arduum eſt, dicente ſcriptura Gen. 2. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, quæ tecum vna caro efficitur: ſimiliter & filios, qui aliquid tui ſunt: & agros, ſine quibus non ducis commode vitam humanam, magnum quippe eſt. Verum incomparabiliter maior promiſſio eſt, quia centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis. Præcipue ſi te per ſollemne votum Deo dicaueris. Quia etſi vouere in noſtra ſit poteſtate, reddere tamen emiſſum votum, per quod Deo offerimus & arborem & fructum, eſt de iure diuino, per quod nos tanta donati ſumus mercede.

PRæfatis omnibus ꝓ cõcluſione totius tractatus huius addimus illud ad noſtrum propoſitum, quod habetur lib. 7. c. 10. reuelationum ſanctæ Birgittæ, in omnibus Chriſti operibus Eccleſiæ teſtimonio probatiſſimæ: quæ reuelationes magno ſtudio reuiſæ ſunt a Cardinali de Turre cremata, & pro veris iudicatæ: & a Bonifacio octauo (vt patet in canonizatione dictæ ſanctæ) approbatæ: Vbi ſane reuelatum ſibi fuit, quòd voluntas Dei erat, vt ſacri altaris miniſtri

miniſtri integrum, inuiolatumq; obſeruarent cælibatum: & quòd nullo modo matrimonia contraherent: quam cælibatus & continentiæ miniſtrorum Eccleſiæ legem dicit datam eſſe Eccleſiæ a ſpiritu ſancto: Ideoq; ex Dei præordinatione & iudicio ordinatum eſt, vt dicti altaris miniſtri, qui præfatam continentiæ legem non obſeruāt, ſint maledicti & excommunicati apud Deum, & digni presbyteri tales carere ſacerdotali officio: cui ſubdit beata virgo, quæ ſibi talia ex parte filij reuelabat. Hoc autem ſcias, quòd ſi aliquis Papa conceſſerit ſacerdotibus licentiam carnale matrimoniū contrahendi, adeo grauiſſime peccaret, vt nō modo in hac vita dignus eſſet corporali ſupplicio, ſed in futura damnatione æterna. Et ſi Dominus Gregorius Papa huius nominis vndecimus, qui ſuo ſedebat tempore, hoc ſtatuiſſet, numquam a Deo in prædicta ſententia miſericordiam obtinuiſſet, niſi ante mortem ſuam humiliter dictam ſententiam reuocaſſet: hæc ibi. Quæ tamen omnia, quæ in hoc noſtro tractatu dicta ſunt de continentia miniſtrorum altaris, & meipſum remitto cenſuræ & correctioni Sanctiſſ. D. N. et ſanctæ Matris Eccleſiæ.

FINIS CAELIBATVS.

DE CONCILIO OECVMENICO HOC PRAECIpue tempore,quo pro componendis rebus ad religionem ſpe-ctantibus,& pro imponendo fine tot litibus ab impijs in eam excitatis,illud congregaſſe neceſſe fuit, nonnulla ſub compendio,tum Romano Pontifici,tum patribus ad illud profectis, tum demũ ipſimet concilio neceſſaria nos Clemens ſupradictus Cardinalis Aræcæli ſcribere propoſuimus,vt luce clarius pateat,quantũ a veritatis tramite aberrẽt, qui aliter quàm veritas ipſa expoſtulat,ſomniãtes confundẽtesq; vniuerſa, in Chriſti corporis myſtici præiudicium continue oblatrant: corpori quidem,quod capiti conuenit, aſcribendo: patribusq; & concilio multo plus, quàm eiſdem ex apoſtolorum traditionibus, aut a iure,vel ſacris literis permiſſum ſit, tribuendo.

De quibuſdam præambulis ad habendam plenam cognitionem conciliorum. Caput. Primum.

EST autem conciliorum antiquum omnino inuentum, neque tam diuinæ,quàm humanæ inſtitutionis: recta ratione euidenter dictante, res dubias a pluribus, hisq; prudentibus vſuq; peritis, in commune conſultantibus, quàm ab vno aliquo diſcuti tractariq; rectius: plus enim vident oculi, quàm oculus. Itaque vt agendarum rerum auctoritatem ſummam,eadem duce magiſtraq; natura, vni committendam eſſe: ita de rebus dubijs conſultandũ cum pluribus,& recta ratio docuit,& vſus comprobauit. Conciliorum quæ ſit propria praxis, ipſa nominis indicat ratio: nempe conſultare, conſiliaq; conferre. Proinde ſi omnes ab initio conuentus hominum ciuilesq; ſocietates percurreris, diligenterq; conſideraueris Monarchias, Regna, Imperia, Reſpublicas, liberasq, cõmunitates vniuerſas,inuenies ſemper negotiorum publicorum conſultationem fuiſſe penes multos,numero tamen mediocri ac definito, ingenio vſuq; rerum præſtantes: at rei gerendæ auctoritatem ſummam penes vnum, & ab vno felicius geri, quàm a multis: idq; eo efficacius,quo eſt vnitas abſolutior. Qua re ipſa edocti Romani illi quondã rerum domini, quoties vis aliqua externa vrgeret Rem-

publicam,& inſigne aliquod immineret periculum, publicæ vtilitati prouide conſulentes,ad vnius ſemper confugerunt imperium, vni dictatori ſummam poteſtatem liberam deferētes, etiam in Romanorum ciuium capita,a qua nulla eſſet prouocatio. Concilijs itaque ex propria ſua ratione,non aliud quàm conſultare,deliberare,& quid melius vtiliusue ſit inuenire, conuenit. Agendi vero & exequendi ea, quæ deliberando conſultandoq; a concilio inuenta ſunt,poteſtas ad ſummam in republica auctoritatem pertinet: cui adeſſe quidem,non autem præeſſe concilia in omni bene inſtituta monarchia certum eſt.Cuius & in nobis eiuſdem eſt naturæ exemplum cernere, in quibus eſt etiam regni cuiuſdā abſolutam quandam videre imaginem. In quo voluntas rerum omnium ſummam regiamq; & liberam quandam poteſtatem obtinet, cui ceteræ potentiæ ſeruiunt. Ac ratio ſenatus cuiuſdam liberiq; conſilij locum tenens, illi conſultando,monſtrandoq; quæ recta ſunt & vtilia,adeſt ſedulo: ſed exequēdi ea,quæ ſalubria & vtilia viſa ſunt, nullam poteſtatem habet: ſed ad regiam illam voluntatis auctoritatem pertinet,cui ſi placent rationis conſilia,ea exequitur: ſi diſplicent, contemnit: & quamuis ipſam rationis conſilijs obtēperare conueniat, eius tamen eſt libera abſolutaq; auctoritas. Ab hoc rationis naturalis inuento conciliorum vſum translatum conſtat ad regnum inter nos Chriſti,hoceſt chriſtianam Eccleſiam,confirmante quidem eundem atque eius vtilitatem ſacroſancto Spiritu: & illud, quod Petro vt eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidi, ſua oratione impetrauit Chriſtus, non quidem impeccabilitatis, ſed indefectibilis fidei priuilegium,eidem dicens: Rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides tua. Dicta tamen concilia, licet nullam in ſacris literis a Chriſto ſpecialem inſtitutionem habeant, non eſt tamen dubitandum,quin ſint ex apoſtolorum traditionibus, Spiritus ſancti afflatu inſtituta. Vnde ſi formam, occaſionem, & rationem primi illius concilij ab apoſtolis celebrati inſpicias, in illo plane videbis eam originem eamq; eorum conciliorum rationem, quam ſupra explicauimus. Nam cum nō leuis Antiochiæ ſuborta eſſet dubitatio, quæ vniuerſam illam ad ſeditionem vſque conturbabat Eccleſiam,docentibus quibuſdam,etiam gentes conuerſas ad Chriſtum legem Moyſi vna cum Euangelio ſeruare oportere: contradicentibus autem Paulo & Barnaba,cum inuicem concordari non poſſent,miſerunt Hieroſolymam ad apoſtolos & ſeniores, ideſt ſacerdotes, ad conſultandum ſuper hac controuerſia. Quibus conuenientibus in concilium,cum diligens fieret conquiſitio, quibuſdam hanc, quibuſdam illam partem tuentibus, ſurgens Petrus eccleſiaſticæ Hierarchiæ

atque

atque illi etiã concilio p̃ſidens,protulit veritatis ſententiã, qua gẽtes ab omni illa Moſaicæ legis ſeruitute liberas pronũtiat:cui a Iacobo in fauorẽ ſibi cõmiſſæ circuncisionis Eccleſiæ paucula quædã addenda viſa ſunt,quæ & ipſa placuere cõcilio:cuius nomine Antiochenis reſpõderũt ſuper quæſtione ꝓpoſita,ſcribẽtes,& ſibi ea viſa eſſe & Spiritui S.Hoc primũ fuit eccleſiaſticorũ cõciliorũ omniũ.

Quot ſunt genera conciliorum, & quale ſit quodlibet eorum, præcipue oecumenicum: & de cauſis celebrandi eadẽ. Cap. II.

PRAETERMISSIS quæ tetigi in vniuerſum de generalibus concilijs eccleſiaſticorum conciliorum, vt omnem rationem enucleatius explicemus,ea primum partiri in ſua genera, deinde definire, & ex ipſa rei euidentia eccleſiaſticæq; traditionis obſeruatione cuique generi quid proprie conueniat,quid quodque egerit, quam auctoritatem exercuerit, quis eiſdem iure præſidere habeat, cuiusq; auctoritate congregentur, quidq; poſtremo in ipſis probauerit aut agnouerit vniuerſa Chriſti Eccleſia, demonſtrare conabimur. Conciliorum quatuor ſunt genera ſecundum Innocentium in cap. Graue,de præbendis. Primo oecumenicum ſiue generale, in quo præeſt Papa aut eius legatus. Alterum prouinciale, cui præeſt archiepiſcopus, patriarcha, vel primas. Tertium ſynodale, quod facit epiſcopus cum prælatis & clericis ſuæ diœceſis. Quartum eſt religioſorum, quod capitulum vocatur, de quo in cap. In ſingulis, de ſtatu monachorum. Glo. in cap. 1. diſt. 17. dicit, quod generale concilium,in quo Papa præſidet, originem traxit a primo concilio per beatum Petrum cum apoſtolis celebrato. Act. 15. Prouinciale, quod celebrat legatus in prouincia, primas, aut metropolitanus, traxit originem a concilio, quod celebrauit beatus Paulus in Mileto,congregatis maioribus natu prouinciæ Epheſinæ Act. 20. Epiſcopale ab illo, quod celebrauit beatus Iacobus Hieroſolymis Act. 21. Sed nota, quòd ſicut prouincialia non poſſunt celebrari ſine auctoritate metropolitani 18. diſt. cap. pri. et epiſcopalia ſine auctoritate epiſcopi, ibidem cap. finali, quando videlicet habent in eiſdem condi canones: ſic nec generalia ſine auctoritate Papæ diſt. 17. cap. pri. Concilia prouincialia cedunt generalibus, vt inquit beatus Auguſtinus de baptiſmo paruulorum contra Donatiſtas lib. 2. cap. 3. Concilia,quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum, ideſt oecumenicorum conciliorũ auctoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere debent. Legitur enim diſt. 18. cap. 1. quod concilia

epiſcoporum, quæ videlicet præſentiam Papæ non habent, aut eius auctoritate congregata non ſunt, ad definiendum, & conſtituendũ aliquid, nihil roboris habent: vbi gloſſa inquit, quòd de prouincialibus loquitur Gratianus, in quibus generaliter nihil conſtitui poteſt, vniuerſam Eccleſiam & fidei negotiũ tangens. Quæ verba diametraliter pugnant contra eos, qui nationale concilium expetunt, in quo de fidei controuerſijs conſtituatur aliquid. Huius generis concilia plane ſunt inualida, & conuenticula conciliabulaq; potius quàm concilia dici merentur: ſiquidem fides, quam profitemur, catholica eſt, nec ad vnam gentem, ſed ad omnes pertinet, qui chriſtiani ſunt. Quamobrem ſeorſum aliquid in gente quapiam a reliquo chriſtiano populo conſtituere velle, quid aliud eſt, quàm ab Eccleſia fideq; catholica ſe velle ſegregare? Hùc itaque reſpexit Gratianus, cum dixit, epiſcoporum concilia ad definiendum eſſe inualida: non quòd non aliquid in illis definiri & conſtitui poſſit, ſed quòd iuxta morem in Eccleſia Dei a temporibus apoſtolorũ ſemper obſeruatum, de maioribus cauſis, fidei præſertim, ad ſedẽ apoſtolicam, aut ad concilium oecumenicum illius auctoritate cõgregatum referre ſit neceſſe. Poſtpoſitis alijs conciliorum generibus de oecumenico dumtaxat in præſentiarum dicturi ſumus: & p̃ſupponimus, quòd concilium oecumenicum eſt congregatio maiorũ prælatorum Eccleſiæ, auctoritate Romani Pontificis coacta ad aliquid communi intentione ſollemniter tractandum, Papa in eadem præſidente, vel alio, loco illius. Quo præſuppoſito, dicimus, quòd cauſæ congregandorum conciliorũ debent eſſe grauiſſimæ, & ſunt multæ: prima congregandorum dictorum conciliorum cauſa eſt, vt ſuper tractandis & diſponendis in vniuerſali Eccleſia, maturius & ſanius conſilium habeatur. Vbi enim multa ſunt conſilia (Prouer. 11) ibi ſalus. Et hoc præcipue obſeruatum eſt a patribus in materia fidei, cum in hac pernicioſiſſime, vt inquit beatus Auguſtinus pri. de Trin. erretur. Vide pro hac aſſertione Magiſtrum ſent. diſt. 2. pri. Hanc cauſam tangit beatus Cyprianus in quadam epiſtola, quam vna cum ſynodo ſcribit ad Stephanum epiſcopum dicẽs. Ad quædam diſponenda, & concilij communis examinatione limanda neceſſe habemus conuenientibus in vnum plurimis ſacerdotibus, cogere & congregare concilium. Secunda eſt ad ſollemniorem & abundantiorem auctoritatem reprobationis hæreſum & condẽnationis hæreticorum: qua de re potiſſime ſeptem principalia concilia coacta leguntur. In quorum primo Nicæno videlicet, 318. Patrum, quod celebratum fuit anno Domini 324. Arrius condemnatus eſt, qui ponebat patrem maiorem, filium minorem, & Spiritum

ſanctum creaturam. In ſecundo, quod fuit Conſtantinopolitanum primum 150. Patrum, quod celebratum fuit anno Domini 370. error Macedonij epiſcopi damnatur, aſſerentis Spiritum ſanctum non eſſe Deum. In tertio Epheſino primo 300. Patrum, quod celebratum fuit anno Domini 425. Neſtorij impietas reprobatur, dicentis beatam virginem non Dei, ſed tantum hominis genitricẽ; vel aliam perſonam carnis, aliam diuinitatis. In quarto ſcilicet Chalcedonenſi 530. Patrum, quod congregatum fuit anno Domini 555. error Eutichis Abbatis Conſtantinopolitani exploditur, aſſerentis, Chriſtum poſt aſſumptam carnem, non ex duabus naturis exiſtere: ſed ſolam diuinam in eo manere naturam. In quinto videlicet Conſtãtinopolitano 2. quod celebratum fuit anno Domini 553. perfidia multorum hæreticorum condemnatur, maxime Theodori Moſothoni, qui affirmabat alium eſſe verbum, & alium Chriſtum: negabat quoque ſanctam Mariam Dei genitricem fuiſſe. In ſexto, quod fuit Conſtantinopolitanum tertium 150. Patrum, quod celebratũ fuit anno Domini 677. ſtultitia Macharij epiſcopi, & ſociorum, qui vnam tantum voluntatem & operationem in Chriſto aſtruebant, confutatur. In ſeptimo, quod fuit Nicænum 2. 367. Patrum, quod celebratum fuit anno Domini 793. hæreſis execrantium imagines ſanctorum in Eccleſia abraſa eſt. Tertia cauſa congregationis conciliorum eſt gratia ſchiſmatis extirpandi: proinde octauum concilium 300. Patrum Conſtantinopoli celebratum fuit, in quo ſchiſma de depoſitione Ignatij, & ordinatione Phocij ortum extirpatur, Phocio anathematizato, & Ignatio reſtituto. Quarta eſt ad confutationem hæreticorum per viam diſputationis: qua de cauſa tempore & conſenſu beati Sylueſtri Papæ, iuſſu Conſtantini Imperatoris, dicitur Romæ conueniſſe magnum epiſcoporum conuentum, vt cum Iudæis diſputaretur: an videlicet chriſtianorum fides legi Iudæorum eſſet præferenda. Vbi cum concluſum eſſet in fauorem veritatis & chriſtianorum, Auguſta Helena cum tribus millibus Iudæorum ad fidem Chriſti conuerſa, baptiſmum ſuſcepit. Quinta cauſa eſt, quando Eccleſia habet potentes hoſtes, & perturbatores: & hac ratione Gregorius tertius, cum Imperatorem Leonem tertiũ hæreticum incorrigibilem reperiſſet ſuper depoſitione imaginum Chriſti, beatæ virginis, & ſanctorum, quas omnes incendi fecerat in vrbe Conſtantinopolitana: congregauit concilium Romæ quaſi 1000. epiſcoporum, & Romam ac Italiam totam ab eius obedientia & poteſtate diſcedere fecit, & vectigalia interdixit, illumq; anathematizauit, & venerationem imaginum confirmauit. Hac eadem cauſa Innocentius quartus Imperatorem Fridericum ſecundum

Eccleſiæ hoſtem, rebellem, contumacem, & incorrigibilem comperiens, concilium congregauit Lugduni, vbi illum imperio priuauit. Sexta cauſa congregandorum conciliorum eſt, cum magna imminet chriſtianæ reipublicæ neceſſitas, aut perſecutio, cui non niſi a totius Eccleſiæ auxilio ſubueniri poteſt: & hac de cauſa Vrbanus ſecundus, audiens Hieruſalem ab infidelibus captam, concilium generale conuocat in Claramonte Aluerniæ: vbi in ſubſidium illius paſſagium tranſmarinum ordinatur. Septima eſt ad maiorem firmitatem fidei, & acceptationem plenariam conſtitutionum & definitionum in præcedentibus concilijs. Vnde poſt Nicænam ſynodum congregatum eſt Romæ per beatum Syluestrũ generale concilium 277. patrum, in quo roborata eſt fides concilij Nicæni, & Arrius condemnatus eſt. Octaua cauſa congregãdorum conciliorum, eſt gratia inquirẽdæ veritatis ſuper ſuſpicione hæreſis orta de Romano Pontifice: quo modo congregatum legitur conciliũ tam tempore Symmachi Papæ, quàm tempore Marcellini, qui ſacrificauit idolis. Nona cauſa congregandi concilia eſt propter purgationem canonicã faciendã, quam Papa vult facere in cõprobationem ſuæ innocẽtiæ & veritatis. Hoc modo Damaſus Papa, & Leo quartus, & Sixtus Romani Põtifices, bonæ famæ ſuæ conſulere volẽtes, ad ſedandũ ſcandalũ concilia congregaſſe leguntur: in quibus omnibus patefacta fuit eorũ innocentia. Decima cauſa celebrãdi concilia generalia eſt, quãdo vehemens dubitatio curreret de iure electionis alicuius in ſummũ Pontificẽ: qua de cauſa tribus cõtendentibus de Papatu, videlicet Benedicto 13. Gregorio 12. & Ioanne 23. ſynodus cõgregata eſt Conſtantiæ: in qua vno, videlicet Gregorio renuntiãte, ſiquid iuris habebat: alijs duobus depoſitis, data eſt pax Eccleſiæ per electionẽ Martini 5. Vltima cauſa eſt ad efficaciorẽ & ſollemniorẽ Eccleſiæ reformationẽ. Hoc modo ſynodũ illam ſingularẽ Gregorius 7. Romæ celebrauit pro dicta Eccleſiæ reformatione: in qua anathematizauit ſimoniacos: clericis vxorem habẽtibus interdixit diuina: laicis eorũ miſſas audire prohibuit: & inueſtituras ne a laicis ſuſciperent, ſententiã excommunicationis adhibuit.

Cauendum eſt a multis in concilio. Et quomodo eius celebratio valet ad multa. Cap. III.

PRIMVM, a quo cauendum in generalibus cõcilijs, eſt malitia ſiue prauitas affectionis, ad quam ex medio tollendam hortatur Imperator Baſilius in principio octauæ ſynodi. Eſt enim excludẽda omnis ſiniſtra & vitioſa affectio a patribus, & dirigẽda omnis eorum

eorum intentio ad honorem & gloriam Dei,& ad ſtatus apoſtolici dignitatem & auctoritatem conſeruandam: ſimiliter & ad quietem & pacem fidelium,& non ad turbationem bonorũ : quale fuit concilium contra beatum Stephanum, de quo Act. 6. Concurrentes rapuerunt Stephanum,& adduxerunt in conciliũ, & ſtatuerunt falſos teſtes &c. Congregatis autẽ in nomine Chriſti diuinitatis ſuæ promittitur aſſiſtentia, Matth. 18. Vbi duo vel tres cõgregati fuerint in nomine meo,in medio eorum ſum. Secundũ, quod cauendum,eſt negligentia circa bonum commune,vt omni ſtudio publicis commodis intendant patres, prætermiſſis priuatis, ex quibus error 2. Epheſinæ ſynodi originem traxit. Vnde beatus Paulus primæ Cor. 10 inquit : Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus & Eccleſiæ Dei,ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt,ſed quod multis, vt ſalui fiant : & Leo Papa ad Theodoſium Imperatorem ſcribens, inquit. Dum priuatæ cauſæ religionis obtentu exercentur, cõmiſſum eſt impietate paucorum, quod vniuerſam Eccleſiam vulnerat. Tertium cauendum,eſt timiditas : ne videlicet aliquis propter timorẽ cuiuſcumque pertimeſcat dicere veritatem de his, quæ pertinent ad decorẽ domus Dei. Vnde Auguſtinus ad Caſſulanũ, vt habetur 11. q. 3. Quiſquis metu alicuius poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat : quia magis timet hominem, quàm Deum. Quartum cauendum,eſt amor vanægloriæ, ſeu vanitatis, ne ſcilicet patres ad oſtentationem ſui tempus ſalubribus rebus deputatum in vanitate conſumant: contra quos Propheta. Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Quintum eſt diſſolutio,ne ſcilicet in concilio,vbi cuncta cum timore Dei & grauitate peragenda ſunt,diſſolutionibus & carnalibus ſolatijs vacetur. Tale itaque concilium abominatur Ieremias dicens : Non ſedi in concilio ludentium Ier. 15. Sextum cauendum, ſunt tumultus, diſceptationes, & diſſenſiones, ne eorum congregationes ſint, de quibus Apoſtolus 1. Cor. 11. Conuenientibus vobis, audio inter vos ſciſſuras eſſe. Septimum eſt tepida correctio circa præteritas culpas,& maxime in domo Domini commiſſas. Heli enim ſacerdos, quia filios ſuos tepide correxit,diuino iudicio de ſede cadens, fractis ceruicibus expirauit pri. reg. 4. Octauum cauendum,eſt perſecutio aliorum,ne videlicet aliqui odio alios in concilio perſequantur. Odio enim (vt inquit beatus Gregorius in c. Quatuor 11. q. 3) peruertitur omne humanum iudicium. Nonum eſt, ne innitentes quibuſdam phantaſijs & ſomnijs, incertiſq; reuelationibus, aliquid diſponant in Eccleſia. Senſus enim ſanctorum patrum & ſan-

ctarum ſcripturarum regulis formari debent. Decimum, eſt error in proponendo materias, ne ſcilicet parua magnis, temporalia ſpiritualibus anteponant. Vnde in geſtis Epheſinæ ſynodi habetur, quòd Telaſius epiſcopus ſic dixit: Piiſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator deſiderans fidem, quæ hactenus eſt, inconcuſſam manere, præcipit, nil aliud nec dicere, nec agere in ſancta ſynodo, niſi prius de fide ſtatuatur. Vnde omnia nunc negotia vacent: quæ ſunt interim de fide, in medium proferantur. Vndecimum in concilijs cauendum eſt leuitas, & præcipitatio in conſulendo, ſiue concludendo. Celeritas enim (vt dicit Diogenes) maxime inimicatur cōſilio, cum ſcriptum ſit 6. eth. c. 10. Conſulta exequi velociter oportet, conſiliari tarde. Vltimum eſt violentia: libertas enim maxime requiritur in conſulendo: ita vt vbi libertas non eſt, ſynodus eſſe non poſſit. Vnde de violentia facta in 2. ſynodo Epheſina, quidam epiſcopi orientales dixerunt: Nullus conſenſit, violentia facta eſt: minabatur nobis damnatio, mille exilia tendebantur, milites cum gladijs & fuſtibus inſtabant: timebantur fuſtes, & gladij: vbi gladij & fuſtes, qualis ſynodus? quaſi dicerent nulla. Celebratio conciliorum valet ad multa, & primo ad conſeruandã verã religionẽ in vnitate fidei, quæ primũ vinculũ eſt ſocietatis chriſtianæ. Hanc vtilitatem conciliorũ aſſignat beatus Iſidorus in c. Canones 15. diſt. dicẽs: Canones generaliũ conciliorũ a temporibus Conſtantini Imperatoris cœperunt. Vnde ante eum perſecutione ſæuiente, congregandi concilia minime dabatur facultas. Quare chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt: quia non erat eis licentia conueniendi in vnũ. Secundo valet ad faciliorem & firmiorem illucidationem veritatis in dubijs: Faciliorem quidem, quia quod a pluribus ſapientibus quæritur, facilius inuenitur, vt ait Innocentius in cap. De quibus diſt. 20. Firmiorem, quia tanto grauius & firmius eſt iudicium, quanto plurium ſententijs confirmatur, & approbatur aſſenſu, vt idem dicit in c. Extra conſcientiam, diſt. 64. Integrum iudicium eſt quod plurimorum ſententijs confirmatur. Vnde beatus Auguſtinus lib. 1. cap. 7. de baptiſmo contra Donatiſtas inquit, Patres fluctuaſſe in fide, quouſque totius orbis concilio firmarentur. Tertio vtilis eſt ad culturam agri dominici, vt dicit canon concilij Conſtantien. Sunt quidem Patres in concilio congregati, miniſtri, operarij, agricolæ. Vnde dominus (Ioan. 15.) ait: Pater meus agricola eſt. Quorum miniſtrorum officium eſt, errorum vepres de agro dominico euellere, plantare fidem, & euulſis vitiorum radicibus virtutes inſerere. Quarto ad refrænandum exorbitantias quorundam pontificum, qui munus ſuum aut ſpretis ſanctorum patrum

regulis

regulis pro voluntate exercent, aut ſimoniaca prauitate dehoneſtant, aut ſeculi vanitate & vita ſcandaloſa confundunt. Huius cauſa congregatum legitur concilium epiſcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Ioannem Papam 12. qui venator lubricus publicus erat & incorrigibilis. Vltimo valet ad omnium ſcandalorũ, quæ ſuſcitantur in Eccleſia, extinctionem. Iſtud enim eſt vltimum refugium Eccleſiæ in omnibus anguſtijs ſuis. Vnde Romano Pontifici dicitur myſtice illud Eſa. 16. Ini conſilium, ſcilicet cum ſapientibus: coge conſilium, ideſt congrega, vt exponit Lyranus: quaſi diceret Spiritus ſanctus Romano Pontifici, Imminentibus grauiſſimis periculis in Eccleſia, ini conſilium, & coge, ideſt congrega vniuerſale concilium. Quia ſi in medio duorum vel trium in nomine Chriſti congregatorum, ipſe eſt vt ſpirator, doctor, & auditor Matth. 18. multo magis, vbi ſanctorum Patrum multorum ſocietas in nomine cõuenerit Ieſu Chriſti, maxime pro rebus tangentibus totam chriſtianitatem, intererit.

Conuocandis ad Oecumenica cõcilia quot ſunt neceſſaria: & quomodo repreſentent Eccleſiam catholicam, non obſtante quòd non omnes de vulgo ad illa conueniant. Cap. IIII.

SAPIENTIA primo eſt neceſſaria ei, qui ad oecumenicum concilium vocandus eſt. Vnde Tullius libro de ſenectute: Magnæ res non viribus geruntur, ſed conſilio & auctoritate: Vnde cum in eiſdem de rebus maximis tractandum veniat, viros oportet eſſe multa ſapientia præſtantes. Quanto ſapientiæ lumine fulgere debeant patres ad concilia generalia conuocandi, qui & doctrinæ lumen & normam vitæ ceteris daturi ſunt, beatus Dionyſius docet, dicens: Eos, qui alios ſuperuehere munus habent, oportet claritate doctrinæ eſſe repletos, & aliorum eſſe doctores 1. q. 7. c. Conuenientibus. Secundo pollere debent vitæ ſanctitate, vt veraciter eorum cõuentus ſanctorum Patrum concilium vocari poſſit, & vocandus Deo cum propheta dicere poſſit. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione. Vnde beatus Ambroſius in libro de officijs, inquit: Talis eſſe debet conſiliarius, qui nihil nebuloſum habeat, nihil fallax, nihil ſimulatum, quod vitam eius, atque mores refellat. Tertio vocandi debent eſſe experti, maxime in illis in quibus quærendum eſt conſilium: quia vnuſquiſque in ea re, quam profitetur, aptius conſulere poteſt. Vnde Valerius Maximus: Artis, inquit, ſuæ vnumquemque & auctorem & diſputatorem optimum eſſe non dubitamus. Ex quibus

oſtenditur aperte, quàm digne reprehendendi veniant, qui ad oecumenica concilia homines inhabiles, ſine ſcientia, ſine moribus, ſine experientia, ſine auctoritate admittunt, & maxime ad voces definitiuas cum epiſcopis. Qui error in Baſilienſi concilio magna ſcandala peperit in populo chriſtiano. Quarto vocandi ſunt habẽtes zelum domus Dei, vt ſint de numero eorum, de quibus in pſal. 68. dicitur. Zelus domus tuæ comedit me. Siquidem debent habere zelum ad reformationem morum, ad correctionem vitiorum, & ad augmentum diuini cultus. de quo exemplum habemus in filijs Iſrael, qui (vt dicitur Iudic. 20.) congregati quadraginta millia dixerunt, quòd non redirent domum, donec vlciſcerentur ſcelus commiſſum in vxorem Leuitæ in Gabaa. Concilium Oecumenicũ legitime congregatum, hoceſt, in quo cum Eccleſiæ patribus Romanus Pontifex eorum caput, & princeps vnanimi conſenſu, & auctoritate concurrit, Eccleſiam catholicam repræſentat: quamobrẽ quod ab illo ſtatuitur, ab Eccleſia ſancta catholica ſtatuitur: cui ſententiæ Auguſtinus lib. 1. cap. 18. de baptiſmo paruulorum contra Donatiſtas, ſe ſubſcribit, cum plenarij concilij ſententiam totius Eccleſiæ conſenſionem vocat: & ante eum Athanaſius in epiſtola de ſynodis Arimini & Seleuciæ congregatis. Ea, inquit, cauſa fuit cur vniuerſus orbis in concilium coiret. Vniuerſum orbem vocat 318. Patres in Nicæno concilio congregatos. Et in octaua ſynodo, quæ quarta fuit Conſtantinopolitana actione 5. Bahanis Phocium ſic allocutus legitur: Loquere domine Phoci, totus mundus hic eſt: totum mundum vocans ſynodum oecumenicam. Satis itaque ſemper fuit æſtimatum, ſi quos oportet de ſalute eſſe ſolicitos, hi ex vniuerſo orbe chriſtiano ad concilium eſſent conuocandi. Quare Leo magnus epiſtola 24. & 26. canonum Nicææ habitorum decreta (quò 318. tantum conuenerant epiſcopi) totius mundi ſacerdotibus dicit eſſe conſtituta: & quòd ita ſe habeat, oſtendi poteſt etiã ex ſcriptura. Vnde 3. reg. 2. legitur, quòd congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael ad Salomonem in Hieruſalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid: conuertitq; rex faciẽ ſuã, & benedixit omni Eccleſiæ: omnis autem Eccleſia Iſrael ſtabat: vbi patet, quòd per Eccleſiam maiores natu, principes tribuum, & duces familiarum tantum commemorauit. Vnde Auguſtinus lib. 1. de baptiſmo paruulorum contra Donatiſtas cap. 18. (vt dictum eſt ſupra) concilium vniuerſale totius Eccleſiæ conſenſionem vocat. Acta quoque concilij Chalcedonẽſis dicunt, quòd ſynodus epiſcoporum eſt, non clericorum. Et recte quidem: quia, ſicut legimus Act. 20. ſolos epiſcopos poſuit Deus regere Eccleſiam ſuam: quibus

bus

bus dictum eſt primæ Petri 5. Paſcite,qui in vobis eſt, gregem Dei. Paſtorum eſt gregis curam habere,paſcēdo iubendoq; ducere:ouium eſt diſcendo & obtemperando ſequi . Quamobrem hoc a ſancta catholica Eccleſia fuit obſeruatū, vt ad iudicandum de his, quæ ad fidem catholicam pertinerent, non admitterentur niſi catholici epiſcopi.Quòd autem reges & imperatores interfuiſſe quandoque legimus : non ob eam rem adfuiſſe credendi ſunt,vt aliquid ibi ſtatuerent de rebus ad fidem pertinentibus : vel de eis ſibi iudicium vſurparent : ſed vt auctoritatem, vnitatem, & concordiam concilij tuerentur : & quæ ſalubriter eſſent in eo conſtituta, ea vt ſeruarentur ab omnibus, prouiderent : vt paulo poſt diffuſius oſtendetur. Cauſam autem cur Cæſares & principes mittant legatos ad oecumenica concilia, planā facit Theodoſij Imperatoris epiſtola, quam ſcripſit ad Elpidium comitem,& Eulogiū tribunum, quos miſit ad ſynodum Epheſinam 2. congregatam: cuius acta ſunt in Chalcedonenſi concilio reſciſſa : Quos mittere ſe ſcribit,non vt de cauſa fidei iudicēt: ſed valētes,inquit,noſtris iuſſionibus miniſtrare de his, quę in Epheſo a ſancta ſynodo fuerint conſtituta:& nullum fieri tumultum permittere, ſed et ſiquem viderent conturbationibus & tumultui ſtudentem ad læſionem ſanctæ fidei,hunc cuſtodiæ mancipare. Extat eiuſdem Imperatoris etiam ad Cyrillum epiſtola,quæ habetur in operum Cyrilli tomo 4. in qua fatetur controuerſiam religionis non ad ſe, ſed ad eorum, qui præſident ſacerdotio, iudiciū pertinere . Et vt euidentius hæc aſſertio pateat, voluimus octo cōciliorū Oecumenicorum teſtimonia ſupradictis adijcere,vt luce clarius pateat cauſa,quare Imperatores vel eius locum gerētes interfuerunt eiſdem : quæ fuit,non vt de negotijs eccleſiaſticis ſe intromitterent,cum eorum iudicium ſpectet ad Patres concilij, nec vt ſe ſubſcriberēt,ſed (quemadmodum dictum eſt) vt vnitatem & concordiam conciliorum tuerentur . Legati vero Romanorū Pontificum interfuerunt, non modo vt eiſdem præſiderent,ſed vt definientes ſubſcriberent : vt patebit in ſequenti capite.

Imperatores,vel eorum nuntij, vna cum legatis ſedis apoſtolicæ in octo fere concilijs interfuerunt: ſed legati tantum ſedis apoſtolicæ definiendo ſe ſubſcripſerunt. Cap. V.

IN concilio Nicęæ ante mille trecentos annos congregato, quo cōuenerunt ex vniuerſo orbe trecenti decem & octo Patres,interfuit Conſtantinus Imperator : de quo Euſebius libro 3. de vita Conſtantini, Quòd cum paucis poſtremo omniū ingreſſus, poſita

poſita humili quadã ſede, non prius conſedit, quàm annuiſſent epiſcopi: cumq; de concordia & pace pleraque diſſeruiſſet, diligentiorem dogmatum inquiſitionem eorum ſententiæ permiſit. Cui teſtimonium Auguſtinus quoque tribuit epiſtola 166, quòd cum Donatiſtæ cauſam Ceciliani ad Imperatorem Conſtantinum detuliſſent, non fuit auſus de cauſa epiſcopi iudicare: ſed eam definiendam epiſcopis delegauit. Scribit quoque de eo Rufinus libro pri. c. 2. quòd cum epiſcopi, qui Nicææ congregati fuerant, libellos ei quoſdam protuliſſent, quibus inuicem ſe accuſabant, ſuſcepit a ſingulis libellos, eos omnes in ſuo ſinu conſtituens, ignorans quid in eis contineretur, & ait ad epiſcopos. Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis iudicandi: & ideo vos non poteſtis ab hominibus iudicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium: & veſtra iurgia ad illud diuinum reſeruentur examen: et ideo his omiſſis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorũ contentione diſtinguite: & omnes ſimul querimoniarum libellos exuri iuſſit. In actis ſupradictæ ſynodi reperiuntur ſubſcriptiones omnes epiſcoporum, nulla vero dicti Imperatoris. In eadem ſynodo præfuerunt legati Syluestri Papæ Hoſius Cordubenſis, Victor, & Innocentius. Dederunt tamen Patres literas ad Sylueſtrum, quibus ab eo & non ab Imperatore confirmari petierunt, quod in ſynodo fuerat ab eis conſtitutum. In ſecunda ſynodo Oecumenica, quæ fuit prima Conſtantinopolitana, nihil aliud actum eſt a patribus, quàm quòd ſententiã Damaſi contra Macedonium, Sabellium, & Eunomium latã probarunt, & eam ſunt ſecuti: quicquid etiam a Theodoſio factum eſſe ſcribit Socrates iuxta Nectarij concilium, ex auctoritate Damaſi Papæ factũ eſt. Vnde vna cum ſuis collegis præcepit, vt in tali religione cuncti populi ſibi ſubiecti verſarentur, quam Pontifex Damaſus ſequeretur. Subſcripſere autem 150. epiſcopi: quòd Imperator ſubſcripſerit, non inuenitur. In tertia ſynodo, quæ fuit Epheſi habita, nomine Cæleſtini Romani Pontificis, præfuit Cyrillus Alexandrinus, ac lecta fuit epiſtola Cæleſtini, quam ſecuti Patres, Neſtorium condemnauerunt, & ab epiſcopali dignitate alienum eſſe decreuerunt, ſicut ſcribit Euagrius lib. pri. cap. 4. ſuæ hiſtoriæ. Ad hanc ſynodum Imperator Theodoſius filius alterius Theodoſij, qui interfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ, miſit loco ſui Candidianum, ſcribens quare miſerit, inquit. Candidianum magnificum comitem ſtrenuorum domeſticorum tranſire vſque ad ſanctiſſimam ſynodũ veſtram iuſſimus: & quòd in nullo eorum, quæ facienda ſunt de pijs dogmatibus, ſe intromittat. Illicitum nãque eſt eum, qui non ſit ex ordine

ſanctiſſimorum epiſcoporum eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. In quarta Chalcedonenſi interfuit Martianus Imperator, a legatis Leonis Papæ petitus, vt ſui præſentiam præſtaret concilio, eò quòd ipſo abſente, ſe ad concilium non occurſuros dicerent: ſicut ſcribit Liberatus c.3. ſui breuiarij: & cauſa, quare interfuit (vt ipſe narrat) fuit ad confirmandam fidem, non ad oſtendendam virtutem. Ad hoc ſe ſcribit veniſſe, vt quæ decreta eſſent a ſynodo, ea rata haberentur, & ab omnibus obſeruarentur. Extat etiam epiſtola Pulcheriæ Auguſtæ inter præambulares epiſtolas in ſynodum Chalcedonenſem, qua monet Bithyniæ ſtrage tum, vt clericos, monachos, laicos, quos nulla ratio ad concilium vocat, omnino de locis, vbi concilium haberetur, expelleret. Nam in actis concilij Chalcedonenſis ſemel & iterum voces hæ fuerunt emiſſæ: Synodus epiſcoporum eſt, non clericorum, ſuperfluos foras mitte. Vnde apparet diſcrimen inter ſeculares, et eccleſiaſticos Iudices. Hi decernebant quid credendum faciendumue eſſet: illi vt quod eſſet ab eis decretum, executioni debitæ mandaretur, procurabant: ipſi autem nullas ſibi iudicandi partes ſumebant. In hac quarta ſynodo quidam reſipiſcẽtes, Eccleſiæ ſunt reſtituti: quemadmodum Theodoretus, Ibas, & alij nonnulli: & Dioſcorus ac Eutiches condemnati. Facta autem ſunt omnia iuxta ſententiam per Leonẽ primum ante concilium illud latam. In illo concilio tenebant locum Pontificis Romani & præſidebant Paſchaſinus, Lucentius, & Bonifacius. Nihilominus Patres miſerunt ad Pontificem, & petierunt, vt quæ fuerant a Patribus conſtituta confirmaret: quod ille fecit. Ratum tamen habere noluit, quod ſine conſenſu legatorum ſuorum actum fuerat, videlicet, vt Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus proximum locum haberet a Romano Pontifice. Subſcripſerunt in concilio 530. epiſcopi: Imperator vero vel iudices ſui non ſubſcripſerunt. In quinta ſynodo, quæ eſt Conſtantinopolitana 2. nec Imperator, nec ab eo miſſus quiſpiam interfuit. Imperator tamen Iuſtinianus epiſtola ſua ſe pro executore gerit, non pro iudice. Nam eoſdem illos, quos damnauerat ſynodus, Agapeti Romani Pontificis auctoritatem ſecuta, Zoaram, Antimum, Seuerum, Petrũ proſcribit & exilio mulctat. Phocius ſcribit epiſtolam ad Michaelem Bulgariæ principem de ſeptem oecumenicis concilijs, quòd fuit in Vrbe Conſtantinopolitana Vigilius Romanus Põtifex, non tamen concilio interfuit, communem tamen patrum fidem libello comprobauit: ſubſcripſerunt 165. epiſcopi, Imperatorem ſubſcripſiſſe non conſtat. Subſcripſerunt quoque presbyteri, ſed non eo modo, quo epiſcopi; quia epiſcopi hac forma. Definiui & ſubſcripſi. Pres-

byteri

byteri vero hac,ſequēdo definita ſubſcripſi. In ſexta,quæ fuit Conſtantinopolitana 3.Imperator Conſtantinus cum multis illuſtribus interfuit, qui glorioſiſſimi iudices vocati fuerāt,vt in Chalcedonēſi ſynodo : nullus tamen eorum hoc ſibi arrogauit, vt de cauſa fidei iudicaret: ſed interfuerūt,vt omnia agi debito ordine procurarent. Vnde quando ventum eſt ad ſententiam contra Macharium ferendam,iam nec Imperator loquitur,nec iudices,ſed ſola ſancta ſynodus. Vnde in fine edictum fecit Imperator,vt quod fuit a concilio definitum,id firmiter omnes obſeruarent. Primus enim Imperator ipſe fuit, qui ſubſcripſit, non iudicans, ſed cōſentiens tantum, & poſt omnes epiſcopos. Et ſi in præcedentibus ſe ſubſcripſerunt Imperatores, non aliter fecerunt, nec alio modo : in omnibus autem hæc ſynodus Agathonis Pontificis præſcriptum eſt ſecuta. Septima ſynodus habita eſt iterū Nicææ:de qua Phocius.Hoc ſacrum concilium hæreſim, quæ ab execrandis hominibus parta erat,communi ſententia ſimul cum ipſius auctoribus condemnauit. Infelices homines,qui cum Chriſtū ſine medio & ſine aliquo velo contumelia afficere non auderent: per venerandam Chriſti imaginem, omnem Chriſto inimicæ mentis cupiditatem expleuerūt. Adorandam enim Chriſti imaginem,per quam idolorum error excluditur, idolum appellauerunt. Et omnibus ipſam ignominijs afficientes, & pedibus conculcantes, vna cum imaginibus ſanctorū in ignem coniecerunt. Quamobrem ſanctum & oecumenicum concilium eos, qui adulteræ iſtius opinionis ignobilitatem fugere noluerunt, tanquam a fidelium nobilitate alienos inſolubilibus anathematis vinculis conſtringendos iudicauit. Imaginem Chriſti Dei noſtri ex apoſtolorū & ſanctorum patrum traditionibus adorandam atque colendam ſuffragijs omnibus confirmauit. Eodem modo venerabilem crucem adoramus, in qua Domini corpus extenſum eſt &c. Hæc igitur ſingula nempe Chriſti imaginem,& ipſam crucem, crucisq; notam cultu adorationeq; proſequentes,adorationem & honorem non in ipſis concludimus, ſed ad eum dirigimus, qui propter incredibiles diuitias amoris erga nos factus eſt homo,& mortem propter nos pertulit contumelioſam.Sic & ſanctorum templa, ſepulchra,& reliquias, ex quibus morborum curationes emanant, fideliter adoramus,Chriſtum verū Deum noſtrum,qui gloria ipſos affecit,collaudātes & celebrātes.In hac ſynodo præſidebant Adriani primi Romani Pontificis nomine Petrus protopresbyter Eccleſiæ Romanæ,& alter Petrus præfectus ſancti Sabæ. Fuerat iam antea damnata hæreſis hæc Iconomachorum a Gregorio 3. qui Leonem etiam Imperatorem, per quem euerſæ fuerant imagines & eiectæ,

percuſſit

percuſſit anathematc.Idemq; ſtatuit contra filium eius Conſtantiū, qui ſui patris impietatem fuerat imitatus, Stephanus Papa tertius. Subſcripſerunt epiſcopi 367. alium ſubſcripſiſſe non apparet. In octaua ſynodo, quæ fuit Conſtantinopolitana quarta, interfuit Baſilius Imperator, & ſubſcripſit: qui allocutus eſt eos, qui aderant in concilio hoc modo. De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolute verſamini, quid amplius dicam, non habeo: quàm quòd nullo modo vobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere: hæc enim inueſtigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium & ſanctificandi ſortiti ſunt, qui eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claues: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel ſolui egemus. Oculos enim Baſilius vocat epiſcopos, ſimiliter & beatus Auguſtinus pſal. 126. ſubſcripſerunt ergo legati domini Adriani hac forma. Ego Donatus Epiſcopus Hoſtienſis præſidens &c. omnia, quæ ſuperius leguntur, definiui, & manu propria ſubſcripſi: qua forma & alij duo collegæ vſi ſunt. Tandem poſt Patriarchas, ſubſcripſerunt Imperatores hac forma. Baſilius Conſtantinus & Leo perpetuo Auguſti in Chriſto Deo fideles Principes Romanorū & magni Imperatores, ſanctam hanc vniuerſalem ſynodum ſuſcipientes, & omnibus, quæ ab ipſa definita & ſcripta ſunt, concordātes, ſubſcribimus manu propria. Hæ ſunt octo ſynodi generales, quas Gratianus enumerat diſt. 16. c. Sancta. in quibus nullus laicus cuiuſcumque gradus fuerit & conditionis in eccleſiaſtica cauſa iudex eſſe voluerit, eo quòd hanc eſſe apoſtolicam traditionem nullus ignoraret. Nam & in illo Hieroſolymitano concilio nemo ſententiam dixit, præter apoſtolos, quorum loca tenent epiſcopi. Sic enim Lucas loquitur Act. 15. Conuenerunt apoſtoli & ſeniores (qui græce presbyteri vocantur) videre de verbo hoc: mox inducit Petrum loquentem, quem recte ſcribit beatus Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinū, principem in illo concilio lati decreti fuiſſe: Poſt eius orationem tacuit, inquit, omnis multitudo, & audiebat Barnabam & Paulum narrantes, quanta fecit Deus ſigna & prodigia in gentibus per eos: & poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus &c. Hi ſunt omnes, quos dixiſſe ſententiam ſcribit beatus Lucas, Petrū primo loco, deinde Barnabam, Paulum, & Iacobum: Omnis, inquit, reliqua multitudo tacuit. Hunc itaque morem apoſtolorum ſecuta eſt ſemper in concilijs Eccleſia Dei, vt illi ſoli ſententiam dicerent in cauſis eccleſiaſticis, qui loca tenent apoſtolorum: reliqua vero multitudo taceret. Valētinianus Imperator intereſſe noluit, cū Sixto Pontifici quædam crimina fuiſſent obiecta: ſed ſurgens a cō-

cilio dedit in arbitrio Sixti epiſcopi, vt iudicaret iudicium ſuum. Idem a Carolo magno factum fuiſſe dicitur in cauſa Leonis Pont. 3. Similia exempla adducit Reueren. Vuarmien. libro 2. contra Brétium de Imperatoribus hæreticis, tyrannis, & ethnicis, qui nullo modo eccleſiaſticis ſe cauſis immiſcere voluerunt. Leo 10. Pont. Rom. cum poſt multas admonitiones Martinum Lutherum hæreticum pronuntiaſſet, ad Carolum V. Imperatorem dedit literas, quibus poſtulabat ab eo, tanquam a primario filio & aduocato, vt ſedis apoſtolicæ ſententiam ſecutus, pœnas contra eum decerneret. Verbis expreſſis ſe id facturum promiſit: atteſtans quoque, quòd cognoſcere negotium eccleſiaſticum ad eum non ſpectabat, ſed ad Romanum Pontificem & ſedem apoſtolicam. Hæc ſufficere debét ad oſtendendum, quare Imperatores per ſe concilijs, vel per ſuos oratores interfuerunt: quia pro cuſtodia conciliorum: & pro exequendis in eis decretis, & determinatis. Legati vero vt eiſdem præſiderent, definirent, ac definita approbarent: quibus etiã non obſtantibus Patres conciliorum petierunt ſemper ſupra definita ſummorum Pontificum confirmationem.

Qui debeant intereſſe concilijs. Cap. VI.

NON expedit, vt multitudo interſit oecumenicis cõcilijs, quia faceret illa cõtemptibilia, & pareret diſcordiã, in c. Adrianus el primo, 63. diſt. Vnde beatus Chryſoſtomus ſupra Ioannem in principio, inquit: Multitudo mater eſt ſeditionis & cõtumaciæ: paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. Et beatus Gregorius in regiſtro inquit, quòd nihil cum ſcandalo, nihil cum forenſi ſtrepitu definiendum eſt. Dicerem eos tantum admittendos, qui neceſſario ad concilium ſunt vocandi: alios autem inferiores admittendos ſecundum neceſſitatem & occurrentiam rerum: quia interdum reuelatur paruulo, quod ignorat magnus c. Eſto. 95. diſt. Plus enim & minus erit in arbitrio Papæ & ſynodi, vt legimus factum in pluribus concilijs: ſicut patet in geſtis 6. ſynodi Conſtantinopolitanæ in principio. Vbi enumeratis pluribus epiſcopis diuerſi Abbates & presbyteri fuerunt admiſſi. Legimus quoque aliquando Principes admiſſos pro tuitione Eccleſiæ. Aliquando ad fidem conſeruandã, vt in c. Nos ad fidem 96. diſt. Aliquando euitandi ſtrepitus cauſa, vt in c. Bene quidem, vbi ſupra. Quandoque ad maiorem iuſtificationem, vt in c. Ad apoſtolicæ, de re iudicata in 6. Vbi Papa offert vocare ad concilium etiam principes ſeculares. Aliquando ad maiorem

iorem ſollemnitatem, vt in cap. In ſynodo, 63. diſt. In his & ſimilibus, ſecundum quod viſum fuerit Papæ & concilio, laici & clerici reperiuntur admiſſi ad conſulendum & diſputandum. Poſſunt tamen intereſſe laici cum armis pro tuitione concilij, vt refert Martinus Lauden. q. 19. in tractatu ſuo de concilio. Aliquando pro petenda iuſtitia, c. primo de ſponſalibus. Alioqui non debent interuenire niſi inuitati, vt in dicto c. Adrianus, in fine. Repellendi tamen ſunt a concilio, & non admittendi hæretici, vt in c. Cum quibus, 24. q. 3. niſi forte ad conuincendum eos de hæreſi: vt fuit factum in concilio Conſtantienſi: vbi duo hæreſiarchæ Ioannes Huſſ & Hiero. de Praga combuſti fuerunt: & in concilio Florentino, vbi interfuit Imperator Græcorũ pro vnione inter Græcos & Latinos. Cardinalis etiam de Tur. crem. lib. 3. ſuæ ſum. de Eccleſia c. 9. dicit ſe fuiſſe præſentem concilio Floren. vbi data fuit Boemis licentia diſputandi & dicendi quid vellent in defenſionem ſuorum errorum, aſſignatis per ſynodum quatuor doctoribus catholicis, qui in publica congregatione illis reſponderent: & quamuis manifeſte conuicti fuiſſent, & condeſcenſum illis in multis gratia lucrandi eos, nihilominus receſſerunt, peccatis eorum permittentibus, ſordibus irretiti, ſicut venerant. Idẽ dicendum eſt de ſchiſmaticis, videlicet quòd ſint repellendi 24. q. 3. c. Cum quibus: et hoc niſi correcti quærerent vnitatem, vt in c. Maiores, 24. q. pri. Similiter & de omnibus alijs infidelibus, videlicet, quòd ſint excludendi a concilio: atque de notorie excommunicatis, ſi conſtat de declaratione, cum ſint priuati participatione ſacramentorum, & communione fidelium: vt in c. A nobis, de excepti. maxime quando ſunt incorrigibiles, iuxta notata in c. Cum non ab homine, de Iudi. Idem de mulieribus per c. Mulier, 23. diſt. Et ſi quando laici & alij inferiores religioſi & prælati, curati, vel ſimplices ſacerdotes reperiuntur admiſſi, non ex hoc debet inferri, quòd habuerint vocem deciſiuam, ſed vel nullam, vel conſultiuam tantum: & ſi deciſiuam, fuit de priuilegio Papæ, qui potuit hoc illis concedere, & eos ad illud habilitare.

Ad ſolius Romani Pontificis auctoritatem ſpectat regulariter vniuerſale concilium congregare: & vbi ſit celebrandum: & quomodo puniuntur vocati, ad illud ſine cauſa non accedentes: ſimiliter & qui impediunt eiuſdẽ celebrationem.

C. VII.

SACRAE literæ docent, quòd concilium non debet ſine Papæ auctoritate congregari: vnde in ſimili pri. Mach. 14. dicitur, quòd inter alia, quæ Simoni ſacerdoti magno totius populi & omnium ſacerdotum conſenſu attributa ſunt, hoc ſingulare priuilegium fuit: vt conuentus ſine ipſo non fieret in regione. Cum autem ſecundum Apoſtolum ſacerdotium veteris legis figura ſit ſacerdotij noui inſtrumenti, & ſummus ſacerdos noui teſtamenti, prout Paulus ad Hebræos teſtatur, excellentioris ſit dignitatis, quàm veteris: non eſt dubium, quin ſimile priuilegium diuina inſtitutione habeat ſummus ſacerdos & Pontifex in lege noua, ne videlicet ſine eius auctoritate conuentus vniuerſalis fiat in Eccleſia. Secundo oſtenditur ex canonibus conciliorum: vnde ſynodus Alexandrina ſcribens Papæ Felici ſuper huiuſmodi priuilegio, inquit. Scimus in Nicæna magna ſynodo 318. epiſcoporum, ab omnibus eſſe cõcorditer roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia concilia celebrari. Sãctus quoque Marcellus Papa & Martyr in decretis ſuis: Ipſi, inquit, apoſtoli & eorum ſucceſſores Domino inſpirante conſtituerunt, vt nulla fieret ſynodus præter Romanæ ſedis auctoritatẽ: nam illius ſedis epiſcopus iudex eſt totius Eccleſiæ. Pelagius Papa ſcribens omnibus epiſcopis, inquit: Oecumenica concilia conuocandi auctoritas, apoſtolicæ beati Petri apoſtoli ſedi ſingulari priuilegio eſt tradita: & nulla vnquam ſynodus rata legitur fuiſſe, quæ apoſtolica auctoritate non fuerit fulta. Sanctus quoque Thomas 22. q. 1. art. vltimo ait: Cum ſolus poſt Chriſtum Romanus Pontifex præſideat vniuerſali Eccleſiæ tãquam princeps, paſtor, & rector illius, eius ſolius erit regulariter vniuerſalia concilia congregare, cum illorum congregatio maxime cõcernat bonum vniuerſitatis chriſtianorum. Dominus Cardinalis Iacobatius de concilio libro 2. art. pri. de loco in quo congregari habet generale concilium, inquit: quòd congregari debet in loco tuto, vt eſt textus & glo. in c. Ad apoſtolicæ, de re iudicata in 6. & rationẽ adducens, ait: quòd in concilio libertas eſſe debet votandi: alioqui ſi metu tyranni quis non auderet libere votare, non teneretur ad cõcilium vocatus comparere, vt dicit Innocentius in c. Super his, de accuſatio. intantum vt dicat textus 24. q. pri. c. Alienus, quòd nõ magis multitudini, quàm vnitati eſt attendendum. Vnde Agatho in concilio Conſtantinopol. Act. prima, ſcribens ad Conſtantinum inquit: Concedite liberam loquendi facultatem, vt ab omnibus cognoſcatur, quòd nullo terrore, nulla poteſtate, nulla cõminatione, vel auerſione quiſquam pro veritate loqui volens prohibitus aut

repulſus

repulſus eſt. Concilium debet teneri in Eccleſia,vt habetur 2. q. 2. c.Præceptum. Contra inferentes violentiam ſunt geſta conciliorum Conſtantienſis, & Baſilien. ſimiliter & contra impedientes ire ad concilium. Facit ad hoc,quod dicit Antonius & alij in c.pri. de iudicijs,quòd propter potentiam maiorum in concilio, poteſt totum recuſari ſuſpectum. Sane epiſcopi ad cõcilium venire admoniti,vt vult glo. in c. Si epiſcopus, diſt. 18. nullo legitimo interueniente impedimento, ſi venire contempſerint, multipliciter veniunt rationabiliter puniendi, & grauius quàm qui prouincialibus concilijs (de quibus iura loquuntur expreſſius) intereſſe recuſant: & primo pœna excommunicationis, iuxta c. præfatum, Si epiſcopus, eadem diſt. Et ſumitur hic excommunicatio, vt colligitur ex glo. ibi,pro ſuſpenſione tantum a communibus negotijs cum alijs epiſcopis in communi pertractandis. Secundo præfati epiſcopi vocati,contemnentes ad concilium venire, ſi reperti fuerint trãsgreſſores iuramenti, ſecundum formam c. Ego. N. de iureiurando, puniri poſſunt pœna depoſitionis a dignitate, quam periurantibus ſancti Patres deſcripſerunt, iuxta c. Querelã,& c. Tua nos,extra de iureiurando. Secus eſſet ſi non ex contemptu, ſed ex impedimento legitimo eos venire non contingeret: quod ex duobus perpendi poteſt. Primo ſi antequam terminetur veniat, tunc præſumitur, quòd non ex contemptu: iſta eſt ſententia tam Hugonis,quàm Archidiaconi in præfato c. Si epiſcopus. Secundo ſi epiſcopus literas excuſatorias ſcribit ad ſynodum,vel procuratorem mittit cum legitimis rationibus,quòd venire non potuerit. De primo in c. Placuit,diſt. 18. loquitur Carthaginenſe concilium dicens: Placuit, vt quotieſcunque congregandũ ſit concilium, epiſcopi, qui nec ætate,nec ægritudine,nec grauiori neceſſitate impediũtur,competenter occurrãt: quòd ſi non potuerint, excuſatorias ſuas literas ſcribant. De procuratore habetur 5. q. 3. in c. Si ægrotans fuerit, aut aliqua eum grauis neceſſitas detinuerit, pro ſe legatum ad concilium mittat, qui legitimas ſuas aſſignet rationes, vt dicit glos. ſuper verbo rationem in dicto c. Placuit: quam legitimam cauſam poterit per vnum teſtem cum iuramento ſuo probare. Verum præfati epiſcopi,qui ad conciliũ vocati, venire neglexerint, antequam indicentur cõtumaces,& vt tales puniẽdi veniant,admonendi ſunt & requirendi, vt eſt caſus in c. Propter eccleſiaſticas,diſt. 18. Et ratio eſt: quia vbicũque tractatur, quòd propter negligentiam quis puniri de iure debet,requiritur admonitio: arg. 12. q. 2. c. Indigne. Sane non poteſt ſcriptura noſtra explicare, quanta pœna plecti debent,qui celebrationi conciliorum generalium impedimenta co-

nantur inferre. Iſti in primis velut tyranni, & reipublicæ hoſtes habendi ſunt: & tot mortibus digni, quot egregia bona per talia vniuerſalia concilia fiēda ſperabantur. Item ſi tollendi ſchismatis cauſa, ſynodus aduocata eſſet, dubio procul tales conciliorum turbatores tanquam fautores eiusdem ſchismatis habendi forent. Et ſi ob confutandas & confundendas hæreſes, & hæreticos expugnandos congreganda eſſent, tales hæreticorum defenſores cenſendi eſſent. Ceterum ſi reformandi cauſa patres conueniſſent, certe qui celebrationi taliū conciliorum ſe opponerent, tanquā hoſtes chriſtianæ religionis habēdi eſſent: ad quorū propulſandas temeritates obligati ſunt reges & principes Chriſtiani, qui Eccleſiā tuendā ſuſceperūt, vt in c. Principes, 23. q. 5. In quo ſi negligentes reperirentur, ſuſpecti haberentur de fautoria hæreſis, aut ſchiſmatis, iuxta c. Qui 23. q. 3. vbi dicitur. Qui poteſt obuiare, & perturbare peruerſos, & non facit, nil aliud eſt, quàm fauere impietati eorū. Hæc omnia Ioānes de Turre cremata in 3. lib. ſuæ ſummæ de Eccleſia, c. 21.

Non eſt neceſſarium, nec conueniens, vt oecumenicis concilijs Papa præſentialiter ſemper interſit: ſed ſufficit, quòd legati, aut vicarij, ſiue apocriſarij eius, eiſdem eius nomine præſideant: et quòd ex triplici cauſa non interfuerunt eisdem. Cap. VIII.

LEO primus ab Imperatore chriſtianiſſimo Martiano ad Chalcedonenſe concilium deuotiſſime inuitatus, hac ratione inter alias ſe excuſauit, q nullum inde exemplū a prædeceſſoribus accepiſſet. Nam nec in Epheſina ſynodo, nec in alio tali ſancto concilio Papa ſanctæ ſedis præſens fuit: bene eius auctoritas eſt ſynodis neceſſaria. Vnde diſt. 17. in c. 6. legitur, quòd forma auctoritatum ſanctorum Patrum non habet, quòd abſque præſentia Romani Pontificis non debeant vniuerſalia concilia celebrari: ſed bene, quòd abſque eius auctoritate aut ſententia celebrari nequeunt. Tres cauſæ communiter aſſignantur, quare ſummi Pontifices non interfuerunt generalibus concilijs. Prima, ne eisdem inferatur aliqua violentia per Imperatores, aut alios tyrannos: ſicut de Papa Felice legimus: qui quoniam celebrato concilio excommunicauit Vrſicinum & Valentem, Imperatore in perfidia Arriana conſentiente, depulſus de ſede, & ab ipſo Imperatore decollatus, martyrio coronatus eſt. Similisq; violētia legitur facta in 2. concilio Epheſino legatis apoſtolicæ ſedis: vbi Fabianus, qui vices beati Leonis Papæ agebat, interfectus fuit. Secunda, vt Romanus

mānus Pontifex, qui ſolitus eſt vniuerſalium conciliorum confirmare ſententias cum plena libertate, in propria ſede exiſtens, quæ ſibi confirmanda viderentur, confirmaret: & quæ infirmanda eadem poteſtate & libertate infirmaret. Tertia, propter neceſſitates incumbentes tam Eccleſiæ, quàm ciuitati Romanæ, quibus Pontificis Romani præſentia maxime eſt præſidio, & auxilio. Vnde poſtquam beatus Leo dixerat Patribus in concilio congregatis, quòd nullum exemplum inde a prædeceſſoribus ſuis accepiſſet, ſubdidit, quòd nec neceſſitas temporis, nec vlla poterat conſuetudo permittere, vt adeſſet: me tamen, inquit, in his fratribus, hoceſt Paſchaſio & Licentio epiſcopis, Bonifacio & Baſileo presbyteris, qui ab apoſtolica ſede directi ſunt, ſynodo veſtræ veſtra fraternitas confidat præſidere. Et licet ſoli epiſcopi in. 8. primis generalibus concilijs vltra legatos ſedis apoſtolicæ interfuerint: Ioannes tamen de Turre crem. in ſua ſumma de Eccleſia libro 3. c. 14. inquit. Non negamus, quin Papa vocans aliquas notabiles perſonas inferioris ſtatus ad vniuerſale cōcilium, vtputa prælatos minores, aut perſonas doctas, poſſit illas gratioſe honorare, dando eis auctoritatē, vt etiam habeant vocem definitiuam cum epiſcopis: ſicut forte factum eſt cum abbatibus, vt in c. Adrianus, & in c. In ſynodo, 63. diſt. Ad quæ addimus, ꝙ aliqui diaconi loca tenere poſſunt patriarcharū in concilijs, vt colligitur ex c. Præcipimus, diſt. 93. quod eſt factū in ſexta ſynodo. Hoc tamen eſt de priuilegio, ſicut & de generalibus prælatis religioſorum patet, & non de iure, cum ſic ſoli epiſcopi intereſſe habeāt. Cardinales licet omnes non ſint epiſcopi, ſunt tamen quaſi vnum corpus cum Romano Pontifice ſummo epiſcoporum. Vnde cum perſona Papæ, qui caput conciliorum eſt, intelligendi veniunt ijdem Cardinales, cum ſint ſpiritualia membra eius, vt notat Hoſten. in c. Antiquā, de priuilegijs: & non minus, quàm epiſcopi, vocem definitiuam habent in concilijs: & licet non omnes ſint epiſcopi, habent tamen epiſcopalem iuriſdictionem. Vnde in c. In nomine Domini 23. diſt. Cardinales epiſcopi vocantur, vt ait gloſ. ſuper verbo, Cardinales.

Ad vniuerſalia concilia quomodo non eſt neceſſe, quòd epiſcopi de toto orbe congregentur. Cap. IX.

VNIVERSALE concilium bifariam ſumitur. Vno modo, quod Papa vel eius legatus cum Patribus de toto vniuerſo celebrat: & tale beatus Auguſtinus libro 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, c. 3. vocat plenarium. Alio modo dicitur vniuerſale ab vni-

uerſitate auctoritatis,quæ eſt ſupra totam Eccleſiam . Primo modo loquendo de concilio vniuerſali , dicimus,quòd ad eius perfectionem omnes orbis epiſcopi ſunt conuocandi in communi ſaltem, inuitãdo patriarchas omnes & primates, vt ipſi cũ epiſcopis, quos duxerint eligendos, (cum non ſit poſſibile, nec forte vtile , omnes ſimul conuenire) veniant ad concilium : hoc ſatis aperte probatur ex geſtis octaui concilij, ad quod Baſilius Imperator dicitur architectos eccleſiaſtici tabernaculi a finibus orbis conuocaſſe . Vnde beatus Gregorius(vt habetur in c. Sicut. 15. diſt.) inquit : Cunctas vero perſonas, quas veneranda quinque prima concilia reſpuunt, reſpuo : quas venerantur,amplector: quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit , quiſquis præſumit &c. Licet enim omnes prælati orbis in illis concilijs congregati non fuerint , quia tamen præſentes repræſentabant omnes, qui vocati erant , omnium illorum auctoritatem ſiue conſenſum habuiſſe iudicantur . Secundo, loquendo de vniuerſali ſynodo dicta ab vniuerſitate poteſtatis , eo modo quo dicitur vniuerſale concilium, quod papa per ſe vel legatum ſuum celebrat , aliquibus prælatis vocatis de rebus , quæ vniuerſalem Eccleſiam reſpiciũt : Dicimus, quòd non eſt neceſſe vocare ad illud omnes de toto orbe epiſcopos, ſed aliquot de aliquibus prouincijs: & eos,de quibus pro qualitate negotiorum & temporum opportunitate Romano Pontifici videbitur expedire , & dabitur facultas nunc de multis, nunc de paucioribus prouincijs, ſiue etiam de vna ſola, vt in c . Guiliſarius 23. q. 4. dicit Papa : Cum epiſcopis , quos congregare potui . Hoc autem exemplo oſtenditur primitiuæ Eccleſiæ tempus,in quo licet beatus Petrus a Chriſto ſummus Eccleſiæ vniuerſalis Pōtifex conſtitutus,plura legatur cum apoſtolis cōcilia vniuerſalia celebraſſe , attamen nec abſentes apoſtoli conuocati, nec adueniſſe leguntur : ſed ſolum cum his,qui Hieroſolymis erant apoſtolis, & ſenioribus legitur celebraſſe . Immo in concilio, quod in materia fidei ſuper quæſtione de ceſſatione legalium celebratum eſt,ſolus beatus Petrus & Iacobus, qui Hieroſolymorum epiſcopus erat, & Paulus & Barnabas, qui ad habendum determinationem præfatæ quæſtionis venerant Hieroſolymam, conueniſſe leguntur . Tertio hoc colligitur ex practica aliorum conciliorum, quæ per ſanctos patres celebrata fuerunt . Tempore enim Cornelij papæ,cum noua hæreſis inſurgeret negantium indulgentiam quemquam aſſequi poſſe poſt lapſum, (cuius Nouatus presbyter auctor erat) congregata eſt ſynodus celeberrima Romæ ab ipſo beato Cornelio,in qua Nouatus ipſe cum ſuis complicibus ab Eccleſia proiectus eſt, & definitum

oppoſitum :

oppoſitum: & tamen neque ad illud concilium, neque ad vlla alia ſimilia legitur, quòd epiſcopi ſint de toto orbe congregati. Concilium igitur oecumenicum faciunt quicumque veniunt ex toto orbe acciti epiſcopi, etiam ſi non omnes conuenerint, eo quòd alij morbis, alij ſint cauſis alijs impediti: qui tamen præſentes ſunt e ſingulis prouincijs & nationibus, de mente beati Auguſtini libro primo c. 18. contra Donatiſtas, totius Eccleſiæ conſenſionem efficiunt. Et dominus Athanaſius epiſtola de geſtis ſynodi Arimini & Seleuciæ coactæ: Ea (inquit) cauſa fuit, cur vniuerſus orbis in concilium coiret: vniuerſum orbem vocans trecentos decem et octo patres in concilio Nicææ congregatos.

Romanus Pontifex ſua auctoritate, cauſa legitima occurrente, poteſt concilium vniuerſale congregatum de vno loco ad alium trāſferre atq; diſſoluere: & quòd in terra niſi ex cauſa hæreſis iudicem nō habet. Cap. X.

HAEC concluſio videlicet, quòd Papa poteſt concilium de loco ad locū transferre, eſt adeo ratione manifeſta, vt inſenſatus omnino iudicandus veniat, qui eundem (ad quem vniuerſalia concilia ſpectat congregare, auctorizare, confirmare, interpretari, diſpenſare, & male celebrata caſſare, vt ex ſupradictis patet) neget cauſa legitima occurrente, concilium non poſſe propria auctoritate tranſmutare. Ceterum ſi paſtor poteſtatem habet transferendi gregem de loco ad locum, prout vtilitati & commodo gregis cognouerit expedire, quis niſi inſanus negabit Romanum Pontificē, qui paſtor eſt vniuerſalis Eccleſiæ, & per conſequens concilij illam repræſentantis, poſſe illud eodem modo transferre? Et ſi allegatur decretum concilij Conſtantien. confirmatum etiam per dominum Papam Martinum, per quod datur lex Romano Pōtifici de translatione concilij: dicit Ioannes de Turre crem. in ſua ſumma de Eccleſia lib. 3. c. 66. quòd illa conſtitutio non arctat Papam, aut reſtringit, quin poſſit dictam conſtitutionem moderari: ſiue in ea ꝑ temporum perſonarumq; neceſſitate diſpenſare, aut in totum tollere. Habetur enim in .§. his, 25. q. 1. c. fin. quòd Papa non ſubijcitur legibus conciliorum. Et in c. ſignificaſti extra de elect. & in l. princeps .ff. de legibus: quia non rex legi, ſed lex eſt ſubiecta regi, qui lex animata dicitur. Et ſi dicatur, quòd concilia tanquam quatuor euāgeliorū libros obſeruari oporteat, quia ſic venerabatur ea

beatus Gregorius, vt habetur in regiſtro libro primo, c. 24. & lib. 2. c.49. Dicimus, quòd hoc non eſt vniuerſaliter verum, ſed tantum habet locum in articulis fidei, ſacramentis, & in ad fidem ſpectantibus, quæ per concilia iam definita ſunt. Martinus etiā cōfirmando decretum ipſum non potuit præiudicare ſuis ſucceſſoribus, eadem poſt eum poteſtate functuris: cum par in parem non habeat imperium, vt habetur in iure. Ipſe etiam dominus Martinus (non obſtante dicta conſtitutione concilij Conſtantienſis, & cōfirmatione ſua) dedit poteſtatem præſidentibus ſuis in concilio Senen. trāſferendi concilium, nulla facta mentione præfati conſenſus concilij. Regulare eſt, vt habetur ff. de legibus, l. pri. quòd eiuſdem eſt ſoluere, cuius eſt condere: cui arridet regula iuris, extra de regulis iuris, quòd per eaſdem cauſas res diſſoluitur, per quas naſcitur. Cum autem oecumenica concilia auctoritate Papæ & congregentur & robur accipiant, vt eſt videre in diſt. 17. per totū, patet, quòd ipſemet Papa poterit legitima ſubſiſtente cauſa illa diſſoluere: Vnde remota poteſtate Papæ, concilium remanet conciliabulum, & conuenticulum, vt dicitur ibidem. Ceterum concilia non rite celebrata Romanus Pontifex totius Eccleſiæ iudex poteſt ſua auctoritate ſine cuiuſcumque alterius conſenſu caſſare & reprobare, vt in c. Cuncta per mundum 9. q. 3. Quis igitur niſi inſipiens negabit Romanum Pontificem concilia non rite celebrata poſſe ſine alterius auctoritate diſſoluere? Hæc concluſio, videlicet, quòd Papa extra caſum hæreſis non habeat iudicem in terris, licet poſſet diuerſis rationibus probari, breuitatis tamen cauſa prætermiſſis ceteris rationibus, Sanctorum patrum auctoritatibus, ſacrorum conciliorū definitionibus, apoſtolicæ ſedis determinatione, & clariſſimorum doctorum ſententia, eam veriſſimam oſtendam. In primis beatus Anacletus Papa & martyr, vt habetur in c. Eiectionem, diſt. 79. dicit: Eiectionem ſummorum pontificum ſibi Dominus reſeruauit, licet electionem eorum bonis ſacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet. Beatus quoque Bonifacius Papa & martyr, in c. Si Papa, 40. diſt. inquit: Huius ſcilicet Romani Pontificis culpas redarguere præſumit nullus: quia cunctos ipſe iudicaturus, a nemine eſt iudicandus, niſi deprehendatur a fide deuius. Ad id autem eſt auctoritas Innocentij in c. Nemo, 9. q. 3. dicentis: Nemo iudicabit primam ſedem, iuſtitiam temperare deſiderantem: neque enim ab Auguſto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo iudex iudicabitur. Vnde glos. inde elicit, quòd concilium non poteſt Papam iudicare. Gelaſius Papa vbi ſupra in c. Cuncta, omnibus epiſcopis ſcribens, ait: Cuncta per mundum nouit Eccleſia,

quòd ſacroſancta Romana Eccleſia de omnibus fas habet iudicandi: nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Innocentius tertius in conſecratione Romani pontificis, inquit: Intantum mihi fides eſt neceſſaria, vt cum de ceteris peccatis Deum iudicem habeã, propter ſolum peccatum, quod in fide committitur, poſſem ab Eccleſia iudicari: nam qui non credit, iam iudicatus eſt. Ex definitionibus conciliorum etiam hoc patet: & primo ex illa concilij vniuerſalis Romani, præſidente in eo beato Sylueſtro canone vltimo: vbi legitur. Nemo iudicabit primam ſedem, quoniam omnes ſedes a prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari: quoniam nec ab omni clero, nec ab omni populo iudex iudicabitur. Confirmatur etiam ex concilio Chalcedonenſi, in ſententia contra Dioſcorum, in qua ſancti Patres grauiſſime notarunt Dioſcori præſumptionem, qua vſus fuit in 2. ſynodo fulminare excommunicationem in Leonem Papam: de qua in c. Intantum, diſt. 21. Hæc eadem ſententia definita habetur ex ſynodo Romana 219. epiſcoporum, præſidente ſanctiſſimo Symmacho Papa: vbi legitur. Non eſt neceſſe ſuper his noua condere, ſed vetera firmare decreta: eſt enim a multis ex noſtris anteceſſoribus ſynodaliter decretum atque firmatum, vt oues, quæ paſtori ſuo commiſſæ fuerint, eum reprehendere, niſi a recta fide exorbitauerit, ne præſumant. Hæc eadem ſententia firmatur ex definitione habita in concilio Conſtantienſi per omnes patres, & confirmata fuit per Papam Martinum, quæ etiam pro articulo fidei eſt habenda, videlicet: quòd Papa canonice electus habeat ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei. Papa namque Bonifacius octauus in ſua extrauaganti, quæ incipit, Vnam ſanctam, inter alias definitiones ait: Si deuiat terrena poteſtas, iudicabitur a ſpirituali: ſi ſpiritualis, iudicabitur minor a ſuperiori: ſi vero ſuprema, a ſolo Deo, non ab homine poteſt iudicari. Hugo quoque de Sancto victore parte ſecunda de Sacramentis, inquit: Poteſtas ſummi Pontificis a Deo primum inſtituta eſt, & cum deuiat, a ſolo Deo iudicari poteſt. Hanc ſententiam ſequuntur clariſſimi, & præcipui in theologica facultate magiſtri dominus Albertus, ſanctus Thomas 19. quarti, dominus Alexander in 3. parte, ſanctus Bonauentura in 4. dominus Vlricus in ſumma ſua, Ricardus in 4. Petrus de Palude, Magiſter Heruæus in tractatu de eccleſiaſtica poteſtate, & multi alij: qui omnes apertiſſime atteſtantur, verum Romanum Pontificem extra caſum hæreſis ſtricte ſumptæ nullum in terris iudicẽ habere: ſed tantũ Deũ in cælis, cuius vices gerit in terris. In iure canonico huius ſentẽtiæ ſunt Hoſtiẽſis, Ioãnes Andreas, Guido, Archidiaconus, Innocẽtius, dñs Aluarus de ſtatu & plãctu Eccleſiæ.

Concilia

Concilia pleniſſima, ſiue oecumenica in his, quæ fidei ſunt, errare non poſſunt. Cap. XI.

LICET enim homines ex ſe fallere & falli poſſint, per Spiritum ſanctum tamen loquentes neque fallunt, neque falluntur vmquam:& licet Auguſtinus cōtra Donat. dicat cōcilia aliquādo erraſſe, loquitur de cōcilijs prouincialibus, quæ reformata fuerunt plenariorum conciliorū auctoritate. Et ſi alibi dicat libro 2. contra Donatiſtas de baptiſmo paruulorum, c. 3. plenaria concilia poſterioribus nonnumquam emendari, loquitur in his, quæ in facto ſunt. Vt autem erret in his, quæ ſunt fidei, modo ſit legitime congregatum, fieri non poteſt. Nam ſi quæ vel Arimini, vel Seleuciæ, vel Silmij, aut Antiochiæ, vel iterum Epheſi cōgregata producuntur, quandoquidem auctoritate Romani Pontificis vel congregata, vel comprobata iuxta canones Nicæni concilij non ſunt, concilia dici non poſſunt, ſed conuenticula potius & conciliabula: In his vero, quæ iuris poſitiui ſunt, & quæ vel ad externum aliquem ritum, vel ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinā, quoniam pro perſonarum, locorum, & temporū circunſtantia mutationem aliquam requirunt, fit nonnumquam, vt priora concilia poſterioribus emendentur:cum quædam ſuperioribus ſeculis quadrare potuerint, quæ poſterioribus minime conuenire ipſa magiſtra rerum experientia compertum ſit. Itaque canones, qui vocantur apoſtolorū, quoniam in eorum pleriſque nimio plus inerat ſeueritatis, quàm poſteriora ſecula ferre poſſe viderētur, factum eſt, vt poſterioribus concilijs emendarentur mitigarenturq;. Eſt enim canon apoſtolicus, deponi debere presbyterum fornicantem, quē in concilio Gangrenſi canone 75. legimus emendatum. Sic in cōcilio Nicæno conſtitutum fuit, vt Alexandrinus patriarcha proximum a Romano Pontifice locum teneret: cui poſt in Conſtantinopolitana ſynodo prælatus eſt Conſtantinopolitanus. Ea tamen, quæ pertinent ad fidem, fixa & immobilia eſſe oportet, ac ſempiterno tempore duratura. Concilia igitur illa generalia, quæ tam Patrum Eccleſiæ, quàm Romani Pontificis vnanimi conſenſu definita ſunt, errare non poſſunt: Et ratio eſt: quia iudicium apoſtolicæ ſedis in his, quæ fidei ſunt, errare non poteſt, iuxta illud Lucæ 22. Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Si vero loquimur de concilio, vt tantum prælatorum importat congregationem præciſam a Romano Pontifice, & eius conſenſu, vel apoſtolicæ ſedis approbatione,

tione, errare poteſt non modo in his, quæ ad mores, ſed in his quæ ad fidẽ ſpectant: vt patet in ſupra allegatis conciliabulis. Omnibus nãque hæreticis ſemper fuit,& hucuſque eſt proprium, conciliorum generalium auctoritati detrahere, eamq; pro viribus imminuere: quoniam vident nihil eſſe adeo efficax ad eorum effrænatam audaciam reprimendam,ſicut eſt concilij generalis auctoritas. Quapropter,cum hæretici omnes obſtinate ſuos tueantur errores per concilium damnatos,ad hoc eis commune aſylum confugiunt,dicentes: Concilium in tali definitione erraſſe. Hoc egit Arrius,qui cum in Nicæno concilio damnatus fuiſſet cũ ſuis complicibus, acquieſcere nolens definitioni concilij,dixit illud erraſſe. Ad eundem modum fecit Neſtorius in concilio Epheſino damnatus. Nec aliud fecere Eutiches & Dioſcorus in concilio Chalcedonenſi damnati. Notiſſima eſt hiſtoria de Ioanne Huſſ. Boemo: qui cum amplexus fuiſſet doctrinam Ioannis Vuitcleff, vidiſſetq; eam damnari in concilio Conſtantienſi, dixit huiuſmodi concilium in tali definitione erraſſe. Poſtremo omnium Lutherus,cum a principio ſuorum errorum concilium appellaſſet,poſtmodum in tantum profundum malorum venit,vt tale diſſeminauerit venenum: quòd concilium generale quantumlibet probe congregatum, poſſit in fide & moribus errare: et quòd hoc ſit falsũ oſtenditur infraſcriptis auctoritatibus. Sãctus Thomas quol.9.art. vlt. inquit: Certum eſt,quòd iudicium vniuerſalis Eccleſiæ errare nõ poteſt in his, quæ ad fidei negotium pertinent: immo impoſſibile eſt in talibus illud errare. Iudicium vniuerſalis Eccleſiæ eſt iudicium,vt patet, concilij oecumenici. Vnde idem doctor contra impugnantes religionem, ſuper illud Zoſimi Papæ,quod habetur in c. Contra,25. q. pri. videlicet,Contra ſtatuta patrum condere aliquid vel mutare auctoritas quidem huius ſedis non poteſt,inquit: quòd hoc verum eſt in illis, quæ ſancti Patres decreuerunt eſſe de iure diuino, ſicut ſpectantia ad fidem,quæ ſunt per concilia determinata. Secus eſt de illis,quæ ſancti patres determinarunt eſſe de iure humano & poſitiuo, cum illa relicta ſint ſub Papæ diſpoſitione,vt poſſit ea mutare,vel diſpenſare ſecũdum opportunitatem temporum vel negotiorum. Idem Sanctus quol. 4. art. 13. dicit, quòd eſt duplex genus canonum & decretorum,ſiue ſint conciliorum, ſiue patrum. Primum de iure diuino,ſicut quæ pertinent ad articulos fidei,ſubſtãtiam ſacramentorum, aut quæ neceſſariam habent connexionem ad legem diuinam, pertinentia ad bonos mores: & ſuper hoc genere Papa nihil poteſt immutare diſpenſando, vel abrogando. Alterum de iure poſitiuo, de quo dictum eſt ſupra, quòd talia ex rationabili cauſa per

Papam

Papam ſunt diſpenſabilia. Dionyſius Cartuſianus lib. 3. de auctoritate Papæ & concilij art. 16. ex ſententia diui Bernardi inquit. Inſuper generale cōcilium vniuerſalem Eccleſiā repræſentans, quamuis ad prærogatiuam, quæ eſt, eſſe confirmatum in charitate & gratia, non pertingat: ad hanc tamen prærogatiuam, quæ eſt, non errare in fide & moribus, id eſt, in determinando quid ad fidei & morū rectitudinem ſpectat, non deuiare, pertingit, per Spiritum ſanctum ipſummet concilium dirigentem, propter commune totius Eccleſiæ bonum. Beatus Auguſtinus libro 2. cap. 3. contra Donatiſtas inquit: Ipſa cōcilia, quæ per ſingulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum cōciliorum, hoc eſt generalium, auctoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedūt. Et hoc nō poteſt eſſe alia ex cauſa, niſi quia prouincialia errare poſſunt in fide, non autem vniuerſalia: In ceteris, videlicet quoad corrigendos tranſgreſſores, & reformandos mores, paria ſunt. Item vbi ſupra lib. 4. recitat idem Auguſt. quemadmodum ſanctus Cyprianus nō acquieuit Romano Pontifici ſibi ſcribenti & præcipienti, ne ab hæreticis baptizatos rebaptizaret. Nihilominus, vt præfatus Auguſt. inquit cap. 4. eiuſdē libri, libēter acquieuiſſet determinationi plenarii concilij, ſi illud ſuo tempore, vel ante determinaſſet taliter baptizatos non rebaptizandos. Ex quibus verbis elicitur, quòd ſecundum eoſdem doctores maior ſit generalis concilij, quàm Romani Pontificis auctoritas, in determinatione eorū, quæ fidei ſunt, & ſalutis. Item idem Auguſt. lib. 6. cap. 39. contra quendam erroneum epiſcopum dicit: Non hoc cenſet Eccleſia, cui Deus iam plenario concilio reuelauit: volens inferre concluſa in concilijs, ſpectantia ad fidem, eſſe determinata ex Spiritus ſancti reuelatione, aſſiſtētis generali concilio, qui nec fallere, nec falli poteſt: & 7. lib. c. 53. Id, inquit, figuratione ſecuræ vocis aſſerimus, quod in vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Dominus Ioannes Cardinalis Rophenſis in confutatione aſſertionis Lutheranæ art. 29. dicit hæc formalia verba. Neque ego penitus cuiuſcumque concilij decreta probanda cenſeo, ſed eius, quodcūque fuerit in Spiritu ſancto Pontificis auctoritate, cunctiſq; præmonitis, quorum intereſt adeſſe, conuocatum, tale concilium in his, quæ ad fidem pertinent, errare non poſſe firmiter opinor. Et in eodem tractatu art. 27. Ego certe perſuaſiſſimum habeo, Eccleſiam errare non poſſe in his, quæ ad ſubſtantiam fidei pertinent: ſimul & credo ſcripturas id omnino velle, maxime cum probatiſſimo Pontifici concilium generale conſentit. Cardinalis de Turre crem. 3. parte ſuæ ſum. de Eccleſia c. 64. inquit. Si Papa & concilium diſſentiāt, aut

diſſentiunt

diſſentiunt in materia fidei, aut circa ius poſitiuum: Si in negotio fidei: aut in eo quod eſt iam per apoſtolicam ſedem definitum, cui patres concilij refragantur: & tunc ſtandum eſt ſentētiæ Papæ, per beatum Hieronymum ad Damaſum, vt habetur in c. Hæc eſt fides 24.q. pri. vel contrarietas eſt in materia fidei nondum definita, ſed nouiter per concilium definienda: & in tali caſu regulariter ſtandum magis foret Patrum totius concilij iudicio, ſicut videtur colligi ex glo. in c. Anaſtaſius 19. diſt. vbi ſic habetur. Quòd Papa tenetur, cum de fide agitur, requirere conſilium epiſcoporū: quod verum eſt, vbi de fide agitur: & tunc ſynodus eſt maior Papa, vt habetur 15. diſt. c. Sicut, in fine, maioritate ſcilicet diſcretiui iudicij: ſecundum quod haud dubium, quin regulariter concilium ſit maius eodem: & adducit Cyprianum in quadam epiſtola dicentem. Nam nec Petrus, quem primum Deus elegit &c. cum ſecum Paulus de circunciſione diſceptaſſet, vendicauit ſibi aliquid inſolenter: aut arroganter aſſumpſit: nec dixit ſe primatum tenere. Ideo non deſpexit Paulum, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi Pauli facile conſenſit. Rener. Dominus Cardinalis Iacobatius in ſuo tractatu de concilio lib. 5. art. 15. inquit: quòd in ſtatutis conciliorum concernentibus ius diuinum, articulos fidei, ſacramenta & cetera, quæ ſpectant ad dogmata, Papa nihil poteſt ſtatuere, aut tollere. Et ſic intelligitur id, quòd videlicet debēt ſtatuta quatuor conciliorum ſeruari, ſicut quatuor Euangelia: et quòd ſicut Papa non diſpenſat contra quatuor concilia generalia, vt in c. Sicut, 15. diſt. dicit glo. ita debet requirere, & ſtatuere ea cum conſilio epiſcoporum, vt dictum eſt ſupra: lib. etiam ſecundo art. 2 dicit, quòd concilium per Papam congregatum, vbi non omnes de vniuerſo orbe cōgregati ſunt, repræſentat vniuerſalem Eccleſiam: lib. etiam 6. poſt Hoſtien. de mente Ioannis Andreæ in c. A nobis, de ſententia excommunicationis, dicit: quòd concilium errare non poteſt, præcipue in cauſa fidei: et quòd Papa non reuocat ſtatuta cōciliorum circa fidem, ſine cōſenſu concilij: et quòd in his, quæ concernunt fidem, Papa debet ſtare iudicio concilij, vt in dicto c. Sicut, diſt. 15. et hoc modo inquit, intelligi debere illud, videlicet, quòd ſententia concilij præfertur ſentētiæ Papæ. Reuer. Dominus Franciſcus de Victoria ordinis prædicatorum in tract. relectionū theologicarum de poteſtate Papæ, & concilij, inquit: quòd ſi concilium generale determinet aliquid eſſe de fide, aut de iure diuino, Papa in hoc nihil poteſt declarare, aut immutare: quod probat per hoc, quia in illis concilium errare non poteſt: et quòd non minus eſt Spiritus ſanctus in quocumque concilio generali, quàm in concilio

apoſtolorum,

apoſtolorum, vbi Spiritus ſanctus aſſiſtebat. Si enim errare poſſet, non eſſet Eccleſia fundata ſupra firmam petram, cum ſemper maneret dubia, & vacillaret. Reueren. dominus Cardinalis Vuarmienſis in ſuo tractatu cõfeſſionis catholicæ fidei de fide, & ſymbolo c. 24. inquit. Neque dubitare debet quiſquam chriſtianus, quòd concilium oecumenicum legitime congregatum Eccleſiam catholicam repræſentet. Quamobrem quod ab illo ſtatuitur, ab Eccleſia ſancta catholica ſtatuitur. Quod etiam Auguſt. lib. pri. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 18. indicat, cum plenarij cõcilij ſententiam totius Eccleſiæ conſenſionem vocat. Quoniam igitur Eccleſia Spiritu ſancto regitur in his, quæ pertinent ad fidem, errare nullo modo poteſt: qui vtique non credit oecumenico concilio, qui non acquieſcit in eo, quod ab illo definitum eſt, ſed in dubium reuocare conatur, denuoq; vult diſceptari de his, quæ ſemel illius iudicio terminata recteq; conſtituta ſunt, non credit ſanctam Eccleſiam catholicam, Spiritui ſancto per os illius loquẽti repugnat: atque ideo catholicus aut chriſtianus dici non meretur, ſed habendus eſt iuxta Chriſti præceptum tanquam ethnicus & publicanus. Reuerendus pater Alphonſus de Caſtro aduerſus omnes hæreſes libro 4. titulo concilium, ait: quòd oecumenicum concilium, recte congregatum in fide errare non poteſt. Tunc autẽ concilium dicitur generale & recte congregatũ, quãdo ſummi Pontificis auctoritate conuocantur omnes, quorũ intereſt de re illa definire. Et in libro ſuo de iuſta hæreticorũ punitione libro pri. c. 6. inquit: Nam quòd generalia cõcilia auctoritate ſummi Põtificis congregata, errare poſſint in fidei negotio, error eſt multorũ hæreticorũ, ab omnibus catholicis damnatũ: et cõcludit ſic. Ego igitur firmiſſime teneo, nec aliud ſentiendũ cenſeo, talia cõcilia, quæ ex toto terrarum orbe auctoritate Papæ congregata ſunt, in quibus etſi Papa abſens ſit, ipſius tamẽ legati pſentes ſunt, eſſe dicẽda generalia concilia, & per conſequens non poſſe in fide errare. Non tamen Fruſtra & ſine cauſa miſerũt cõcilia rationẽ geſtorum ſuorum ad ſummum Pontificem & petierunt ab eo confirmationem, vt videbitur infra.

Acquieſcendum eſt determinatis in concilijs: et videndũ de quibus concilium ſe poteſt intromittere Cap. XII.

QVI non credit oecumenico cõcilio, quiq; nõ acquieſcit in eo, quod ab illo definitũ eſt, ſed in dubiũ reuocare conatur, denuoq; diſceptari vult de his, quæ ſemel illius iudicio terminata recteq; cõſtituta sũt, non credit ſanctã catholicã Eccleſiã, Spiritui ſancto

per

per os illius loquenti repugnat: atque ideo catholicus dici nõ meretur, ſed habendus eſt iuxta Chriſti præceptum tanquam ethnicus & publicanus Matth. 18. Vnde Leo Pontifex epiſtola 78. dicit: Quæ patefacta ſunt, quærere: quæ perfecta ſunt, retractare: & quæ definita ſunt, conuellere, quid aliud eſt, quàm de adeptis gratiam non referre? Quamobrem non ſunt audiendi, qui denuo de his referri volunt, de quibus decreta conciliorum interceſſerũt. Quid Eccleſiæ ſtatu futurũ eſſet perturbatius? quid fide noſtra incertius? quid inſtitutis mutabilius, ſi ſuperiorum conciliorum acta reſcindantur? Exoptatur cõcilium ab omnibus: quis autem erit eius vſus, ſi poſt quàm decretum in eo eſt, quod ſemel eſt decretum diſputare, atque illud reſcindere, vel ſaltem in dubium reuocare licebit? Quid aliud hoc erit, quàm efficere, vt ſemper fluctuent hominum conſcientiæ? Poſtulabatur hoc priſcis temporibus ab Arrianis, vt quibus de rebus Nicænæ ſynodi decretum interceſſerat, de his denuo diſceptare liceret, vt teſtatur Socrates libro 2. c. 20. eccleſiaſticæ hiſtoriæ: verum decretum eſt a pijs ſufficere debere Nicænæ ſynodi decreta. In Chalcedonenſi quoque concilio non fuit permiſſum decreta Nicænæ ſynodi inquiri. Quin clamauit ſancta ſynodus: ſiqs ea retractat, anathema ſit: ſiquis ſuper iſta inquirit, anathema ſit: maledictus qui addit: maledictus, qui aufert: maledictus, qui innouat. Hoc eſt, quod ab Athanaſio Apolog. 2. ſcriptum legimus. Quæ nunc a tot & talibus epiſcopis probata ſunt, ac decreta, clareq; demonſtrata, ſuperuacaneum eſt denuo reuocare in iudicium. Leo quoque Pontifex epiſtola 78. Prænoſcat, inquit, pietas veſtra venerabilis Imperator hos, quos ſpondeo, dirigendos non ad cõfligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra illos a ſede apoſtolica profecturos: quia de rebus & apud Nicæam & apud Chalcedonem ſicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia & infirma ſint, quæ tanta per Spiritum ſanctum fixit auctoritas. Hoc videlicet, quòd concilium ſe intromittere debet dumtaxat de his cauſis, ꝓpter quas fuit congregatũ, oſtendimus primum teſtimonio beati Leonis Papæ, qui Anatholio epiſcopo Conſtantinopolitano ſcribens, reprehendit eum, quòd induxiſſet Chalcedonenſem ſynodum ad conſtituẽdum poſt Romanam, primã ſedem Conſtantinopolitanam, cum prius eſſet Alexandrina: poſt multa ſubdit. Nimis ergo improba, nimis praua, quæ ſacratiſſimis canonibus inueniuntur eſſe contraria, in totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio: quæ ita abuti voluit concilio ſynodali, vt fratres in fidei tantummodo negotio conuocatos, definitione eius cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad cõ-

ſentiendum

ſentiendum ſibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Secundo Papa Nicolaus in 2. epiſtola, quam ſcribit Michaeli Imperatori, quæ lecta fuit in quarta actione, manifeſte deſignat, quòd concilia vniuerſalia congregata ad ea tantum extendere ſe debent ſententiando, vel definiendo ad quæ congregata vel conuocata ſunt, & non ad alia. Leo etiam Papa ad epiſcopos, qui in ſancta ſynodo Chalcedonenſi congregati fuerant, inter cetera ſcribit: Fraterna vniuerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam executi ſunt: ſed etiã per approbationem geſtorum ſynodalium, propriam inijſſe ſententiam in ſola fidei cauſa, propter quam generale concilium & ex p̃cepto chriſtianorum principum, & ex conſenſu apoſtolicæ ſedis placuit congregari. Agatho etiam Papa de poteſtate, quam apocriſarijs ſuis dedit, ſcribens Imperatori, dicit. Licentiam dedimus, ſiue auctoritatem apud tuum tranquilliſſimum Imperium, dũ vixerit tua clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi, inquantum dumtaxat iniunctum eſt, vt nihil præſumant augere, mutare, vel minuere: ſed traditionem apoſtolicæ ſedis, vt a prædeceſſoribus inſtituta eſt ſynceriter enarrare. Alias rationes facientes ad hoc propoſitum, quære in domino Ioanne de Turre cremata libro 3. ſuæ ſummæ de Eccleſia c. 38. quas breuitatis cauſa omittimus.

Papa ſuperior eſt concilio generali, ſumendo vniuerſale concilium vt importat congregationem prælatorum vniuerſalis Eccleſiæ condiſtinctam contra Romanum Põtificem non obſtantibus concilijs Conſtantienſi & Baſilienſi. Cap. XIII.

RATIONIBVS probatur pluribus, quòd Papa ſit ſuperior concilio, & primo ſic: omne quod tribuit alteri poteſtatem, eſt ſuperius illo: cauſa enim eſt potior ſuo effectu: Papa tribuit auctoritatem generali concilio, vt habetur diſt. 17. per totum: immo ad eundem ſpectat illud & congregare, & approbare, cum ſine eius auctoritate celebrata, non concilia, ſed conciliabula, & conuenticula nominentur, vt in c. Multis diſt. 17. inde ſequitur, quòd Papa auctoritate iuriſdictionis ſit dicto concilio ſuperior. Secundo ſedes apoſtolica abſoluit quandoque quod concilium ligat, & damnat: ergo eſt eo ſuperior. Vnde Papa Gelaſius vniuerſis epiſcopis ſcribens, vt habetur 9. q. 3. c. Cuncta, ait. Sed

nec

nec illa prætetimus, quod apoſtolica ſedes frequenter, more maiorum, etiam ſine vlla ſynodo præcedente abſoluendi quos inique ſynodus damnauerat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo quos oportuit, habuit poteſtatem. Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium ſynodus orientalis abdixerat, quem tamen exceptum ſedes apoſtolica, quæ damnationi Græcorum non conſenſit, abſoluit. Sanctum quoque Flauianum Pōtificem Græcorum damnatum pari tenore, quoniam ſedes apoſtolica non conſenſit, ſimiliter abſoluit: & patet, quòd loquantur de ſynodis oecumenicis, cum idem Flauianus fuiſſet damnatus in ſecunda ſynodo Epheſina. Tertio ſic, ſolus Romanus Pontifex eſt vocatus in plenitudinem poteſtatis, cū ſolus habeat poteſtatem illimitatam: in cuius rei ſignum, vt inquit ſanctus Thomas 24. diſt. 4. non vtitur baculo, ſicut alij epiſcopi, eo quòd non habeat coarctatam poteſtatem per curuationem baculi deſignatam. Alij vero prælati, ex quibus congregatur concilium, vocati ſunt in partem ſolicitudinis c. Decreto 2. q. 6. & ex conſequenti ſequitur, quòd Papa ſit concilio ſuperior. Quarto omnis paſtor eſt ſuperior auctoritate grege ſuo: Papa eſt paſtor omnium ouium Chriſti, iuxta illud Ioan. vltimo, Paſce oues meas: conciliū vero generale pertinet ad gregem, & oues Chriſti: ergo neceſſario erit ſuperior eo. Eſt enim paſtor omnium fidelium, cum vnius ouilis vnus ſit paſtor Ioan. 10. Caput etiam non ſolum ſitu, ſed & auctoritate eſt ſuperius toto reliquo corpore. Romanus Pontifex eſt caput concilij. Vnde beatus Chryſoſtomus beatum Petrum verticē apoſtolici chori nominabat: Et ſynodus Chalcedonenſis Leonem Papam caput ſuum profitetur aperte. Vltimò Chriſtus eſt ſuperior vniuerſali concilio poteſtate auctoritatis, ergo & Papa: eo quòd Papa eſt vicarius generalis eius, vices ipſius gerens in Eccleſia Dei, & per conſequens in concilio generali. Vnde beatus Cyrillus in libro theſaurorum, inquit: quòd apoſtoli in euangelijs & epiſtolis affirmarunt Petrum eſſe loco Domini & eius Eccleſiæ, ei dantes locū in omni capitulo & electione. Ex prædictis ſequitur formalis conſequentia: Primo, quòd Romanus Pontifex dictis oecumenicis cōcilijs debet præeſſe: immo quòd legitime coactis ſemper per ſe vel per legatos ſuos præfuit, ſicut habetur in hiſtoria tripartita lib. 4. c. 9. vt Iulius, Damaſus, & Athanaſius meminerunt: Ante etiā cōcilium Nicænum a Marcello fuit inſtitutum, vt pręter auctoritatem Romanæ ſedis nulla ſynodus haberetur. Secundo infertur, quòd nullo modo liceat appellare a Romano Pontifice ad concilium tāquam ad ſuperiorem iudicem (appellatio enim fit ab inferiori ad ſuperiorem iudicem, cap. Omnes, ſecunda quęſt. ſexta) ſed e con-

uerſo, vt habetur in c. Ipſi ſunt 9. q. 3. vbi Gelaſius Papa ita inquit: Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius ſanctæ ſedis examen voluerunt deferri: ab ipſa nuſquam prorſus appellare debere ſanxerunt. Habetur etiam in geſtis primi Epheſini concilij ſtatutum, quòd a ſententia ſedis apoſtolicæ nulli liceat appellare. Sanctus Thom. in quæſtionibus de pœnitentia q. 10. art. 4. de hoc memoriam faciens, inquit: Etiam Romanus Pontifex hac ſua auctoritate poteſt, cuius ſola auctoritate ſynodus cõgregari poteſt, & a quo ſententia ſynodi confirmatur, & ad ipſum a ſynodo appellatur, quæ omnia patent in geſtis Chalcedonẽſis concilij: hæc ille. Tertio ſequitur, quòd oecumenicorum conciliorum auctoritas a Romano Pontifice pendeat & emanet. Vnde ſanctus Thomas in tractatu contra impugnantes religionem, hanc ſententiam confirmat, dicens. Sancti patres in concilio congregati, nihil ſtatuere potuiſſent niſi auctoritate ſummi Pontificis interueniente, ſine qua ét concilium congregari non poteſt. Item hierarchia noſtra eccleſiaſtica ſecundum Dionyſium in libro de eccleſiaſtica hierarchia c. 5. exemplata eſt a hierarchia cæleſti, (ſecundum enim beatum Ambroſium Eccleſia imago eſt cæleſtium) ſed ſic eſt, quòd in cæleſti hierarchia nulla poteſtas ad actus hierarchicos perficiendos tribuitur a Deo perſonæ, ordini, aut toti hierarchiæ, quæ non tribuatur, ſiue deſcendat mediante hierarcha: ergo pari modo nulla poteſtas confertur a Chriſto ipſi eccleſiaſticæ hierarchiæ, aut vniuerſali concilio ipſam repræſentante, quæ non conferatur mediãte ſupremo hierarcha, hoceſt Romano Pontifice: & ex conſequenti quicquid auctoritatis habet concilium generale, habet immediate a Romano Pontifice. Vnde oppoſitum dicere eſt negare Eccleſiam militantem ad formam triumphantis eſſe diſpoſitam, quod eſt expreſſe contra præfatum beatum Dionyſium. Cõcilia etiam vniuerſalia videntur habere originem ex inſtitutione humana, & non a Chriſto immediate. Hoc patet ex c. Canones 15. diſt. Tum quia nullibi in ſacris literis legitur de inſtitutiõe facta a Chriſto vniuerſalium conciliorum: licet bene legatur, quòd fuerint aliqua per apoſtolos celebrata. Immo eorum auctoritas dependet immediate ab auctoritate apoſtolicæ ſedis, vt patet ex diſt. 17. per totum: quod non ſolum eſt verum quoad conuocationem, ſed quantum ad robur & firmitatem omnium geſtorum in eis, vt patet ex præfata 17. diſt. Synodus tempore Symmachi Papæ Romæ celebrata, vt habetur in c. Bene quidem, diſt. 96. concludit, videlicet, quòd apoſtolica ſedes ſtatutis ſynodalibus conſueuit tribuere firmitatem. Idem Paſchalis Papa, extra de elect. c. Significaſti, omnia concilia

per

per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt: ex quibus omnibus in bona conſequentia inferri poteſt ſuperioritas Papæ ſupra conciliū. Decreta Conſtantienſis concilij non derogant ſuperioritati Papæ ſupra concilium: quod patet, quia congregatio illa tria habuit tempora. Primum, in quo ſola obedientia Ioannis 23. Balthaſar primo nominati conuenerat. Secundum, in quo Angelus Corarius vocatus Gregorius duodecimus, iuri ſuo cedens, præfatæ congregationi ſub certis modo & formis ſe coniunxit. Tertium, in quo reges, principes, & prælati obedientes Petro de Luna Benedicto 13. vocato, per ſuos oratores noua facta conuocatione concilij, ſe vnierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam vniuerſali Eccleſiæ. Pro quo ſolo tempore conuenientibus omnibus ſimul tribus obedientijs, fuit certum dicere, quòd vniuerſalis Eccleſia eſſet Conſtantiæ. Et ſic patet, quòd ſola obedientia Ioannis 23. non conſtituebat conciliū oecumenicum, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Decreta igitur concilij Conſtantienſis, quæ adducuntur contra præſidētiam Papæ ſuper oecumenicum concilium, de quibus infra, non militant cōtra eandem: quoniam auctoritate dicti concilij Conſtant. aliæ duæ obedientiæ, Gregorij videlicet 12. & Benedicti 13. apertiſſima contradictione in plena congregatione ſe oppoſuerunt, quorum contradictio fuit acceptata. Quare tribus obedientijs tandē in nomine Chriſti Conſtantiæ conuenientibus, ſub intentione congregandi oecumenicū concilium, habita eſt fides & certitudo apud omnes catholicos, quòd vniuerſale concilium Conſtantiæ celebraretur, & non ante, ſtante ambigua inter Chriſti fideles concertatione, apud quem trium pro Romano pontifice ſe gerentium apoſtolicæ ſedis auctoritas reſideret: & per conſequens decreta, quæ de concilio Conſtantien. adducuntur, nullius ſunt momenti: quoniam in eorum determinatione non interuenerunt duæ ſupradictæ vltimæ obedientiæ, ſed tantum illa Ioannis 23. & ex conſequēti nec vniuerſalis Eccleſia: immo nec principales doctiſſimi Patres dictæ obedientiæ Ioannis 23. præfatis decretis præbuerunt aſſenſum, ſicut nec ipſemet Ioannes 23. Decreta fuerunt infraſcripta, de quibus ſeſſione 4. & 5. Primum, hæc ſancta ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata generale concilium faciens, Eccleſiam catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet: cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, & ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationē dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris. Secundum, quòd quicumque cuiuſcūque conditionis, ſtatus,

ex multis capitibus p̄ſentis tractatus & ſpecialiter ex tertia actione concilij Chalcedonen. Decreta etiam illa ſunt inualida ex hoc,quia in eis non interuenit aſſenſus apoſtolicæ ſedis,quæ vnamquamque ſynodum ſua auctoritate confirmat,vt habetur in cap.Confidimus, 25. q. pri. Et ſi dicatur,quòd in ſeſſione 17. quando legati domini Eugenij fuerunt admiſſi, iurauerunt defendere decreta prædicta, hoc nullius eſt ponderis : quia iurauerunt,vt patet in geſtis, nomine proprio, & vt particulares perſonæ propter ſcandalum euitandum,eo quòd aliter non fuiſſent admiſſi, & non vt nuntij apoſtolici. Immo vt tales,proteſtati ſunt contrarium,nec intereſſe voluerunt ſeſſionibus,in quibus talia concludebantur. Et licet ab Eugenio multæ bullæ minis extortæ ſint ſuper illo concilio, nihil tamen eorum,quæ in eis continentur, ſuffragatur aduerſarijs, cum numquam præbuerit aſſenſum decretis dicti concilij. Quando etiam aſſeritur dictum concilium congregatum fuiſſe legitime pro extirpatione hæreſum, ex eo non ſequitur eum approbaſſe, quicquid per illud definitum eſt. Licet enim concilium Epheſinum 2. hæreſis extirpandæ gratia fuerit legitima auctoritate inchoatum, nihilominus Leo Papa præfati concilij non eſt complexus definitiones : immo in ſequenti Chalcedonẽſi illas tãquam hæreticas damnauit. Et licet dictus Eugenius declarauerit prædictum Baſilien. concilium continuatum,& continuari debere, non tamen propter hoc approbauit. Vnde Nicolaus Papa in epiſtola, quã Michaeli Imperatori ſcribit: A ſanctis Patribus in concilijs obſeruatum extitit,vt abſque Romani pontificis conſenſu nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur. Vnde ipſe Eugenius Florentiæ dixit: Nos quidem progreſſum concilij approbauimus,volentes vt procederet ſicut incœperat; non tamen approbamus eius decreta. Vnde mos fuit Pontificum,cum confirmaturi eſſent conciliorum decreta,quibus præſentialiter non interfuerant,cõgregare ſynodum prælatorum : & ibi maturo examine facto, illa confirmare: ſicut de beato Sylueſtro legitur,cum decreta concilij Nicæni approbaſſet: & de Clemente quinto, vt Ioannes Andreas in principio clementinæ dicit de conſtitutionibus factis in concilio Viennenſi: quas,quia aliquæ earum,vt inquit, erant ineptæ,aliquæ prolixæ,aliquæ defectiue compoſitæ, aliquæ non expediebant, fecit dictus Pontifex maturo conſilio moderari. Et licet dixerit Eugenius ſe velle concilium illud cum omni fauore proſequi: hoc intelligendum eſt in his, quæ iuſte & rationabiliter, ſalua fide, ſalua ſanctorum patrum doctrina, & apoſtolicæ ſedis auctoritate per concilium conſtituerentur.

Papa an teneatur obedire decretis cõciliorum, et quomodo Patres ſoliti ſunt petere confirmationem eorundẽ decretorum a Papa. Cap. XIIII.

SI quæratur, an Papa teneatur parere decretis conciliorum: reſpondemus, quòd hoc bifariã poteſt intelligi. Vno modo inquantum ſunt ſtatuta generalis concilij:& ſic falſum eſt, quòd Papa teneatur eiſdem parere, cum ſignificaret inferioritatẽ in ſeipſo reſpectu eiuſdem. Papa autem, vt ſæpe dictum eſt, eſt ſuper omnia concilia: & hoc modo tenetur tantum Deo obedire. Secundo modo poteſt intelligi, teneri obedire ſtatutis conciliorum, non quia ſtatuta ſunt conciliorum: ſed quia ſunt de tali materia, videlicet fidei, aut ſpectantia ad ius diuinum: ſicut ſunt potiſſime ſtatuta pro maiori parte quatuor conciliorum vniuerſalium, de quibus beatus Gregorius loquitur in cap. Sicut, diſtinct. 15. Hoc modo obedire teneri ſtatutis conciliorum a ſede apoſtolica approbatorum, non arguit ſuperioritatem dictorum conciliorum ſuper papam: ſicut nec in prædeceſſore, ſi ſimilia ſtatuat, quæ concernãt fidem, aut ius diuinum: ſicut idem Gregorius in c. Si ea, 25. q. 2. dicit. Si ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſe comprobarer: & hoc quia talia ſic definita in concilijs, non habent robur ab eiſdem, ſed a iure diuino, cui ſubijcitur Papa, vt dicit glos. ſuper c. Sicut, diſt. 15. Concludo igitur, quòd Papa nõ poteſt deſtruere ſtatuta concilij, quæ videlicet ſunt circa ius diuinum, & articulos fidei: quod patet ex eo, quia a Romano pontifice canonum conciliorum dependet auctoritas, vt dictũ eſt ſupra. Alienum profecto a ratione eſt, vt legibus quis coactus alligetur, qui eiſdem & vim & auctoritatẽ impartitur. Vnde iuriſperitus inquit: Princeps ſolutus eſt legibus, quo videlicet ad vim coercitiuã, vt ait diuus Thomas prima ſecundæ, q. 96. art. 5. Et ratio eſt ſecundum eundem, quia nullus cogitur proprie a ſeipſo. Lex vero non habet vim coercitiuã, niſi a principis poteſtate: licet quoad vim directiuam princeps ſubiectus ſit propria voluntate legi. Cum ergo Romanus pontifex princeps ſit Eccleſiæ, nullis Eccleſiæ legibus eſt obnoxius. Ceterum cap. Significaſti, extra de elect. dicitur: quòd concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem facta ſunt, & robur acceperunt, & in eorundem ſtatutis Romani pontificis excipitur auctoritas tanquam ſuperior, vt dicit glos. Hoſtienſis 9. quæſt. 3. cap. Cuncta per mundum. Item cap. Innotuit, de electione, Innocentius tertius apertiſſime demonſtrat, quòd canon

generalis concilij etiam confirmatus per Papam, non ligat eum, dicens. Quamuis canon Lateranenſis concilij ab Alexandro Papa prædeceſſore noſtro editus, illegitime natos adeo perſequeretur, quòd electionem talium innueret eſſe nullam, nobis tamen per eũ adempta non fuit diſpenſandi facultas: cum ea non fuerit prohibẽtis intentio, qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari poſt eum, immo eadem poteſtate functuris. Finaliter patet, quòd licet Papa de neceſſitate non ſubijciatur ſtatutis conciliorum, de honeſtate tamen tenetur illa obſeruare: tum vt alijs det exemplum illa obſeruandi, ſecundum illud Act. pri. Cœpit IESVS facere & docere: tum etiam (vt habetur de conſtitutionibus c. Cum omnes) quòd quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debet eo vti. Habetur etiam in c. Confidimus, 25. quæſt. prima. Confidimus, quòd nullus iam veraciter chriſtianus ignoret, vniuſcuiuſque ſynodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ ceteris oportere, quàm primam. Dicit glos. ibi, oportet eſt verbum honeſtatis: & ſecundum Archidiaconum & æquitatis. Et ita patet, quòd Papa non neceſſitate, ſed honeſtate, canones obſeruare teneatur: canones dicimus, quos ipſa ſedes apoſtolica confirmauit. Irrefragabile argumentum auctoritatis, quam Romanus Pontifex habet in oecumenicis concilijs, eſt, quòd ſancti Patres in concilijs definitiones ſuas & geſta ad eorum vigorem & firmitatem ab apoſtolica ſede confirmari, & roborari poſtularunt: aperte cognoſcentes oportere leges Eccleſiæ robur accipere, & auctoritatem ab eo, in quo Deus totius Eccleſiæ principatum poſuit, vt eſt Romanus Pontifex, prout habetur in cap. Nolite errare, diſt. 11. vbi Iulius Papa ait. Huiuſmodi beatæ obſeruationis exemplum in primis habemus a Patribus excellẽtiſſimi concilij Nicæni, qui omnia geſta ſua & definita humiliter a beato Sylueſtro petierunt cõfirmari. Vbi Patres in epiſtola ad eundem Sylueſtrum poſt multa ſubdunt. Quicquid ſtatuimus in Nicæno concilio, precamur vt veſtri oris conſortio roboretur. Secũdum teſtimonium habemus de primo Epheſino concilio, de quo dicit dominus Aimarus libro de ſynodis, quòd in eo legati apoſtolicæ ſedis vice Cæleſtini Papæ præfuerunt: & ipſum apoſtolica auctoritate roborarunt. Tertio habemus teſtimonium a patribus in concilio Chalcedonenſi, qui ad Leonem Papam ſcripſerunt deprecantes, vt eorum decreta confirmare dignaretur. Vide multa alia ſimilia ad hoc in ſumma de Eccleſia Cardinalis de Turre cremata libro 3. cap. 34. Cuius ratio eſt, quia lex non habet vigorem & virtutem coercitiuam vel coactiuam, ſiue iudicium condemnationis

inferẽdi transgreſſoribus legis niſi ex principis auctoritate, aut auctoritate eius, in quo principatus totius communitatis collocatus eſt. Sed Romanus pontifex eſt princeps Eccleſiæ,& principatus totius Eccleſiæ collocatus eſt ab ipſo ſummo omnium principe Chriſto ſaluatore noſtro in apoſtolica ſede, vt in c. Baſilicas, de conſecrat. diſt. prima: ergo neceſſario firmitas, robur, & auctoritas decretorum conciliorum dependet a Romano pontifice, ſiue ab apoſtolica ſede: vt habetur in c. Confidimus, 25. q. prima. Confirmãs tamen debet videre & diligenter conſiderare confirmanda. Quis enim non imprudentiſsimus approbaret decreta aliqua, antequam illa videret, examinaret, atque plene & integre illa ponderaret, ſi quid in eis minus rectum, minus verum, aut minus expediens contineatur, aut ſiquid ineptum, ſiue diminutum, aut ſuperfluum ſit? Quo modo dicitur feciſſe Papa Clemẽs, vt Ioannes Andreas ponit in principio clementinarum de conſtitutionibus factis in concilio Viennenſi: quæ quia, vt inquit, aliquæ earum erant ineptæ, aliquæ prolixæ, aliquæ defectiue compoſitæ, aliquæ etiam non expediẽtes, fecit illas Clemens recenſeri per peritiores, qui aliquas earum in totum reſeruarunt, aliquas in totum reſecarunt, aliquas vero mutarunt, quoad verba mente reſeruata: aliquibus vero earum, quibuſdam detractis, quoad verba,& quoad mentem, aliqua ſunt addita. Plane iſta non poſſunt ſtare ſimul, quòd concilium habeat immediate poteſtatem a Chriſto, cui Papa obedire teneatur, & quòd concilij ſententiæ & geſta nullius ſint roboris, niſi Romani pontificis auctoritate firmentur. Vnde Archiepiſcopus Remenſis, dominus Aimarus libro de ſynodis, cap. 18. inquit: Non mireris, quòd ipſorum conciliorum auctoritatem Romano pontifici aſcribamus: cum nulla concilia rata legantur, quæ apoſtolica auctoritate fulta non fuerint.

Si diſſentiant Papa & concilium, ſimiliter & concilia, quorum deliberationi ſtandum eſt. Cap. XV.

QVANDO diſcordant Papa & concilium in negotio fidei quid agendum? reſpondet Cardinalis de Turre cremata in ſumma de Eccleſia cap.64. quòd diſcordia inter Papam & Patres concilij, aut concernit materiam fidei, aut ius poſitiuum. Si materiam fidei hoc contingit bifariam: quia vel eſt in materia iam per apoſtolicam ſedem definita, cui Patres concilij refragantur: & tunc ſtandum eſſet ſententiæ Papæ, vt patet per bea-

tum

tum Hierony. in c. Hæc eſt fides, 24. q. pri. Vel contrarietas eſt in materia nondum definita, ſed nouiter per concilium definienda: in tali caſu regulariter ſtandum magis foret iudicio Patrum totius concilij, quàm iudicio Romani pontificis, ſicut videtur colligi ex gloſ. in cap. Anaſtaſius 19. diſt. vbi ſic habetur: quòd Papa tenetur cum de fide agitur, requirere conſilium epiſcoporum: & tunc ſynodus maior eſt Papa, maioritate diſcretiui iudicij: ſecundũ quod haud dubium, quin regulariter concilium ſit maius Romano pontifice. Vnde Cyprianus in quadam epiſtola inquit: Nam nec Petrus, vt dictum eſt ſupra, quem primum Deus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circunciſione poſtmodum diſceptaſſet, vendicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arrogãter aſſumpſit: nec dixit ſe primatum tenere, & obtemperari a nouellis ſibi potius debere: nec deſpexit Paulum prius Eccleſiæ perſecutorem, ſed conſilium veritatis admiſit, & legitimæ rationi, quã Paulus adduxit, facile conſenſit. Si tamen talis controuerſia orta eſſet, licet vniuerſitati Patrum adhærendum eſſet ratione prædicta, nihilominus nihil videretur concilialiter concludendum, quouſque concorditer Papa & Patres in vnam ſimul conuenirent ſententiam. Si vero contrarietas pertineat ad ius poſitiuum, hoc poſſet eſſe, aut ſuper iure condendo, aut ſuper tollendo iam condito, aut ſuper diſpenſando in veteri iure. Primo modo, ſi ius, vel lex ſit iuſta & rationabilis, loco & tempori conueniens, ſententia Papæ eſt præferenda ſententiæ omnium aliorum. Papa enim præeminet omnibus, vt prælatus, magiſter, & princeps: & habet poteſtatis plenitudinem. Si vero lex non ſit rationabilis, nec religioni congruat, aut vtilitati: potius eſt ſtandum determinationi epiſcoporũ, quàm Papæ: vt habetur per gloſ. in cap. In iſtis diſt. 4. Si vero controuerſia ſit ſuper tollendo iure antiquo, eo quòd epiſcopi vellent tollere aliquos canones, aut inſtituta antiqua, & Papa nollet, ſententiæ Papæ ſtandum eſt. Et ratio eſt, quia quod ſemel approbatum eſt, nõ poteſt niſi Papa conſentiente reprobari 24. q. 1. cap. Hæc eſt fides. Si vero controuerſia ſit in diſpenſando contra vetus ius, ſententiæ Papæ eſt magis ſtandum, quàm opinioni aliorum, vt in c. Neceſſaria, prima q. 7. Quando diſcordant inter ſe concilia, quid agendũ? Doctores videntur contrarij: quia beatus Auguſtinus ſecundo lib. cap. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas, quòd plenariorum conciliorum priora poſterioribus ſolent emendari: Et beatus Iſidorus, vt habetur in cap. Domino ſancto, 50. diſt. dicit oppoſitum, videlicet, quòd quotieſcunque in geſtis conciliorum diſcors ſentẽtia inuenitur, illius concilij magis ſententia teneatur, cuius antiquior &

potior

potior extat auctoritas. Pro concordia horum doctorum dominus Ioannes de Turre crem. in lib. 3. ſuæ ſummæ de Eccleſia cap. 63. diſtinguit: quia vel diuerſitas illa, quæ dicitur eſſe inter pleniſſima concilia, eſt circa illa, (ſi poſſibile ſit) quæ ſunt fidei: & tunc ſtandum eſſet ſententiæ antiquioris concilij, dum tamen fuerit oecumenicum auctoritate Romani Pontificis fultum, & roboratū: cum enim tale concilium in fide, ſtante diuina promiſſione, errare non poſſit, & fides ſit ſimplex & incommutabilis, vt inquit beatus Leo Papa, non poteſt ſequens concilium illi in veritate aduerſari: & ꝓ hoc videtur facere, quod inquit beatus Iſidorus, vbi ſupra: cui etiā arridet diuus Thomas in quarto contra gentiles, cap. 25. dicens, quòd cum dicitur in Chalcedonenſi ſynodo, quòd patres apud Conſtantinopolim doctrinam ſynodi Nicænæ roborarunt, hoc non eſt intelligendum per modum additionis, quaſi id, quod minus eſt, ſupplentes: ſed per modum declarationis ea, quæ de Spiritu ſancto dicta ſunt contra eos, qui eundem Deum negare contendebāt, ſcripturarum teſtimonijs roborantes: vnde beatus Hilarius libro 5. de ſynodis in defenſione ſynodi Chalcedonen. contra quoſdam criminātes eandem ſynodum, quia aliqua videbatur addidiſſe, quæ non fuerunt in Nicæno concilio, ignorantes regulas & conſuetudines conciliorum, inquit. Sic noua poſterioribus concilijs, prout neceſſitas emergentium hæreticorum exegerit, ſancire debemus decreta, vt tamen integra permaneant, quæ dudum antiquioribus concilijs contra veteres hæreticos promulgata fuerūt. Nam ſi poſt Nicæni concilij ſtatuta, nihil amplius liceret recipere, qua auctoritate Spiritum ſanctum vnius gloriæ cum patre auderemus aſſerere, cum in dicto concilio conſtet omnino tacitum fuiſſe? Vel diſcordia inter cōcilia vniuerſalia eſt in iudicijs, vel inſtitutis circa proficua, aut regimen humanæ vitæ, vel eccleſiaſticā diſciplinam, ſiue ius poſitiuum: & tunc magis ſtandum eſt poſterioribus, per quæ in talibus agibilibus, quia eorum materia eſt variabilis, ſæpe priora emendantur & corriguntur: quia, vt dicit beatus Auguſtinus libro ſecundo de baptis. contra Donat. cap. 3. cum aliquo rerum experimento aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat. In talibus enim non habet locum antiquitas, quoniam aliqua ſuperioribus temporibus erant conuenientia, quæ noſtris non expedirent. Concilio enim Nicæno præiudicatum eſt circa diſpoſitionem ſedium patriarchalium per aliud concilium vniuerſale, quoniam iuxta diſpoſitionem concilij Nicæni, Alexandrina Eccleſia tenebat primum locum poſt Romanam: iuxta vero decretum concilij Cōſtantinopolitani ſexti, Conſtantinopolitana præcedebat Alexandrinam:

nam, vt in cap. Renouantes 22. diſt. Diuerſitas etiam ſtatutorum in conſtitutionibus generalibus nequaquam eſſe cenſetur, ſi diuerſitas locorum, temporum, & perſonarũ, quibus diſtributa ſunt, intelligatur. Quando patres inter ſe diſſentiunt, diſtinguendum eſt: quoniã materia, ſuper qua diſcordant Patres, aut habet pro aliqua ſui parte ita euidentem rationem, vel tam apertam pro ſe auctoritatem, quòd eius oppoſitum manifeſte eſt falſum: & ſic in oecumenicis concilijs non eſt argumentum ſemper a maiori parte, vt patet ex actis in concilio Ariminenſi, & Epheſino ſecundo, in quibus nõ obſtantibus partibus maioribus non fuerunt admiſſa decreta, cũ planum ſit, quòd in tali caſu, vbi apparens & euidens ratio veritatis deeſt, ſacrilegum eſſet arguere a multitudine: ſicut leguntur feciſſe Iudæi contra Chriſtum: qui vt inquit Chryſoſtomus, conuenerũt, vt multitudine vincerent, quem ipſi ratione ſuperare non poterãt. Aut materia, de qua eſt controuerſia, non eſt clara & euidens: & oppoſitum per rationem vel auctoritatem ſcripturæ ſanctæ ac ſanctorum patrum definitum, non oſtenditur manifeſte falſum, ſed videtur vtraque pars probabilis: & in tali caſu regulariter a maiori parte eſt argumentum: quia vbi maior pars, ibi præſumitur eſſe Eccleſia, vt 56. diſt. c. Apoſtolica cum glos. Vnde in cap. Cum in cunctis, extra de his quæ fiunt a maiori parte capituli, dicit concilium Lateranenſe: In cunctis Eccleſijs, quod pluribus & ſanioribus fratribus viſum fuerit, incunctanter debet obſeruari.

Ad Romanum Pontificem, tanquam ad Principem Reipublicæ Chriſtianæ, ſpectat cuiuscumque ambiguitatis, quæ in oecumenicis concilijs naſcitur, declaratio vel interpretatio, ſicut & diſpenſatio eorum, præcipue quæ ſpectant ad ius poſitiuum. Cap. XVI.

SVPRADICTA in tit. videlicet, quòd ad Papam ſpectat dubia, quæ naſcuntur in cõcilijs, declarare & interpretari, patent auctoritate beati Gregorij, qui in c. Nec licuit, diſt. 17. ait. Quoties aliqua de vniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligũt, rationem, ad apoſtolicam ſedem pro ea recipienda conueniant. Patet etiam ſic: quia Romani Pontificis auctoritate canones ſunt conſtituti: & ex conſequenti ad ipſum ſpectat eos interpretari: cum eius ſit interpretari, cuius eſt condere: & vnde ius prodit, ab eo interpretatio eſt, ſcilicet auctoritatiua, & non magiſtralis, cum ea non liget, niſi probabiliter:

nec ei ſtatur, niſi inquantum ratione oſtenditur eam eſſe de mente Spiritus ſancti, ſcripturā dictantis &c. iuxta illud ſecundæ Petri primo. Spiritu ſancto locuti ſunt ſancti Dei homines. Sacri enim canones ita aliquid conſtituunt, vt ſuæ interpretationis auctoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſeruēt, cap. Sicut enim 11. q. 1. Vbi ratio ſubditur: quia ipſi ſoli canones interpretari valent, qui ius condendi eos habent. Vnde ſanctus Thomas in q. de poten. q. 10. art. 4. dicit: quòd ſicut poſterior ſynodus poteſtatē habet ſymbolum a priori ſynodo conditum interpretari: ita Romanus pontifex hoc ſua auctoritate poteſt, a quo ſententia ſynodi confirmatur, & ad ipſum a ſynodo appellatur: quæ omnia patent, vt dictū eſt, ex geſtis Chalcedonenſis ſynodi. Præſupponimus ēt pro fundamēto dicendorum, quòd in qualibet republica neceſſario debet eſſe aliqua poteſtas diſpenſandi in legibus ſuis: quæ cum inſtitutæ ſint ad regulandos humanos actus, non poſſunt ſemper impermutabiles permanere. Hinc Ariſtoteles ſeptimo ethicorum ponit neceſſario in principe ἐπιείκειαν, vel æquitatem, aut moderamen: cuius officium eſt, in quibus legis obſeruantia reipublicæ vtilitati non expediret, prætermiſſis verbis legis, ſequi quod ratio, vel communis vtilitas depoſcit. Hinc dicitur in cap. Regulæ, diſt. 29. quòd regulæ ſanctorum Patrum pro varietate temporum & locorū temperantur. Hoc habito, beatus Bernardus ſcribens ad Eugenium Romanum pontificem, nominat patrem regum, legum moderatorem, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdotem altiſſimi. De qua auctoritate Romani pontificis in canonibus diſpenſandis, ſiue moderandis, illuſtre teſtimonium dat dominus Archiepiſcopus Remenſis libro de ſynodis cap. *39*. dicens. Facultatem temperandorum, ſiue mutandorum canonum Romano pontifici potiſſime adiacere nō dubitamus. Eſt ergo priuilegium apoſtolicæ ſedis, vt iudex ſit canonum & decretorum: & pro temporis conditione, ac rerum neceſſitate, nunc intendat, nunc remittat, prout neceſſitati & vtilitati Eccleſiæ expedire proſpexerit. Huius ſententiæ eſt ſanctus Thomas in quolibeto 22. & tractatu contra impugnantes religionem: vbi ait. Omnia ſtatuta ſanctorum patrum, quæ ſunt iuris poſitiui, ſunt relicta diſpoſitioni Papæ, vt ea poſſit mutare, aut diſpenſare, prout ſibi videbitur. Sed notandum, quòd duplex eſt genus canonum, vel regularum, aut decretorum ſanctorum Patrum, vt ſanctus Thomas inquit quolibeto 4. articulo 14. Quoddā eorū eſt, quæ iure diuino ſunt inſtituta, ſicut pertinentia ad articulos fidei, ſubſtantiam ſacramentorum, aut quæ manifeſtam connexionem habent ad legem diuinam, ſiue naturalem, vt pertinentia ad bonos mores, de quibus dictum

eſt

eſt ſupra, & in talibus Papa diſpenſare non poteſt, cum iſta habeant efficaciam ex inſtitutione diuina: de quibus intelligitur illud quod dicitur in c. Contra 25. q. 1. Contra ſtatuta ſanctorũ Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem ſedis poteſt auctoritas. Secundum genus eſt eorum, quæ inſtituerunt Patres de iure poſitiuo: quæ licet ſint a Spiritu ſancto aſſiſtente concilio, non tamẽ omnis veritas pertinet ad ius diuinũ: & de hoc genere dicimus, quòd Romanus pontifex poteſt in eis diſpenſare a quocumque ſint edita, etiam ab apoſtolis ſecundum Thomã in tractatu præfato contra impugnantes religionem. De hoc duplici genere canonũ Leo papa in c. Sicut quædam 14. diſt. inquit: Sicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione conuelli: ita multa ſunt, quæ pro neceſſitate temporum aut pro conditione ætatum oportet temperari.

Concilium ſi ſit congregatum, aut contingat congregari ſede vacante, ad quæ ſe poſſit extendere Cap. XVII.

CARDINALIS de Turre cremata in tertia parte ſuæ ſummæ de Eccleſia cap. 41. ſaluo meliori iudicio, inquit: quòd vniuerſale concilium congregatum vacante ſede apoſtolica, poteſt exequi, quæ neceſſario occurrerẽt pro regimine & tuitione Eccleſiæ: vbi per diſpoſitionem iuris non poſſet prouideri: & quæ ſine diſpendio magno prorogari non poſſent vſque ad creationem Romani Pontificis. Et ratio eſt: quia niſi detur, quòd vacante ſede apoſtolica, in qua Deus poſuit Eccleſiæ principatum & gubernaculum populi Chriſtiani, apud prælatos Eccleſiæ ſit poteſtas prouidendi in caſu præfato neceſſitatibus imminentibus Eccleſiæ: non videretur ſufficienter prouiſum populo Chriſtiano, & eidem Eccleſiæ: quod non eſt dicendum de Chriſto fundatore, & capite ipſius Eccleſiæ: cuius ſapientia attingit a fine vſque ad finẽ, ſuauiter cuncta diſponens Sap. 8. Dicimus igitur, ꝙ prælati maiores congregati hoc facere poſſunt auctoritate ipſa, quam prius habebãt ab apoſtolica ſede, quæ in neceſſitatis articulo videtur ampliata. Pro quo notandum, quòd quemadmodum ſimplex ſacerdos nõ poteſt vniuerſaliter omnes abſoluere, quippe cum limitatam iuriſdictionis habeat poteſtatem, tam quoad perſonas (nam præter ſuos proprios parochianos quemquam abſoluere iure prohibetur, vt in c. Adijcimus 16. q. 1. & in c. Placuit, de pœnit. diſt. 6) quàm quoad caſus: quoniam multi ſunt reſeruati, a quibus ipſe regulariter abſoluere non poteſt: In articulo tamen neceſſitatis omnes homines

abſoluere

Impreſſum Romę per Antonium Bladum impreſſorem Cameralem de licentia ſuperiorum. Anno Domini.
M. D. L X V.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO
PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ AAA BBB

Omnes ſunt quaterniones præter L EE YY qui ſunt terniones,& NN qui ſunt duerniones,& TT qui ſunt quinterniones.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
1.006.451

INDEX RERVM NOTABILIVM totius compendij catholicarum inſtitutionum ad Chriſtianam theologiam, Clementis Moniliani Cardinalis Aracæli.

Prior numerus paginam, poſterior lineam indicat.

A

ABSOLVTIO exterior fieri debet a ſacerdote 285.19
abſolutio per quæ verba fieri conuenit 285.31
in abſoluendis culpis aliter ſe habet ſacerdos nouæ legis, quàm veteris, contra magiſtrum 285.35
Accidia habet ſex filias 604.14
accidia eſt vitium capitale 604.7.& 593.25
accidia & triſtitia quomodo ſunt idem & diuerſa 590.2
accidia quid ſit 602.15
accidia eſt dupliciter mala & quomodo 602.2
accidia triſtatur de bono diuino 603.15
accidia, quę eſt peccatũ, contrariatᷣ sãctificationi ſabbati 603.39
Adam adumbratus fuit in eo homine, qui deſcendit ex hieruſalem in iericho 53.12
adæ peccatum quomodo fuit infinitum 55.35
adæ peccatum ad eos tantum peruenit, qui per rationem ſeminalem ab eo deſcenderunt 89.35
adam cunctis animabus impoſuit nomina 547.35
Adoptans adoptatum præcedere debet plena pubertate 427.6
adoptare, mulier non poteſt niſi ex priuilegio 427.11
adoptare ſolus ille poteſt, qui poteſt generare 427.40
adoptatus & arrogatus in quatuor differunt 426.29
Adoptationis duæ ſunt ſpecies, ſimplex ſcilicet adoptatio & arrogatio 426.17
adoptatio eſt in ſolatium amiſſorum liberorum 427.1
Adorare, reuereri, honorare &c. quid ſignificent 455.12
adorare in ſpiritu et veritate quid ſit 456.10
adorare actu fidei deum, quid importet 457.4
adorare deum quid proprie ſit 457.37
Adoratio quid ſit, & quomodo eſt cultus 455.37
adoratio proprie dicitur ſeruitus & theoſebia 455.39

adoratio dicitur ſecundum Tullium religio 456.3
adorationis obligatio pertinet ad primum præceptum 458.4
adorationis præceptum obligat in die feſto 458.13
adoratio eſt motus in deum vt in principium 459.14
Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior 517.6
adulteranti deus adiecit maledictionem 506.10
Adulteriũ q̃ño ante legẽ fuerit vel non fuerit damnatum 505.17
ex adulterio quot mala oriantur 504.27
adulteriũ caput ãputauit ioãnis,& multorũ malorũ cã fuit 505.40
adulterium vxoris non facit, vt illa viri innocentis deſierit eſſe vxor 506.20
Aerius,qa epiſcopus nõ fuit,incidit in hæreſim arrianorũ 363.30
aerius dogmatizauit nullum eſſe diſcrimen inter epiſcopum & ſacerdotem 363.33
Aequalitas ſumitur proprie & appropriate 108.41
Aeternitas quid ſit ſecundum boetium 19.12
æternitatis deſcriptio tres includit conditiones 19.36
Affinitas ẽ ꝓpinquitas ꝑſonarũ ex carnali copula ꝓueniẽs 421.33
affinitatis gradus computari debent ſecundum conſanguinitatis gradus 422.26
affinitatis antiquitus tria fuerunt genera 422.31
affinitatis tantũ primũ genus impedit matrimonium 423.5
affinitas ſequens matrimonium non dirimit ipſum 423.21
in Agreſta, vino corrupto, aceto, vel in aliam ſpeciem conuerſo, an ſanguis poſſit confici 256.10
de Altari, calice,& patena habetur 252.24.& inde
Amentes & furioſi an debeant,vel non debeãt baptizari 220.28
Amor eſt motus in deum vt in finem 459.16
ex Amylo ex tritico corrupto,& in pane ex eo confecto non poteſt confici 255.30
Ancyrana ſynodus non permittit miniſtris altaris,vt ad nuptias peruolare poſſint 693.1
Angelos qui dicit conditores eſſe naturæ,eſt filius diaboli 45.3
angelum non decuit perficere opus redemptionis 55.27
angelus cuſtos quid operatur circa cuſtoditũ in ventre 169.1
Anima Chriſti deitati coniuncta deſcendit ad inferos 84.12
anima xp̃i deſcẽdit ad inferos ſecũdũ ꝑſentiæ exhibitionẽ 84.15
anima quãdo dicatur immutari in ordine iuſtificationis 151.10
anima,quæ cognoſcet quãdo erit in beatitudine 166.per totũ
animæ deordinatio ratione auerſionis dicitur deformitas,ratione vero conuerſionis dicitur macula 582.25

animæ poſt mortem luent pœnas ignis 307.19
animæ puerorum non poſſunt iuuari neque liberari ſuffragijs viuorum 311.27
animæ defunctorum quatuor liberantur modis 312.38
anima moritura quõ ſtatim habet ſuũ particulare iudiciũ 325.30
Annihilatio eſt mutatio primaria creationi diametraliter oppoſita 45.29
Antequam & donec quomodo in euangelio intelligãtur 394.1
Antichriſtus quomodo ante iudiciũ venturus ſit,& quare 112.34
antichriſtus vbi naſcetur & de qua tribu 113.3
antichriſtus circuncidet ſe in hieruſalem 113.7
antichriſto in principio deputabitur ad cuſtodiam angelus bonus 113.11
antichriſtum quare tandem deſeret angelus bonus 113.15
antichriſtus erit incontinẽtiſſimus licet ſimulãs caſtitatẽ 113.19
antichriſti cor eleuabitur contra deum per ſuperbiam 113.20
antichriſtus erit maximæ præſumptionis,& blaſphemus 113.24
antichriſtus faciet imaginem ſuam adorari 113.29.37
antichriſtus omnes ſuo charactere obſignabit 113.29
antichriſtus confitebitur ſe filium dei 113.30
antichriſtus erit refertus omni plenitudine iniquitatis 113.33
in antichriſto habitabit caput omnium malorũ diabolus 113.34
antichriſti aduentus oppoſito modo ſe habebit ad aduentum chriſti 114.2
antichriſtus nullum ſecundũ veritatẽ faciet miraculum 114.27
antichriſti dies quare breuiabuntur 114.38
antichriſti perſecutio maior erit illa diocletiani 115.3
antichriſto interfecto ſtatim dominus veniet ad iudiciũ 116.1
Apoſtolica ſedes nihil determinat, quod ſit veritati & patribus contrarium 691.30
apoſtolica ſedes quomodo non poſſit errare in fide 698.3
apoſtolica ſedes quomodo eſt iudex canonũ 745.27
Apoſtoli in ſimul ſymbolum compoſuerunt 1.13
apoſtoli munimenta fidei poſuerunt 2.4
apoſtolis triplici ex cã eſt cõmunicata poteſtas iudicãdi 121.21
apoſtolorum vnitas ab vnitate petri proficiſcitur 138.27
apoſtolorum doctrina ſcripto conſtat & traditione 144.15
apoſtolos inſtituiſſe ſymbolum oſtendit clemens in epiſtola ad iacobum fratrem domini 145.36
apoſtoli omnes baptizati ſunt baptiſmo fluminis 194.10
apoſtoli ex familiari conſilio ſpiritus ſancti baptizabant in no-

 mine

mine chriſti 204.26
apoſtoli & martyres quomodo remittant peccata ex ſcripturis patet 318.2
apoſtolorũ tẽporibus mos fuit cuſtoditus, epiſcopos & ſacerdotes poſt ſuſceptũ ordinẽ oportere ſeruare cælibatum 676.34
apoſtolorum canon vetat ſacri altaris miniſtris contrahere matrimonium 677.26
apoſtolorum canones quãtæ ſint in eccleſia auctoritatis 696.25
Applicatio ſpiritualis fit per intentionem 313.16
Appropriare aliquid perſonis diuinis quid importet 27.7
Aqua vino permiſcenda eſt in ſacrificio 256.17
aquæ permiſtio nõ ẽ ſimpliciter de neceſſitate ſacramẽti 256.24
aqua non offertur ſeorſum a vino, ſed permiſta & in parua quantitate 256.40
Archidiaconi quam auctoritatem habeant 348.7
Argumentum ad oſtendendam aliquã rẽ, bifariã ſumitur 98.35
argumentum in ꝓbatione reſurrectionis xp̃i,quõ ſumãt 99.18
Arrogare eſt aliquem qui ſui iuris eſt in filium recipere 426.24
Articulus quid ſit 3.40
articulus vt obiectum fidei formatæ quid importet 4.12
articuli ſimpliciter & ſecundum quid,quid ſint 4.15
articulus proprie non eſt cognitio philoſophica 4.30
articulus eſt præceptio & non acceptio veritatis diuinæ 4.36
articulus arctat per lumen gratiæ 5.2
articulus formatus quid ſit 5.5
articulus communis ad formatum & informem quid ſit 5.9
articuli fidei in quo lumine cognoſcantur 5.12
articuli quomodo ſunt duodecim 5.35
articulum poſuerunt ſinguli apoſtoli 6.16
articuli figurati fuerunt in 12. lapidibus iordanis 6.35
articuli 14. vbi figurantur 8.38
articulorum fidei explicatio eſt duplex 11.2
articuli oẽs ſunt ſufficiẽter collecti in ſymbolo apoſtolorũ 12.38
articuli fidei non ſunt de notionibus 23.20
Aſcenſio aſſumptio & euolatio multipliciter differunt 101.3
aſcenſio chriſti magis fuit nobis vtilis,quàm ſua præſentia corporalis 102.36
aſcenſio chriſti quomodo eſt cauſa noſtræ ſalutis 104.34
Aſſumptio virginis fuit virtute chriſti aſſumentis 102.6
Attritio eſt actus informis & quomodo 282.1
attritio in ſenſu diuiſionis fit contritio 282.15

attritione, quæ nõ hẽt rationẽ meriti, qũo qs recipit gratiã 286.30
attritio perfecte circũſtantionata, quid operetur 282.3
Auaritia radix dicitur omnium malorum, & quare 587.31
auaritia eſt vitium capitale 604.35
auaritia quid ſit 605.5
auaritia eſt peccatum ſpeciale 605.14
auaritia quid importet 605.23
auaritia ex genere ſuo ſemper eſt mortale 606.41
auaritia quare comparetur idololatriæ 606.35
auaritia quare computetur inter vitia capitalia 607.5
auaritiæ quinque ſunt differentiæ 607.20
auaritiæ ſeptem ſunt filiæ 607.31
ex auaritia quæ naſcantur incommoda 608.2
auaritia omnia in aurum conuertit 108.25
auaritiæ deteſtatio per michæam prophetam 525.29
Aurea eſt præmium eſſentiale beatorum 162.15
Aureola virginũ quid ſit, ſimiliter & martyrũ & p̃dicatorũ 162.20
aureola ꝓpter quid debeat tribus generibus hominum 162.24
aureola qd ſit, & quomodo reſpõdeat operi priuilegiato 163.3
aureola quare debeatur martyribus virginibus & prædicatoribus 163.12 & inde
aureola prædicatorum debetur exercẽtibus officiũ ipſum 164.1
aureola non datur habitui, ſed actui pugnæ 164.5
Aurora quando incipit, ex quo a principio illius licitum eſt conficere 253.18

B

Baptiſmus quomodo eſſe poſſit extra eccleſiã & ꝓdeſſe 148.19
baptiſmus noſter alius eſt a baptiſmo ioannis 191.24
baptiſmus dicebatur ioannis, quia ipſe primus fuit illius promulgator 191.37
baptiſmus ioãnis fuit præparatorius ad baptiſmum xp̃i 192.17
baptiſmus pœnitentiæ ioannis, quomodo erat in remiſſionem peccatorum 192.24
baptiſmi ioannis forma erat in fide chriſti venturi 193.2
baptiſmus ioannis vtilis fuit propter quatuor rationes 194.32
baptiſmus ioannis finis fuit veteris teſtamenti 195.5
baptiſmus chriſti quare magis habuit præparatorium, quàm circuncision 195.6
baptiſmus ioannis quibus perſonis conueniebat 195.20
baptiſmus nouæ legis decuit inſtitui 196.16

baptiſmi inſtitutio præceſſit promulgationem 196.30
poſt baptiſmi inſtitutionem non erat ſimpliciter neceſſarium baptizari 196.30
baptiſmi promulgatio poteſt poni duplex 197.27
baptiſmus quid ſit ſecundum magiſtrum 200.38
in baptiſmo concurrit lotio tripliciter 201.5
baptiſmi definitio ſecundum bielem 201.15
baptiſmus neceſſario fieri debet in vera aqua & naturali 201.36
baptiſmi forma exprimitur de baptiſmo & eius effectu 202.27
baptiſmi forma apud græcos toleratur ab eccleſia, cum non differat in ſubſtantialibus à noſtra 203.1
baptiſmus tradi pôt in omni lingua ſub verbis ſynonimis 204.1
baptiſmi quilibet eſt idoneus miniſter, præcipue ſi formam ſeruat eccleſiæ 205.15
baptiſmi æqualis uis eſt in omni baptizante 205.39
baptiſmus a laico ſi neceſſitas vrgeat poteſt conferri 206.10
baptiſmus quia omnibus neceſſarius, ideo quilibet poteſt illum conferre 206.26
baptiſmus chriſti nullo modo poteſt iterari 207.6
baptiſmus extra eccleſiã eſſe pôt, prodeſſe non poteſt 207.19
in baptiſmate adhibentur diuerſi ritus, qui non carent myſterio 208.14. & inde
baptiſmus a domino naziãzeno diuerſis appellaẽ nõibus 211.18
baptiſmi regeneratio facilis eſt & æqualis omnibus 212.8
baptiſmi ſacramẽtũ debite ſuſceptũ plures parit effectus 212.15
baptiſmus nullo modo liberat ab omnibus xp̃i p̃ceptis 214.4
baptiſmus ẽ adeo neceſſarius paruulis, vt ſine eo nõ ſaluẽt 215.24
baptiſmus eſt triplex, fluminis, flaminis, & ſanguinis 215.4
in baptiſmis p̃fatis chriſti paſſio quid operetur 215.33
baptiſmus recipiens ſciẽter a malo, an peccet mortaliter 218.39
baptiſmũ quomodo quis recipere poſſit a notorie malo 219.20
baptiſmum an debeat aliquis alicui miniſtrare in periculum vitæ corporalis 220.14
baptiſmus in quatuor figurabatur in lege 221.2
inter baptiſmum & pœnitentiam quid interſit 304.1
baptiſmo prætermiſſo nullũ ſacramentum cõferri poteſt 337.30
baptizandus leuari debet ab aliquo 207.34
Baptizari iterũ & iterato baptiſmo baptizari nõ ſunt idẽ 194.13
baptizari non poteſt paruulus in ventre 201.28
ſiquis baptizareẽ modo in nomine xp̃i an eſſet baptizatus 204.33
baptizari cupiens adultus, ſi non habet facultatem, votum pro

facto reputatur 215.13
Baptizati baptiſmo ioãnis,rebaptizãdi erant baptiſmo xp̃i 193.10
inter baptizatum & baptizantem neceſſaria eſt diſtinctio 202.16
non baptizatus vere baptizat,modo formã debitã ſeruet 207.8
non baptizatus non poteſt de ſacro fonte leuare 208.7
baptizatus amittere poteſt acquiſitam gratiam 213.8
baptizati infantes,licet nõ credãt actu,credunt tñ habitu 216.4
Baſilius magnus ex nicæno concilio luculentiſſime probat ſacerdotum cælibatum 672.18
Beatus franciſcus in regula maxime commendat virtutem paupertatis 642.40
beatos quæ vere nos faciant 171.38
Bellum hæreticorum pax eſt eccleſiæ catholicorum 135.35
belli iuſti cauſæ ſunt multæ, et p̃cipue receſſus a vero dei cultu,& cum quis ſe rebellat aduerſus eccleſiam 502.30
Benedicta eſt fœcunditas, maledicta ſterilitas, & benedicta virginitas in diuerſis temporibus 392.26
Bigamia ſimpliciter inducit irregularitatem 345.17
Blaſphemia quid ſit ſecundum hugonem 598.37
blaſphemia quædam eſt in intellectu, quædam in voluntate, quædam in vtroque 599.23
blaſphemia in intellectu quæ ſit 599.7
blaſphemia quæ eſt tantum in affectu,quæ ſit 599.23
blaſphemia quæ eſt in intellectu ſimulq; & in affectu 600.9
blaſphemia eſt vitium contra confeſſionem fidei 601.5
Bona quare deus tribuat malis,& bonis mala 154.24
bonum humanũ eſt triplex honeſtum vtile & delectabile 559.15
bonũ opus factũ ex votꝙ plus valet, q̃ quod fit ſine voto 392.36
bonum eſt homini mulierem non tangere 630.17

C

Caelebs pro continente ſumitur 632.6
cælibatus multis ſcripturæ locis ꝓbabiliter oſtendit̃ 664.21
cælibatus laudes in ſcriptura 632.5
cælibatus eſt traditio apoſtolica & ex ſcriptura diuina probabiliter elicitur 658.10
cælibatus ſacerdotum ſemper fuit in more eccleſiæ, vt ex multis concilijs probatur 668.20
cælibatũ promulgat nobis clemẽs de ordine ſancti petri 668.21
cælibatus clericorum eſt annexus ordinibus ſacris,vt patet ex ordinatione eorum 678.6

cælibatus a quo & vnde probetur luculenter 672.18
cælibatus obſeruantia nullũ infert eccleſię damnum 687.33
cælibatus tranſgreſſores puniri deberent 688.7
cælibatus ex apoſtolicis traditionibus eſt ordinatus in miniſtris al taris 697.6
cælibatus probatur per concordem ſententiam omnium patrum, qui de hac re ſcripſerunt 699.17
contra cælibatum obijciunt nobis falſo canonem 13. ſextæ ſynodi generalis 689.18
Cæleſtis locus eſt incorruptiſſimus 102.27
cæleſtis medicus tali modo ſanauit ægrotum, ſicut competebat ægrotanti, ægritudini,& curationi eiuſdem 174.9
in cæleſtibus omni perſonæ, ætati,ſexui,indiſcreta facultate ſtadium patet 233.38
Calices turibula cruces & ſimilia quomodo vendi poſſunt ſine ſimonia 527.26
calix ſumitur pro poculo in calice cõtento,& non ꝓ vaſe 258.33
Canales ꝑ quos participamus paſſionẽ xp̃i ſunt ſacramẽta 244.12
Canones apoſtolorum nonnulli mitigati ſunt 727.28
canon 13. ꝓbatur nõ eſſe 6. ſynodi per teſtes idoneos 689.36
canonum ſiue decretorum duplex eſt genus 728.35
Canonica lege non eſt ſancitum,qua morte hæretici debent mori 503.15
canonicæ pœnæ impediunt legitimam conſecrationẽ & ſumptionem euchariſtiæ 250.33
canonicæ pœnæ quot & quæ ſint 250.37
Cardinales epiſcopi vocãtur, & vocẽ habent in concilio 722.27
Caro dñi digne mãducata aperit oculos cõmunicantium 249.3
Caſti non ſumus ſecundũ auguſtinũ, quia non volumus 685.30
Caſtitas ſiue pudicitia quanta exigatur in epiſcopo 670.1.
caſtitatis votũ ſecundũ thomã adeo eſt annexũ regulæ monachali,vt contra eam pontifex non poſſit diſpenſare 679.39
caſtitatis obligatio eſt tam annexa ordini ſacro,vt dicti ordinis viri caſtitatem ſeruare teneantur lege diuina 679.16
a Caſu non poteſt eſſe gubernatio mundi 17.1
Catechumenus contrahens cum fideli baptizata non eſt verus contractus 429.19
per catechiſmum impeditur tantum contrahendum 425.41
Cauſa ſecunda neceſſario ſecundum philoſophum concurrit cum prima 26.31
cauſa ſecũda quare nõ ꝓducit effectũ,ratio eſt multiplex 443.37

cauſæ propter quas multi merito morte plectuntur 495. 33
Celeritas inimicatur conſilio 709. 10
Character baptiſmalis eſt omniũ characterũ fundamentũ 190. 28
character quid ſit 230. 7
character eſt ſignum multipliciter 230. 9
characteres non ſunt eiuſdem rationis, nec eſt ordo eſſentialis inter eos 230. 25
de characteribus mentionẽ faciunt nõnulli ſancti patres 230. 32
character ponitur ad ornandũ, ſicut cetera dona 231. 1
character eſt indelebilis,& forma realis, ibidem.
character confirmationis proſupponit characterem baptiſmalem neceſſario 231. 20
Charitatis laudes ex auguſtino 451. 38
charitas diuina eſt omniũ humanorũ actuũ regula, vel lex 451. 3
charitas inclinat ad contemptum omnium terrenorum 642. 9
charitatis nutrimentum eſt diminutio cupiditatis 642. 13
charitas in affectu nõ pcipitur, in de mãdato ex toto corde 453. 23
Chirographum culpæ quid ſit, & decreti 74. 38
chirographum non modo nobis aduerſabatũ pro actualibus peccatis, ſed & pro originali 75. 9
Chriſma conficere docuit ſaluator, quando lauit pedes diſcipulorum 226. 31
chriſma an ſit materia determinata ſacramenti confirmationis 227. 15
chriſma nõ eſt materia cõfirmationis, ſicut aqua baptiſmi 229. 5
chriſma ſecundum Thomã eſt de neceſſitate miniſtri 229. 6
Chriſtus vel pontificale, vel regale nomen eſt 33. 7
chriſti corpus ex puriſſimis fuit ſãguinib. virginis formatũ 50. 30
chriſtus ipſe non modo erat expers peccati, ſed nec morti, aut neceſſitati moriendi ſubiectus 54. 33
chriſti caro ſuggeſtione diaboli ad mortem reducta, fuit eius ruina 55. 8
chriſtus quomodo pro nobis paſſus & mortuus eſt 62. 30
chriſtus ſecundũ ſpeciem nõ paſſus eſt omnem pœnam 63. 5
chriſtus ſecũdũ genus qũo paſſus ẽ omnẽ humanã paſſionẽ 63. 11
chriſti dolor quomodo maior fuit cunctis doloribus 63. 32
chriſti dolor & paſſio quomodo volũtarie fuit abſumpta 64. 20
chriſti anima ſecundũ omnes vires inferiores patiebatur 64. 24
chriſti ratio ſuperior quomodo non patiebatur 64. 27
chriſtus voluit nobis aſſimilari in pœnalitatibus, & quare 65. 13
chriſtus nõ aſsũpſit defectus nr̃os, q̃ sũt ex culpa & ad culpã 65. 26

christus aſſumpſit defectus,qui ſunt ex culpa noſtra 65.22
in christo quomodo fuit affectio iræ 66.34
in christo quomodo fuit triſtitia 66.6
christi paſſio fuit acerbiſſima propter ſenſus viuacitatem 67.10
christi diuinitas immunis fuit ab omni paſſione 67.18
christus quomodo patiebatur & non patiebatur 67.24
christi paſſio quoad humanitatem in multis adumbratur 67.37
christum conueniens fuit mori propter tres cauſas 71.15
christus ſepultus eſt in ſepulchro nouo & quare 72.9
christus in triduo erat vere mortuus 72.12
christi carni in ſepulchro fuit vnita diuinitas 72.30
christus ſacramẽtaliter ẽ pluribus ĩ locis,pſonaliter vbiq; 72.33
christus in triduo fuit in ſepulchro per ſynecdochen 73.3
christus meruit in actione & paſſione 73.12
christus ſibi per mortẽ non meruit p̃mium ſubſtantiale 73.30
christus meruit ſibi glorificationem corporis 73.36
christus quomodo fuit ſimul comprehenſor & viator 73.38
christus meruit nobis ianuæ paradiſi apertionem 74.2
Per christi paſſionẽ fit remiſſio omnium peccatorum 74.12
christi paſſio delet chirographum decreti 74.33
christus per mortem non ſolum impetrauit nobis remiſſionẽ culpæ quoad maculam, ſed quoad reatum 75.13
christi mors quomodo liberat omnes a poteſtate diaboli 75.24
christi mors quomodo abſoluit nos a pœna peccati 76.11
christi mors quomodo liberauit nos a pœna temporali,æterna, & media 76.18
christi paſſio & mors fuit adumbrata in lege naturæ & multis antiquæ legis inuolucris 77.1.& inde
christi paſſio fuit nobis mirabilis, lamẽtabilis,& vtiliſſima 81.6
christi paſſionis fructus 81.10
in christi paſſione diſcimus omnes virtutes 81.21
christi paſſionem omnes,tam angeli, quàm dæmones & prophetæ admirati ſunt 38.3
christus habita victoria de diabolo deſcendit in cor terræ 85.12
christi diuinitas aĩæ vnita in limbo beatificauit ſãctos p̃res 85.33
christi deſcenſus ad inferos propter tria fuit cõueniens 85.39
christus quare deſcendit ad inferos 86.32
christus an deſcenderit ad infernum damnatorum 87.1
christus q̃uo aliter & aliter viſitauit omnia loca ſubterranea 87.3
christus quomodo fuit totus in cælo, totus in ſepulchro, totus in inferno 87.24

chriſti anima manſit in inferno, quandiu corpus fuit in ſepulchro 87.35
chriſtus omnes in limbo liberauit & abſoluit ab originali 88.4
chriſtus deſcendens ad inferos ſanctos patres liberauit 88.29
chriſtus in eodē deſcenſu ſoluit ſanctorū patrū dolorem 88.30
chriſti præſentia in limbo contulit fructum liberationis his, qui erant ſibi vniti 89.10
chriſti deſcenſus non liberauit omnes de purgatorio, ſed tantum ſufficienter purgatos 90.19.
chriſti gratia ad eos tantū peruenit, qui per baptiſmū eius membra ſunt 89.39
chriſtus nō ſtatim poſt mortē introduxit electos in cęlum 90.28
chriſtus non modo in reſurrectione, ſed et aſcenſione primatum tenuit 90.41
chriſti aſcenſio propter noſtram ſalutem differri debuit 91.7
in chriſti morte fuit aperta ianua quoad meritum, in reſurrectione quoad egreſſum de limbo, & in aſcenſione quoad ingreſſum in cælum 91.12
chriſti caro poſt reſurrectionē quibus dotibus fuit ornata 91.33
chriſto reſurgente multæ figuræ ſunt verificatæ 91.38
chriſtum neceſſe fuit reſurgere propter quinque 92.37
chriſtum tertio die reſurgere fuit decentiſſimum 93.29
chriſtus ſua corporali morte duas noſtras deſtruxit 94.6
poſt chriſti reſurrectionem tempus ſub gratia incœpit 94.10
chriſtus reſurrexit circa diluculum, et quare 94.20
chriſtus poſt reſurrectionem verum habuit corpus 94.25
chriſti reſurrectio ideo vera fuit, quia corpus eius iterato animæ fuit vnitum 94.37
chriſtus in ſua reſurrectione per gloriam claritatis effectus eſt immutabilis 95.29
chriſtus prius tempore & dignitate reſurrexit 95.34
chriſtus eſt primus reſurgentium reſurrectione perfecta 96.8
chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur 96.9
chriſtus quomodo fuit cauſa ſuæ reſurrectionis 96.23
chriſti corpus reſurrexit integrum eiuſdem naturæ cum priore, ſed alterius gloriæ 96.33
chriſti corpus in reſurrectione naturales partes corporis humani reaſſumpſit 97.5
chriſtus ſicut in conceptione accepit corpus noſtro ſimile, ſic & in reſurrectione fecit 97.15
chriſti corpus reſurrexit glorioſum 97.19

chriſti corpus diſpenſatione ante paſſionem quare non fuit glorioſum 97.32
chriſti anima ſtatim corpus ſuum glorificare potuit 97.35
chriſtus cum veris cicatricibus reſurrexit propter quinque 98.5
chriſtus reſurrectionẽ ſuã ꝑ ſcripturas multipliciter oſtẽdit 99.3
chriſtus ſurrexit,vt nobis certã ſpẽ reſurrectionis faceret 100.24
chriſtus in cælum aſcendit ſecundum hominem aſſumptũ 100.35
chriſtus quomodo per propriam virtutem aſcendit 101.27
chriſtum aſcendere cælum fuit conuenientiſſimum 102.22
chriſti aſcenſio propter tria eſt nobis vtilis 102.41
chriſtus aſcendit ſuper omnem creaturam 103.22
chriſto nulla pars cæli eſt ſuperior 103.36
chriſti corpus non inconuenit eſſe extra totam continentiam cæleſtium corporum 104.2
chriſtus quõ aſcendit ſuper omnes ſpirituales creaturas 104.16
chriſtus aſcendit propter noſtram ſalutem triplici ex cauſa 105.4
chriſti aſcenſio eſt cauſa noſtræ aſcenſionis,quaſi inchoãdo ipſam in ſeipſo,qui eſt caput noſtrum 105.28
chriſtus aſcendens adeptus eſt ſibi & nobis ius manſionis cæleſtis 105.31
circa chriſti aſcenſionem ſunt octo conſideranda 105.40
chriſti conſeſſus ad dexteram patris quid ſignificet 107.3
chriſti aſcenſio fuit & ad locum & ad dignitatem 109.39
chriſtus quare ſedet ad dexteram 110.9
chriſtus quare primus a mortuis reſurrexit 110.21
chriſti aduentus eſt triplex 111.19
chriſtus vnitatis nomen petro communicare voluit 137.12
chriſtus eſt fundamentum illud, quod nemo poteſt aliud deponere in eccleſia 137.18
chriſtus eſt ſolus bonus,& ſolus qui remittit peccata, & tamen legatos aliquot dimittit in terris 137.26
chriſtus eccleſiæ molem inuiſibiliter gubernat, miniſterio tamen vtitur viſibilium ſacerdotum 138.6
chriſtus non eſt niſi in ſua ſancta eccleſia catholica 143.39
chriſtus fuit martyr, doctor,& virgo 162.37
chriſtus incarnatus fuiſſet,ſi adam non peccaſſet, & tunc veniſſet non vt redemptor, ſed vt glorificator 168.10
chriſtus quomodo vult,vt quandoque otium ſanctum dimittatur pro ſalute animarum 169.24
chriſtus homo latria adorandus eſt 458.32
chriſtus contulit apoſtolis ſpiritum ſanctum ſine chriſmate, licet

ibi

ibi aliquid fuerit loco eius 228. 1
chriſti ſanguis quomodo deleuit chirographum decreti 242. 16
chriſtus quomodo in lege antiqua immolabatur 243. 24
chriſti latus eſt fons perennis, ſufficiens ad conferendam animabus ſalutem 243. 38
ſi chriſti mortis fructũ habeṝ vis, applica fiſtulã ad latus eius 244. 2
chriſti ſanguis effuſus eſt pro omnibus ſufficienter, & pro ſaluandis efficaciter 259. 10
chriſtus an in inferno, limbo puerorum, & purgatorio fuerit præſentialiter 211. 39
chriſtus quomodo in ſuis membris patitur, & patietur vſque in finem ſeculi 317. 2
chriſtus ſicut viuit in pijs hominibus, ita patitur in eis 317. 10
chriſtus dedit quoſdam paſtores, quoſdam ſacerdotes 338. 24
ad chriſti auxilium experiendum tria ſunt neceſſaria 686. 12
Circuncisio fuit proprie ſacramentum in lege preceptum, non tamen in ea inſtitutum 184. 14
circuncisio conferebat gratiam, & quare 184. 27
circuncisio ordinabatur ad ablationem culpæ 185. 13
circuncisio licet non contulerit gratiam vt immediatam diſpoſitionem ad gloriam, hoc fuit, quia fluxit tempore, quo ianua non erat aperta 185. 27
circuncisio ſi haberet locum poſt chriſti paſſionem, introduceret in regnum 186. 22
circuncisio quare data eſt abrahæ 195. 10
circuncisio habuit quatuor tẽpora, in primo quorũ erat neceſſaria in ſecundo vtilis, in tertio licita, in quarto mortifera 198. 22
circuncisio licet data fuerit in fœdus ſempiternum, euacuata tamen eſt per baptiſmum 200. 25
circuncisio reuocata fuit quoad gentiles in tertio concilio auctoritate ſpiritus ſancti 200. 32
Clandeſtinus matrimonij contractus an teneat 396. 30
clandeſtini contractus qui dicantur 396. 35
clandeſtini contractus tribus modis fiunt 396. 39
Clericus quis in eccleſia dicatur 328. 1
clerici omnes nouæ legis caput tondere iubentur 329. 34
clerici omnes in oriente vxorũ cõſuetudinẽ a ſe abiecerũt 666. 7
Coactio alia ſufficiens eſt, alia inducens 217. 30
Coeundi impotentia debet per triennium experiri 430. 37
coeundi impotentia ex duobus poteſt peruenire 430. 32
Cogitatio etiam turpis non polluit, ſi ratio non conſentit 553. 13

Cognatio

Cognatio ſpiritualis ſecundum limitationem concilij tridētini impedit ſimpliciter 425.26
cognatio ſpiritualis eſt propinquitas proueniens ex baptiſmo & confirmatione 424.20
cognatio ſpiritualis quomodo cauſetur in nobis 424.24
cognationis ſpiritualis tres ſunt ſpecies 425.1
cognatio legalis impedit cōtrahendū & dirimit cōtractū 427.20
cognatio modo non eſt delecta ad altaris officium 659.11
Communio eſt triplex 345.26
communionem nullam habēt cum ſanctis,qui eccleſiæ vnitatem deſerunt 147.13
per communionem ſanctorum quid intelligatur 146.36
communio bonorum fit in eccleſia,& quomodo 147.29
communionis ſub vtraque ſpecie ſunt multa teſtimonia,ſed plura ſub vna tantum 249.33
a cōmunione deus nullum p̄ſcindit niſi propter mortale 349.5
Communitas vt talis excommunicari non poteſt 352.7
communitas illa felix eſt,in qua non bellatur alia ratione,q̄ inter ægrotos fortia medicamenta 504.7
Compunctio quid ſit ſecundum beatum effrem 281.17
Concilium œcumenicum quid ſit 705.21
conciliorum congregandorum prima cauſa cum ceteris 705.24
concilium primum generale coactum,damnauit arrium 705.30
in cōcilio quarto quidā reſipiſcētes,eccleſiæ ſunt reſtituti 714.18
in concilio patres petere ſolent confirmationem decretorum a pontifice 714.24
in concilio patres ſe ſubſcribunt definientes,& non imperatores, ſiue eorum nuntij 714.29
concilium tridentinum anathemate ferit dicentes clericos poſſe contrahere poſt ſollemne emiſſum votum 678.4
conciliū concludit ſanctorū imagines eſſe venerandas 715.13
concilium neocæſarienſe animaduertit in clericos non ſeruantes continentiam 678.13
ad concilium vocandi ſunt plures vel pauciores,prout papæ & ſynodo placuerit 717.32
concilijs generalibus quantum deferendum ſit 729.20
concilia generalia & prouincialia paria ſunt quoad corrigendos & reformandos mores 729.14
concilium vniuerſale ſumitur bifariam 722.37
concilia in his,quæ facti ſunt,per alia emendari poſſunt 727.12
concilia in his,quæ iuris poſitiui ſunt, recipiūt mutationē 727.19

ad

ad concilium œcumenicum an debeant conuenire epiſcopi ex toto orbe 723.1.& 724.2
ad concilia apoſtolorum non omnes conueniebant 725.25
concilia quatuor oecumenica quomodo tanquam euangelia venerari debeant 724.41
conciliorum generalium auctoritati ſemper hæretici derogarũt 728.2.& inde
conciliorum legitime celebratorum definitio in fide errare non poteſt 698.12
concilium tridentinum prohibet clericos & regulares, vt non cõtrahant matrimonium 698.22
concilium ſecundum generale damnauit macedonij errorem cõtra ſpiritum ſanctum 706.1
concilium generale tertium damnauit neſtorium dicentem beatam virginem puri hominis matrem 706.4
concilium quartum damnauit eutichis errorem, dicentis in chriſto eſſe tantum diuinam naturam 706.7
concilium quintum damnauit theodorum, dicentem beatam mariam non eſſe dei genitricem 706.11
concilium ſextum damnauit macharium, ponentem tantum vnã in chriſto voluntatem 706.15
concilio ſeptimo, videlicet nicæno ſecundo, damnata fuit hæreſis contra imagines 706.19
concilium octauum eſt, in quo ſchiſma de depoſitione ignatij extirpatur 706.22
concilium congregatur gratia extirpandi ſchiſmata 706.21
cõciliũ cõgregatᷣ ꝓ cõfutãdis hæreticis diſputationis via 706.25
conciliũ cõgregatur, quãdo eccleſia habet potẽtes hoſtes 706.32
conciliũ cõgregatᷣ, quãdo imminet chriſtianitati neceſſitas 707.3
concilium celebratur pro maiori firmitate fidei 707.8
concilium celebratur pro ſuſpicione hæreſis contra papã 707.12
concilium congregatur pro purgando canonice põtifice 707.18
concilium celebratur, quando dubitatio curreret ſuper electione pontificis 707.22
concilium congregatur pro reformatione eccleſiæ 707.28
in concilijs cauendum eſt a multis 707.37 & inde
conciliorum celebratio valet ad multa 709.17
ad concilia accedentibus multa ſunt neceſſaria 710.20
conciliũ oecumenicum eccleſiam catholicam repſentat 711.12
conciliorum eſt antiquum inuentum 702.20
conciliorum quæ ſit propria praxis 702.31

conciliorum vſus q̄uo translatus eſt ad regnum eccleſiæ 703. 20
concilia licet in ſcripturis non habeāt auctoritatem, credendum tamen eſt illa eſſe ex apoſtolica traditione 703. 27
concilium primum eccleſiaſticorum quale fuerit 704. 6
conciliorum quatuor ſunt genera 704. 19
concilia prouincialia cedunt generalibus 704. 36
concilia epiſcoporum ad definiendum quæ ſunt fidei, nihil habent roboris 704. 41
concilia nationalia ſunt conuenticula & conciliabula 705. 7
in concilio conſtantien. acta contra papam non militant contra eum 737. 5
concilium conſtantien. petiuit confirmationem a martino quinto omnium geſtorum 737. 15
concilium ſede vacante quam auctoritatem habet 743. 5
in concilio quæ per ſedem vacantem geſta ſunt, debent per papam creatum confirmari 747. 27
concilia quatuor quomodo venerari debeant tanquam quatuor euangelia 730. 22
concilium œcumenicum legitime coactum eccleſiam catholicam repræſentat 731. 3
conciliorum decreta qui reuocare ſub dubio voluerint, non ſunt audiendi 732. 10. & inde.
cōcilia ad ea tantū ſe extēdere debēt, ad quæ ſūt cōgregata 733. 2
in concilio baſilien. legati apoſtolici proteſtati ſunt contra concilium 738. 5
concilio baſilienſi bullæ eugenij nō ſuffragantur, & quare 738. 11
concilij epheſini 2. leo reſcindit decreta 738. 17
conciliorū acta qūo patres petierunt confirmari a papa 740. 27
concilia quando diſcordant inter ſe quid agendum 742. 35
concilio nicæno præiudicatum eſt per aliud concilium 743. 37
in concilio quando patres diſſentiunt ad agendum 744. 4
concilij cōſtantien. decreta, quia facta ab vna ſola obedientia, non ligant 736. 3
ad concilium multi ex diuerſis cauſis conuenire ſolent 718. 5
ad concilium quomodo conuenire poſſunt hæretici & ſchiſmatici, & quare 718. 10
concilium ſine papæ auctoritate congregari non debet 719. 1
concilium ſicut antiqua lege congregari nō debebat ſine ſummo ſacerdote, ſic nec in noua 719. 2. & inde
concilium congregandum eſt in loco tuto, & quare 719. 30
concilium teneri debet in eccleſia 720. 1

ad concilium epiſcopi vocati ſi non conueniant,ceſſante legitima cauſa veniunt puniendi 720.6
concilium œcumenicum in his, quæ ad fidem ſpectant, errare non poteſt 731.20
cõcilia œcumenica habẽt originẽ ex inſtitutione humana 735.29
cõciliũ & papa ſi diſſentiũt,cuius ſententiæ ſtandũ ſit 730.1
cõcilia,qui prohibent,ne celebrentur,aut qui accedentes impediunt ne conueniãt,sũt grauiſſimis pœnis plectendi 720.1 & inde
Concubinas habere numquam licuit chriſtianis 512.3
a Cõcubitu ſi omnes abſtinerẽt,citius dei ciuitas cõpleret 688.38
Concupiſcentia vxorum & rerum alienarũ citra cõſenſum, non eſt tranſgreſſio mandatorum de non concupiſcendo 553.41
concupiſcentia quomodo dici poſſit peccatum 559.37
concupiſcentia manet in regenerato 560.5
concupiſcentias carnis ne perfeceritis 547.5
concupiſcentia cum qua nati ſumus, finiri non poteſt 547.6
concupiſcentia carnis,quæ mala producat 549.8
Confeſſio ſacramentalis eſt neceſſaria ad ſalutem 287.27
cõfeſſio ſacramẽtalis eſt inſtituta a xp̃o,& ẽ de iure diuino 287.30
confeſſionem ſupradictam eſſe de iure diuino probatur multipliciter 288.3
confeſſionem neceſſariam quare nectarius amouit 291.8
confeſſionem, vni ſoli faciendã,& publicationẽ peccatorũ,ſuſtulit ab eccleſia ſua nectarius,& priſtinæ libertati reſtituit 291.37
confeſſionẽ ſecũdũ chryſoſtomũ non abrogauit nectarius 291.40
confeſſionis neceſſitas in multis caſibus 292.30
in confeſſione celare peccatum tenemur triplici iure 296.20
confeſſionem reuelantis pœna quæ ſit 297.4
in confeſſione habita peccata, quomodo in caſu ſecundum aliquos poſſint reuelari 297.16
in confeſſione detecta, quòd non reuelentur peccata & ſecurior & communior via eſt 297.37
extra confeſſionem quæ dicuntur ſub ſigillo confeſſionis,quomodo obligant 298.11
confeſſio quo caſu ſecundum viguerium poſſit reuelari 298.27
in cõfeſſione quę nouit ſacerdos,iurare poteſt,ꝙ nõ nouit 298.40
confeſſioni fidei tria ſunt neceſſaria 228.34
confeſſio eſt triplex culpæ, laudis, & credendorum 283.26
confeſſio multiplex eſt in ſcriptura 283.34
confeſſio ſacramentalis quid ſit 284.38
confeſſionis conditiones ſedecim 293.13 & inde

cōfeſſio generalis quare dñico die ex eccleſiæ inſtituto fiat 283.12
confeſſor quid faciet, ſi confitens petat reuelari propter publicam vtilitatem ſua peccata 298.4
Confitēs nō pōt dare licētiā ſacerdoti reuelādi ſua peccata 296.12
confitendi libertas per nectariū conceſſa, non durauit 291.15
Confiteri tenetur exiſtens in mortali, antequam celebret 246.20
Conficere non pōt ordinate, exiſtens in mortali peccato 246.10
confici non poteſt corpus ſine ſanguine, & quare 255.23
Confirmandus habere debet leuantem, & quare 234.6
confirmationis definitio 222.41
confirmationis materia proxima & remota quæ ſit 223.9
confirmationis forma quæ ſit 223.10
confirmationis proprius miniſter, & quæ in eo requirãtur 223.15
confirmationis forma quando eſt inſtituta 223.20
confirmationis ſacramentum fuit a chriſto inſtitutum 223.1
confirmationem an ſimplex ſacerdos poſſit conferre 224.1
confirmationem ſecūdum aliquos, ſacerdos ſimplex de papæ poteſtate conferre poteſt 224.39
confirmatio eſt vere ſacramentum eccleſiæ ad corroborationem inſtitutum 226.25
confirmatio dat plenitudinem ſpiritus ſancti 227.3
in confirmatione apoſtoli regulariter vtebantur chriſmate, quando viſibilia ſigna non apparebant 228.24
confirmationis forma eſt iſta, cōſigno te ſigno crucis &c. 228.28
in confirmatione accipit homo poteſtatem ad agendum ea, quæ concernunt pugnam ſpiritualem 229.39
confirmatio confert gratiam gratumfacientem 231.24
confirmatio non debet dari niſi per pœnitentiā reparatis 231.31
confirmationis virtus addit ad gratiam baptiſmalem quatuor effectus 231.37
cōfirmatio nō ē ſimpliciter neceſſaria, nec debet cōtemni 232.14
cōfirmatio dari poteſt & mulieribus & paruulis 233.33
confirmatio quare morituris ſit largienda 234.2
in cōfirmatione nō refert an tenēs ſit maſculus an fœmina 234.21
confirmatio conferri debet in fronte 234.24
confirmationem iterantes qua pœna puniendi 234.41
confirmatio a ſolis epiſcopis conferri poteſt 366.12
Coniugalis caſtitas nō minus eſt donū dei, quàm cælibatus 686.30
Conſanguinitas quid ſit 418.34
conſanguinitas ſecundum lineam aſcendentium & deſcendentiū impedit de iure naturali quoad omnem gradum 420.7

conſanguinitas

conſanguinitas ſecundum lineam collateralem iure diuino impedit in primo gradu,videlicet inter fratrem & ſororem 420.9
cõſanguinitas impedit cõtrahendũ & dirimit contractũ 421.18
Cõſanguinei vxoris nõ efficiunt affines cõſanguineis viri 423.31
Cõſecrationis verba ſiquis diceret ſuper aquã,nõ cõficeret 247.12
conſecratio euchariſtiæ eſt vna vnitate integritatis 257.14
conſecrationes omnes immobiles ſunt a ſuis ſubiectis 358.38
Conſenſus eſt duplex 550.33
Conſilium eſt perſuaſio melioris,ad quod non tenemur 622.10
conſiliorum & præceptorum adinuicem differentiæ 622.13
conſilium non eſt de fine 629.20
conſilium de quibus ſit 629.35
conſilia in euangelio præcipua ſunt tria 629.41
conſilium paupertatis quomodo intelligitur 639.34
conſilia de ſe neminem ligant 648.16
conſilium manſuetudinis quomodo intelligatur 651.32
conſilium ſextum eſt miſericordiæ & ſupererogationis 652.20
conſilium octauum de vitanda occaſione peccatorum quomodo intelligatur 652.32
conſilium nonum concernit rectitudinem intentionis 653.4
conſilũ decimũ ẽ de conformitate operis ad doctrinam 653.20
conſilium vndecimum eſt de uitanda ſolicitudine 653.36
conſilium vltimum eſt fraternæ correctionis 654.8
Conſuetudo eſt & iuſta,vt hæretici comburantur 503.15
conſuetudo ſub vna ſpecie laicos cõmunicare,ab eccleſia & ſãctis patribus eſt rationabiliter introducta 250.18
conſuetudo fidelium ſemper fuit ad deum in tribulationibus recurrere 305.26
conſuetudo dat iuriſdictionem 351.24
in Conſulendo maxime requiritur libertas 709.12
Contẽptus ſacramẽti ẽ, ſi opportunitate oblata nõ ſuſcipit 232.19
ex contẽptu mortaliter peccaret,qui ꝑtermitteret ſcrũm 232.22
contemptus ſacramentorum eſt nolle eis ſubiici 233.7
Conteri de peccatis contingit multipliciter, & non quodlibet eſt vera contritio 278.9
conteri quando tenetur homo 282.39
Continentiam ſi cum dei adiutorio obſeruare volumus, tria ſunt nobis neceſſaria 636.33
cõtinẽtia donũ dei ẽ, poſtulatus tñ dat omnibus affluẽter 516.19
continentia ſecundum concilium carthaginẽſe annexa eſt ſacris ordinibus 674.27

continentiæ præuaricatio ſi tolleret legem rectam, oporteret decalogi mandata ab eccleſia relegare 688. 10
continere poſſumus omnes, ſed continere non volumus 415. 5
Continenter viuere etſi ſit ſupra vires noſtras, cum dei adiutorio clerici continenter viuere poſſunt 684. 16
continenter viuere, vt fingunt hæretici, non eſt miraculū 685. 25
Contractus cõiugales neceſſe eſt, vt ſubſint ordinationi & irritationi magiſtratus eccleſiaſtici in ordine ad pacem eccleſiæ 399. 2
contractus diuerſimode fiunt 519. 5
contractū p̄cipere aliud eſt a p̄cipere adhæſionē perpetuā 383. 17
per Contritionem quid intelligimus 277. 22
contritio q̄ requiritur in pœnitentia, non eſt omnis dolor 277. 30
contritio quę requiritur ad deletionem peccati, poteſt a perfecto declinare 278. 6
contritio vt eſt pars pœnitentiæ, quid comprehendat 278. 36
contritio pertinet ad exteriorem pœnitentiam 278. 40
contritio quę eſt dolor de peccatis ob dei offenſam, eſt pars pœnitentiæ 279.
contritio eſt perfecta pœnitentia, attritio imperfecta 280. 2
contritio quid operetur in nobis 280. 5
contritio quam deus in nobis reſpicit, quid vere ſit 280. 13
contritio quæ eſt pars pœnitentię, includit contritionem, quæ eſt actus virtutis 282. 16
cõtritio peccatorū durare debet ſẽper in p̄paratione animi 282. 36
contritionem nemo ſcit quis habeat tantam, quanta eſt neceſſaria remiſſionem peccatorum 292. 39
Contritum & attritum quid ſint 279. 39
Contumaciæ triplex eſt modus 349. 1
Contumax quis dicatur 348. 41
qui contumax eſt, ſe damnificat, & non eum eccleſia 349. 14
Conuertitur quis duplici intentione 279. 29
Cornelius fuit 20. papa ſub beato petro, q̄ in cõcilio romæ reuocauit ſẽtẽtiā cõcilij carthaginen. de rebaptizãdis hęreticis 269. 5
Corporale oportet eſſe de ſindone munda 253. 2
Corporis glorioſi diſpoſitio eſt, vt ſit ſpiritui ſubiectum 95. 10
corpus glorioſum non indiget cibo 97. 37
corpus glorioſum decet eſſe in loco cæleſti 101. 40
corpora quãto magis participant diuinam bonitatem, tanto ſunt ſuperiora corporali ordine 103. 25
corpus diuinum participat eſſe per ſuam formam 103. 29
corpora glorioſa nõ indigent cõtinentia cæleſtis corporis 103. 40

corporis

corporis glorioſi motus ſurſum non eſt violentus 104.10
corpora cæleſtia remunerabuntur poſt iudicium 129.10
corpora cæleſtia creſcent in luce & ſplendore 129.23
corporibus glorioſis tollet in reſurrectiõe oĩs deformitas 160.20
corpus chriſti verum quomodo ſacramentum ſit & res 236.7
Cor durum quid ſit ſecundum bernardum 279.17
cor quando dicatur frangi & atteri 279.21
cor quando conteritur 279.23
cor contritum ſubijcit ſe in omnem voluntatem domini 280.8
Creandi virtus ordine quodam diuinis conuenit perſonis 48.14
Creare proprie ſolius eſt dei 44.40
Creatio eſt productio alicuius de nihilo primordiali 45.10
Creatura quadrupliciter poteſt conſiderari 27.20
Credenda non cognoſcuntur in lumine naturaliter indito 5.20
credere deum, deo, & in deum non ſunt idem 7.1
credere in deum quid ſit 7.24
credunt in deum iuſti, & non gentiles, vel peccatores 8.4
credibilium tria ſunt genera 8.7
credere eccleſiam, eſt credere omnes veritates canonis 13.2
credens quod dixit ariſt. nec meretur, nec demeretur 409.39
Crimen differt longo interuallo a culpa 505.20
Crucis mors erat maxime ignominioſa 69.36
crucis mors erat decentiſſima ad redimendum hominem 70.4
Culpa remiſſa, ſupereſt adhuc reatus ad pœnam temporalẽ 303.40
Cultus verus deo debitus qualis ſit 458.2
cultus triplex deo debitus, imitatio, honor, & inuocatio, 462.34
cultus ſepulturæ in vtroque teſtamento commendatur 314.16
cultus ſepulturæ obſeruatus eſt multiplici ex cauſa 314.33
Cyprianus deferebat multum oecumenicis concilijs 729.18

D

DAEmones in iudicio cũ oĩbus damnatis, ĩcarcerabunt 123.17
dæmones erũt executores ſententię impiorũ, & quare 128.17
dæmones quomodo in iudicio grauiori punientur pœna 310.1
dæmones in primitiua eccleſia obediebant apoſtolis, & ad eorum mandatum excommunicati vexabantur 349.36
Damnati poſt ſententiam multipliciter punientur 127.19
damnatorum corpora afficientur quadruplici pœna ibi 4
Damnati in ſingulis ſenſibus tunc affligentur 310.20
Definitio proprie cuius ſit 179.39
delectus habendus eſt eorum, quibus benefacimus 484.24

Denario vtimur vt fideiuſſore ad omnia habenda 607.6
Deuotio omnis populi chriſtiani eſt ĩ ordine ad euchariſtiã 236.12
Deus cognoſcitur in triplici lumine 5.14
deus tripliciter ſe habet ad actum credendi 7.13
deus quomodo cognoſcitur per rationem naturalem 7.30
de deo & re ſumma qũo caute & cũ modeſtia eſt agendum 14.3
deus a purgatiſs.mentibus cernitur 14.11
deum eſſe,& quid primo de eo credere debemus 14.29
deum non eſſe affirmant inſipientes 14.31
dei proprium nomen eſt,qui eſt 14.41
dei eſſe quomodo eſt ſingulare & vniuerſale 15.20
deum eſſe non venit in controuerſiam græcorum & piorum philoſophorum 15.30
deũ qui negarunt & diuinam ꝓuidẽtiam,impij ſunt habiti 15.36
dei vnitatem credere debemus 16.2
deus eſt omnium rerum opifex 16.24
deus eſt ſubſtantia ſine initio & fine 17.9
deus creat lucem & tenebras 16.11
deus infinite bonus & appetibilis 17.16
deus eſt ratio amandi alia & eſſendi 17.20
dei immenſitas comprehendit infinitatem,et quomodo 17.30
dei immenſitas complectitur incomprehenſibilitatem 17.35
deus eſt infinitus ſecundum quantitatem virtutis 17.34
deus guſtu cognoſcitur tantum a bonis 18.8
dei immenſitas comprehendit incircunſcriptibilitatem 18.14
deus omnia implet,& quomodo 18.16
deus eſt intra omnia, ſupra omnia, infra omnia &c. 18.21
deus in rebus eſt multipliciter 18.25
dei immenſitas comprehendit æternitatem 19.18
deus ſolus habet immortalitatem 19.20
deus in ſe cõſideratus eſt infinitus, in cõparatione ad locũ eſt incircunſcriptibilis,in cõparatione ad intellectũ noſtrũ eſt incomprehenſibilis, in cõparatione ad duratione eſt æternus 20.4
in deo eſt latitudo charitatis, longitudo patientiæ, ſublimitas ſapientiæ,& profundum iuſtitiæ 20.14
deus eſt pater filij ab æterno, & creaturæ ex tempore 24.4
deus eſt pater creaturæ multipliciter 24.18
deum credimus non modo patrem, ſed omnipotentem 24.35
deum eſſe omnipotentem potẽtia completa fide credimus 27.3
deus quadrupliciter conſiderari poteſt, & ſecundum dictas conſiderationes varie ſumũtur appropriationes 27.25

deus

deus bifariam continet res 29. 15
deus quæ fecit, non genuit de ſeipſo, ſed de nihilo 45. 17
deus antequam faceret tempus, non erat tempus 46. 4
de deo ſiue ex ipſo materia, per ipſum operatio, in ipſo omnia eius virtute conſiſtunt 46. 22
deus pater operatus eſt creaturã per verbũ ſuũ & ſuũ amorẽ 48. 6
deus potuit mundum ab æterno producere, licet de facto cum tẽpore fuerit productus 48. 38
deus ſicut fecit viſibilia propter hominem, ita etiam hominem atque omnia propter ſe 49. 10
ex deo ſicut omnia ſunt condita, ita per eundem omnia ſuſtentãtur atque gubernantur 49. 26
deus ꝓ veteris teſtamẽti decurſũ vſus eſt pædagogi officio 54. 20
deus tempore legis nouę dulcedine ad bonũ attraxit hoĩes 54. 26
dei adoptiui filij cõgruit vt efficeremur ꝑ eũ, q̃ ẽ filiꝰ naturalis 57. 2
dei ſapientia quare noſtram aſſumpſit humanitatem 62. 7
deus quomodo eſt cauſa effectiua, & ſaluator meritoria cauſa remiſſionis peccatorum 150. 28
deus de manibus omniũ beſtiarũ reqret humanũ ſanguinẽ 155. 10
deus nõ eſt dñus mortuorũ & morientiũ, qũo intelligitur 155. 11
deus pater dat ſponſæ dotem, & quomodo 164. 20
deus cognoſcit nos per ſeipſum, & nos per deum 165. 30
deum eſſe omnia in omnibus quid ſignificet 171. 25
deum viſitare iniquitates patrum in filios in quartam generationem quid ſit 467. 39
deus quando auertit zelum ſuum a nobis, relinquit nos 468. 11
deus facit miſericordiam in millia his, qui diligunt eum 468. 34
deus tribus virtutibus recte colitur, fide, ſpe, & charitate 237. 34
deus clemens poſt proditam gratiam baptiſmalẽ dedit lapſis pœnitentiæ ſacramentum 267. 26
deus iucundius dat, quàm alij accipiant 269. 15
dei magna pietas, quæ ad ſolã ꝓmiſſionẽ remittit peccata 286. 37
deo adiuuante ſeruare poſſumus continentiam 637. 16
deus multa miſericorditer, plura longanimiter, nõnulla ægre permittit 655. 1
deus dimidium mali permittit, ne totum perdat bonum 655. 40
deus permittit aliquibus facere mala, ne faciant peiora 656. 2
Dexteræ nomine tria intelliguntur 109. 15
ad dexteram ſedere proprie quid ſit 109. 18
per dexteram intelliguntur potiora bona 109. 30
in dextera parte & ſiniſtra qui erunt in iudicio 119. 13

Diabolus ante xp̃i mortẽ hẽbat manũ attrahentẽ & ĩpellẽtẽ 75.26
diabolus ſup oĩa abhorret memoriã paſſiõis & figurã crucis 76.6
diabolus nuſquam tantum inſidiatur nobis, quàm quando ex hac vita migrandum eſt 321.7
Diaconiſſæ & presbyteræ quare ſic dicantur 356.38
diaconiſſarũ miniſterium ex continentibus eligebatur 670.5
Diligere deum ex toto corde &c. quomodo intelligitur 170.34
diligere deum ex toto corde quid ſit 453.3
Diſcipuli chriſti aut continentes aut virgines fuerunt 674.8
Diſpoſitionem de congruo requirit deus ad hoc, quod per ſacramentum conferat gratiam 286.24
diſpoſitio ex parte noſtri quo ordine procedit 269.24
diſponitur quis in pœnitẽtia magis timore, quàm amore 269.36
Diuinitas in xp̃i morte nõ fuit ab anima & corpore ſeparata 52.11
diuinitatis altitudo inhumiliabilis quomodo eſt humiliata 57.26
Dominicam diem & paſcha & alias eccleſiæ feſtiuitates ſollemniter celebrare debemus 478.8
dominicus dies eſt celebratiſſimus in eccleſia, & quare 474.34
propter dominicam diem ſabbatizare debemus alias feſtiuitates ab eccleſia inſtitutas 482.10
Dominium duplex creatum & increatum 30.23
Dominum ſuper nubem leuem aſcendiſſe quid ſignificet 59.7
Dona dei ſemper in cælis noua erunt 166.38
donum perſonaliter ſumptum, eſt proprium ſpiritus ſancti 42.9
donum dei eſt ſpiritus ſanctus 526.6
Dorotheæ ſecundum euſebium laudes & encomia 639.16
Dotes corporis an erunt qualitates abſolutæ 160.30
dos dicitur tripliciter 164.7
dotes ſunt 7. tres ad animã, & quatuor ad corpus ꝑtinẽtes 164.15
dotes animæ quid ſint, & dos in patria 164.27
dotes animæ ad ſubſtantiale, & corporis ad accidentale præmium ſpectant 164.31
dos eſt poſſeſſio ſponſæ, quæ non eſt in angelis 164.31
dotes animæ ſunt viſio, fruitio, & tentio 165.2
Dulia quid ſit & quibus conueniat 459.11
dulia ſumitur tripliciter 459.34

E

Eccleſia approbauit totum canonem ſcripturæ 13.3
eccleſia non poteſt nouum articulum facere 13.7
eccleſia poteſt nouum ſymbolum componere 13.9

eccleſia

ecclesia idem eſt, quòd euocatio 131.31
eccleſię dei dicuntur, qui a ſimulachris mortuis ad deum viuum euocati ſunt 131.36
eccleſia dei quandoque ſumitur pro domo materiali, quandoque pro vniuerſitate omnium iuſtorum 132.1.6
eccleſia quandoque ſumitur dumtaxat pro comprehenſoribus, & qñdoque pro cõgregatione exiſtentium in charitate 132.10.23
eccleſia quando eſt audienda non ſumitur tantum pro exiſtentibus in charitate 132.38
eccleſia ſumitur vt complectitur omnes, qui communionem omnium chariſmatum participant 132.40
eccleſia p̃fata cõprehendit tam bonos, quàm malos 133.2
eccleſia, de qua loquitur articulus, ē viſibilis & corporalis 133.14
eccleſia præfata dicitur militans, in qua quidam ſunt numero, quidam merito 133.33
eccleſia quandoque ſumitur pro particulari eccleſia, quandoque pro pręſidente in eadem 133.37
eccleſia quandoque ſumitur pro ſubditis tantum 133.40
eccleſia quandoque ſumitur pro ſolis eccleſiaſticis 134.1
eccleſia de qua doctores, accipitur pro cætu fidelium viatorum, qui numero vel merito ſunt in eadem 134.2
eccleſiæ quomodo auctor eſt deus: & finis, ſalus fideliũ 134.18
eccleſia quam credere debemus, eſt viſibilis, ſenſibilis, & manifeſta, & eius caput & membra ſunt manifeſta 134.14
eccleſia quomodo poſſit ſeruari in vno 134.24
eccleſia eſt vna, qua a præciſis ſecerni poſſit 134.37
eccleſię vnitas fuit figurata per inconſutilem xp̃i tunicam 135.1
eccleſia catholica ſola vna ē, in qua vnus xp̃us adoratur 135.19
eccleſia noſtra viſibilis eſt vna multiplici vnitate 136.9
eccleſiã præfatam deus vni petro paſcendam commiſit 136.31
eccleſię caput xp̃s ē, q ordinē ſimul & vnitatē in ea cõſeruat 137.6
eccleſiæ ſalus a ſummi ſacerdotis dignitate pendet 138.37
quòd eccleſię vnus præſit, adeo neceſſarium eſt, vt ſine eo eccleſia vna eſſe non poſſit 139.1
eccleſia licet ſit ſãcta, non tamē in ea ſunt ſoli iuſti & ſãcti 139.6
eccleſia nominatur & figuratur in diuerſis rebus 139.8
eccleſia comparatur diuerſis rebus 139.14
eccleſia dicitur ſancta, quia extra eam ſanctitatis ſpecies eſſe non poteſt 139.22
eccleſia a meliore ſui parte dr̃ ſãcta, & q̃a ſãguine tincta 139.27
eccleſia dr̃ ſancta, quia firma, & nullo modo violari põt 139.32

eccleſia ipſo cælo eſt fortior 140.5
eccleſiæ aciem conati ſunt multi perrumpere 140.9
eccleſia de omnibus victoriam reportauit 140.20
eccleſia vere ſancta & inexpugnabilis, quæ tot oppugnationibus eſt corroborata 140.27
eccleſiã dum impij perſequuntur, floret & proficit 140.38
eccleſia nõ dr̃ sãcta p naturã, ſed per participationẽ gratiæ 141.7
eccleſia dicitur ſemper ſancta, quia in omni tempore fuere in ea aliqui iuſti & ſancti 141.26
eccleſia dicitur catholica ſiue per totũ orbẽ diffuſa bifariã 141.31
eccleſia romana quia ſub ſe cõtinet vniuerſas, dr̃ catholica 142.2
eccleſię catholicę papa dicitur paſtor vniuerſalis 142.4
eccleſiæ particulares quomodo dici poſſunt catholicæ 142.16
eccleſia noſtra a ſui exordio licet fuerit catholica, non tamen vniuerſalis vniuerſitate dilationis 142.32
eccleſiæ hæreticorum quare catholicæ non dicantur 143.1
eccleſia fundata eſt ſuper lapidẽ exciſum ſine manibus 143.26
eccleſia ideo dicitur apoſtolica, quia ædificata ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum 144.10
eccleſia dicitur apoſtolica, quia in ea eſt doctrina apoſtolorum & legitima epiſcoporum ſucceſſio 144.10
eccleſia dicitur apoſtolica triplici ratione 146.6
extra eccleſiam etiam benefacta non conducunt ad ſalutẽ 147.6
in ſola eccleſia poteſt eſſe remiſſio peccatorum 148.17
eccleſia quomodo eſt mater noſtra 488.34
eccleſiã teneamus, quæ firmamentũ ẽ & colũna veritatis 489.14
eccleſia quomodo per ſimoniam fit domus negotiationis 525.39
eccleſiæ fundamenta ſunt fides & ſacramenta 178.24
eccleſiæ ſtatutum licet poſſit ligare miniſtrum, non tamen euacuare ſacramentum 203.25
eccleſiæ conſuetudo antiqua eſt, quòd infirmis ſub una tantum ſpecie euchariſtia miniſtretur 249.27
eccleſia quælibet ſeruet ſuum ritum circa panem azimum, vel fermentatum 255.32
eccleſia romana offert azimos, orientalis fermentatos 255.36
eccleſia vna eſt vniuerſalis, extra quã nullus ſaluatur 262.25
eccleſia p̃cipit, vt dominicis diebus audiat̃ miſſã, & quare 283.3
eccleſia quar̃ ordinauit vt dñico die fiat cõfeſſio gñralis 283.12
eccleſia triumphantium cum xp̃o ſine macula eſt & ruga 304.26
eccleſia ſignificationem contraxit, vt ille epiſcopus diceretur, qui totius ciuitatis curam haberet: ille vero presbyter, qui corpus domini

domini conficere poſſet 367.12
eccleſiæ vnitas ex vnitate fidei pendet 369.41
eccleſia romana pontificatui petri addicta eſt 378.3
eccleſia an aliquas poſſit illegitimare perſonas 397.14
eccleſia an irritauerit matrimonia clandeſtina 397.23
eccleſia non modo poteſt illegitimare, ſed irritare contracta matrimonia contra legem ſuam 400.6
in eccleſia orientali vxorati non poſſunt accedere ad ordines ſine vxorum conſenſu 416.31
eccleſiæ de multis rebus, quæ literis mandata non erant, edocta ab apoſtolis, tradidit nobis 144.33
eccleſia nō illegitimauit ſimpliciter, ſed reſpectu infidelis 428.25
eccleſiæ quinque ſtatus vel tempora, in quibus cælibatus ſacerdotum fuit ſemper debitus, 660.8 & inde
eccleſia occidentalis ſacroſanctum ſemper tenuit ſacerdotum & diaconorum cælibatum 666.18
eccleſia orientalis votum continentiæ noluit admittere 678.25
eccleſia ſtatutum de clericorum continentia ideo fecit, quia potuit, decuit, & expediens fuit 680.8.416.39
Ego paulus mente ſeruio legi dei, carne autem legi peccati 548.41
Eleazarus maluit in inferno puniri, q̄ patrias leges trāſgredi 171.36
Electio p̄latorū qn̄que in eccleſia facta eſt ſuffragio laicorū 362.5
electio romani pōtificis permiſſa eſt carolo imperatori 362.20
Elementa poſt iudicium innouabuntur 129.30
elemētorū qualitates manebūt poſt iudiciū quoad ſubſtātiā 130.4
Eleuari ſuper omnes cælos per angelos bifariam dicitur 101.18
Enoch & eliam quomodo deus mittet pro cōuerſione & defenſione fidelium & electorum 115.8
enoch et elias prædicabunt ſaccis veſtiti 115.15
contra enoch & eliā qūo antichriſtus mouebit bellum, & occidet eos, quorum corpora inhumata manebunt 115.20
enoch & elias poſt tres dies reſurgent 115.26
enoch & elia aſcendent in cælum, & tandem ſpiritu oris dei occidetur antichriſtus 115.38
Epilogus omnium ſententiarum fere libri ſacramentorū 435.16
epilogus eſt veluti catechiſmus, in quo ſunt omnia fere ad fidem ſpectantia 435.16
Epiſcopi debent erogare bona illa, quæ iam ſunt in diuinum cultum ordinata 521.32
epiſcopus poteſt ſe intromittere in quatuor caſibus de reſtitutionibus incertorum 522.2

epiſcopus non põt ſibi reſeruare incertorũ reſtitutionem 521.11
epiſcopus qui eſt primus hierarcha in ſua ciuitate, eccleſiæ dei præeſt 338.8
epiſcoporum nemini præſcribatur, quominus vnusquisque ſtatuat quod putat & arbitratur 338.11
epiſcopatum, ſacerdotium, & miniſterium beatus dionyſius dicit eſſe tres ordines 358.15
epiſcopus tempore auguſtini eligebat ſibi ſucceſſorem 362.36
ep̃us ex diuina iſtitutione ẽ quocũque ſacerdote dignior 363.36
epiſcopos intelligit nomine p̃sbyterorũ paulus ad titũ 364.18
epiſcopus preſbyteros ordinat, non ſimplex ſacerdos 364.23
epiſcopi legitime impediti mittant ad conciliũ procuratorem, aut literas excuſatorias 720.21
ep̃i vtrique vocabãt in primitiua eccleſia, vtrique p̃ſbyteri 364.36
epiſcopi ſucceſſores ſunt apoſtolorum 365.3
epiſcopi apoſtolorum, preſbyteri diſcipulorum locũ tenẽt 365.22
epiſcopus & presbyter ex ſua inſtitutione latiorem habuerunt ſignificationem 366.30.
epiſcopi nomen inde ſumptum eſt, quòd ſuæ curæ ſuperintendere debet 366.36
epiſcopi ꝑ hæreſim mentalẽ non priuantur iuriſdictione 370.20
ad epiſcopatum bigami promoueri non poſſunt 663.30
epiſcopalis ordo nõ datur ꝑ lr̃as, etſi iuriſdictio dari poſſit 225.41
epiſcopatus quomodo eſt ordo, et quomodo non 358.15
Error inuincibilis quid ſit 10.20
errores multi contra vnitatem dei, & eius pluralitates 16.6
errores hæreticorum excluduntur per ſymbolũ nicænum 30.34
errare quid ſit, & error 408.30
errorum multa exempla ponit magiſter 409.2
error fortunæ & qualitatis non excludunt matrimonium 410.2
error perſonæ impedit & dirimit 410.7
error conditionis melioris non impedit 411.2
Euangelium addit ad literam legis, non ad ſenſum 628.24
euangelij eſt comparatio ad legem, ſicut fructus ad herbã 628.7
euãgeliũ ẽ in lege, vt veritas in umbra, & figura ĩ figurato 627.37
euangelium eſt idem cum lege in ratione generali 624.8
euangelium & lex differunt multipliciter 624.30
euangelia ideo credimus, quia per eccleſiam tradita ſunt 145.23
euangelium viuum, eſt ipſa eccleſia 489.4
inter euangeliũ & legem ſex aſſignantur differentiæ 625.9 & inde
euangelij & legis differentiæ ſub compendio 628.31

Euchariſtia

Euchariſtia quare ſic nominetur 235.26
euchariſtiæ definitio proprie quæ ſit 235.32
euchariſtia excedit alia ſacramenta in quatuor 236.14
euchariſtia non modo continet corpus chriſti in vſu, ſed ſeruatur in pixide 237.6
euchariſtia conſeruatur dei virtute & gratia 237.21
in euchariſtia ſpecies duplicē ſignificant effectū gratuitū 237.26
euchariſtia dr̄ ſacrificium & hoſtia,immo hoſtia hoſtiarū 237.34
euchariſtia eſt ſacramentū vnū perfectione & integritate 237.41
euchariſtia quare nominetur ſynaxis,viaticum,ſacrificium, & euchariſtia 238.20
euchariſtię ſacramentū duraturū eſt vſque ad finē ſeculi 239.31
euchariſtia non modo patri, ſed & filio offertur 240.26
euchariſtia quid operetur in nobis 240.32
euchariſtiæ miniſter non eſt niſi ſacerdos 245.10
euchariſtia ex duobus conſtat integra 247.20
ex euchariſtiæ inſtitutione nulla eſt neceſſitas laicis, ſub vtraque ſpecie communicandi 248.44
euchariſtiæ materia ante conſecrationē eſt panis & vinū 255.10
euchariſtia quos effectus producat in nobis 263.18
euchariſtia non modo eſt ſacramentū, ſed & ſacrificium 264.6
euchariſtiæ effectus eſt, quòd ſumentes, verum chriſti corpus efficimur 264.15
euchariſtia dicitur ſacramentum pietatis,ſignum vnitatis, & vinculum charitatis 265.38
euchariſtię ſacramentum varij diuerſimodis ſumunt 266.34
euchariſtiā nemo cōficer̄ pōt niſi ſacerdos rite ordinatus 338.14
Euolatio animarum fit miniſterio angelorum 102.7
Ex, præpoſitio dicit habitudinem cauſæ efficientis 29.5
Excommunicare non poſſunt ſacerdotes communes 348.11
excommunicare eſt tradere ſatanę ad torquendum corpus protectionem ſubtrahendo 349.31
excōmunicatur nullus a iudice, niſi pereptorie monitus 350.32
excommunicari poteſt mortuus,et quomodo abſoluatur 352.27
excommunicari nullus poteſt pro alterius crimine 352.39
excōmunicare nullus poteſt ſubditum in loco nō ſubdito 352.41
Excommunicatio quare ſic dicatur 345.25
excōmunicatio maior quid ſit, & quomodo eſt maior alijs 346.1
excommunicatio dicitur mucro epiſcopalis 348.4
excōmunicatio licet ſit grauiſs. pœna,ē tamē medicinalis 348.16
excommunicationis gladius ſobrie exercendus 350.13

excommunicationes quæ non ſunt ab epiſcopo examinatæ & approbatæ,non fulminentur 350.20
excõmunicatio incurritur et a iure et a iudice dupliciter 351.33
excommunicatio quando non eſt timenda 353.16
ad excommunicationem iuſtam quæ requirantur 353.24
excommunicatio iniuſta & nulla quomodo differant 353.20
excommunicationis maioris effectus duo 354.10
excommunicatio reſtringitur per conſtantien.concilium 354.30
excommunicando apoſtoli quare tradebant ſatanæ 350.30
excommunicandus nullus eſt maiori,niſi ſeipſum minori excommunicauerit 350.35
excommunicatus corinthius a paulo correctus eſt 350.7
excommunicati ante abſolutionem in terra profana ſunt ſepeliendi,eam adepti transferendi ſunt ad locum ſacrum 316.18
excommunicatus non poteſt excommunicare 351.25
excõmunicatus vna excõmunicatione poteſt excommunicari altera, & quando ab vna ſoluitur, non ſoluitur ab alia 352.28
pro excommunicato orare poteſt quis in priuato 354.16
cũ excõmunicato multi cõmunicare poſſunt ſine peccato 354.29
Exempla non habent omnimodam ſimilitudinem 69.19
exempla ſi eſſent omnino ſimilia,non eſſent exempla 69.30
Exiſtens in gratia ſi ieiunat,aut aliud opus bonum facit, ſatisfacit pro exiſtente in purgatorio 313.19
Exteriora facta an adaugeant internam culpam 546.14
Externũ opus in venereis auget cordis concupiſcentiam 546.20
ad externum opus ſequuntur multa mala 546.22

F

FEſtiuitates multę ſecundũ ſanctos celebrãndæ 482.1 & inde
Feſto die quomodo quis poſſit in caſu manibus laborare 483.16
feſta quomodo a multis profanantur 438.10
Fictio impedit principalem effectum ſacramenti 213.27
Fides multas animas vnam facit 3.18
fidẽ quędam antecedunt,quædã ſequũtur,quædã ſunt cũ illa 4.18
fides duplex eſt, ſcilicet explicita,& implicita 9.6.
fides explicita quid ſit 9.9
fidei implicitæ deſcriptio 9.11
fidem infuſam habens quid credat 9.23
fides implicita quantum eſt vtilis catholico 9.31
fides implicita,quomodo defendat ab hæretica prauitate 9.36
fides implicita quomodo meritum faciat 10.8

fides explicita ad quid eſt neceſſaria 12.15
fidei meritum quomodo minuat & tollat ratio humana 13.17
ad fidem pertinet aliquid directe vel indirecte 23.8
fides ſumpſit exordium cum orbe condito 143.10
fides pertinet ad omnium hominum genera 143.14
fides catholica ea eſt, quę per vniuerſum annuntiatur 143.40
fides & confeſſio fidei quomodo differant 600.34
Fideles qui ſunt in eccleſia, ſunt in duplici differentia 10.22
fideles per baptiſmum liberantur a reatu, non tamen a neceſſitate moriendi 89.1
fidelis contrahens cum hæretica baptizata, etſi peccet, eſt tamen matrimonium 429.17
fidelis conuerſus nõ tenetur cohabitare cum infideli, nolente conuerti 429.26
fideli ſi immineret periculum in cohabitatione cũ infideli, poſſet cum chriſtiana contrahere 429.31
Filiationis pfecta ratio eſt in verbo, in creatura ſecũdũ quid 24.13
Filio veritas, ſpecies, omniſcientia attribuitur 27.10
filius in diuinis procedit per modum generationis 30.7
filio dei quare appropriatur dominium 30.23
filius dei quare dicatur dominus noſter 30.32
filius dei tres habet excellentias 31.25
filij dei ſunt multiplices 32.12
filius dei quare imago & verbum 32.16
filius eſt perfecta imago patris 35.20
filius dicitur verbum, quia connaturalis & coæternus 35.31
filius qa prior emanatiõe pceſſiõis, ideo ẽ principiũ ſpirãdi 41.25
filij, an in errore exiſtentes parentes poſſint accuſare 487.32
filij & ĩgredi religionẽ inuitis parẽtibus, & cõtraheř poſſũt 404.7
filij in contrahendis debent deferre parentibus 404.22
Flagella qui patienter ſuſtinent, ad requiem ſuſcipiuntur 154.40
Fomes licet ſit pœna, eſt tamen inclinatio ad culpam 551.1
Forma cõſecrationis euchariſtiæ ſub ſpecie panis quæ ſit 257.22
forma ſanguinis quæ ſit 258.23
Fornicatio ſimplex quid ſit 510.30
ob fornicationem chriſtiano licet dimittere vxorem quoad torum 507.7 & inde
fornicatio ſĩplex ſpiritualis & carnalis mortale peccatũ ẽ 510.30
fornicatio multa infert nocumenta 511.20
fornicationes non ſunt omnes eiuſdem rationis 512.25
fornicatio epiſcopi cũ virgine deo ſacrata ſacrilegiũ dicit 514.31

fornicatio vxoris quomodo cēſetur probari 430.10
ſi fornicetur grauius peccat chriſtianus, quàm ethnicus 511.34
Forus eſt duplex, & quæ ſpectant ad vtrumque 346.11
ad primum forum quæ pertineant 346.25
ad forum publicum ſiue ſecundum quid ſpectet 347.40
Fratres domini qui dicantur 394.13
Fridericus imperator hoſtis chriſtianorum deponitur 706.41
Fructus ſpiritus quales ſint 100.6
Fruimur tribus perſonis,& quare 8.2
Fruitio quid ſit 171.9
Fundamenta quatuor ad probādam euchariſtiæ veritatem 261.29
Furtum in genere eſt duplex 524.13
furtum hominis liberi dicitur plagiatus 524.25
furtum & rapina dupliciter diſtinguuntur 524.30

G

GEnerales & abbates ex priuilegio habēt votū in cōcilio 722.23
Giezi famulus eliſæi a naaman ſyro recepit munera 526.33
Gloriandum non eſt in ſapientia, vel in diuitijs 592.21
Glorioſum corpus habet in poteſtate ſua videri,vel nō videri 95.17
Gradus affinitatis & conſanguinitatis reſtricti ſunt 399.2
gradus aliter computantur in legibus,aliter in canonibus 400.24
in ſecundo gradu non diſpenſetur,niſi ob cauſam publicā 434.32
gradus eſt determinata propinquitas ꝑſonæ ad ꝑſonā &c. 419.7
Græci circa ꝓductionē ſpiritus sācti vocāt nos ſchiſmaticos 40.18
græci non florent ſapientia,quæ iam ad latinos tranſijt 41.9
apud græcos mulier conſentiens ordinationi, an alteri poſſit nubere 416.36
græci ſacerdotis filium. B. gregorius conceſſit ordinari 694.14
Gregorius quare ꝓhibuit ſe vocari vniuerſalē epiſcopum 372.12
gregorius ſanctus quomodo ſtatuit, vt ſubdiaconus non ordinaretur, niſi promitteret caſtitatem 693.38
Gula inordinatum ſignificat appetitum edendi 609.1
gulæ effectus, vt eſt mortale, qui ſint 609.21
gula quando ſit mortale 609.34
gulæ vitium connumeratur inter carnalia 610.3
gulæ ſpecies ſunt quinque 610.16
gulæ filiæ, ſecundum gregorium ſunt quinque 610.30
gulæ quatuor ſunt differentiæ 611.26
gula quot damna inferat ſecundum baſilium 611.30
gula quot mala intulit in humano genere 612.6

Hæreſes

H

HAereſes multæ ortæ ex xp̄i natiuitate cõfutant̄ 60. 36. & inde
hæreſis eſt dicere,nequeo præſtare,quod uoui 415.22
Hæretico nullus põt eſſe crudelior hoſtis,q̄ q diu eũ tolerat 502.18
hęreticorum bona per principes ſeculares non debent occupari, niſi poſtquam fuerint declarati hæretici 503.8
hæreticus dãnatus traditur ſeculari poteſtati 503.21
hæretici aſſerunt deum præcepiſſe impoſſibilia 554.7
hæretici redeuntes ad eccleſiam,an ſint ſuſcipiendi 207.28
hæreticis proferẽtibus ſcripturas,quid obijciendum 243.7
hæretico quare eccleſia pepercit poſt abiurationem 260.27
hæretici & non baptizati non ſepeliendi in loco ſacro 316.12
hæreticus nullã habet iuriſdictionis poteſtatem 370.4
hæretici multi aduerſantur virtuti paupertatis 643.20
Hierarchia noſtra exemplata eſt a hierarchia cæleſti 735.18
Homo quare magis indigebat redemptore,q̄ angelus 56.10
homo in meditullio creaturarum eſt expoſitus 57.7
homo qũo ad imaginem & ſimilitudinẽ dei creatus fuit 58.10
homini omnia inſeruiunt dupliciter 128.31
homo glorificatus an indigebit hoc mundo 128.37
homo per infidelitatem eſt mẽbrũ ab eccleſia præciſum 151.19
homo palmes fœcũdiſſimus efficit̄, quãdo vnitur vere viti 151.24
homo inueniri põt ſine querela,ſed non ſine peccato 566.5
Humanæ naturæ aſſumptio magis ſpectat ad totius vniuerſi perfectionem,quàm angelicæ 56.17
humana natura xp̄i in ſe an adoranda hyperdulia 459.1
Hyperdulia quid ſit 459.2.& 461.5

I

IDiomatum cõmunicatio nõ põt fieri ex naturis ſeparatis 52.33
Idolũ licet nihil ſit in re,ẽ tñ aliquid in hominũ opinione 472.34
Ieiunium ſiue eccleſiæ,ſiue naturæ,pręexigitur cõmunioni 246.35
Ignis conflagrationis quatuor habebit effectus 116.28
ignis infernalis acerbitas 126.36
ignis non eſt paratus a conſtitutione mundi,ſicut præmiũ 127.9
ignis non affligit pueros decedentes ſine baptiſmate 311.13
Imago eſt nomen perſonale & proprium filio 35.13
de imaginis ratione quid ſit 35.16
imaginẽ in nobis per peccatum labefactauimus 58.21
imago per filium dei,pulchritudini eſt reſtituta 58.24
imago poſt iuſtificationem,priſtino reſtituitur decori 151.16

imagines quomodo adorandæ 461.18
imaginis honor refertur ad prototypon 461.36
imagines inuentæ ſunt ex triplici cauſa 461.40
imagini chriſti debetur cultus latriæ, & quare 462.19
imagines, qui vocant idola, concilium vocat anathema 462.28
Immenſitas dei quatuor complectitur 17.28
Impedimenta multa ſunt ad poſſe ordinate cõficere 246.3. & inde
In, præpoſitio denotat habitudinem continentis 29.14
Incarnationi filij dei eſt accõmoda ſimilitudo matrimonij 50.31
incarnatio filij dei hẽt antecedẽtia, cõcomitan. & cõſeq̃ntia 51.12
incarnationis medicina congrue erat differenda 53.36
incarnatio filij dei quot nobis bona contulerit 58.32
Inceſtus multiplici plectebatur morte 495.30
inceſtus eſt alia a ſupradictis luxuriæ ſpecies 514.3
inceſtus quomodocumque eſt grauior adulterio 514.8
ex inceſtu quot mala ſequantur 514.10
Incontinentes excuſari nõ poſſunt de impotẽtia cõtinendi 685.1
Indulgentiarum theſaurus ex quibus pendet 317.22
indulgentiæ diſpenſari habent per ſummum pontificem 317.25
indulgentiarũ fructus eſt, quòd per eas illius ſatisfactionis, q̃ per ſacerdotem alicui iniungitur, fit condonatio 317.31
Infamis & infamatus non ſunt idem 342.34
infamia quomodo contrahatur 343.3
infames qui dicantur ſecundum leges 343.7
Infantes omni tempore baptizari debent 216.9
infantes iudæorum inuitis parentibus poſſunt baptizari 217.16
Inferni nomine, & pœna, & pœnæ locus intelligitur 86.21
in inferno exiſtentes qua pœna ante iudicium puniantur 309.22
in inferno damnati quibus afficientur pœnis 210.22
circa infirmum quatuor fieri debent in periculo mortis 324.36
Inimicus poteſt conſiderari vt inimicus, & vt homo 649.1
inimicus vt talis nullo modo eſt diligendus 649.9
inimicus vt homo an diligi debeat, & quomodo 649.13
inimico ſpiritualia bona deſiderare poſſumus 649.28
inimico bona indifferentia odire poſſumus 649.34
inimico poſſumus velle paupertatem voluntariã, & quare 650.1
inimico non põt quis abſolute velle mortem corporalẽ 650.15
inimico poteſt quis ſub conditione velle mortem 650.21
inimico in quibus teneamur ex chriſti lege 650.33
pro inimico quilibet tenetur orare deum 650.40
inimico oſtendere ſigna beneuolentiæ eſt conſilij 651.8

Iniuria eſſe dicitur omne,quod non iure fit 349.12
Innaſcibiles non poſſunt eſſe duo 22.33
Innocentius quartus vult opus ſuum eſſe magiſtrale 235.6
Inſcriptio legis naturæ & gratiæ eſt duplex 623.1
Inſipientia quare ab ea inchoatur peccatum 588.1
Inſtituta ſunt multa,q̃ cum non expediant aboleri conuenit 687.5
Intelligibile vel ideale tempus non fuit verum tempus 46.10
Intentio eſt triplex,actualis,habitualis, & virtualis 553.39
intentio virtualis quæ ſit,& quomodo neceſſaria 254.7
Intuitus eſt quadruplex in adminiſtratione ſpiritualium 528.1
Inuidia quid ſit 592.33
inuidia triſtari poteſt de bono alterius dupliciter 593.2
inuidia proprie eſt de gloria alterius 593.11
inuidia non eſt de multum a ſe diſtantibus 593.15
inuidia eſt peccatum mortale 593.37
in inuidia inuenitur quandoque peccatum veniale 594.4
inuidia contingere poteſt quadrupliciter 594.15
inuidiæ multæ ſunt filiæ 595.3
inuidia quandoque ſumitur nomine iræ 595.14
inuidia quandoque ſumitur nomine emulationis 595.17
inuidiæ deteſtatio ſecundum beatum baſilium 595.23
inuidia quot mala fecit 596.10
Ioſeph virginis ſponſus perpetuo fuit virgo 391.20
Ioſue quare dictus eſt ieſus 32.31
Iouianus prætoriam legẽ dedit contra ſtuprantes virginem 639.23
Iouinianus etſi erat virginitatis exterminator, noluit tamen matrimonium contrahere 630.35
Ira multiplex eſt & bona & mala 66.13
iræ motus in quadruplici differentia reperitur 66.18
ira quid ſit ſecundum philoſophum & ſecundũ doctores 596.36
ira eſt vitium capitale,ex quo multa oriuntur 596.41
ira quomodo poteſt eſſe veniale peccatum 597.10
ex ira oriuntur multa mala 597.27
iram multis modis damnat baſilius 597.35
iræ tres ſpecies communiter inueniuntur 597.40
iræ quinque ſigna diffuſe demonſtrantur 598.11
iræ filiæ multæ ſunt ſecundum gregorium 598.26
ex ira multa mala oriuntur ſecundum baſilium 601.13
iræ multa remedia adhibentur 601.22
ira quæ procedit ex vitio obnubilat rationem 492.24
ex ira vbi creuit ordo culpæ,creuit & ſententiæ 492.32

ira ſine voce, cum voce, & cum contumelia quõ puniatur 492. 34
Irregularitas quid ſit 343. 22
irregularitas ex quibus contrahatur 343. 24
irregularitas incurritur ex homicidio & bigamia 345. 2
Iudæi quando conuertentur ad fidem 116. 8
Iudicis officia quæ ſint 107. 15
iudex alicuius rei, eſt multiplex 120. 39
iudici quot aſſiſtunt ad iudicandum 121. 3
iudex qua forma vtetur in ſententiando iniquos 126. 9
iudex reddet vnicuique ſecundum opera ſua 130. 30
Iudicij vniuerſalis congruentia 111. 26
iudicij vniuerſalis ſigna ſunt multa 112. 9
ante iudicium erunt ſigna in ſole luna & ſtellis 116. 10
iudicio peracto maius erit lumen ſolis & lunæ 116. 22
iudicij vltimum ſignum erit ignis conflagrationis 116. 25
iudicium concomitantia ſunt quatuor 117. 33
ad iudicium vox tubæ citabit oẽs angelos & homines 118. 1
in iudicio dextera erit bonorum, & ſiniſtra malorum 118. 18
ad iudiciũ oẽs comparebunt tã ſaluandi, quàm damnandi 118. 24
in iudicio quomodo mali reſurgent 118. 25
iudicij vniuerſalis tuba tremenda 118. 31
in iudicio diuerſimode ſituabuntur corpora 119. 5
in iudicio frater fratrem tradet in mortem 119. 31
iudicium vniuerſale vbi fiet 119. 35
iudicium erit ad manifeſtandam diuinam iuſtitiam 120. 18
in iudicio omnia fient in breuiſſimo tempore 120. 26
iudicij finalis omnium retributio 120. 33
in iudicio an omnes iudicabuntur 121. 31
in iudicio erunt duæ partes, electorum ſcilicet, & reproborum, & quomodo iudicabuntur omnes 122. 1
in iudicio, condemnationis ratio venit ex tribus 123. 1
iudicium ſumitur multipliciter 123. 22
in iudicio vniuerſali quędam erunt præuia 124. 32
iudicium eſt duplex approbatiuum & condemnatiuum 124. 17
in iudicio chriſtus corporaliter apparebit vt iudex 125. 2
poſt iudicium ceſſabit omnis motus cæli 126. 32
poſt iudicium erit cælum nouum & terra noua 128. 30
iudicium vniuerſale expectabunt iuſti 130. 35
iudicia dei occulta intuebitur in deo anima beata 167. 4 & inde
iudicium vniuerſale erit non obſtante, ꝙ animæ ſint beatæ 465. 24
Iudicandi poteſtas cui data eſt in iudicio 119. 38

Iuramentum per quæ non ſit faciendum 469.28
iuramentum ad confirmationem ordinatur 469.37
iuramentum fit per diuinum teſtimonium 470.8
iuramentum omne non eſt chriſtianis prohibitum 470.17
iuramentum ex ſe eſt bonum dupliciter 470.39
iuramentum fit per maiores, & eſt finis controuerſiæ 471.2
iuramentum eſt actus latriæ 471.3
iuramento vtimur propter aliorum infirmitates 471.30
iuramento non obſtante, iuſtitia chriſtianorum præcellit iuſtitiã phariſæorum 472.14
iuramentum ad religionem ſpectat 473.10
iuramenta quot debent habere comites 473.20
iuramentum eſt duplex aſſertorium & promiſſorium 470.11
iuramentum dicere prohibitum eſſe chriſtianis, hęreſis ē 470.27
iuramentum ex ſe eſt bonum ex origine & fine 470.34
iuramentum per maiores fit, & deus iurat per ſeipſum 471.2.& 9
Iurare dicitur aſſumere deum in teſtem 470.9
iurare omnino, & omnino non iurare, non ſunt idem 470.34
iurare in vanum, eſt iurare ſine tribus comitibus 474.1
iuratur cauſa boni, vel mali multipliciter 474.20
iurandum an ſit per idolum 472.31
Iuriſdictionem in alium quis acquirit multipliciter 351.40
Ius ſpirituale cadere non poteſt in laicum 330.1
Iuſti poſt ſententiam iudicis in iudicio lætabuntur 128.8
Iuſtificatio noſtra paſſioni & reſurrectioni attribuitur 74.22
iuſtificatio tribus modis eſt a chriſti paſſione 74.33
ad iuſtificationem impij multa ſunt neceſſaria 148.37
iuſtificatio requirit liberi arbitrij cooperationem 149.7
in iuſtificationis ordine vnus reluctatur, & alter locum dat deo pulſanti 149.19
iuſtificatio reqrit arbitrij motũ per virtutes theologicas 149.39
ad iuſtificationem prærequiritur pœnitentiæ virtus 149.31
in iuſtificationis proceſſu triplex eſt differentia 152.12
ſicut iuſtificato baptiſmo flaminis neceſſarius eſt fluminis baptiſmus, ita diſpoſito de congruo, neceſſarium eſt ſacramentum pœnitentiæ 287.13
Iuſtitia dei peccatores damnantur 20.20
iuſtitia declinat a malo, & facit bonum 575.7
iuſtitia eſt duplex, actualis & habitualis 271.22
iniuſtitia actualis manere non poteſt ceſſante actu 271.33
Iuſtitiati pœnitentes quomodo poſſunt ſepeliri in ſacro 316.15

L.

LAici nō obligantur ad cōmunionem ſub vtraque ſpecie 249.33
laicæ cōmunionis,canones conciliorum meminerunt 249.23
laicorum oratio etſi ſit magis grata deo,presbyteri tamen eſt magis grata ſimpliciter 324.26
laici quidam etſi vngebant & ſanabant,non tamen eorum orationes erant ſacramentales 324.32
laici poſſunt concilio intereſſe pro tuitione eiuſdem 718.3
Lapis exciſus de monte ſine manibus quid ſignificet 59.14
Latria ſoli deo conuenit 456.18
latriæ interiori quid reſpondeat extra 456.20
latria poteſt accipi pro actu interiori vel exteriori 456.28
latria proprie quid ſit 457.35
Latro quomodo in die mortis ſuæ fuit in paradiſo 87.41
latrocinium latronis mutatum eſt in martyrium 281.30
Leo primus pcepit laicos cōmunicari ſub vtraque ſpecie 250.10
Leuantes in baptiſmo tenentur ad inſtructionem 208.2
Lex omnis non mandat niſi iuſtitiam 449.22
lex quomodo puniebat pœna mortis verba & facta 494.23
lex peccati eſt in membris noſtris 546.35
lex carnis nata eſt,quando eam adam trangreſſus eſt 547.30
lex poſterior regulariter eſt perfectior priore 176.24
lex perfectior ad ſui obſeruatiā quibus indiget adiutorijs 176.26
lex euangelica facilioribus indigebat remedijs 176.34
in lege naturæ fuere oblationes, ſacrificia,& decimatiōes 190.33
in lege ſcripta introducta eſt circunciſio &c. ibidem
in lege noua inſtituta ſunt ſacramenta efficaciſſima, ibidem
in lege antiqua offerebātur ſacrificia,figurātia euchariſtiā 241.28
legi naturæ minus obediunt homines, quàm deo 383.10
lex moyſi abrogata ē de gradib⁹ conſāguinitatis & affinit. 398.12.
per leges ciuiles aliter cōputantur gradus,q̄ per canones 419.38
lex conceſſit in caſu,vt frater acciperet vxorem fratris 423.26
lex dat præcepta,euangelium conſilia 622.20.
in lege fuere iudicialia, cæremonialia, & moralia 622.33
lex noua iudicialia tēpat,figuras euacuat,pcepta cōſūmat 622.35
lex noua tria addit ad legem antiquam 622.39
in lege eſt elementum,in euangelio ſermo perfectus 623.1
lex vetus & noua,quomodo ſunt idem & diuerſa 623.25
lex noua ad præcepta addit conſilia 629.12
leges noſtræ prohibent clericis dare operam liberis 670.30
lex euangelica in multis anteponitur legi moyſi 622.39

Limbus

Limbus dicebatur olim ſinus abrahę,ſed non modo 91.14
ad limbum poſt reſurrectionem nullus deſcendit 312.15
Linea conſanguinitatis quid ſit ſecundum iura 418.39
linea diuiditur in aſcendentē,deſcendentē,& tranſuerſalē 418.41
lineæ tres ſupradictæ,quid ſint 419.1
Locus vbi celebrat,nō debet eſſe interdictus,ſed sāctificatus 272.3
locus vbi pueri nō baptizati locantur,eſt ſub purgatorio 311.7
Lucrum quid ſit, ſimiliter & ſors in mutuo 535.12
Luxuria connumeratur inter opera carnis 612.37
luxuria eſt vitium capitale 613.13
luxuriæ progreſſus per ſeptem gradus 613.22
luxuriæ vitium quot cauſet incommoda 617.21
luxuriæ remedia ſeptem 619.8

M

MAgiſtratus poteſtatem habet ordinandi quod ad ſalutem reip. pertinet 397.34
magiſtratus omnis diſponere poteſt de pertinentibus ad ſalutem publicam 397.34
magiſtratus neceſſe fuit conſtitui pro gradibus matrimonij conſtituendis 398.19
Mahumetes non fuit in perſona antichriſtus 115.32
Maiores in eccleſia ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ 10.30
maiores in eccleſia quid credere tenentur 11.13
maiores & minores tenentur omnes errores cauere 12.26
Malum eſt triplex ſcilicet culpæ pœnæ & damni 559.25
malum culpæ diuiditur in originale & actuale 559.33
malū,vel eſt ex genere actus,vel ex malitia intentionis 541.37
Maleficium tollere eſt meritorium 431.26
Manichæi ponunt & falſo nihil eſſe aliquid 47.4
manichæus poſuit deum cauſam tantum viſibilium 44.31
Marcus aſſignat paupertatis fructum etiam in hac vita 640.31
Maria virgo adoranda hyperdulia 459.5
maria per cōcilium epheſinū non poterat vocari mater xp̄i 459.5
maria virgo voto caſtitatis ſe deuouit 392.32
mariam virginem decuit vouere virginitatem 393.3
maria & ioſeph communi cōſenſu caſtitatem vouerunt 393.21
mariæ & ioſeph ꝓpter votum,nō repugnabat deſpōſatio 393.23
maria fuit de duabus tribubus 394.23
mariam quare voluit occulte dimittere ioſeph 394.30
maria virgo,quomodo cuæ multis nominibus præponatur 60.24

in

in maria ſola manſit fides explicita de filio in triduo 134.27
Maritus quamprimum conſtat ſibi de fornicatione mulieris, quid debet facere 430.6
maritus coram quibus accuſare debet vxorem 430.13
Martinus coactus eſt cõfiteri veritatẽ corporis xp̃i in ſacro 260.37
martinus p̃fatus negat tranſubſtantiationem 261.12
Martyres mundum, carnem virgines, & prædicatores diabolum vincunt 162.31
Maſculi & alij, qui ſibi poſſunt eligere ſepulturam 315.32
Materia ex qua factus eſt mundus, fuit ex nihilo 47.14
Matri quantum honorem exhibuit ſalomon 485.34
Matrimonium ſpirituale eſt duplex 50.38
matrimonium carnale quædam habet antecedentia & quædam conſequentia 51.6
matrimoniũ, vt ſacramẽtũ ĩſtitutũ nõ fuit ĩ ſtatu innocẽtię 175.18
matrimonium ad fideliũ multiplicationem ordinatur 379.39
matrimoniũ cõtrahens, quid in animo voluere debeat 380.1
matrimonium eſt verum eccleſiæ ſacramentum 380.10
de matrimonio ponuntur nonnullę concluſiones 380.18
matrimonium eſt vnum vnitate integritatis 384.24
matrimonio annexit deus ſacramentum in lege noua 384.8
matrimonij forma eſt aliquod ſignum ſenſibile 384.19
matrimonij miniſter quis ſit 384.29
matrimonij effectus duo ſunt 384.33
matrimoniũ aliud eſt a cõtractu matrimonij & ſacramẽto 385.2
matrimoniũ, cõtractus, & ſacramentũ matrimonij q̃d ſint 385.5
matrimoniũ ſignificat primũ in recto, & alia in obliquo 385.17
matrimonij ſacramentum quando inſtitutum fuit 386.6
matrimonij vſus nõ eſt tantũ in remediũ, ſed & in officiũ 386.22
matrimonij inſtitutio fuit duplex vna ante lapſũ, alia poſt 386.24
matrimoniorũ aliud ẽ initiatũ, aliud ratũ, aliud cõſũmatũ 386.35
in matrimonio eſt tria conſiderare 386.39
matrimonij definitio ſecundum magiſtrum quæ ſit 387.5
matrimonij bonum eſt triplex 387.28
matrimonium q̃uo eſt indiſſolubile 388.18
matrimonij indiſſolubilitas quid ſignificet 388.20
matrimonij primũ bonũ & intrinſecũ, eſt indiſſolubilitas 388.30
matrimonij fidelitas eſt bonũ eius, & finis propinquus 388.32
matrimonij bonũ extrinſecũ & finis principalis ẽ ꝓles, ibidem
matrimonium conſummatum q̃uo habeat illa tria bona 388.40
in matrimonio ſacramentũ vt eſt eius bonũ, quid ſignificet 389.2

matrimoniũ ratũ & non conſummatũ qũo diſſolui pōt 389.20
matrimonio,bonũ fidei & ꝓlis nō ſũt neceſſaria formaliter 389.11
matrimoniũ cōtractum ſub cōditione repugnāte,nihil eſt 390.11
matrimonium verum fuit inter ioſeph & beatā virginem 390.31
matrimoniũ eorũ ab oī carnali cōcupiſcētia fuit alienũ 390.32
pro matrimonio inter eos cōtracto ſunt multæ cōgruētiæ 391.9
matrimoniũ nō ē pfectũ ſine copula quoad ſignificationē 393.36
matrimoniũ ratum ſignificat vnionem animæ cum gratia 393.38
matrimonium non facit conſenſus niſi per verba de pñti 395.10
matrimonium contrahens cum ſecunda per verbum de præſenti
poſt ſponſalia iurata,vere contrahit 396.6
matrimonium vt officium naturæ ſtatuitur lege naturali, vt ſacramentum iure diuino,vt cōmunitatis officiũ lege ciuili 399.10
matrimonia clandeſtina ex cauſa irritari poſſunt, 401.12
matrimonia anteq̃ cōtrahanť,quid agendũ per parochos 401.29
matrimonia quæ fiunt inuitis parentibus an reſcindantur 402.37
matrimoniũ impediētia & nō dirimētia quæ ſint 406.25 & inde
matrimonio rite celebrato & conſummato ſuperueniens diſparitas cultus, an poſſit diſſoluere illud 429.10
matrimoniũ non diſſoluitur propter frigiditatem vxoris 431.5
matrimoniũ magis diſſoluitur propter frigiditatem viri 431.12
in matrimonio aliud impedimentum eſt arctatio 431.7
matrimonium diſſoluitur propter maleficium perpetuũ 431.15
matrimonio furor ſuperueniens,non impedit 431.39
circa matrimonium cōtrahendũ,an adulterium, fidei datio adulteræ,& alia annexa impediant & dirimant 432.10
matrimonium,non ſemper dirimit vxoricidium 433.15
matrimoniũ contrahere cũ ſecunda & tertia an liceat 433.25
matrimonium non imprimit characterem 433.36
matrimonium primum habet duas honeſtates 433.37
in matrimonio requiritur conſenſus complete liber 434.35
matrimonium carnale per votum ſollemne non dirimitur 413.35
matrimonio ordo ſuperueniens imprimit characterem 416.21
matrimonium inter fidelem & infidelem eſt illicitum 427.37
matrimonium an fidelis poſſit contrahere cum infideli 428.10
matrimoniũ cōtractũ ab infidelib⁹, principes irritare poſſũt 399.8
Medicina magni momēti nō adhibeť ægroto niſi p̄diſpoſito 54.1
in medicinalibus duplex eſt modus curandi 348.25
Melchiſedech panem & vinum ſolus obtulit 240.16
Mendacia quædam in hiſtorijs quomodo excuſentur 544.30
mendaciũ eſt falſa vocis ſignificatio cũ intētione fallēdi 540.33

f mendacium

mendaciũ pernicioſum regulariter eſt ex libidine mortali 541. 3
mendaciorum auguſtinus ponit octo genera 541. 18
mẽdacio adeo ẽ eſſẽtiale inordinatio, vt nõ poſſit bñfieri 541. 34
mendacium qua ratione fit mortale 542. 17
mendaciũ officioſum & iocoſum in quibus ſint mortalia 542. 27
in mendacio officioſo non plus peccat religioſus, q̃ alius 543. 18
mendacium quale crimen ſit, colligitur ex auguſtino 543. 39
mendacijs multi afficiuntur 544. 18
mendacium pernicioſum poteſt eſſe tripliciter mortale 544. 9
mendacia in hiſtorijs ſcripturæ, an ſint vera mendacia 544. 24
Mẽs ĩdiget purgari vt deũ cognoſcat quoad ĩtellectũ & affect. 14. 14
Mentiri contingit ex libidine veniali vel mortali 540. 39
mentitur non ſolũ in falſis verbis, ſed ſimulatis operibus 544. 17
Meretrices eſſe & ad meretrices accedere ꝓhibet dominus 511. 10
Miniſterium dedit ſeruis chriſtus, poteſtatẽ ſibi retinuit 178. 12
Minores in eccleſia qui ſint 10. 29
minores in eccleſia quid credere tenentur 11. 17
minores in eccleſia credere debent trinitatem 11. 34
minores tenentur credere, ꝙ in diuinis ſit pater, filius, & ſpiritus ſanctus, & quòd hi tres vnus ſunt generaliter 12. 2
minores tenẽt credẽr explicite, quod vſus eccleſiæ manifeſtat 12. 6
minores omnes tenentur nõ pertinaciter adhærere errori 12. 27
Mirabilius eſt cælum & terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe, quàm ipſum hominem ex terra reparare 47. 28
Miſſa ex præcepto eccleſiæ audienda dominicis diebus 283. 3
Modus perueniendi ad notitiam ſcripturarum 556. 25
Mœchari an quis poſſit ſolo facto 545. 29
non mœchari corde eſt maior iuſtitia 546. 7
in Monaſtica vita ꝓfeſſus nihil hñs, poſſidet bona monaſterij 641. 8
a Morte quis dupliciter eripitur 95. 38
Moroſa delectatio quomodo non eſt ſine conſenſu 553. 30
Mortui in torneamentis in loco ſacro non ſepeliuntur 316. 15
Mos populi dei, & maiorũ inſtituta, pro lege tenenda ſunt 697. 24
Motus primi licet vitari poſſint, non tamen omnes 550. 28
motibus primis quid opponatur 551. 39
Moyſes quare non introduxit populũ in terrã promiſſionis 32. 41
moyſes cum eduxit populum ex ægypto, dicuntur corruiſſe omnia ægypti ſimulachra 58. 36
Mulier poteſt multiplici fine aſpici 615. 25
mulier ante annum ſine infamia nubere poteſt 403. 27
mulier infidelis dimiſſa a chriſtiano poſt aliud matrimoniũ chriſtiani,

ſtiani, poteſt nubere alteri 429.36
Mundus a caſu gubernari non poteſt 17.1
Muneris triplex genus, a manu, obſequio, & lingua 533.28
in Mutuo quomodo transferatur dominium 518.23
Myſterium fidei quid ſignificet in conſecratione ſanguinis 259.2

N

NAtura aſſumpta a verbo non erat perſonata 51.38
Nazaræi totam comam non radebant, & quare 328.34
nazaræi erant in duplici differentia 328.38
nazaræi completo voto redibant ad vitam communem 329.12
Neceſſitas eſt duplex, conſequentiæ & conſequentis 446.40
in Negotio pietatis ceſſant naturæ leges 404.6
Nicolaus cœpit primum in cælibatum inuehi. 669.3
Nocte ſancta natiuitatis miſſas celebrare poſſumus 253.26
Noæ filij turrem ſuperbiæ ædificarunt 2.7
Non omnes capiunt verbum, quomodo intelligatur 634.16
Notio in diuinis quid ſit 22.12
notiones quinque ſunt in diuinis perſonis 22.24
notionum tantum tres conſtituunt perſonas 22.39
notionibus quis poteſt contraria opinari, & quomodo 23.3
Nouatiani de diuinitus inſtituta abſolutione pugnabant 268.21
nouatiani catharos, ideſt mundos ſemetipſos appellabāt 268.40
Nouatus propter quid damnatus eſt vt hæreticus 267.36
nouatus tollit pœnitētiæ partē, q̄ exomologeſim dicimus 268.12
nouatus quare ſeparatus ſit ab eccleſia 268.33
nouatum cum complicibus damnauit cornelius 269.2
Nubes quæ ſuſcepit chriſtum, non præbuit eidē adminiculū 104.13

O

OBedientia quæ eſt tertium conſilium eſt nobiliſſima omnium virtutum moralium 643.36
obedientia quare dicatur abnegatio propriæ voluntatis 644.25
obedientia in ſcripturis eſt quintuplex 644.27
per obediētiā bonū cōſūmatū melius eſt, q̄ nō conſūmatū 645.9
ad obedientiæ excellentiam ſex requiruntur 647.8
Obijciuntur multa cōtra cauſas occiſionis in ſcripturis, & reſpondetur obiectis 496. & inde
per Oblationem ſacrificij liberata eſt domus a diabolo 266.18
Obligatio ad inſolidum reducitur ad auferre vel detinere 520.7
Occiſionum quatuor genera reperiuntur in ſcriptura 494.3

Odium proprie quid ſit 280.8
odium ex amore eſt,aut noſtri, aut dei,aut vtriuſque 280.18
Offenſa dei nil aliud eſt niſi uelle uindicare 272.34
Officium ſubdiaconorum quale ſit 333.20
officio ſubdiaconorum quando functus eſt dominus 333.28
officium differt a fine 624.20
Omiſſio operũ miſericordiæ quare exprimatur in ſentẽtia 127.33
Oſculum quomodo eſt peccatum,& quomodo non 616.27
Omnes credentes,diſcipuli nominabantur 366.20
Omnipotens etſi ſit deus,falli,vel mentiri non poteſt 25.11
omnipotentem audiens, quid homo intelligere debeat 24.37
omnipotens dicitur deus,quia poteſt omnia abſolute 25.24
omnipotens dicitur,quod poteſt in omne poſſibile 26.4
omnipotẽs theologice poteſt in omnẽ effectũ immediate 26.10
Omnipotentia communis eſt tribus 25.16
omnipontia eſt eorum,quæ non implicant contradictionẽ 25.30
omnipotentia theologica eſt tantum credita 26.15
omnipotentia theologica probabiliter demonſtratur 26.35
omnipotentia ſpecialiter attribuitur patri 27.5
Opus an aliquid addit ad malitiam voluntatis 584.3
Oratio pro defunctis in miſſa traditio eſt apoſtolica 145.32
Oratorium facere ſacrũ non licet niſi auctoritate epiſcopi 252.19
Ordinatio vniuerſi non poteſt eſſe a caſu 16.34
ordinatio,iuſtificatio,& productio rei ad quid reducitur 48.30
ordinatio in ſacerdotem & alios ſacros quid ſit 330.20
ordinatio & baptiſmus manent integra in præciſo 331.8
ordinatio prælatorum ſemper fuit apud epiſcopos 362.2
Ordinauit optatum cyprianus 333.26
ordinantur omnes per manuum impoſitionem 334.7
ordinare familiam & vnumquemque in officio conſtituere ad quem ſpectat 338.5
Ordo ſpectat ad ſpiritualem generationem eccleſiæ 327.1
ordo ſumitur multipliciter 327.9
ordo importat gradum præeminentem in politia 327.22
ordinẽ dr habere perſona,quæ habet gradũ præeminentẽ 327.28
ordo ſumitur prout eſt gradus in eccleſia 327.36
ordo quare dici poſſit prima tonſura 328.3
ordo ſeu ordinatio quid ſit 330.10
ad ordinem expectare vocationem debemus 330.35
de ordinis eſſentia non modo eſt porrectio,ſed et tactus 331.6
ordinum omnium quæ ſit propria materia 331.19

ordines diuiduntur in quatuor minores & tres ſacros 331.19
ordinis omnis ponuntur officia,quæ xp̄us exercuit 331.28
ordines omnes enumerant multi ſancti 333.5
ordine diaconorum vel leuitarum functus eſt dominus 333.38
in ordine p̄fato ſeptem fuerunt electi 334.1
ordinis ſubdiaconatus & diaconatus forma 334.10.& 21
ordines propter tria ſunt inſtituti 336.41
inter ordines vnitas eſt congruitatis 337.21.& 340.33
ordine inferiore p̄termiſſo poteſt ſumi ſuperior 337.24
ordine ſacerdotali p̄termiſſo,non pōt quis epiſcopus fieri 337.26
ordinis ſacerdotalis epiſcopus eſt proprius miniſter 337.38
in ordinibus diuerſis diuerſi imprimuntur characteres 340.21
ordinem non poſſe ſuſcipi contingit tripliciter 356.10
ordinem ſuſcipere q̄uo poſſit,vel non poſſit puer 356.14
ordinē non poſſe ſuſcipi ſimpliciter,ē in ſexu muliebri 356.33
ordines maiores quo tempore ſumi debent ſecūdum iura 357.2
ordinis ſacramentum dirimit contractum 415.32
ordinem recipiēs,votum ſi non exprimat verbis,emiſiſſe illud intelligitur 416.14
ordo & matrimonium vt ſacramentum ſunt,cum ſacerdotio pugnare videntur 417.41
ordo ſacer q̄uo ab ātiquo īpediuit matrimoniū cōtrahēdū 679.28
Originalis iuſtitia quid erat & quid operabatur 560.20
originale peccatum in qualibet lege habuit ſuum remediū 54.14
Originis peccatum non eſt concupiſcentia 559.34
Ornamenta in miniſtro requiruntur ad debite conſecrandū 251.7

P

PAlma quid ſit,& cui reſpondeat 163.6
Panis in euchariſtia debet eſſe triticeus & ſanus 255.26
panis azimus eſt magis congruus, quàm fermentatus 255.33
Papæ arbitrio remiſſa ſunt ea,quę ſunt iuris poſitiui 745.32
papa quare noluit vocari vniuerſalis epiſcopus 142.10
papa an poſſit ab epiſcopo tollere poteſtatē ordinis 359.21
papa pōt ꝓhiber̄ epiſcopis executionē ordinis epiſcopalis 361.10
papa pōt dare auctoritatē ſacerdotibus ſup ſacramētalia 361.26
ad eſſe papā q̄dam ſunt neceſſaria, & quędā ad bene eſſe 367.31
ad papam eſſe ſimpliciter duo ſunt neceſſaria 367.36
papa poſtquam conſenſit electioni ſuæ , ad quid tenetur 368.6
ad eſſe papā requiritur fides,quę eſt fundamentū papatus 368.27
papę primum officium eſt confirmare alios in fide 369.26

papæ

papæ aliud officium eſt paſcendi oues catholica doctrina 369.31
papa effectus hæreticus non eſt papa 369.36
papam hæreticum quandiu eccleſia tolerare debet 370.5
papa an errare poſſit in dando populo fidei decreta 370.23
papę encomia ſecundum concilium florentinum 370.27
papa in totam eccleſiam vniuerſalem habet p̄lationem 372.5
ad papam epiſcopi habent liberam poteſtatem appellandi 372.40
papa eſt immediatus prælatus omnium fidelium 373.11
papa ſolus plenitudinē habet poteſtatis diſpēſādi in votis 373.16
papa an poſſit diſpēſare ī voto cōtinētiæ annexo religioni 373.25
papa nullum poteſt eximere a ſua obedientia 373.35
papa iuramenta in melius commutare poteſt 374.11
papa ſolus pōt amouere ab epiſcopo curam animarum 374.20
papa poteſt in voto diſpenſare quo quis ſe ad curam animarum aſtringit 374.24
papa etſi poſſit dare facultatem ſacerdoti, vt conferat minores,& confirmationem, non tamen poteſt auctoritatem dare diacono abſoluendi a peccatis 374.33
ad papam ſolum ſpectat dare plenarias indulgentias 374.38
papa nō pōt cōdeŕ nouos fidei articulos,aut factos amoueŕ 375.1
papa fidei ſymbolum ordinare poteſt 375.6.& 13.7
ad papam ſolum pertinet concilia confirmare 375.20
papa ſolus poteſtatē habet vniuerſale cōciliū cōgregandi 375.36
papę diſpoſitioni ſūt relicta omnia,q̄ ſunt de iure poſitiuo 376.18
papa diſpenſare non poteſt in his,quę ſunt iuris diuini 376.26
papa diſpenſare non debet niſi ex magna cauſa, quod bigamus promoueatur 376.33
papa an ea,quę ſunt ab apoſtolis ordinata,poſſit diſpenſare 377.2
papę exigenti clerici tenentur ſoluere decimas 377.8
papa ante conſecratiōnē vocat ſe epiſcopū electum 377.23
pro papa habetur,q legitime a duabus partibus ē electus 377.28
papa licet ab electione hominum habeat vt ſit papa, a deo tamen habet plenam ſuper eccleſiam poteſtatem 377.37
papa non poteſt per quodcumque crimen deponi &c. 377.39
a papa ad concilium nullo modo eſt prouocatio 734.38
papa tribus de cauſis conuenire non debet ad concilium 721.20
papa nihil pōt tollere de ſtatutis cōciliorū cōcernētib.fidē 730.20
papa in quibus ſtare debet iudicio concilij 730.33
papa reuocauit decretum concilij chalcedonen. 732.31
papa multis nominibus eſt ſuperior concilio 733.30
papa confirmat concilium mediante ſynodo 738.28

papa in quibus teneatur parere decretis concilij 739.5 & inde
papa innocentius 3. mitigauit decretum concilij lateranenſis ſub alexandro factum contra ſpurios 739.41
papa de honeſtate ſubijcitur decretis conciliorum 740.8
papa non habet indicem in terris niſi in cā hæreſis 725.23.& inde
papa legitima cauſa ſubſiſtente pōt concilium diſſoluere 725.15
papa pōt ex cauſa dare votum in concilio non habētibus 722.15
papa prærogatiuam habet non errandi in determinando, quæ ſunt fidei 729.3
Papalis dignitas fundari nō pōt, vbi nō eſt fidei fundamentū 369.7
papalibus ſtatutis dicere nō eſſe obediendū, hæreticū eſt 372.30
Papatui quatuor leguntur renuntiaſſe 368.16
papatus munus, ſicut nec alia dignitas, amittit p mortale 168.32
Paphnutij hiſtoria de nicæna ſynodo euidentibus rationibus apparet falſa 672.1
Paradiſi cęleſtis & terreſtris, adæ peccatū ianuam clauſit 74.7
Parentes primum locum tenent inter domeſticos 484.33
parentes noſtri, ſorores, & fratres, qui ſint 484.12
parentum nomine qui cenſendi ſunt 484.39
de parentum honore pceptum pōt tripliciter intelligi 485.3
per parentum honorem quid intelligamus 485.20
parentum honor includit ſubſidium eis impendendum 486.10
ſicut parentis, quare non ſic filij, præcipiatur honor 486.26
in parentes amor filiorum eſt debitus 486.36
parentum amor intenditur per viam rationis 486.40
ad parētē obligatio filij, an ſoluatur per ingreſsū religionis 487.4
parentum neceſſitas an ſit ſufficiens cauſa, vt dimittatur ingreſſus religionis 487.11
parentū nomine q intelligātur in pcepto de honor parētū 488.19
parentes honorantibus promittitur longæuitas 489.21
parentibus triplex honor debetur 490.17
parentum percuſſores interficiebantur 495.14
Parochi, q ptermittūt circa matrimonia leges cōcilij, puniūt 402.10
parochus ſolus benedicere habet ſponſum & ſponſam 402.22
Paruuli qūo poſſunt baptizari inuitis parentibus 218.4
paruulus expoſitus an debeat abſolute baptizari 218.28
Paſſio qūo eſt meritoria, & quomodo non 73.21
in paſſione ſūt cōſiderāda paſſionis cā, & paſſionis ſuſtinētia 73.16
paſſionis chriſti virtus ſicut viuis applicatur per ſacramenta, ita & mortuis per deſcenſum eius ad inferos 86.16
paſſionum triplex eſt differentia 162.33

paſſiones xp̄i qūo non in ſolo xp̄o, immo non niſi in xp̄o 316.30
ſi paſſiones chriſti in ſolo chriſto, quare paulus dicit, vt ſuppleam quę deſunt paſſionum xp̄i in carne mea 316.36
paſſionibus xp̄i nihil deerat, quatenus caput eſt ibidem
Patres antiqui deum interius laudabant, ſicut & nos, recognitio tamē dn̄ij exterior alia erat in lege moyſi, alia in euāgelio 241.23
pater poteſt opera filij vti, ſicut & ſerui 484.36
pater prima in diuinis perſona eſt, quæ genuit filium in deitate æqualem 21.7
pater ē a quo omnis paternitas in cęlo & in terra nominat̄ 21.10
pater ſumitur eſſentialiter & notionaliter 21.14
pater quando ſumitur eſſentialiter quid ſignificet 21.14
pater vt ſumitur ꝑſonaliter, vel notionaliter, quid importet 21.31
patris nomen dicitur per prius ſecundū quòd perſonaliter, quàm eſſentialiter 23.40
pater habet totā rationem paternitatis perfectam, creatura ſecundum quid 24.6
patri vnitas, æternitas, principium &c. attribuitur 27.9
pater prior eſt omni emanatione, ideo eſt principium vtriuſque perſonæ 41.19
pater & filius licet ſint duo ſpirantes, non tn̄ duo ſpiratores 41.32
patrem & filium ſe diligere ſpiritu ſancto, prout amor ſumitur notionaliter, nil aliud eſt, q̄ ſpirare amorem 42.5
patri, filio, & ſpiritui ſancto quid approprietur 48.23
in patre eſt maieſtas adoranda, in filio veritas aſſerenda, in ſpiritu ſancto bonitas amanda 449.29
parentibus maxime obligamur inter proximos 484.3
patres in cōcilio nihil ſtatuere poſsūt ſine auctoritate papę 376.4
pr̄s 227. ī trullo regij palatij canones edideˀūt ꝓ cęlibatu 673.13
Patritiani hęretici ponunt carnem a diabolo conditam 46.29
Paulus luctabatur, ſed non ſubiugabatur 548.5
paulus agebat bonū, quia cōcupiſcentiæ nō conſenſiebat 548.7
paulus rationabiliter reſtitit petro in antiochia 199.9
paulus quod donauit corinthio, fecit in perſona xp̄i 317.30
paulus falſo numeratur inter coniugatos 689.5
Paupertas alia eſt, quam quis patitur, alia quam quis eligit 640.5
paupertas ſi voluntaria non ſit, non eſt euangelica 640.17
paupertas philoſophorum quid peperit hominibus 640.20
paupertas voluntaria peperit diuitias & omnia bona 641.1
paupertas eſt duplex exterior & interior 641.18
paupertas exterior nec bona eſt, nec mala ex ſe, 641.36

paupertas eſt mediũ perueniẽdi ad perfectionẽ charitatis 642.30
Peccatum originis quid proprie ſit 560.10
peccatum originis non fuit in adam,& quare 560.14
peccatũ originis eſt in omnibus ꝓpagatis de cõmuni lege 560.17
peccatum originale eſt in voluntate vt in ſubiecto 560.28
peccatum originale reddit animã inordinatã a natiuitate 560.31
peccatum actuale vnde trahat originem 561.18
peccatum mortale quando generet mortem 561.18
peccatum actuale diuiditur in mortale & veniale 561.32
peccatum mortale dicit a morte,ſicut veniale a venia 561.37
peccatum veniale dicitur ab euentu, ex cauſa, & ex propria natura 561.39.& 562.13
peccata mortalia an fieri poſſint venialia 562.1
peccatum veniale ex propria ratione eſt duplex 562.13
peccatum veniale ex imperfectione actus eſt duplex 562.30
peccata venialia cõmittũtur a iuſtis,q nõ deſinũt eſſe iuſti 562.39
peccati mortalis & venialis diſcrimẽ ſecundũ ſcholaſticos 563.2
peccatum veniale differt in tribus a mortali 563.20
peccata venialia quibus medijs expurgentur 564.16
peccatũ veniale contingit dupliciter circa quæuis ꝑcepta 563.32
peccata mortalia poſſunt omnia a iuſtis vitari 565.12
peccata venialia nullus vitauit in vita niſi beata virgo. 565.22
peccata venialia vere peccata ſunt 567.1
ad peccata venialia quõ ſe extendunt claues eccleſiæ 567.10
peccata venialia non ſunt cenſenda mortalia 567.33
peccata venialia non ſunt contra legem,ſed præter 568.14
peccata venialia iniquos non faciunt 568.25
peccato veniali de ſe non debetur pœna æterna 569.10
peccatum veniale quomodo fieri poſſit mortale 569.34
peccata venialia ſunt materia confeſſionis 570.16
peccata venialia in caſu quis confiteri tenetur 570.31
per peccatum veniale quis non auertitur a deo 571.1
peccata mortalia nihil charitatis tollunt 571.5
peccatum veniale per feruorem charitatis extinguitur 571.14
peccatum veniale obſcurat,mortale obtenebrat 571.20
peccatum mortale corrumpit vitã,& ducit ad gehennam 572.11
peccata venialia neceſſitate præcepti tenemur confiteri 573.9
per peccatum mortale mors culpæ incurrit anima, 573.20
pro peccatis mortalibus & venialibus in ciuilitate humana & diuina ponitur accommodatum exemplum 573.23
peccatum mortale completur per tria 574.10

in peccato mortali inueniuntur octo 574.25
peccatũ mortale diuiditur in commiſſionis & omiſſionis 575.5
peccatum omiſſionis quid ſit 575.11
peccatorum,quoddã eſt delictum,& quoddã commiſſum 576.4
peccatum mortale,aliud eſt a peccato ad mortem 576.10
peccatum ad mortem eſt peccatum in ſpiritum ſanctum 576.18
peccatum in ſpiritum ſanctum quid ſit 576.34
peccati in ſpiritum ſanctum ſex ſunt ſpecies 576.40
peccatorum in ſpiritũ ſanctũ ꝓpriũ ẽ finalis impœnitẽtia 579.17
pro peccato in ſpiritum ſanctum notantur multa 579.24
pro peccato in ſpiritum ſanctum quare non ſit orandum 580.5
peccata in ſpiritum ſanctum qua ratione ſint talia 581.3 & inde
peccatum ad ſeptem cõparatum ſeptẽpliciter diuiditur 582.28
peccatorum aliæ diuiſiones reducuntur ad prædictas 583.12
peccatum voluntatis & operis an ſint duo peccata 583.25
peccatum vnum dicitur maius altero tripliciter 584.15
peccatum corrũpit in hoĩe modum,ſpeciem,& ordinem 584.31
peccatorum capitalium numerus & ſufficientia 586.29
peccata capitalia diuiduntur in ſeptem 587.5
peccatum capitale quare ſic dicatur 587.14
peccatũ capitale,initiũ peccati,& radix peccatorũ differũt 587.18
in peccato quolibet mortali poteſt eſſe veniale 590.18
in peccato priuatio boni & conuerſio qũo ſe habeant 606.31
peccati grauitas contingit ex tribus 610.5
peccata cogitationis tenemur confiteri cũ circũſtantijs 615.12
peccatum mortale aliquid poteſt dici multipliciter 616.25
peccatum contra naturam puniebatur morte 495.34
peccatum mutum quare ſcriptura dedignatur nominare 515.4
peccatum mutum vincit turpitudine omnẽ immunditiam 515.7
peccatum contra naturam factum eſt ſpectaculum mundi 515.27
per peccatũ incõtinentiæ homo cõtrahit multa incõmoda 516.2
peccatum in tribus completur 553.15
peccatũ cõſummatũ per liberũ arbitrium generat mortẽ 553.26
peccatum eſt dictio æquiuoca in ſacris literis 554.38
peccatum habere,aliud eſt a peccare 555.10
peccati actu tranſeunte,remanet quædam iniuſtitia 271.28
peccatores graues non habẽt pacẽ,quàm habent perfecti 271.39
peccata deum videre,& ab illis faciem auertere,quid ſit 272.6
ad peccati deletionem quid requiratur 273.22
ad peccati mortalis deletionẽ requiritur pœnitentia 275.6
peccato remiſſo, quomodo reatus pœnæ remanet 303.1

peccatum in ſpiritum ſanctum non dimitti in futuro ſeculo, quid nos doceat 304.34
Peccans mortaliter per ſe reſurgere non poteſt 572.24
Peccator quō de peccato doleat,& de dolore gaudeat 273.35
in peccatore ſubſtractum actus peccati non remanet 272.17
Pedagia vectigal & tributum quid ſignificent 488.23
Peierare dicere quòd liceat,hæreſis eſt 470.19
Per,præpoſitio deſignat cauſam mediam 29.7
Percuſſio etiam citra mortem puniebatur morte in lege 495.14
Perfectio rei eſt duplex,intrinſeca,& extrinſeca 388.14
Permiſſio eſt triplex 655.30
Permittere eſt tolerare,ſiue non impedire 655.1
permitti aliquid dicitur,qñ cum poſſit,non impedit ne fiat, 656.5
permitti aliquid dicitur, quia conceditur 656.24
Perſonæ in diuinis diſtinguuntur per originem 22.14
perſonę nomen propriũ ſignificat id,per quod diſtinguitur 23.33
perſonę in diuinis,quo vnum,æqualia,&connexa ſunt 28.18
perſonæ diuinæ diſtinguuntur per relationes 39.15
perſona a qua plures deſcendunt,ſtipes vocatur 418.36
Petra,chriſtus,fides de xpo,petrus confitens chriſtũ,dicitur 138.12
Petri ſedes quare ſpecialiter apoſtolica nominetur 146.26
petro dominus contulit poteſtatem in vtroque foro pœnitentiali ſcilicet,& iudiciali 351.9
petrus in vice propria dixit ,tu es chriſtus &c. 369.20
petro qui non eſt ſubiectus,non eſt de ouili chriſti 371.12
petrus pro ſe & ſucceſſoribus ſumpſit auctoritatem 371.34
petro quòd ſuccedat romanus pontifex, non eſt ex inſtitutione euangelica 378.10
petrus ſi continuaſſet in antiochia, epiſcopus antiochenus petri ſucceſſor fuiſſet 378.19
petro chriſtus iuſſit,vt romæ mortem pateretur 378.28
petrus & romana eccleſia vnum ſunt idẽptitate põtificatus 379.4
Philippus diaconus baptizauit eunuchum 193.36
Philoſophi nõ cognouerũt,deũ cõtingẽter cauſare effectus 26.31
Plantæ & alia bruta poſt iudicium non innouabuntur 130.8
Pœna miniſtrantis in impedimento canonico quæ ſit 251.20
pœna celebrantiũ ſine neceſſarijs ex parte vaſis & loci q̃ ſit 253.6
pœnam eſſe ordinatiuam culpæ,quomodo intelligitur 272.38
pœna omnis ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt 273.10
pœna eſt ſibi quiſque peccator 273.26
pœna tripliciter poteſt dici voluntaria 273.27

pœna patienter tolerata poteſt dici voluntaria 273.31
pœna prima,ſcilicet triſtitia, poteſt eſſe ſumme voluntaria 274.4
pœnas effugeř volētes,op⁹ ē,vt de nobis ſuppliciū ſumam⁹ 305.36
pœna canonica quid ſit 341.13
pœna canonica vt ſit iuſta,debet infligi ſecundū canones 341.21
pœna prima & maxima eſt depoſitio 341.15
pœna alia eſt degradatio, quæ eſt duplex 341.32
pœna tertia eſt infamia,quæ eſt ſtatus læſæ dignitatis 342.31
pœna infamiæ eſt grauior ceteris quantum ad uitā ciuilē 343.17
pœna quarta eſt irregularitas 343.22
pœna quinta eſt excommunicatio,de qua in litera E 345.25
pœna ſexta eſt interdictum,quæ infligitur multipliciter 355.13
pœna vltima eſt ſuſpenſio, quæ incurritur multis modis 355.25
Pœnitentia eſt duplex 150.8
ſine pœnitētia eſſe vocationes dei,quomodo intelligitur 150.17
pœnitentia dicitur ſacramentum reſurgentium 269.9
pœnitentiæ virtutis cauſa deus eſt,diſpoſitiua a nobis 269.21
pœnitentia non opportet quòd ſit cum timore ſeruili,ſed ſufficit quòd timor præparet ad pœnitentiam 270.4
pœnitentia vt eſt actus,qui a timore ſeruili procedit, & in filialem terminatur,ſex comprehendit 270.6
pœnitentiæ actus quo iuſtificamur,ꝓcedit a ſeruili timoř 270.20
pœnitentiā dicentes non poſſe iterari,peſſime errant 270.24
pœnitentia iteratur,& non baptiſmus,& quare 270.27
pœnitentiæ quadruplex definitio 274.22
pœnitentia infructuoſa,eſt quæ non ex dei amore ꝓcedit 280.32
pœnitentia optima ſecundum doctores eſt noua vita 281.13
pœnitētia vt ē actus virtutis, requiritur ad iuſtificationem 281.35
pnīa vt ē actus virtutis,nō ē idē cum doloř,ꝗ eſt pars pnīæ 282.17
pœnitentia eſt laborioſum ieiunium 200.39
pœnitentia hoīs poſt baptiſmū multo alia eſt,ꝗ baptiſmalis 302.4
pœnitere ſecundū 4. definitiones pōt eſſe actus virtutis 275.20
Præceptum de ſanctificando ſabbato an ſit morale 480.32
præcepti obligatio ad parentes ad quæ ſe extendit 488.4
contra præceptum de honore parentum peccant multi 490.33
præceptū,nō occides,prohibet actū & voluntatē occidēdi 491.21
præceptum ipſum duplicem poteſt habere intelligentiā 491.24
per præceptum non occides quid prohibeatur 493.13
præceptum,nō mœchaberis,qūo intelligiť,& quid opereť 504.16
in præcepto,non mœchaberis,multa alia continentur 515.33
prçceptū naturæ de habēdo omnia cōmunia reuocatū eſt 517.33

præceptum

præceptum de furto quid prohibeat 523. 5
præceptum contra falſum teſtimonium quõo intelligitur 540. 30
præcepti octaui transgreſſores qui ſint 545. 3
per præcepta, non concupiſces, quid prohibeatur 549. 16
præceptum, non concupiſces, non impletur in via 551. 5
per præceptum, non concupiſces, numquid prohibeatur ordinatæ concupiſcentiæ 552. 26
præcepta omnia quomodo poſſint obſeruari 554. 17
ad præceptorum obſeruantiam quæ nos inuitent 555. 35
præceptorum obſeruantiã magnam affert vtilitatem 555. 18
ad præceptorum obſeruantia quę mouere nos debent 556. 38
ad præceptorum obſeruantiam nos mouere debet mandatorum dei irreprehenſibilitas 557. 16
præcepta dei quõo ſunt ſuauia ad obſeruandum 557. 28
præceptorum obſeruantia impetrat diuina chariſmata 558. 2
præceptorum epilogus 558. 10
ex p̃ceptorum obſeruantia conſequimur benedictionem 558. 26
præceptum ſtrictius & ſuperioris magis ligat, q̃ leuius 247. 30
pręcepta eccleſiæ ſunt in duplici differentia 416. 7
præcepta cum deuotione melius eſt ſeruare, quàm ſe ad conſilia obligare 622. 31
Prædicatio dei nõ admittit nuptias pp excellẽtiã ſacerdotij 670. 15
prædicatio eadem non admittit filios generantes 670. 18
Pricipes nõ q̃unt moueř bellũ cõtra hęreticos, niſi dãnatos 502. 36
princeps quoad uim directiuam ſubijcitur legi 376. 6
Probationes ꝓbabiles ex ſcriptura pro cælibatu ſacerdotũ 664. 21
Profeſſio in religione eſt obligatio ad maius bonum, quàm matrimonium 390. 2
Politia ariſtotelis de non habendo omnia communia melior eſt, quàm ſocratis 518. 3
Pontifices & reges chriſmate vngebantur 33. 10
pontifici ſummo omnes reges ſunt ſubiectĩ 372. 18
pontifices licet non habeant ſpiritum, quo iuſti ſunt, habent tamẽ ſpiritũ ſanctũ, per eorũ miniſteria remittentẽ peccata 377. 16
pontifici, ſi aliq̃d ſtatuat priuato ſenſu an ſit fides adhibẽda 691. 9
pontificis aſſenſus in determinandis rebus, debet eſſe maturus & conſultus 691. 15
pontifex adoratur hyperdulia 461. 10
Poteſtas conficiẽdi corpus xp̃i ſuperat oẽm potẽm creatã 338. 26
poteſtas conficiendi corpus chriſti tantæ eſt dignitatis, vt nõ cõficiatur niſi in perſona chriſti 338. 27

poteſtas data beato petro quæ ſit 351.10
poteſtas ſpiritualis eſt duplex, ſcilicet ſacramentalis, & iuriſdictionalis 358.35
poteſtatē ordinis nō amittunt hęretici, ſed rectū vſum 358.10
poteſtas iuriſdictionis quid ſit 359.11
poteſtas ad copulā carnalem eſt de eſſentia matrimonij 430.27
Prꝗcepiſſe deum impoſſibilia dicere, eſt blaſphemia 452.36
Præceptum primum mandat adorationem maieſtatis. 2. confeſſionem veritatis. 3. diuinæ bonitatis dilectionem 449.33
præceptorum titulus quis ſit 448.35
præcepta decalogi deſcripta ſunt in duabus tabulis 449.38
præcepta 5. ioſephus in vna, & quinque in alia ponit 449.40
præcepta prioris tabulæ &. 2. aliter deſcribit auguſtinus 450.1
præcepta tria alibi idem ponit in prima &c. 450.4
præcepta qūo ſecundū rationem formalem diſtincta ſunt 450.24
præcepta diſtinguit ſecundum literalem ſenſum ioſephus, ſecundum myſticum auguſtinus 450.31
prꝗcepta recte impleri non poſſunt ſine charitate 450.38
præcepta an obligent ad opera formata 451.11
in præceptis eſt ponere radicem, quoad inchoationem, & conſummationem 451.30
præceptorum obſeruantia eſt nobis poſſibilis 452.22
præceptorum obligatio reſpicit triplex tempus 453.29
præcepta dilectionis dei implicite obligabant in ſtatu naturæ inſtitutæ 453.40
præcepta ordinantia ad proximum obligabant implicite 454.1
præcepta decalogi dari debebant per modum præcepti 454.20
præcepta p̄fata dari nobis expediebat propter multa 454.33
præceptum primum prohibet adorare multa 465.38
in præcepto primo implicatur vera dei adoratio 466.32
præcepto primo quę prohibeantur 466.34 & inde
præceptum ſecundum, non aſſumes nomen dei in vanum, quomodo intelligatur 469.3
per præceptum ſecundum tria pręcipiuntur 469.17
præceptum 3. de ſanctificatione ſabbati qūo intelligitur 475.10
præceptum de ſanctificando ſabbato vt morale obligat 480.16
Prolis bonum dr̄, qua ꝓles quęritur, vt informetur 381.11
Promiſſio non eſt datio poteſtatis corporis 395.36
ꝓmiſſio eſt diſſolubilis de facto, & tenet datio alteri facta 395.40
promiſſio quid ſit 411.25
Promittere contingit duplici verbo 412.18

Promulgatio

Promulgatio facta de conſilio obligat ad nõ contemnendũ 197.26
promulgatio per modũ præcepti obligat ad obſeruandum ibidẽ
Pronomen,ego, non eſt de ſubſtantia formæ baptiſmi 205.2
pronomen, hoc, quid demonſtret in conſecratione panis 258.1
Propagatio humani gñris fuit pcepta ante multiplicationẽ 688.20
prophetã deprauatus, qui loquitur in noĩe dñi, interficiet 494.35
Proximum quem exiſtimare debemus 484.11
proximos ſeminis nr̃i non debemus deſpicere 484.28
Publicę honeſtatis iuſtitia,qũo tollat a ſponſalibus 405.30
publica honeſtas quid ſit, & qũo impedit & dirimit 424.1
Pueri decedẽtes cũ originali,a xp̃o ĩ deſcẽſu nõ sũt liberati 89.17
id Punitione voluntaria ſunt quatuor conſideranda 274.10
Purgationis intellectus & affectus triplex eſt gradus 14.19
Purgatorij ignis reſtat, quo expiantur leuiora peccata 305.33
a purgatorio ad limbum olim erat tranſitus 91.16
in purgatorio exiſtentes orationibus ſuperſtitũ iuuantur 264.30
purgatorium eſſe rationibus & ſcripturis probatur 306.30
in purgatorio reatus pœnarum tẽporalium purgantur 307.36
purgatoriũ cõiunctum eſt inferno mediãte limbo puerorũ 311.11
in purgatorio ante iudicium deducunt tria gñra animarũ 312.29
in purgatorio exiſtẽtes quibus ſuffragijs liberari poſſunt 312.30

Q

QVicumque attinet viro,attinet & vxori in eodẽ gradu 422.23
Qui eſt,quomodo appropriatur filio 29.28
Quomodo intelligitur, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum 651.24

R

RAptus eſt alia ſpecies peccati deo abominabilis 513.3
raptus ẽ illicitus coitus,cũ puella a domo pr̃is abducta 513.11
contra Raptores inuehit concilium tridentinum 513.31
Ratio vbi deficit, ibi eſt fidei ædificatio 95.5
ratio naturalis qualis ſit,quę meritum excludit 99.20
ratio recta habet vim legis 567.31
ratio tenet reprimer primos motus,ne pducãt ad cõſensũ 551.20
ratio reformata quandoque reformat ſenſualitatem 552.5
Rationalis cõcupiſcibilis & iraſcibilis q̃ ſint officia ĩ patria 164.40
Redemptionis ſacramentum nõ potuit pſtare purus homo 55.20
Redempturus humanum genus fuit deus & homo 55.25
Regulæ ſex ad cognoſcẽdũ vbi cõmittatur ſimonia 529.40 & inde

regulæ

regulæ nõnullæ ad cognoſcendum vbi cõmittatur vſura 536. 2
regulæ aliæ pro cognoſcenda vſura 538. 7 & inde
regula eccleſiaſtica dicitur eccleſiæ ordinatio 670. 24
regulæ cõciliorum nõ ſunt ſemper impermutabiles, 745. 12
regulæ multæ pro differẽtia graduum inter cõſanguineos 419. 16
Relationes nõ diſtinguunt perſonas niſi ſint oppoſitæ 39. 16
Religionis caſtitas diuiſa cõtra cõiugalem quẽ fructũ hẽat 390. 4
Reliquiarum honor apud imperatores quantus fuit 464. 32
Remittit deus pœnam æternam, ſed exigit temporalem 304. 40
Renuntiare iuri ſuo quilibet poteſt 368. 4
Reparari cõgruit hoẽm per eum, per quem fuerat conditus 57. 11
Rerum dominia non ſunt lege diuina vel naturæ diſtincta 517. 17
rerum diſtinctio introducta eſt per legem poſitiuam 518. 7
rerum tranſlatio põt eſſe quoad dominiũ, vel quoad vſum 518. 18
rerum tranſlatio iuſta poteſt fieri multis modis 518. 28
Reſtitutio quid ſit 519. 20
reſtitutio quando iuſte differri poteſt 519. 30
reſtitutio ſit damnificato poſſidenti iuſto titulo 520. 24
reſtitutio per quem fieri debet 521. 10
reſtitutio certis fieri debet & notis 521. 10
reſtitutio congruit fieri pauperibus illius loci, in quo ablatio facta eſt 522. 27
Reſtituendum quid ſit creditori 519. 40
in reſtituendis, certæ perſonæ præponuntur incertis 522. 36
Reſurgent omnes, ſed non omnes immutabuntur 155. 33
reſurgentium omnium corpora erunt incorruptibilia 157. 1
reſurgent omnes cum integritate membrorum 157. 7
reſurgent oẽs ad immortalitatẽ, q̃ erit pijs & impijs cois 162. 2
reſurrexit chriſtus a mortuis primitiæ dormientium 158. 25
reſurrexit xp̃us pro nobis, ſicut pro nobis paſſus eſt 99. 33
reſurrecturi non ſunt ſancti vſque ad diem iudicij 94. 14
Reſurrectio xp̃i & aſcenſio quare non ſtatim fuerunt 91. 1
reſurrectio xp̃i per angelos & inimicos fuit publicata 92. 8
reſurrectio diuerſis ſcripturis eſt manifeſtata 92. 18
reſurrectio multis apparitionibus fuit oſtenſa 92. 22
reſurrectio xp̃i multis fuit probata argumentis 98. 33
reſurrectionis xp̃i ſigna quare diſcipulis oſtendit 99. 6
reſurrectio mortuorum indubitato erit 153. 2
reſurrectio mortuorum quid erit 153. 3
reſurrectio mortuorum reputabatur deliramentnm 153. 17
reſurrectio multipliciter probatur 153. 20

reſurrectio ſi futura non ſit, ſumus miſerabiliores cunctis 154.12
reſurrectio ſi non erit, prouidentia dei non eſſet recta 154.23
reſurrectio fit ad vitam, quæ numquam eſt finienda 156.27
in reſurrectione idem numero corpus ſurrecturum eſt 156.35
reſurrectionis noſtræ duplex eſt cauſa 157.30
reſurrectio xpi eſt exemplum, in quo noſtra eſt inchoata 157.39
in reſurrectione corpora noſtra erunt glorificata 158.5
reſurrectionis corporis dotes 158.7
in reſurrectione natura erit totaliter voluntati ſubdita 160.10
ex reſurrectionis fide conſequimur quatuor vtilitates 161.11
reſuſcitanda eſt omnis caro per ſpiritum ſanctum 161.35
Rex dicitur lex animata 724.39
Romana eccleſia non corrumpit ſymbola, ſed perficit 40.24
in vrbe mos inoleuit, vt rectores ſacerdotib⁹ ſubderētur 372.24
romana eccleſia petri pontificatui quomodo eſt addicta 378.25
Romani pontificis ſedes ſola eſt ſedes apoſtolica 379.12

S

SAbbatum erat iudæis cæremoniale 477.21
ſabbatum ad quæ obligabat iudæos 475.20
ſabbatum quomodo propter homines factum eſt 475.34
in ſabbato, lapidatus, qui colligebat ligna 476.7
de ſabbato ſāctificādo mādatū hēt triplicē ſpiritualē ſēſū 476.15
pro ſabbato chriſtiani dominicum diem celebrant 477.1
ſabbati ſempiterni obſeruatio hic non exigitur a nobis 481.30
ſabbatum erit ex ſabbato, cum ventum fuerit ad cælum 481.32
ſabbatum ſanctificare quid ſit 482.6
Sabbatizandum eſt omnibus 476.14
ſabbatizatum eſt in die ſeptimo a principio mundi 481.10
ſabbatizamus modo eo die, quo chriſtus reſurrexit 481.18
Sacerdos quādo fit epiſcopus, non recipit nouū characterē 225.16
ſacerdos ſimplex ſine papæ cōmiſſione, non pōt cōfirmare 225.26
ſacerdos degradatus & hæreticus poteſt conficere 245.32
ſacerdos non modo debet recōciliari deo, ſed, & eccleſiæ 246.25
ſacerdos quod dat eſt ſanctificatum, & ſanctificatio 249.6
non ſacerdos vſurpās munus ſacerdotij, grauiter punitur 251.15
ſacerdoti ſufficit ꝓferre verba, vt xpus inſtituit proferēda 255.6
ſacerdos hēns aliqua in cōfeſſione & extra, an poſſit ręuelare 300.3
ſacerdotibus confertur poteſtas prędicandi 335.2
ſacerdotis officium eſt reconciliationis 335.4
ſacerdos nihil aliud eſt, niſi chriſti legatus 335.15

ſacerdotis ſpeciale officiũ eſt mediatorē apud deũ effici 335.40
ſacerdos per excellentiam vnus eſt chriſtus. 336.8
ſacerdotis nõ eſt niſi miniſteriũ,q̃a ſpirit⁹ dei loquit̃ in illo 336.15
ſacerdos,diaconus,& epiſcopus ſunt nomina officiorum 339.23
in ſacerdotum conſecratione magna confertur gratia 340.9
ſacerdos percutiens ſacerdotem eſt excommunicatus 344.8
ſacerdos ſummus in veteri lege diſtinguebatur ab alijs 364.1
ſacerdotum ordo bipartitus eſt a domino, 365.17
ſacerdotibus antiquæ legis,& non nouæ, licuit hr̃e vxorē 658.20
ſacerdotib⁹ ĩ prĩcipio cõcedebãt nuptię,ãte gr̃dũ ſuſceptę 662.33
ſacerdotibus quare concedebantur nuptię in principio 663.1
ſacerdos vxoratus poſt nicænũ cõciliũ nõ potuit ordinari 663.12
ſacerdotibus interdictum eſt quoad vſum habere vxores 671.15
Sacerdotium verſatur circa corpus chriſti verũ & myſticũ 334.34
ſacerdotium eſt duplex ſecundum hieronymum 338.37
de ſacerdotio plurimi hæretici tractant gentiliter 339.34
ſacerdotium in lege noua eſt ſecundum ſpiritum 659.20
ſacerdotium ex quibus procedit 665.40
ſacerdotis noſtri officiũ eſt,vt ſolutus ab officio generãdi ſecũdũ carnẽ,totus ſit intẽtus ad generãdũ filios ſecundũ ſpiritũ 671.4
Sacerdotalis copula nõ fuit tantũ lege canonica prohibita 693.16
Sacramenti vocabulũ,ſignificat myſteriũ vel ſacrum ſecretũ 173.1
ſacramentum frequentius dicitur ſacræ rei ſignum 173.31
ſacramenta legis prænuntiabant chriſtum venturum 173.36
ſacramentũ fuit inſtitutũ ad ſignificãdũ ſacr̃a nouæ legis 173.37
ſacramenta nouæ legis quare ſint inſtituta 174.1
ſacramẽta cõgruũ fuit ĩſtitui ꝓ ꝓlapſi humani gñis cura 174.20
ſacramẽta in nulla lege ſunt neceſſaria ſimpliciter 174.21
ſacramenta ſunt tantum neceſſaria ex ſuppoſitione 174.28
ſacramenta ſunt animæ medicina 175.1
ſacramẽta curatiua ante lapſũ hominũ nõ erãt neceſſaria 175.8
ſacramẽtorũ inſtitutionis cõgruitas ſecundũ bonauẽturã 175.40
ſacramenta diuerſa cõgruebat inſtitui in diuerſis legibus 176.19
ſacr̃um fuit inſtitutũ ĩ qualibet lege ꝓ remiſſiõe origĩalis 177.27
ſacramentorum,aliud eſt inſtitutio,aliud promulgatio 177.40
ſacr̃orum inſtitutionẽ ad certe ſignificãdum cui cõueniat 178.21
ſacramenta ex tribus habent ſuam efficaciam 178.31
ſacramenta duobus conſiſtunt,verbis & rebus 179.1
in ſacramentis conferendis quæ intentio requiratur 179.9
ſacramentum ſumptum pro ſigno efficaci gratiæ quid ſit 179.26
ſacramentum quid ſit ſecundum ſcotum 180.1

ad ſacramentum tria ſunt neceſſaria 180. 20
ſacramenta quid ſignificent 180. 32
ſacramenta ordine naturæ præcedũt effectũ ſacramentalẽ 181. 11
ſacramenta q̃uo ſunt cauſa gratiæ ſecundũ bonauenturã 181. 20
ſacramenti effectum interiorem operatur ſolus deus 182. 40
ſacramenta noua differunt a ſacramentis veteris legis 183. 4
ſacramenta conferunt gratiam ex opere operato 183. 13
ſacramenta nouæ legis q̃uo ſunt ordinata ad iuſtificandũ 183. 35
ſacramẽta legis antiquæ promittebant, nouæ dant ſalutẽ 183. 37
ſacramentorum in veteri lege quatuor fuerunt genera 183. 40
ſacramenta veteris legis conferebãt gratiam ex virtute boni motus interioris 184. 10
ſacramentum vnum dicitur maius altero multipliciter 186. 37
ſacramenta eccleſiæ ſunt ſeptẽ a chriſto cõgrue inſtituta 187. 15
ſacramentorum ſalutiferi fructus 189. 37
ſacramenta ſemper habent ſanctificationem veritatis 189. 40
ſacramenta quomodo ordinentur contra culpam & pœnã 190. 8
ſacrum baptiſmi chriſmatis & ordĩs imprimũt characterẽ 190. 22
ſacramenta legis antiquæ quid operabantur 191. 3
ſacramenta noſtra conferunt,quæ vetera monſtrabant ibidem
in ſacramentis,quæ ſint de neceſſitate miniſtri 202. 25
ſacramenti baptiſmi proprius miniſter eſt ſacerdos 206, 18
ſacramenta tria neceſſaria ad ſalutem 233. 13
ſacramenti euchariſtiæ oblatio,dicitur immolatio 243. 16
ſacramenti præfati celebratio repræſentat xp̃i paſſionem 243. 20
ſacramenti pœnitentiæ doctrina cui ſubalternetur 285. 22
ſacramentum ſupplet,quod deeſt bono motui 287. 4
in ſacramentis omnibus conſecratio fit per epiſcopum 323. 31
in ſacramento ordĩnis excellens gratia confertur 340. 3
ſacramenta & ſacramentalia differunt inter ſe 361. 34
Sacrificia in lege naturæ quomodo placuerunt deo 177. 35
ſacrificium eſt cultus ſoli deo exhibendus 241. 10
Sacrum dicitur quicquid mancipatum eſt cultui diuino 525. 11
ad ſacrum peragendum, quæ intentio requiratur 254. 34
Salomon quantum honorem exhibuit matri 485. 34
ſalomon quomodo fuit ingratiſſimus deo 429. 5
Salutis noſtræ initium,quomodo deo miſerante habeamus 151. 29
in ſalutis opere ſunt quatuor 151. 38
Sancti patres in vita per fidem chriſti a quibus liberantur 88. 37
ſancti omnes poſt iudicium erunt reges & ſacerdotes 125. 18
ſancti ſunt imitandi,honorandi,& inuocandi 463. 10. & inde

ſanctorum animæ non ignorant orationes noſtras 465.3
ſancti ſunt in cęlis iã dei conſpectu ſuauiſſimo potiti 465.21
ſancti in patria impetrant pro alijs ex merito præcedente 314.2
ſanctorum meritis detrahere eſt detrahere meritis xp̃i 318.16
ſancti & ſanctę multę claruerunt virginitate 635.17
ſancti qui non ſunt, ſancta tractare non poſſunt 674.22
Sapientis eſt ordinare 337.2
Satisfactio regulariter per quid fit 200.13
ſatisfactio noſtra quid proſit nobis 301.27
ſatisfactionẽ dicimus exhibere mẽbra nr̃a ſeruire iuſtitiæ 302.12
ſatisfactionem ſignificant fructus pœnitentię 302.27
Scandalum vtilius naſci permittitur, q̃ veritas relinquatur 200.4
Scelera multa in proximum puniuntur morte 495.3
Scripturæ auctoritas quoad ſenſum literalem quanta ſit 695.29
ad ſcripturas diuinas mendacium non admittitur 199.25
Scurrilitas quid ſit 611.15
Secta nulla quare dici poſſit catholica 142.20
Sedere iudicantis eſt, ſtare pugnantis, vel adiuuantis 108.3
ſedere ad dexteram patris xp̃o ſoli conuenit 108.8
ſedere ad dexteram differt ab eſſe ad dexteram 108.11
ſedere ad dexteram an conueniat chriſto vt homini 108.28
ſedere ad dexterã nõ cõuenit appropriate ſpiritui ſancto 109.13
Senſualitas ſolũ eſt in homine, ſenſibilitas in brutis 550.19
Sententiam dñi in iudicio iuſti approbabunt 121.12
ſententiam quare ſancti proferent vel approbabunt 121.28
ſententia lata a non ſuo iudice nulla eſt 124.9
ſententiæ vltimi iudicij declaratio 125.8. 285.12
ſentẽtia iudicij erit iuſtiſs. in qua arguent̃ mali de multis 125.30
poſt ſententiam, dęmonum miniſterio aperietur terra, & deglutiet malos 128.20
ſententia petri præcedit ſententiam cæli 292.20
ſententia lata a iure numq̃ eſt iniuſta 354.8
Sepeliendi ius cõuenit eccleſijs parochialib. & religioſorũ 715.30
Sepulturarũ ſollẽnitas & cultus exeqarũ ab apoſtolis tradit⁹ 308.7
ſepulturæ locus eſt eccleſia, vel cœmeterium 315.22
ſepulturæ locus vendi non debet 315.24
pro ſepulturæ loco aut conſecratione nihil recipi poteſt 315.26
ſepulturã ſiquis eligat teſtamẽto, ea mutata, mutãt & legata 316.7
Seruare poſſumus, ſi volumus, caſtitatem 685.19
Serui ſunt in duplici differentia 459.4
in ſeruum poteſt quis ſe vendere 382.39

ſeruus

ſeruus ad id impietatis non erumpat, vt ſponſam domini contingere audeat 639.3
Seruitus duobus modis ſolet appellari 460.38
ſeruitus impedit cōtrahendum & dirimit contractum 400.22
Seſſionis nomine quid intelligitur 107.23
Sigillum ſecreti prodere eſt contra ius naturæ 298.8
Signa quæ ſint, quòd quis ex dei ſpiritu ducatur ad ingreſſum religionis 487.22
ſignum diuiditur in rememoratiuum, prognoſticon, & demonſtratiuum 180.15
ſignum efficax tres habet conditiones 181.13
ſigna per quę quis pōt cōfidere de ſalute morientis 325.36
Simon magus emere voluit gratiā cōferendi ſpiritū ſanctū 526.30
Simonia mentalis conſiſtit in intentione pretij 533.41
ſimonia an cōmitti poſſit ī muneř manus, linguę & obſeqi 533.28
ſimonia quid ſit ſecundum doctores catholicos 526.15
ſimonia ab eccleſia punita, ex tribus conſtat 532.15
ſimonia quę ab eccleſia punitur, exigit duo 532.30
in ſimonia punita ab eccleſia ſi concurrat traditio pretij, æquipollet conuentioni 533.5
an ſimoniā cōmittat ſacerdos, petēs quod ſibi dari ſolebat 533.18
ſimonia mentalis tripliciter pōt inueniri 534.14
ſimoniaci an teneātur ad reſignationem 534.32
Siritius papa legē dedit de ſeruāda a clericis cōtinētia 683.25.& 35
Sol & luna poſt iudicium non tendent ad occaſum 129.25
ſolicitudo triplex eſt, laudabilis, tolerabilis, & damnabilis 653.39
Spirituale theologicum quid ſit 526.37
ſpirituale in ſimonia eſt quadruplex 527.11
ſpirituali annexum quid importet 527.31
ſpiritualis res appellatur a ſpiritu ſancto 529.24
Spiritus ſanctus ab vtroque procedit per modum ſpirationis 30.8
ſpiritui ſancto bonitas, vſus, finis & voluntas attribuitur 27.11
ſpiritus ſanctus viuificat & ſanctificat omnia 36.10.39.5
ſpiritus ſanctus per modum doni procedit & amoris 36.24
ſpiritum ſanctum vocat dauid deum, ſanctum, & rectum 36.25
ſpiritum ſanctum deum eſſe ꝓbatur multis ſcripturę locis 36.26
ſpiritum ſanctum macedonius ponebat creaturam 36.34
in ſpiritum ſanctum blaſphemia quomodo maior ſit 37.17
ſpiritus ſancti variæ proprietates 37.30
ſpiritus nomen quid ſignificet in rebus 38.25
ſpiritū sāctū eſſe ab vtroq; reperiť in ſcripturis quoad sēsū 39.30

ſpiritũ ſanctum non procedere ab vtroque græci aſſerunt 40.2
ſpiritus ſanctus quare nec generet,nec ſpiret 41.26
ſpiritus diuerſi in ſcripturis contrarij ſunt ſpiritui ſancto 42.37
ſpiritus ſancti varij ſunt effectus 43.3
ſpiritus ſanctus diuerſis nominatur nominibus 43.14
per ſpiritum ſanctum fit remiſſio & largitio donorum 43.26
per ſpiritũ ſanctum inhabitantem efficimur templum dei 43.37
ſpiritus ſanctus eſt certiſſimum pignus vocationis noſtræ 44.3
ſpiritus ſanctus dominicæ carnis eſt formator 59.30
ſpiritus ſanctus adueniens,de quibus arguet mundum 103.2
ſpiritu duci quid ſit 547.8
ſpiritus nutrimenta quę ſint 637.1.686.22
Sponſalia per quę verba contrahuntur 395.20
ſponſalia firmata quando dicuntur 395.21
poſt ſpõſalia ſi interueniat copula, p̃ſumitur conſenſus 395.24
ſpõſalia de futuro non inducunt vinculum indiſſolubile 396.2
ſponſalia qui contraxerunt,ſi carnaliter affectu maritali ſe cognoſcant,ratificant matrimonium 396.13
ſponſalia contrahuntur quatuor modis 405.8
in ſponſalibus cõtrahẽdis pares ſunt maſculus & fœmina 405.16
ex ſponſalibus oritur publicæ honeſtatis iuſtitia 405.20
ſponſalia dirimuntur pluribus modis 405.35
ſponſalia dirimuntur, ſimiliter & ſimplex votum 413.24
ſponſis carnalibus tria dantur 164.17
ſponſos exhortatur ſynodus ad cõfeſſionẽ & cõmunionẽ 402.32
Status hominũ reſpiciunt naturã perfectã integrã & lapsã 174.36
ſtatus fideliũ in acie eccleſiaſticę hierarchię eſt triplex 190.15
Stuprum virginis in lege morte puniebatur 495.26
ſtuprum eſt ſpeciale peccatum 512.30
Subdiaconi licite miſceri non poſſunt ſuis vxoribus 693.23
ſubdiaconis ordinatum eſt,vt voueant continentiam 661.35
ſubdiaconatum ignatius diſtinxit a diaconatu 674.37
Suffragia eccleſiæ facta etiã a malis proſunt defunctis 313.30
ſuffragia fidelium quõ ꝓdeſſe poſſunt viuis & defunctis 313.39
Superbia quare dicatur initium omnis peccati 587.31
ſuperbia quid ſit 588.23
ſuperbia poteſt bifariam conſiderari 588.27
ſuperbia habet quatuor ſpecies ſiue differentias 588.39
ſuperbia & vanagloria quõ ſunt idem & diuerſa 589.1
ſuperbia mortale peccatum eſt 590.8
ſuperbiæ duodecim ſunt filiæ ſiue gradus 590.26

supplicium

ſuppliciũ a ſeipſo vnusqſque ꝓ peccatis ſuis ſumere debet 303. 29
ſuſpenſio eſt duplex 351. 28
ſymbolum quid ſit 1. 10
ſymbolum quare ſic dicatur 1. 18
ſymbola diſcreta dat dux ſuis militibus 1. 33
ſymbola chriſtianæ fidei ſunt tria 2. 11
ſymbola apoſtolorum, nicænũ,& athanaſij quare inſtituta ibi
ſymbolorum explanationis triplex cauſa 2. 39
ſymbolorũ cã fuit inſtructio fidei in vna cõfeſſione veritatis 3. 5
ſymbolum dicitur conuenientia 3. 20
ſymbolum ſecundum marcellum ab apoſtolis fuit editum 5. 31

T

TAurinen. archiepus qr̃ pmiſit clericos miſceri mulierib. 681. 18
in Temporibus ſiue ſtatibus quinque eccleſię, non eſt permiſsũ ſacerdotibus poſſe contrahere 660. 9. & inde
Tenebra & vmbra differunt 628. 31
Tentator ſi adorationem expetat, quid reſpondendum 212. 14
in Terra circa centrum ſunt quatuor ordinata loca 308. 32
Tertiũ quod reqrit ad ordinate cõficere, ẽ ex parte tẽporis 253. 18
Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt 71. 12
teſtamentum vbi eſt, mors intercedit teſtatoris 71. 10
Teſtimonium falſum contra proximũ, quando quis ꝓferat 542. 22
Tetragrãmaton ſignificat diuinã eſſentiã vt implurificabilẽ 20. 27
tetragrammaton a ſolo ſummo ſacerdote nominabatur in benedictionibus, quæ fiebant in templo 21. 2
Thecla virgo fuit certamen profeſſa caſtitatis & religionis 636. 13
Theophraſtus & cicero continenter vixerunt 633. 23
Thomæ infidelitas fuit eccleſiæ profectus 168. 24
Tonſura prima non eſt nuda crinium amputatio 328. 10
tonſura prima non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale 328. 13
tonſura prima aſcribit collegio clericorum 328. 20
per tonſuram confertur priuilegium clericorum 328. 23
tonſuræ vſus exortus eſt, vt creditur, a nazaræis 328. 30
tõſura ꝓ bñficio & iuriſdictione eſt diſpoſitio neceſſitatis 329. 40
Tortori tradere quid ſit, & contingit bifariam 349. 31
Traditiones obſeruãdas eſſe ſanctorũ auctoritatibꝰ probat 144. 20
traditiones apoſtolicas omnino obſeruare debemus 478. 15
traditio eſt, quòd oportet ad orientem orare 223. 41
Traianus an in inferno eſſet finaliter deputatus 310. 28
Tranſubſtantiatis ſubſtantia panis in corpus chriſti & ſubſtantia vi-

ni in eius ſanguinem, ibi eſt totus chriſtus 259.20
Triburienſis concilij auctoritas contra cælibatū infringitur 682.2
ſup tribus ſceleribus damaſci,& ſup quatuor nō cōuertā eū 271.2
Triſtitia eſt multiplex,& quæ ſit peccatum 65.37
triſtitia quæ fuit in chriſto, qualis fuerit 66.5
triſtitia proprie quid ſit 273.39
Tuba habet triplex officium 156.12

V

VAga coniunctio eſt contra bonum prolis 381.15
Vanum & fruſtra quid ſignificent 469.22
Variatio aliqua fieri pōt circa materiā ſacramētorū & qūo 225.1
Velle eſt triplex naturæ, gratiæ,& vitij 492.4
Verbum qūo eſt proprium filio,& nomen perſonale 34.4
verbum eſt repræſentatiuum omniū, quæ a deo intelligunt̄ 34.14
verbum dei & oris humani multipliciter differunt 34.21
verbum diuinum quando incarnare debuit 54.10
verbum diuinum in incarnatione ex cælo non ſe dimiſit 57.39
verbum qui capere pōt capiat, qūo intelligitur 634.29
Veritas appropriatur filio,& quare 29.20
Veſtales virgines votum violantes morte puniebantur 514.35
Veſtimenta ſunt ſex communia epiſcopis & p̄sbyteris 251.12
Viduę primā fidē irritā facientes,damnationem habebant 638.10
viduæ quæ nubere diſpoſuerunt,& laicalem non depoſuerunt habitum,damnationem non habebant 638.19
Vindicare ſit vt culpa ordinetur per pœnam 276.20
Vinum vitis eſt materia pro conſecratione ſanguinis 256.6
Vir ſeu mulier in quibus fuerit ſpiritus phytonicus morte moriantur 494.38
a viro vxor non diſcedat, ſed ſi diſcedat,maneat innupta 506.37
viri qui floruerunt virginitate in ſcripturis,qui ſint 633.2
Virginalis vidualis & cōiugalis cōtinentia dona dei ſunt 635.36
virginalis continentia licet donum dei ſit, a nobis tamen obſeruari poteſt 636.6 & inde
Virginitas mentis recuperari poteſt non corporis 163.33
virgo inuita corrupta duplicem habet mercedem 163.36
virgo maria ex priuilegio hic vitauit omnia peccata 566.10
virgines principalem locum tenent in regno cælorum 621.3
virgo maria qūo ſe habuit in morte filij 444.13
virgini glorioſæ p̄cipitur, vt mortale peccatum corpus eius non inhabitet, ceteris vt non regnet in eis 555.22

virginis

virginis raptor,deflorator,vel ſeductor, vbi non præceſſerũt ſponſalia,tenetur raptam ducere vel dotare 396.21
virginibus p̃mium magnum promittitur in apoc. 631.27
virgines & viduæ ſunt in duplici differentia reſpectu voti 694.3
Virtus eſt vltimum de potentia 182.22
virtutes quatuor valde commendantur in ſcripturis 643.36
Viſus corporalis tripliciter impeditur, ſimiliter & ſpũalis 17.41
Vita appropriatur ſpiritui ſancto 29.25
vita æterna dicitur aurea 162.12
Vltimum potentię ſigni practici eſt ſignificare efficaciter 182.23
vltimũ reqſitũ ad rite celebrãdũ eſt habere reſpõdentẽ 253.30
Vmbertus cenomanenſis cęlibatũ clericorũ clariſs. oſtẽdit 682.25
Vnctio extrema eſt vere ſacramentum legis nouæ 318.27
vnctio fuit per beatum Iacobũ & cõmẽdata & ꝓmulgata 318.34
vnctio eſt ex traditione apoſtolica,& habet materiam,formam,miniſtrum proprium,& effectum 318.39
vnctionis ſacramentum non eſt ſimpliciter neceſſarium 319.24
vnctionis ſacramentum nullo modo contemni poteſt ibidem
vnctio pręfata quare extrema dicatur 320.10
vnctio q̃ fit in chriſmate,eſt maior quadruplici ex cauſa 320.18
vnctio extrema quid ſit ſecundum ſcotum 321.13
vnctiones principales ſunt ſeptem 322.7
vnctionis conſecratio fit per epiſcopum 322.17
vnctionis miniſter eſt ſacerdos rite ordinatus 322.22
vnctionis forma eſt, per iſtam ſanctam vnctionem &c. 323.5
vnctio nõ datur cõtra defectus,quibus vita ſpiritualis tollitur,ſed contra peccata venialia & corporales morbos 324.12
vnctio valet ex deuotione ſuſcipientis 326.5
vnctio quibus denegari debet 326.9
vnctus fuit chriſtus a deo oleo inuiſibili. ſ. ſpiritu ſancto 320.30
vnctus fuit dauid tribus vicibus 320.34
vngebant multi ſancti infirmos pro conſequenda ſanitate 326.24
vngebantur quatuor in veteri lege 319.39
inunguntur in noua fideles oẽs,qui ſunt vaſa miſericordię 320.1
Voluntarium eſt duplex 550.30
Voluntas noſtra libere aſſentit diuinæ vocationi 150.24
voluntas nr̃a ſe habet mere paſſiue reſpectu infuſionis gr̃æ 151.4
voluntas dei eſt prima omnium rerum cauſa 441.14
voluntas dei iuſtum facit quod vult 441.21
voluntatis humanę rectitudo eſt in cõformitate ad diuinã 441.15
voluntatem diuinam qui ſequuntur, ſunt recti corde 441.28

volũtatem nr̃am in qbus debeamus cum diuina cõformarĩ 442.10
voluntatẽ nr̃am non oportet cõformari diuinæ in oĩ volito 442.20
volũtas nr̃a in actu volẽdi & mõ debet ſe cõformarĩ diuinæ 442.38
voluntas nr̃a tenetĩ cõformari voluntati diuini beneplaciti 443.6
voluntas noſtra qũo nõ tenetur velle oẽ quod deus vult 443.17
voluntas dei non delectatur in noſtris malis 443.25
voluntas triplex in nobis eſt,& in chriſto quadruplex 443.27
voluntatum omnium chriſti effectus 443.30
vult deus quod præcipit 444.3
voluntatem prælatorũ innoteſcentẽ,ſubditi tenentur ſequi 444.6
voluntas virginis abſoluta volebat quod deus, ſed voluntate pietatis volebat oppoſitum 444.7
voluntas in deo eadem eſt antecedens & cõſequens, diuerſa vero ad diuerſa comparata 444.33
voluntas diuina antecedens quæ ſit 444.36
voluntas beneplaciti quæ ſit in deo 445.26
voluntas dei non poteſt aliquo modo impediri 446.21
voluntate ſua homo ſi non faciat quod deus vult voluntate antecedente,deus de ea facit quod vult volũtate cõſequente 446.25
voluntas abſoluta dei neceſſario impletur 446.39
voluntas dei abſoluta connotat euentum rei 447.4
voluntas dei quomodo contingenter vult effectum 447.4
voluntas antecedens non ſemper adimpletur 447.28
voluntas ſigni quæ ſit & quotuplex 447.32
voluntas ſigni non ſemper impletur 448.1
voluntas dei,quod permittit non vult voluntate beneplaciti, ſed bene bonum quod ex illa elicitur 448.9
volũtas ĩpletionis ĩ ſignis pſentib⁹ & futuris variatĩ,& qũo 448.20
vuluntas diuina a nobis aut de nobis ſemper impletur 655.13
Votum pro operatione iudicatur 286.38
vota maiora quomodo reſeruantur ſummo pontifici 373.24
votum eſt triplex 411.10
votum proprie ſumptum quid ſit 411.13
ſub voto cadit promiſſio facta ſanctis 411.36
votum eſt de bono ſupererogationis 412.3
votum debet habere comites,quos habet iuramentum 412.6
votum quibus modis ſollemnizatur 412.24
votũ ſimplex impedit cõtrahendũ,ſed nõ dirimit cõtractũ 413.4
votum ſollemne impedit & dirimit 413.7
votum ſollemne quare dirimit 413.17
voto meritorio vouere quis poteſt virginitatem 414.5

votum cælibatus, pium & gratum eſt deo 414.11
votum emiſſum reddere eſt de iure diuino 648.17
Vouere eſt actus latriæ 411.38
vouere in noſtra eſt poteſtate 648.17
Vox triũphi futura eſt,& tũc mortale induet immortalitatẽ 546.37
vox triumphantium eſt, vbi eſt mors aculeus tuus ? 548.25
Vſuram ſoluens in neceſſitate non concurrit cum fure 523.36
vſura eſt quicquid ſorti accidit 535.20
de vſura conſurgente ex interpretato mutuo regulæ 538.30
Vſurarius contrectat rem alienam inuito domino 523.23
ad vſurarium lucrum ſufficiunt duo 535.41
Vuitcleff inquit, quòd creare non ſit producere aliquid ex omnino nihilo, 45.26
Vxorem fornicantem à viro licet dimittere 506.32
vxores plures hr̃e etſi licuit in lege, non licet in euãgelio 434.4
ad vxorem tantum carnaliter cognitam tranſit cognatio 425.18
vxorẽ relinquere & filios arduũ eſt,ſed maior ꝓmiſſio eſt 635.2
vxorati diſcipuli poſt apoſtolatũ non cognouerunt vxores 664.5
vxores habere ſynodus permiſit tanquam pias ſorores 672.11

FINIS.

CICCIORICCIO MARIO
Via Borgo
Vittorio 20
ROMA
LEGATORIA DI LIBRI